BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
43 F
1

~~L. VII. n.° 15~~
XLVII. p. 12.

Digitized by Google

[illegible]HIL[illegible]A

M. VIII. 4.

Digitized by Google

8.43.F.1

FUNDAMENTUM THEOLOGIÆ MORALIS,

IDEST

TRACTATUS THEOLOGICUS DE RECTO USU OPINIONUM PROBABILIUM;

In quo oſtenditur,

Ut quis licitè poſſit ſequi Opinionem Probabilem faventem libertati adversùs legem, omnino neceſſarium eſſe, & ſufficere, quòd poſt diligentem veritatis inquiſitionem, ex ſincero deſiderio non offendendi Deum ſuſceptam, opinio illa ipſi appareat, attentâ ratione, & authoritate, vel unicè veriſimilis, vel manifeſtè veriſimilior quàm oppoſita, ſtans pro lege adversùs libertatem; ac idcirco ab ipſo judicetur vera judicio abſoluto, firmo, & non fluctuante.

AUTHORE

P. THYRSO GONZALEZ

THEOLOGIÆ PROFESSORE SALMANTICENSI,

NUNC PRÆPOSITO GENERALI SOCIETATIS JESU.

ROMÆ, Sumptibus Jo: Jacobi Komarek Bohemi, Typographi, ac Characterum Fuſoris apud S. Angelum Cuſtodem. Anno MDCXCIV.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

PROPOSITIONES CAPITALES ſtabilitæ in hoc Opere, ad cohibendum Opinionum Probabilium abuſum, contra Authores nimis benignos.

PROPOSITIO PRIMA.

NEMO poteſt ſequi opinionem faventem libertati adversùs legem, quando judicat eſſe falſam, & Legi Divinæ contrariam, retento illo judicio. *Hæc Propoſitio latè ſtatuitur totâ Diſſert.V.à pag.99.ad* 112.

PROPOS. II. Præcipuèque intenta ad coërcendum opinionum probabilium abuſum. Nemo poteſt ſequi opinionem ſtantem pro libertate adversùs legem, quando, omnibus hinc inde conſideratis, habet evidenter majus fundamentum authoritatis, & rationis, ad judicandum eſſe falſam, quàm ad judicandum eſſe veram; quia nimirum videt pro contraria ſtare plures, & graviores Authores, & validiora momenta rationis. *Per totam Diſſert.III. latiſſimè, à pag.* 30. *ad* 67.

PROPOS. III. Nemo poteſt ſequi ſententiam faventem libertati adversùs legem, quando, omnibus hinc inde conſideratis, habet abſolutè, & ſimpliciter majus fundamentum ad judicandum eſſe falſam, quàm ad judicandum eſſe veram. *Totâ Diſſert.IV. à pag.* 67. *ad* 99.

PROPOS. IV. Per nullam Reflexionem poteſt excuſari à culpa formali, qui ſequitur opinionem faventem libertati adversùs legem, quando, omnibus hinc inde conſideratis, habet majus fundamentum ad judicandum eſſe falſam, quàm ad judicandum eſſe veram; præſertim quando illud majus fundamentum eſt rationis; & authoritatis ſimul. *Totâ Diſſert.VI. à pag.* 112.*ad* 133.

PROPOS. V. Nemo poteſt ſequi ſententiam faventem libertati adversùs legem, quando, omnibus conſideratis, non habet majus fundamentum ad judicandum eſſe veram, quàm ad judicandum eſſe falſam; eò quòd agnoſcit paria momenta rationis, & authoritatis pro utraque parte: quia tunc neceſſariò manet anceps, ac dubius, itaut nequeat determinare, quænam ex illis ſit vera. In dubio autem tutior pars eſt eligenda. *Per totam Diſſert.VII. fuſiſſimè à pag.* 134.*ad* 172.

Digitized by Google

PROPOS.VI. Ut quis poſſit ſequi ſententiam faventem libertati adversùs legem, non ſufficit, quòd illa ſit probabilior, ſeu veriſimilior operanti cum exceſſu exiguo, & dubio; quia parum pro nihilo reputatur; ſed requiritur, quòd ſit manifeſtè veriſimilior operanti cum exceſſu notorio, & idcirco ab ipſo judicetur vera judicio firmo. *Diſſert.VI.p.* 123. *n.* 28. *Diſſert.I.p.*16. *à n.*46. *ad* 48. *Diſſert.IV.* §. 1. *p.* 69. *&* *Diſſ.VII. à p.* 163. §. 15. *præſertim p.*164. *à n.* 90.

PROPOS.VII. Modus dirigendi conſcientias, & reſolvendi caſus per probabilitatem opinionum faventium libertati, præſcindendo ab earum veritate, ſeu ita ut operans nõ tranſeat ad ferendum judicium de earum veritate, eſt contra doctrinam, quam conſtanter ſemper tenuit D. Thomas cum omnibus antiquis Thomiſtis, & Theologis: utpote qui ad uſum licitum opinionis minùs tutæ indiſpenſabiliter requirit, ut operans ſibi firmiter perſuadeat, illam eſſe veram, & Legi Divinæ conformem; oppoſitam verò, etſi ſit tutior, eſſe falſam, & imponere onus, quod Deus non impoſuit. *Diſſert. IX. à pag.* 185. *ad* 195.

PROPOS.VIII. In ſententia Doctorum aſſerentium, poſſe intellectum ex imperio voluntatis judicare eſſe veram ſententiam faventem libertati adversùs legem, quamvis habeat æquale, vel majus fundamentum ad judicandum eſſe falſam, non ſufficit judicium illud ſic conceptum ad ſecuritatem conſcientiæ; quia illud non eſt firmum, ſed titubans, & neceſſariò conjungitur cum prudentiſſima formidine de malitia actionis. Unde operari cum illo judicio, virtualiter foret operari in dubio. *Diſſ.VII.* §.15.*p.*163.*præſertim à n.*91. *&* §.18.*à p.*168. *& Diſſ.I.p.*17.*n.*47. *& Diſſ.XI.p.*246.*ad* 248.

PROPOS.IX. Ut judicium opinativum conceptum ab operante de honeſtate objecti, ſit ſufficiens ad ſecuritatem conſcientiæ, omnino neceſſarium eſt, ut formetur ob momentum authoritatis, & rationis manifeſtè præponderans fundamento ſententiæ contrariæ, ac ut formetur ſine paſſione, & præcipitatione. *D.I.p.*16.*à n.*46. *D.II. p.*23. *à n.*15. *p.* 27. *à n.*25. *D.IV.p.*96. *à n.*81. *D.VII.p.*164. *à n.*91.

PROPOS.X. Noſtra ſententia duplici nititur principio: & utroque nobis certo. Primo, quòd nemo poſſit ſequi ſententiam faventem ſuæ libertati adversùs legem, quin ſibi perſuadeat, judicio ſaltem opinativo prudenter concepto, illam eſſe veram, & legi æternæ conformem. Secundo, quòd nemo poſſit hanc perſuaſionem induere, quin inveniat majus fundamentum pro hac parte, quàm pro contraria. *Diſſert. VIII. à pag.* 176. *ad* 184.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIONES CAPITALES ſtabilitæ in hoc Opere contra Theologos nimis rigidos.

PROPOSITIO PRIMA.

QUANDO diſputatur, an aliqua actio ſit honeſta, vel turpis; ſit licita, vel illicita; ut quis poſſit tutâ conſcientiâ amplecti partem minùs tutam faventem libertati adversùs legem, non eſt neceſse, ut illa proponatur ipſi tamquam omnino certa, ſed ſatis eſt, ut citra paſſionem, & culpam, poſt debitam veritatis inquiſitionem, appareat ipſi manifeſtè veriſimilior, quàm contraria, & ab ipſo judicetur abſolutè vera. *Totâ Diſſertatione X. latiſſimè, à pag. 196. ad 240.*

PROPOS. II. Quando inter Doctores claſſicos diſputatur, an aliqua actio ſit intrinſecè mala, ſeu lege naturali prohibita, an ſit licita, vel permiſſa; ſi poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra paſſionem & culpam, pars ſavens libertati apparet alicui clarè veriſimilior, itaut eam judicet abſolutè eſſe veram, & legi Divinæ conformem, non peccabit ille, ſequendo hanc partem; quamvis contingat eam opinionem eſſe falſam: quia tunc habet ignorantiam probabilem excuſantem; & tranſgreſſio legis erit tantùm materialis. *Diſſert. XI. præſertim à pag. 246. ad 248.*

PROPOS. III. Sententia affirmans non poſſe dari ignorantiam invincibilem Juris naturalis, attinentis ad unumquemque, etiam quoad concluſiones remotas valde diſtantes à primis principiis, de quarum veritate dantur opiniones contrariæ Doctorum, quamvis probabilis ſit, & ut vera defendatur ab Authoribus gravibus tum antiquis, tum modernis: Sententia tamen contraria eſt communis non ſolùm inter Theologos benignos hujus ſæculi, ſed etiam inter Theologos ſeveriores præcedentium ſæculorum; nobiſque probabilior, & abſolutè vera apparet. *Eâdem Diſſert. XI. à pag. 248. ad 263.*

PROPOS. IV. Ut quis licitè poſſit amplecti ſententiam faventem libertati adverſus legem, non eſt neceſse, ut illa in ſe abſolutè ſit probabilior, ſeu ut ſit communior inter Sapientes, ſed ſatis

eſt,

Digitized by Google

eſt, quòd ſit abſolutè certò probabilis; ideſt, quòd defendatur ut vera ab Authoribus claſſicis, paris, vel ferè paris authoritatis cum Authoribus ſententiæ tutioris; & aliunde operanti poſt diligentem veritatis inquiſitionem momenta rationis pro illa parte citra paſſionem, & culpam videantur urgentiora momentis ſententiæ contrariæ: quia tunc ſententia illa, quæ in ſe eſt minùs probabilis in communi æſtimatione, relativè ad operantem eſt probabilior, ſeu veriſimilior; imò reſpectu illius eſt unicè tunc probabilis practicè; quia illam ſolùm tunc poteſt approbare ut veram, & oppoſitam debet reijcere ut falſam. *In toto Opere. Præſertim Diſs. XIII. à p.* 304. *ad* 306. *&* *Diſs. IV. p.* 98. §. 13. *ac Diſs. XI. p.* 246. *toto cap.* 3.

PROPOS. V. Quemadmodum Judices in ferenda ſententia poſſunt ſequi ſententiam minùs communem inter Doctores, ſi deprehendant illam eſſe magis fundatam, ideſt munitam validioribus fundamentis rationis; numquam tamen poſſunt ſequi ſententiam minùs communem, & minùs fundatam: ita, licet operans poſſit ſequi ſententiam faventem libertati adversùs legem, quæ ſit minùs communis, ſi ſit magis fundata; numquam tamen licebit ipſi ſequi ſententiam faventem libertati adversùs legem, ſi ſit minùs communis, minùſque fundata, quàm ſententia ſtans pro lege adversùs libertatem. *Diſsert. XIII. à p.* 304. *ad* 306. *&* *Diſs. IV. à p.* 75. *ad* 77. *&* *Diſsert. X. p.* 225. *n.* 76.

Digitized by Google

EGregium Opus *De Recto Uſu Opinionum Probabilium Authore Reverendiſs.P.Thyrſo Gonzalez Præpoſito Generali Societatis JESU*, non minùs attenta, quàm avida conſideratione perlegi, juſſu Reverendiſs.P.Thomæ Mariæ Ferrari Sac.Pal.Apoſt.Magiſtri. Egregium ſanè Opus, in quo nihil cenſura dignum, nihil non laudibus dignum. Has proferre cogunt Sententiarum gravitas, Rationum ſubtilitas, Demonſtrationum firmitas: ſolida Sacræ Theologiæ principia fideliter propinata, ſapienter elucidata, viriliter propugnata, acutè diſcuſſa, profundè rimata, ſtrenuè defenſa. Plura dicerem, ſed excedit, multumque ſupereminet eloquii mei facultatem inſignis Operis excellentia; at ſi lingua ſilet, ipſummet Opus ſuo fulgore ſe ſignat: ut perbellè ipſi conveniat id, quod ajebat D.Ambroſius de luce: *Plus in eo eſt, quod probetur aſpectu, quàm quod ſermone laudari poſſit; ſuo enim utitur teſtimonio, non ſuffragio alieno*. Quid ni ſibi ipſi ſufficiens laudis teſtimonium? cùm ſit partus Authoris, cujus ne nomen quidem vacuum laudis eſt. 1. Hexam. cap. 7. *Pater Tirſus* (ſic etiam alii ſcribunt) *Gonſaleus*, literarum parum ordinem invertendo, anagrammaticè inſonat, *Tu gloriatus es Parens* S.Societatis; facillimè interpretamur literulam punctis myſticè decoratam. Quòd ſi gloria Patris Filius ſapiens, quanta erit gloria optimi Societatis Parentis, qui tantorum Filiorum Pietate, Religione, ac Sapientia lætatur? Evidentia ſunt hæc, ſed non minùs evidenter ſuum ſibi nomen Authori myſticè plaudit: *Tu gloriatus es Parens S.* nimirum *Sublimitatis, Sanitatis, Sanctitatis*: *Sublimitatis* in caracterico Scripturæ ſtylo; *Sanitatis* in animarum utillimum medicamen; *Sanctitatis* quippe, quòd tua ſectando doctrinarum genera, nos ſupra nos elevatos cernimus uſque ad charitatem Dei, uſque ad noſtrorum morum prototypum, & exemplar. An non *Sublimitatis*, *Sanitatis*, *Sanctitatis eſt Parens*, qui doctrinam virtuti permiſcet, & quod verbis docet, opere complet? Ita ſanè: *Scientia illa vera eſt* (inquit Chryſologus) *quæ fuerit mixta virtuti; illa, illa divina eſt, non humana*. Porro ſi *Divina*, *Sublime Sanctitatis* faſtigium, totius *Sanitatis* fontem attingit. Serm. 167. Talia de Authore Orbis ipſe teſtatur: Talia ipſius Nomen in correſpondentes numeros reſolutum nobis oſtendit. Nam THYRSUS GONZALEZ adamuſſim reddit hoc numericum anagramma: *Maximus Theologiæ Magiſter, Libro docens, ac Opere complens*. Sed hîc ſiſto calamum; cùm Authoris modeſtia ultra progredi non permittat. Judicium Operis Nomen ejuſdem officii prærogativæ conjunctum concludat, ſi laudandi materiam præbuit. THYRSUS GONZALEZ PRÆPOSITUS GENERALIS SOCIETATIS JESU, collectis numeris Latinis literis correſpondentibus in hanc ſententiam punctualiſſimè vertitur. *Liber iſte ab omni cenſura immunis, ac rectis Theologiæ Regulis conformis, toto Orbe gratulante publicam lucem aſpiciet*. Scribebam in Conventu Sanctæ Mariæ de Scala die feſto Sancti Thyrſi Martyris: 24. Januarii 1694.

Fr.Philippus à S.Nicolao Vicarius Generalis Ord.Carmelit.Diſcalç. & Qualificator Supremæ Inquiſitionis.

Digitized by Google

PRæclarè ediſſerit Theologorum Orientalis Eccleſiæ Princeps: Οὐδὲν γὰρ οὕτω Θεῷ μεγαλοπρεπὲς, ὡς λόγος κεκαθαρμένος, καὶ ψυχὴ τελεία, τοῖς τῆς ἀληθείας δόγμασιν. Σύμβουλον ἔχω περὶ πάντων τὸν λόγον, καὶ τὰ τοῦ Θεοῦ δικαιώματα, ὑφ' ὧν ἁλίσκομαι μὲν πολλάκις οὐδενὸς κατηγοροῦντος, ἀφίεμαι δὲ πολλῶν κατακρινόντων. *Nihil apud Deum ita amplum & magnificum eſt, ut doctrina perpurgata, & anima veritatis dogmatibus inſtructa, atque perfecta. In omnibus rebus conſiliarii loco rationem, Deique juſtificationes habeo; à quibus plerumque etiam nullo accuſante convincor, & rurſum condemnantibus multis abſolvor.* Ad hujuſmodi æterna & immutabilia Chriſtianæ Ethices ſive morum Diſciplinæ defæcatiſſimæ altiſſimæque effata velut ad ſcopum & Helicen ſuam refert Reverendiſs. P. Thyrſus Gonzalez Societatis JESU PræpoſitusGeneralis, quidquid concinnavit in hoc aureo Opere inſcripto: *Fundamentum Theologiæ Moralis*, ideſt, *Tractatus Theologicus de Recto Uſu Opinionum Probabilium*, à Reverendiſs. P. Fr. Thoma Maria Ferrari Sac. Pal. Apoſt. Magiſtro meæ cenſuræ demandato, in quo attentè perlecto, & penitiùs introſpecto nihil comperi, quod non ipſa Chriſtianorum morum ratio regat, ac formet, proindeque in eo omnia ad trutinam veritatis appenſa, ad animarum emolumentum nedum proficua, verùm etiam opportuniſſima ad enucleandas regulas, ad quarum amuſſim morum Doctrina illibata, inconcuſſiſque radicibus innixa, exigenda & admetienda eſt, ſuſpexi. Quocirca publicâ, primaque luce omnino donandum exiſtimo hoc inſigne Opus, atque Ampliſſimo Authori hocce ſaluberrimum S. P. Bernardi documentum ſtudioſiſſimè executo ſummopere gratulor: *Vigilantiſſimè obſerva, quid ſcire magis, priuſve oporteat. Tempus enim breve eſt. Eſt autem, quod in ſe eſt, omnis ſcientia bona, quæ tamen veritate ſubnixa ſit: ſed tu, qui cum timore, & tremore tuam ipſius operari ſalutem pro temporis brevitate feſtinas, ea ſcire priùs ampliuſque curato, quæ ſenſeris viciniora ſaluti.* Ex Cœnobio S. Pudentianæ de Urbe, quarto Idus Januarii. Anno ab Orbe Reparato MDCXCIV.

Greg. Naz. orat. 32.

orat. 27.

Serm. 36. in Cant.

D. Jo: Maria Gabriellius Monachorum S. Bernardi Ord. Ciſtercien. Viſitator Generalis, S. Theol. Magiſter, & Sac. Congreg. Indicis Conſultor, ac S. Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis Qualificator.

Digitized by Google

INDEX
DISSERTATIONUM
CAPITUM; ET PARAGRAPHORUM,

Quæ in hoc Tractatu de Recto uſu Opinionum Probabilium continentur.

INTRODUCTIO LECTORIS

Ad Diſſertationes de Recto uſu Opinionum Probabilium: ubi, quantopere Societatis Doctores uſum hunc limitaverint, & intra certos Cancellos conſtrinxerint.

DISSERTATIO PRIMA PRÆAMBULA.

EXponens, quid ſit Opinio Probabilis, & ſtatum explicans celeberrimæ controverſiæ de uſu licito opinionis probabilis minùs tutæ, relictâ probabiliori, & tutiori. pag. 1.

§. I. *Quid ſit Opinio in genere, quid Opinari?* Ibidem.

§. II. *Quid ſit Opinio Probabilis? Ubi impugnatur definitio ejus tradita ab antiquioribus Probabiliſtis hujus ſæculi, ſeu Authoribus benignioribus, qui pugnant pro uſu licito opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ.* 4.

§. III. *Expenduntur definitiones Opinionis Probabilis traditæ à recentioribus Probabiliſtis; & obiter ex illis colligitur, eſſe falſam illorum doctrinam de uſu licito opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ.* 6.

§. IV. *An ad probabilitatem opinionis requiratur, ut reipsâ non ſit contra Scripturæ Sacræ teſtimonium, vel contra Eccleſiæ Decreta?* 8.

§. V. *Expenduntur aliæ Opinionis Probabilis definitiones; ex quibus colligitur, licitum non eſſe ſequi opinionem probabilem minùs tutam in occurſu tutioris, quando hæc proponitur operanti, ut magis veriſimilis.* 9.

§. VI. *Noſtra ſententia circa conceptum Opinionis Probabilis.* 10.

PARS SECUNDA DISSERTATIONIS.

Exponens ſtatum celeberrimæ controverſiæ, an liceat ſequi opinionem probabilem minùs tutam, relictâ probabiliori, & tutiori. 15.

DISSERTATIO SECUNDA.

IN qua oſtenditur, ſententiam recentium Probabiliſtarum, aſſerentium unicuique licitum eſſe ſequi opinionem minùs tutam, ſi ſciat, eſſe abſolutè probabilem, quamvis ei in actu primo appareat minùs veriſimilis, quàm oppoſita, non eſſe communem inter Theologos hujus ſæculi, qui docuerunt, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam, relictâ probabiliore, & tutiore. 18.

Digitized by Google

Introductio Diſſertationis. Ibid.

§. I. *Oſtenditur pleroſque Authores hujus ſæculi, ex affirmantibus licitum eſſe uſum opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ, non loqui in ſenſu recentium Probabiliſtarum; ac proinde non eſſe nobis contrarios.* 19.

§. II. *Multiplici argumento oſtenditur, pleroſque Authores hujus ſæculi non loqui de opinione minùs probabili formaliter reſpectu operantis.* Ibid.

§. III. *Solvitur objectio, & ampliùs confirmatur noſtra ſententia.* 24.

§. IV. *Confirmatur expoſitio, & doctrina hucuſque tradita, authoritate Venerabilis Patris Ludovici à Ponte.* 26.

§. V. *Infertur ex dictis, Probabiliſtas modernos in hac controverſia de uſu licito opinionis minùs probabilis, tranſitum feciſſe ab uno ſenſu, in quo eſt vera, ad alium diverſum, in quo eſt falſa.* 27.

DISSERTATIO TERTIA.

PRæcipuè intenta ad cohibendum opinionum probabilium abuſum: in qua oſtenditur, nemini licitum eſſe ſequi ſententiam minùs tutam in occurſu tutioris, quando hæc tum ab authoritate, tum à ratione apparet operanti, ut manifeſtè probabilior, ſeu veriſimilior. 30.

CAP. I. *Explicantur termini Quæſtionis, & ſtatus controverſiæ.* Ibid.

CAP. II §. I. *Statuitur ut fundamentum ad dicenda: Non poſſe intellectum aſſentire illi parti contradictionis, quæ ipſi apparet minùs veriſimilis, quàm ejus contradictoria; ſeu quæ magis ipſi appareret falſa, quàm vera.* 33.

§. II. *Explicatur libertas Fidei, & oſtenditur ex illa non probari, quòd poſſit intellectus aſſentire objecto ſibi minùs veriſimili.* 37.

§. III. *Exponitur natura Judicii temerarii, & oſtenditur eum, qui temerè judicat, non aſſentiri objecto ſibi minùs veriſimili.* 40.

CAP. III. *In quo multiplici ratione oſtenditur, non eſſe licitum ſequi opinionem minùs tutam, relictâ tutiore, quando hæc apparet operanti manifeſtè veriſimilior tum ratione, tum authoritate.* 43.

§. I. *Prima ratio noſtræ ſententiæ, oſtendens fundamentum à priori ſententiæ contrariæ (deſumptum ex eo, quòd operari ex opinione minùs tutâ, minùſque probabili, ſeu minùs veriſimili operanti, ſolùm ſit operari minùs prudenter) niti mera æquivocatione nominis prudenter: oſtenditurq; non ſolùm eſſe minorem, vel exiguam prudentiam, operari ex opinione minùs tutâ, quando operanti proponitur minùs veriſimilis, quàm contraria, ſed eſſe poſitivam imprudentiam, & temeritatem.* Ibid.

§. II *Quando opiniones ſunt invicem oppoſitæ, & veritas unius, eſt falſitas alterius; non manet abſolutè probabilis reſpectu operantis pars illa, quæ ipſi proponitur, ut minùs veriſimilis, quia illam non poteſt tunc approbare ut veram per prudentem aſſenſum.* 47.

§. III. *Inſigni D. Auguſtini teſtimonio oſtenditur, comparativum illud,* magis probabile, *non arguere, quòd pars oppoſita maneat abſolutè probabilis reſpectu operantis.* Ibidem.

§. IV. *Infertur ex dictis, eſſe falſam opinionem aliquorum Authorum aſſerentium, licitum cuilibet eſſe ſequi ſententiam probabilem minùs tutam, dum non fuerit ei manifeſtum, & evidens illam eſſe falſam.* 49.

§. V. *Ulteriùs oſtenditur, non ſolùm minùs prudenter, ſed potiùs imprudenter agere, qui ſectatur opinionem probabilem minùs tutam, relictâ tutiore, ſibi notoriè probabiliore, ſeu veriſimiliore.* 51.

§. VI. *Novis confirmationibus petitis à paritate medicinæ corporalis roboratur noſtra ratio.* 52.

§. VII. *Ulteriùs oſtenditur, nullam aliam prudentiam reperiri poſſe in ſectanda ſententia minùs tuta, quando oppoſita apparet operanti manifeſtè veriſimilior, niſi prudentiam carnis, quæ inimica eſt Deo.* 56.

§. VIII. *Oſtenditur illud Chriſti Domini pronuntiatum;* Jugum meum ſuave eſt, *nihil laxis Probabiliſtis favere.* 57.

§. IX. Tertia ratio noſtræ ſententiæ. *Quia ſi licitum eſt ſequi, quamcumque* opi-

opinionem probabilem, etiam in occurſu opinionis longè probabilioris, redditur inutile ſtudium Theologiæ Moralis. 60.

§. X. Quarta ratio noſtræ ſententiæ. *Quia ſententia aſſerens licitum eſſe ſequi ſententiam favorabilem, etiamſi oppoſita appareat operanti evidenter probabilior, viam ſternit ad aſſerendum, non obligare legem, dum non fuerit certa, & evidens ejus exiſtentia: quod eſſe manifeſtè abſurdum, contra Caramuelem demonſtratur.* 63.

§. XI. Quinta ratio noſtræ ſententiæ. *Quia ſi quælibet probabilitas ſufficit ad rectè operandum, tollitur ſtudium orandi, & enixè à Deo poſtulandi notitiam Divinæ Legis, & veritatis cognitionem.* 65.

DISSERTATIO QUARTA.

IN qua oſtenditur, nemini licitum eſſe ſequi ſententiam faventem libertati adversùs legem, quando omnibus inſpectis habet majus fundamentum ad judicandum eſſe falſam, & Legi æternæ contrariam, quàm ad judicandum eſſe veram, & Legi æternæ conformem. 67.

CAP. I. *Status quæſtionis, & Authorum placita.* Ibid.

CAP. II. *Multiplici ratione ſtatuitur noſtra concluſio.* 68.

§. I. *Prima ratio noſtræ aſſertionis: quia non eſt facile diſcernere inter probabilitatem ſimpliciter, & abſolutè minorem, & probabilitatem manifeſtè, & evidenter minorem. Unde cùm licitum non ſit ſequi ſententiam minùs tutam, quando eſt manifeſtè, & evidenter minùs probabilis ſententia tutiore; neque erit licitum, quando ſimpliciter, & abſolutè eſt minùs probabilis.* 69.

§. II. *Secunda ratio noſtræ ſententiæ. Quia qui ſequitur opinionem minùs tutam, quando opinio tutior apparet ipſi ſimpliciter, & abſolutè veriſimilior authoritate, & ratione, nequit defendere coram Deo ſuum modum operandi.* 71.

§. III. *Tertia ratio noſtræ ſententiæ. Quia ubi ſententia tutior, ſeu ſtans pro lege adverſùs libertatem, apparet operanti ſimpliciter, & abſolutè veriſimilior, tunc formaliter, vel æquivalenter judicat, rem eſſe illicitam: & ſuppoſito hoc judicio, eſſet peccatum rem illam exequi.* 72.

§. IV. *Quarta ratio noſtræ ſententiæ. Quia nemo poteſt licitè in operando ſequi ſententiam minùs tutam, quando judicat eſſe falſam: poſſet autem illam tunc ſequi, ſi cuilibet licitum foret ſequi ſententiam probabilem minùs tutam, relictâ tutiore, & ſibi probabiliore; ut aſſerunt Probabiliſtæ benigni.* 73.

§. V. *Quinta ratio noſtræ ſententiæ. Quia abſurdum eſt, Judicem in judicando, & Medicum in applicandis Medicinis obligari ad ſequendam ſententiam probabiliorem; & non obligari hominem quando controverſia eſt, an res ſit licita, necne, ad operandum ſecundùm ſententiam tutiorem, & probabiliorem.* 75.

§. VI. *Impugnatur ſententia multorum benignæ ſententiæ Defenſorum, qui ut conſequenter procederent, affirmarunt, poſſe Judicem ſequi ſententiam minùs probabilem, relictâ probabiliore circa Jus.* 77.

§. VII. *Quinta probatio noſtræ ſententiæ. Petita ab exemplo Theologi, qui damnatus eſt ex eo, quòd ſecutus ſit ſententiam minùs tutam, minùſque probabilem, relictâ probabiliore, & tutiore.* 82.

§. VIII. *Sexta ratio noſtræ ſententiæ, ad hominem: contra plures ex Authoribus benignis. Quia ubi operanti ſententia tutior apparet abſolutè probabilior, nequit formare dictamen prudens conſcientiæ, quòd ſibi liceat operari.* 84.

§. IX. *Nequit formari dictamen certum conſcientiæ reflectendo ſupra probabilitatem ſententiæ favorabilis ex vi hujus ſyllogiſmi: Licet ſequi quamcumque opinionem probabilem; ſed hæc opinio eſt probabilis: ergo licet eam ſequi.* 85.

§. X. *Neque reflectendo ſupra multitudinem Doctorum, affirmantium, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem relictâ probabiliori, & tutiori, poteſt operans formare dictamen certum conſcientiæ, quòd ſibi liceat exercere contractum, cujus prohibitio repræſentata*

eſt ei, ut magis veriſimilis. 88.

§. XI. *Impugnatur quorumdam Probabiliſtarum placitum, aſſerentium, poſſe in caſu noſtræ quæſtionis operantem formare dictamen practicum certum, quòd ſibi liceat operari, quia poteſt formare hunc ſyllogiſmum: Mihi licitum eſt facere, quod prudenter judico non eſſe prohibitum; Sed ego hìc, & nunc prudenter judico hunc contractum non eſſe prohibitum ob fundamenta ſententiæ minùs probabilis: Ergo mihi licitum eſt hìc, & nunc facere hunc contractum.* 91.

§. XII. *Concluditur ex modò dictis, ſolùm in noſtris principiis poſſe defendi, neceſſarium ad rectè operandum eſſe judicium practicum certum, & evidens.* 96.

§. XIII. *Infertur ex dictis, quomodo reflexio ſupra probabilitatem opinionis minùs tutæ poſſit, vel non poſſit deſervire ad formandum ultimum dictamen practicum conſcientiæ moraliter certum.* 98.

DISSERTATIO QUINTA.

IN qua conſequenter ad dicta in Diſſertatione præcedenti, de modo formandi ultimum dictamen conſcientiæ, diſquiritur, an liceat viro docto operari contra ſententiam propriam magis tutam, ſequendo opinionem aliorum, quam ipſe minùs probabilem cenſet. 99.

§. I. *Proponitur ſententia affirmans.* ibid.

§. II. *Eligitur, & probatur ſententia negans.* 100.

§. III. *Præcluditur quædam evaſio.* 106.

§. IV. *Diſſolvuntur fundamenta ſententiæ contrariæ.* 107.

§. V. *Infertur ex dictis, non licere viro docto reſpondere conſulentibus ſecundùm ſententiam aliorum minùs tutam quam ipſe falſam eſſe cenſet.* 110.

DISSERTATIO SEXTA.

IN qua examinatur, an per ullam reflexionem poſſit excuſari ab omni culpa, qui ſectatur opinionem minùs tutam, ſibi minùs probabilem; præſertim quando minùs probabilis ipſi apparet tum authoritate, tum ratione. 112.

§. I. *Quibuſdam præſuppoſitis aperitur ſenſus Quæſtionis.* Ibidem.

§. II. *Oſtenditur, non poſſe per ullam reflexionem excuſari à culpa formali eum, qui ſectatur ſententiam minùs tutam, quando agnoſcit in ſententia tutiori majus pondus authoritatis, & rationis.* 113.

§. III. *Præcluditur evaſio contendens, eum, qui ſectatur opinionem minùs tutam ſibi minùs probabilem, habere ignorantiam excuſantem à culpa; quia licet poſſet judicare rem eſſe malam, & prohibitam, & operando cum hoc judicio peccaret; non tenebatur tamen hoc judicare. Unde licet non habeat ignorantiam invincibilem malitiæ, habeat tamen ignorantiam probabilem, vi cuius excuſetur.* 119.

§. IV. *Solvitur objectio; cuius occaſione oſtenditur, in hac quæſtione non debere ſupponi partem minùs veriſimilem, & minùs tutam manere abſolutè probabilem reſpectu operantis, & ſic eſſe abſolutè tutam.* 121.

§. V. *Oſtenditur in particulari, nullam reflexionem poſſe efficere, ut licitum ſit ſequi opinionem minùs tutam, quam quis cognoſcit eſſe directè minùs probabilem authoritate, & ratione.* 123.

§. VI. *Nulla reflexio ex aſſignatis à Terillo ſufficit, ut quis licitè amplectatur opinionem minùs tutam, ſibique minùs veriſimilem.* 124.

§. VII. *Non ſufficit reflexio ſupra poſſeſſionem libertatis propriæ.* Ibid.

§. VIII. *Non ſufficit reflexio ſupra non promulgationem legis.* 125.

§. IX. *Non ſufficit reflexio ſupra ignorantiam legis.* 127.

§. X. *Oſtenditur, non poſſe ſupra opinionem minùs tutam, quæ operanti repræſentatur minùs veriſimilis, fundari dictamen practicum conſcientiæ certum, quòd liceat operari.* 128.

§. XI. *Detegitur amplius origo deceptionis Terilli, qui putat illud obiectum eſſe certò probabile omnibus, & omnibus licitum, quod multi docti, & pii prudenter,*

Digitized by Google

ter, & maturè ſine paſſione judicant eſſe probabile. 129.

DISSERTATIO SEPTIMA.

IN qua diſquiritur, an liceat ſequi Opinionem Probabilem faventem libertati, in occurſu opinionis æquè probabilis, ſtantis pro præcepto? 134.

§. I. *Statuitur pars negativa.* Ibid.

§. II. *Oſtenditur authoritate, intellectum neceſſariò manere dubium in occurſu opinionum contrariarum æquè probabilium apud ipſum.* Ibid.

§. III. *Eadem veritas oſtenditur ratione.* 136.

§. IV. *Redditur diſparitas inter Intellectum, & Voluntatem.* 138.

§. V. *Evertitur fundamentum quorumdam Authorum aſſerentium, in quæſtione Facti motiva æqualia pro utraque parte, relinquere rem dubiam; non tamen in quæſtione Juris.* 139.

§. VI. *Impugnatur peculiare placitum Patris Martini de Eſparza, aſſerentis, motiva æqualia cauſare dubium, ſi ſint ſimilia; ſecus, ſi ſint diſſimilia.* 142.

§. VII. *Evertitur fundamentum aliorum, qui etiam in quæſtione Facti affirmant poſſe intellectum aſſentire ex imperio voluntatis uni parti potiùs, quàm alteri, quamvis utraque proponatur ei ut æquè veriſimilis.* 146.

§. VIII. *Concluditur ex dictis, non eſſe licitum ſequi opinionem probabilem in occurſu opinionis æquè probabilis, & ſimul tutioris.* 149.

§. IX. *Probatur ulteriùs noſtra concluſio, quia in dubiis tutior pars eſt eligenda: oſtenditurque hanc Regulam Juris non eſſe dumtaxat conſiliativam, ſed præceptivam.* 151.

§. X. *Oſtenditur in præſenti materia, ex dubio ſpeculativo, ſeu univerſali, neceſſariò reſultare dubium practicum circa actionem particularem hic, & nunc exercendam.* 152.

§. XI. *Præcluditur effugium quorumdam Probabiliſtarum, aſſerentium, in eo caſu, in quo concurrunt opiniones æquè probabiles pro libertate, & pro lege, dari æquivalenter ignorantiam invincibilem legis; ac proinde licitum eſſe operari.* 153.

§. XII. *Præcluditur aliud effugium Probabiliſtarum, contendentium, non obſtante illo dubio, reſultante ex conflictu opinionum æquè probabilium pro lege, & pro libertate, poſſe formari dictamen practicum, diſcordans à dubio ſpeculativo, ex vi illius principii, quod In dubiis melior eſt conditio poſſidentis; oſtenditurque, illud ſolùm tenere in materia Juſtitiæ.* 155.

§. XIII. *Quid dicendũ in dubio voti?* 158.

§. XIV. *Impugnatur aliorum reſponſio, aſſerentium, in dubio reſultante ex opinionibus contrariis æquè moventibus, non eſſe ſufficienter propoſitam legem prohibitivam actionis.* 159.

§. XV. *Solvuntur fundamenta alia aſſerentium, in occurſu opinionum æquè probabilium pro lege, & contra legem, licitum eſſe cuiquam eligere, quam maluerit. Ubi oſtenditur, quòd licet tunc poſſet intellectus ex imperio voluntatis aſſentire parti benignæ, ut veræ, ille aſſenſus non ſufficeret ad eam licitè ſectandam.* 163.

§. XVI. *Rejicitur alia reſponſio, nempe quòd in dubio negativo tutior pars ſit eligenda, non autem in dubio poſitivo; quando ſcilicet eſt utrimque opinio probabilis.* 165.

§. XVII. *Oſtenditur, non rectè à multis explicari Dubium morale negativum.* 166.

§. XVIII. *Solvitur fundamentum aliorum, contendentium, utramque partem contradictionis poſſe eſſe ſimul probabilem eidem intellectui.* 168.

DISSERTATIO OCTAVA.

QUÆ eſt antecedentium ſcopus: ubi oſtenditur nemini licitum eſſe, ſequi ſententiam faventem libertati adversùs legem, quin poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra paſſionem, & culpam appareat ipſi in actu primo, vel unicè veriſimilis, vel clarè, & ſẽſibiliter veriſimilior oppoſitâ, ſtante pro lege adversùs libertatem; & idcirco ab illo judicetur ve-

vera, judicio abſolutè non fluctuante. 172.

CAP.I. *Introductio Diſſertationis; ubi ex D.Thoma obiter explicatur, quando judicium formatum ab operante contineat conſcientiam erroneam culpabilem, quando inculpabilem.* *Ibid.*

CAP.II. *Statuuntur duo principia, ex quibus manifeſtè colligitur veritas noſtræ aſſertionis.* 176.

§.I. *Statuitur primum principium: quòd videlicet nemo poſſit licitè ſequi ſententiam minùs tutam, ſeu faventem libertati adverſùs legem, quin priùs judicet eſſe veram.* *Ibidem.*

§.II. *Statuitur ſecundum principium; quòd ſcilicet nemo poſſit prudenter aſſẽtire ſententiæ minùs tutæ, ut veræ, quin poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra paſſionem, & culpam, illi antecedenter appareat magis veriſimilis, quàm oppoſita.* 178.

§.III. *Infertur ex dictis, per Decretum Innocentii XI. enervatum eſſe fundamentum à priori, quo Probabiliſtæ probant, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam, in occurſu probabilioris, & tutioris.* 180.

§.IV. *Oſtenditur, eſſe fallax, & ſophiſticum fundamentum à priori Authorum benignorum.* 182.

DISSERTATIO NONA.

IN qua oſtenditur, modum dirigendi conſcientias, & reſolvendi caſus per probabilitatem opinionum, præſcindendo ab ipſarum veritate, ſeu non curando, an ſint veræ, eſſe contra doctrinam, quam conſtanter ſemper tradidit D.Thomas; qui ad uſum licitum opinionis minùs tutæ indiſpenſabiliter requirit, ut priùs operans ſine dubitatione judicet, eſſe veram, & legi æternæ conformem. 185.

Introductio Diſſertationis. *Ibidem.*

CAP.I. *Probatur aſſumptũ variis S.Thomæ teſtimoniis.* 186.

CAP.II. *Expenditur celebris locus D.Thomæ ex quodlib. 8. art. 13. ubi ex profeſſo explicat, quid requiratur, ut quis ſecurè in praxi ſequatur opinionem minùs tutam faventem libertati adverſùs legem, in occurſu tutioris ſtantis pro lege adverſùs libertatem.* 189.

§.I. *Proponitur doctrina illius articuli.* *Ibid.*

§.II. *Quomodo intelligenda ſint illa verba D.Thomæ:* Aut non habet conſcientiã de contrario, ſed certitudinem. 191

§.III. *Oſtenditur, quòd dum D.Thomas aſſerit:* Id quod agitur contra legem, ſemper eſt malum, licet ſit juxta conſcientiam; *loquatur de conſcientia errante culpabiliter circa legem, quam tenebatur ſcire.* 192.

§.IV. *Quomodo S.Antoninus, & Adrianus exponant hoc axioma D.Thomæ:* Illud quod agitur contra legem, ſemper eſt malum, licet ſit juxta conſcientiam. 193.

DISSERTATIO DECIMA.

IN qua oſtenditur, ad uſum licitum ſententiæ minùs tutæ non requiri, quòd operans formet judicium omnino certum de honeſtate obiecti; ſed ſatis eſſe, quòd judicio opinativo prudenti, ex ſe non excludente omnem formidinem malitiæ, ſibi perſuadeat objectum eſſe honeſtum, vel ſaltem non prohibitum. 196.

Introductio Diſſertationis. *Ibid.*

CAP. I. *Continens explicationem, & multiplicem probationem prædictæ ſententiæ.* 197.

§. I. *Quomodo in ea ſententia conſentiant omnes Theologi moderni, & antiqui, paucis exceptis, qui poſtulare videntur omnimodam certitudinem de veritate ſententiæ minùs tutæ, ad licitum ejus uſum.* *Ibid.*

§.II. *Primum caput probandi noſtram ſententiam, ex Decretalibus Summorum Pontificum.* 203.

§.III. *Secundum caput idem probandi. Quia ubi opinio minùs tuta apparet agenti manifeſtè, & ſenſibiliter veriſimilior oppoſitâ, prudenter poteſt judicare rem eſſe ſecundùm ſe licitam. Unicuique autem licitum eſt facere illud, quod prudenter judicat eſſe ſecundùm ſe, & conſequenter omnibus licitum.* 204.

§.IV.

Digitized by Google

§.IV. *Tertium caput idem probandi. Quia vel ad honeſtè operandum non requiritur dictamen ultimum conſcientiæ certum, & evidens, excludens omnem formidinem partis oppoſitæ; vel ſi hoc requiritur, poteſt per reflexionem fundari ſupra opinionem probabilem operantis, conceptam ob motivum manifeſtè veriſimilius motivo partis oppoſitæ.* 206.

§.V. *Quartum caput idem probandi. Quia ubi pars minùs tuta poſt diligentem veritatis inquiſitionem, apparet citra culpam operanti manifeſtè veriſimilior oppoſitâ, illa pars apud ipſum habet moralem quamdam certitudinem, ex communi judicio antiquorum Theologorum ſufficientem ad licitè operandum.* 208.

§.VI. *Infertur ex dictis, quòd, quando opinio minùs tuta eſt manifeſtè veriſimilior oppoſitâ, & idcirco judicatur vera ab operante, poteſt iſte prudenter repellere, & contemnere formidinem partis oppoſitæ tamquam ſcrupulum; & conſcientiam ſuam tranquillam reddere.* 210.

§. VII. *Quintum caput idem probandi. Quia Doctor Theologus interrogatus, an aliquis contractus ſit licitus, poteſt reſpondere ſecundùm ſententiam minùs tutam, ſi videat illam authoritate, & ratione eſſe probabiliorem, & ideo illam judicet veram, licet hoc judicium ſit merè opinativum. Si autem ei licet ſecundùm minùs tutam, quando eſt magis probabilis, reſpondere, etiam licebit ſecundùm eamdem operari.* 212.

§. VIII. *Sextum caput idem probandi. Quia ſi non licet ſequi opinionem minùs tutam, manentem intra limites ſolius probabilitatis, etiamſi illa ſit evidenter probabilior oppoſitâ, redditur inutile ſtudium Theologiæ moralis.* 214.

§. IX. *Septimum caput idem probandi. Quia ſi nemo poſſet ſequi ſententiam faventem libertati, ſeu affirmantem, rem eſſe licitam, quin priùs omnino certificaretur de ipſius veritate, ſequeretur, quòd in omni quæſtione controverſa inter Doctores Catholicos, tenerentur communiter homines ſequi partem tutiorem. Quod foret onus nimis grave, & ſupra hominum fragilitatem.* Ibid.

§.X. *Octavum caput idem probandi ex regula Iuris:* Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius. 216.

§.XI. *Regulam illam juris:* Reſpicimus in obſcuris quod veriſimilius eſt; *intelligendam eſſe de dubiis rerum, non de dubiis perſonarum.* 217.

§.XII. *An, quando veriſimilius eſt hominem eſſe malum, quàm eſſe innocentem, poſſit quis licitè judicare, illum eſſe malum?* 218.

§.XIII. *Alia capita probandi, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs tutam, quando illa citra omnem culpam apparet manifeſtè, & clarè veriſimilior oppoſitâ.* 219.

CAP.II. *Nova probatio noſtræ ſententiæ, ex Decreto Alexandri VIII. in quo damnavit hanc propoſitionem:* Non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam. 221.

§.I. *Proponitur Decretum illud, ejuſque ſcopus; & breviter explicatur.* Ibid.

§.II. *An ex propoſitione damnata ab Alexandro VIII. legitimè inferatur, poſſe hominem aliquando ſequi ſententiam faventem libertati adversùs legem, quamvis non ſit omnino certus de ipſius veritate.* 222.

§. III. *Confirmatur doctrina præcedens, explicando, an & quæ formido ſit de conceptu aſſenſûs opinativi, prout contradiſtinguitur ab aſſenſu ſcientifico, & ab aſſenſu Fidei Divinæ.* 226.

§.IV. *Aliquæ illationes ex dictis; quibus comprobatur, Decretum Alexandri non comprehendere ſententias aliquas gravium Theologorum.* 229.

CAP.III. *Impugnatur ſententia Cajetani, & Navarri, aſſerentium, licitum eſſe ſequi ſententiam probabilem faventem libertati, quando ſolùm in communi, & univerſali rem eſſe licitam, cum formidine opinatur operans; non autem quando ſic opinatur de actione in particulari.* 232.

CAP. ULT. *Solvuntur ex dictis argumenta contendentia, ad licitè ſectandam ſententiam minùs tutam, requiri omnimodam certitudinem de ejus veritate, ſine ullâ formidine partis oppoſitæ.* 236.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO XI.

IN qua diſquiritur; an, & quo modo poſſit homo licitè ſequi opinionem minùs tutam probabilem, reipsâ falſam circa Jus naturale: & in qua oſtenditur contra nonnullos Theologos, poſſe dari ignorantiam inculpabilem Juris naturalis attinentis ad unumquemque, quoad concluſiones valde remotas à primis principiis, de quibus ſunt opiniones contrariæ inter Doctores Catholicos. 241.

CAP. I. *Proponitur ſententia Authoris benigni, affirmantis, eum, qui ſectatur opinionem minùs tutam, ſibique directè minùs probabilem, ſeu minùs veriſimilem reipsâ falſam, operari cum ignorantiâ invincibili malitiæ.* Ibid.

CAP. II. *Impugnatur illa ſententia, & oſtenditur non operari cum ignorantiâ invincibili; vel inculpabili malitiæ, qui operatur rem malam, quando judicio opinativo prudenti poteſt judicare eſſe malam, licet non valeat judicare judicio omnino certo. Ubi, quomodo ſit intelligenda illa regula*: In dubiis tutior pars eſt eligenda. 242.

CAP. III. *Oſtenditur opinionem probabilem minùs tutam reipsâ falſam, ſi ſupponatur eſſe certò probabilem, & ſubjectivè exiſtere in mente operantis, imbibere ignorantiam probabilem, ſeu invincibilem excuſantem à culpa formali; juxta vera principia, quòd intellectus nequit prudenter aſſentire niſi parti, ut veræ, illi, quæ ipſi repræſentatur, ut magis veriſimilis.* 246.

CAP. IV. *In ſententia Doctorum aſſerentium, poſſe intellectum aſſentire, ut abſolutè veræ, parti minùs tutæ, quamvis appareat ipſi in actu primo æquè veriſimilis, vel etiam veriſimilior cum exiguo exceſſu; opinio formata ab operante, nequit fundare ignorantiam invincibilem, & inculpabilem malitiæ.* 247.

CAP. V. *In quo probatur, poſſe dari ignorantiam invincibilem Juris naturalis quoad aliquas veritates.* 248.

§. I. *Communis, & vera ſententia, Theologorum admittit, ignorantiam invincibilem Juris naturalis, quoad concluſiones remotas, de quibus dantur opiniones contrariæ inter Doctores Catholicos.* Ibid.

§. II. *Quàm difficilis ſit ſententia Theologorum aſſerentium; non poſſe dari ignorantiam inculpabilem Juris naturalis, etiam quoad concluſiones remotas.* 250.

§. III. *Argumenta, quibus probari videtur, non poſſe dari ignorantiam invincibilem Juris naturalis, etiam quoad concluſiones remotas.* 254.

§. IV. *Reſpondetur argumentis propoſitis.* 258.

§. V. *Concluditur Diſſertatio.* 262.

DISSERTATIO XII.

IN qua expenditur, & retorquetur ratio, quâ P. Terillus probat ſententiam Probabiliſtarum: quia alioqui graviſſimè peccaviſſent Doctores hujus ſæculi, qui docuerunt, licitum eſſe ſequi ſententiam probabilem minùs tutam, relictâ probabiliori, & tutiori. 264.

Introductio Diſſertationis. Ibid.

§. I. *Proponitur, & retorquetur hæc ratio Terilli.* Ibid.

§. II. *Inſtaurat Terillus primum ratiocinium à ſe factum in tomo de Probabilitate pro uſu licito opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ. Et quid reponat ad ea, quæ contra illam nos oppoſuimus.* 266.

§. III. *Oſtenditur argumentum Terilli legitimè fuiſſe retortum contra ipſum.* 267.

§. IV. *Falsò contendit Terillus, retorſionem non ſolvere argumentum.* 269.

§. V. *Ex eo quòd ſententia Probabiliſtarum de uſu licito opinionis minùs tutæ, & minùs probabilis, ſit falſa, non ſequitur, quòd Deus per unum ſæculum deſeruerit Eccleſiam, ut arguit Terillus, ſed potiùs, ſi illa doctrina foret vera, ſequeretur, totam antiquitatem in re magni momenti erraſſe, & Deum per multa ſæcula ſuam deſeruiſſe Eccleſiam.* 270.

§. VI. *Nimia benignitas aliquorum Probabiliſtarum, licitum faciens uſum cujuſcumque opinionis probabilis, eſt contra-*

traria doctrinæ Patrum. 271.

§. VII. *Multò incredibilius, & abſurdius eſt, quòd erraverint omnes antiqui per tot retro ſæcula, dum ad licitum uſum opinionis minùs tutæ exigunt, ut ſit moraliter certa, vel ſaltem probabilior oppoſitâ, quàm quòd erraverint moderni Probabiliſtæ.* 273.

DISSERTATIO XIII.

IN qua diſquiritur, an ſit ſolidum, vel potiùs ſophiſticum præcipuum fundamentum recentium Authorum benignorum, qui cum Caramuele probant, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam in occurſu probabilioris, & tutioris; quia hoc ipſum reflexè probabilius eſt. 276.

CAP. I. *Proponitur argumentum, & judicium gravis Theologi ſubtiliter oſtendentis, illud eſſe ſophiſticum.* Ibid.

CAP. II. *Noſtra reſponſio ad argumentum, oſtendens, falsò Authores benignos aſſerere, ſuam ſententiam eſſe probabiliorem.* 279.

§. I. *Primum Caput probandi, ſententiam benignam non eſſe probabiliorem; quia pro illa non eſt invenire locum Sacrum, vel ullam Sanctorum Patrum authoritatem.* Ibid.

§. II. *Secundum Caput idem probandi; quia pro noſtra ſententia aſſerente ad uſum licitum ſententiæ minùs tutæ omnino requiri, vel quòd illa proponatur ut moraliter certa operanti, vel, quod in idem recidit, ut clarè probabilior, ſeu veriſimilior quàm oppoſita; & ab ipſo abſolutè judicetur vera, judicio opinativo prudenti; ſunt manifeſta Patrum teſtimonia, ſcilicet Clementis Cypriani, Chryſoſtomi, Baſilii, Nazianzeni, & Lactantii.* 281.

§. III. *Specialiter authoritate Auguſtini comprobatur, veritatem quærendam eſſe in doctrinis; nec aliter nos poſſe in re controverſa amplecti ſententiam faventem libertati adversùs legem, niſi quia nobis perſuademus, eſſe veram, perſuaſione excludente prudentem omnem formidinem.* 283.

§. IV *Tertium Caput probandi, noſtram ſententiam eſſe probabiliorem ſententiâ benignâ; quia pro noſtra ſtant Doctores Theologi, qui floruerunt poſt Magiſtrum Sententiarum, quorum Sanctitatem Eccleſia declaravit: nullus autem Sanctus Canonizatus allegatur pro contraria. Specialiter expenditur authoritas S. Bonaventuræ pro noſtra ſententia, & authoritas S. Bernardini, ac S. Antonini.* 287.

§. V. *Probatur noſtra ſententia authoritate S. Bernardini Senenſis.* 291.

§. VI. *Probatur noſtra ſententia authoritate S. Antonini.* 292.

§. VII. *Quartum Caput idem probandi; quia Principes duplicis illuſtris Scholæ Thomiſticæ, & Scotiſticæ, nimirum Angelicus Doctor Divus Thomas, & Subtilis Doctor Scotus, cum ſuis antiquis Diſcipulis planè omnibus conſtanter docuerunt, omnes teneri ſequi partem tutiorem, quando eſt probabilior oppoſitâ, & etiam quando eſt æquè probabilis; numquam autem licere amplecti partem minùs tutam, niſi illa ſit manifeſtè probabilior parte tutiore. Idque docuerunt reliqui omnes antiqui Scholaſtici primi nominis, & Authores Summarum.* 293.

§. VIII. *Oſtenditur, Durandum convenire cum Scoto, & D. Thoma in eadem doctrina.* 296.

§. IX. *Oſtenditur, reliquos Scholaſticos antiquos, & Authores Summarũ qui ſcripſerunt ante ann. 1577. noſtram ſententiam tradidiſſe.* 298.

§. X. *Quintum Caput probandi, noſtram ſententiam eſſe probabiliorem; quia pro illa ſunt manifeſti textus Juris Canonici: nullus autem allegari poteſt pro ſententiâ benigna, aſſerente licitum eſſe ſequi ſententiam probabilem minùs tutam, quam operans judicat, vel prudenter judicare poteſt, falſam eſſe.* 300.

§. XI. *Sextum Caput probandi, noſtram ſententiam eſſe probabiliorem; quia Cardinalis Pallavicinus ſententiam oppoſitam, quam priùs tenuerat, & typis vulgaverat, retractavit, & noſtram amplexus eſt, poſtquam ejus ſolida fundamenta ritè expendit: & ſimile quid*

acci-

Digitized by Google

accidit Cardinali de Aguirre, aliiſque multis. 300.

§. XII. *Septimum Caput probandi, noſtram ſententiam eſſe probabiliorem; quia ſententia benigna, affirmans, licitum eſſe cuilibet ſequi ſententiam probabilem minùs tutam, relictâ tutiori, & ſibi probabiliori, ſeu veriſimiliori, non eſt ita communis inter Authores hujus ſæculi, ut vulgo creditur.* 304.

§. XIII. *Octavum Caput probandi majorem probabilitatem noſtræ ſententiæ; quia pro oppoſita nullus citatur Cardinalis Sanctæ Eccleſiæ: noſtram autem tenuerunt quinque præſtantiſſimi Theologi Cardinales, nimirum Cajetanus, Bellarminus, Pallavicinus, Lauræa, & Aguirre; eamque quotidie alii Eminentiſſimi ſectantur in Sacris Congregationibus.* 306.

Cardinalis Cajetanus. Ibidem.

Cardinalis Bellarminus. 307.

Cardinalis Sfortiæ Pallavicini ſententia ex ipſius Epiſtolis. 308.

Epiſtola Cardinalis Pallavicini ad P. Michaëlem de Elizalde Neapoli degentem data 27. Maii anno 1662. in qua mentem ſuam circa uſum opinionum probabilium aperit. Extat pag. 88. libri Epiſtolarum. Ibidem.

Cardinalis de Lauræa. 309.

Cardinalis de Aguirre, ſuum, & aliorum Cardinalium ſenſum exponens. 310.

§. XIV. *Ultimum Caput probandi, noſtram ſententiam moderatam eſſe probabiliorem ſententiâ benignâ de uſu licito opinionis probabilis minùs tutæ in occurſu tutioris, & probabilioris, atque operanti ipſi veriſimilioris: quia longè ſuperat oppoſitam à fundamentis intrinſecis.* 311.

CAP. ULTIMUM. *Infertur ex dictis, non poſſe nobis officere ſententiam recentium Probabiliſtarum, eò quòd illa facta ſit communis ob falſam ſuppoſitionem: nimirum quia multi falsò ſuppoſuerunt, omnes ferè Doctores hujus ſæculi aſſeruiſſe, licitum eſſe unicuique ſequi ſententiam in ſe probabilem faventem libertati contra præceptum, quamvis oppoſita appareret ei in actu primo abſolutè veriſimilior; cùm tamen hoc ſit apertè falſum.* 313.

DISSERTATIO XIV.

IN qua ſolvuntur fundamenta aliâ ſententiæ benignæ. 315.

CAP. I. *Solvitur fundamentum recentium Authorum benignorum, contendentium, non poſſe eſſe licitum uſum opinionis minùs tutæ, quando eſt probabilior, ſi non eſt licitus, quando eſt minùs probabilis.* Ibid.

CAP. II. *Solvitur obiectio contendens, noſtram ſententiam conſcientias torquere, & intolerabile eis onus imponere. Ubi praxis eligendi opiniones declaratur.* 316.

CAP. III. *Solvitur ſpecialis ratio, quâ Cardinalis Pallavicinus probat, licitum eſſe ſequi opinionem minùs tutam, etiamſi oppoſita appareat operanti veriſimilior.* 319.

CAP. IV. *Solvuntur fundamenta ſententiæ benignæ, prout propoſita à M. Bartholomæo de Medina.* 322.

CAP. V. *Quo ſenſu verum ſit, quòd Jura monent, Opinionem, ſcilicet beniniorem eſſe præferendam.* 325.

CAP. VI. *Ex Diſpenſationibus conceſſis à Summis Pontificibus licet inferatur, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, ideſt minùs communem, quando eſt magis fundata, ſeu fortioribus nixa rationibus; non tamen, quando eſt minùs communis, & inſuper operanti apparet minùs veriſimilis, quàm contraria.* 326.

CAP. VII. *Expenditur Breve Urbani VIII. ex quo P. Terillus contendit probare, licitum eſſe uſum opinionis benignæ, etiam quoad partem minùs probabilem.* Ibid.

§. I. *Proponitur argumentatio Terilli, & ejus ſolutio ab accurato quodam Theologo noſtræ Societatis adhibita.* 328.

§. II. *Nullam hìc authenticam Deciſionem Summi Pontificis allegari, quæ certam fidem faciat, & in toto rigore verborum accipi debeat.* 331.

§. III. *Quòd in prædicta Deciſione nihil omnino contineatur Doctrinæ noſtræ contrarium.* 333.

§. IV

§. IV. *Refutatur prima illatio Terilli: atque inde explicatio Deciſionis Pontificiæ à nobis tradita, denuo confirmatur.* 335.

CAP. VIII. *An Subditus, relictâ opinione probabiliore propriâ magis tutâ, poſſit, vel debeat ſequi opinionem minùs probabilem, minùſque tutam Prælati.* 342.

§. I. *Proponitur argumentum pro parte affirmativa.* Ibid.

§. II. *Fruſtra Probabiliſtæ, ad defendendam virtutem Obedientiæ, recurrunt ad ſententiam benignam de uſu liciti opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ; cùm potiùs ex illa doctrina labefactetur maximè obedientia, debita præceptis Superiorum.* 343.

Reſponſio ad Argumentum. 345.

§. III. *Concluditur ex dictis, argumentum petitum ab Obedientia, non probare, quòd liceat cuilibet ſequi ſententiam probabilem minùs tutam in occurſu tutioris, & probabilioris, ſibique veriſimilioris; ſed potiùs probare oppoſitum.* 351.

CAP. IX. *An Confeſſarius contra propriam opinionem poſſit, ac debeat abſolvere Pœnitentem, utentem opinione probabili contrariâ gravium Doctorum.* 352.

§. I. *Exponitur ſtatus Quæſtionis.* Ibid.

§. II. *Ex eo, quòd Confeſſarius contra propriam opinionem poſſit abſolvere Pœnitentem, utentem opinione probabili contrariâ, non ſequitur, poſſe quemlibet uti opinione minùs probabili, & minùs tutâ, in occurſu tutioris, & probabilioris.* 353.

§. III. *Examinatur, an Confeſſarius, qui judicat probabiliter Pœnitentem obligatum ad reſtituendum, poſſit eundem abſolvere, ſi advertat illum accedere cum propoſito non reſtituendi; eo quòd ductus opinione probabili contrariâ, judicat, ſe non eſſe obligatum reſtituere.* 355.

§. IV. *Noſtra ſententia variis aſſertionibus expoſita.* 357.

CAP. ULTIMUM: *Illatio ex dictis, de obligatione Confeſſarii ad non relinquendum Pœnitentem in ignorantiâ ſuâ.* 360.

Impri-

Digitized by Google

accidit Cardinali de Aguirre, aliiſque multis. 300.

§. XII. *Septimum Caput probandi, noſtram ſententiam eſſe probabiliorem; quia ſententia benigna, affirmans, licitum eſſe cuilibet ſequi ſententiam probabilem minùs tutam, relictâ tutiori, & ſibi probabiliori, ſeu veriſimiliori, non eſt ita communis inter Authores hujus ſæculi, ut vulgo creditur.* 304.

§. XIII. *Octavum Caput probandi majorem probabilitatem noſtræ ſententiæ; quia pro oppoſita nullus citatur Cardinalis Sanctæ Eccleſiæ: noſtram autem tenuerunt quinque præſtantiſſimi Theologi Cardinales, nimirum Cajetanus, Bellarminus, Pallavicinus, Lauræa, & Aguirre; eamque quotidie alii Eminentiſſimi ſectantur in Sacris Congregationibus.* 306.

Cardinalis Cajetanus. Ibidem.

Cardinalis Bellarminus. 307.

Cardinalis Sfortiæ Pallavicini ſententia ex ipſius Epiſtolis. 308.

Epiſtola Cardinalis Pallavicini ad P. Michaëlem de Elizalde Neapoli degentem data 27. Maii anno 1662. in qua mentem ſuam circa uſum opinionum probabilium aperit. Extat pag. 88. libri Epiſtolarum. Ibidem.

Cardinalis de Lauræa. 309.

Cardinalis de Aguirre, ſuum, & aliorum Cardinalium ſenſum exponens. 310.

§. XIV. *Ultimum Caput probandi, noſtram ſententiam moderatam eſſe probabiliorem ſententiâ benignâ de uſu licito opinionis probabilis minùs tutæ in occurſu tutioris, & probabilioris, atque operanti ipſi veriſimilioris: quia longè ſuperat oppoſitam à fundamentis intrinſecis.* 311.

CAP. ULTIMUM. *Infertur ex dictis, non poſſe nobis officere ſententiam recentium Probabiliſtarum, eò quòd illa facta ſit communis ob falſam ſuppoſitionem: nimirum quia multi falsò ſuppoſuerunt, omnes ferè Doctores hujus ſæculi aſſeruiſſe, licitum eſſe unicuique ſequi ſententiam in ſe probabilem faventem libertati contra præceptum, quamvis oppoſita appareret ei in actu primo abſolutè veriſimilior; cùm tamen hoc ſit apertè falſum.* 313.

DISSERTATIO XIV.

IN qua ſolvuntur fundamenta aliâ ſententiæ benignæ. 315.

CAP. I. *Solvitur fundamentum recentium Authorum benignorum, contendentium, non poſſe eſſe licitum uſum opinionis minùs tutæ, quando eſt probabilior, ſi non eſt licitus, quando eſt minùs probabilis.* Ibid.

CAP. II. *Solvitur obiectio contendens, noſtram ſententiam conſcientias torquere, & intolerabile eis onus imponere. Ubi praxis eligendi opiniones declaratur.* 316.

CAP. III. *Solvitur ſpecialis ratio, quâ Cardinalis Pallavicinus probat, licitum eſſe ſequi opinionem minùs tutam, etiamſi oppoſita appareat operanti veriſimilior.* 319.

CAP. IV. *Solvuntur fundamenta ſententiæ benignæ, prout propoſita à M. Bartholomæo de Medina.* 322.

CAP. V. *Quo ſenſu verum ſit, quòd Jura moneant, Opinionem, ſcilicet benigniorem eſſe præferendam.* 325.

CAP. VI. *Ex Diſpenſationibus conceſſis à Summis Pontificibus licet inferatur, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, ideſt minùs communem, quando eſt magis fundata, ſeu fortioribus nixa rationibus; non tamen, quando eſt minùs communis, & inſuper operanti apparet minùs veriſimilis, quàm contraria.* 326.

CAP. VII. *Expenditur Breve Urbani VIII. ex quo P. Terillus contendit probare, licitum eſſe uſum opinionis benignæ, etiam quoad partem minùs probabilem.* Ibid.

§. I. *Proponitur argumentatio Terilli, & ejus ſolutio ab accurato quodam Theologo noſtræ Societatis adhibita.* 328.

§. II. *Nullam hìc authenticam Deciſionem Summi Pontificis allegari, quæ certam fidem faciat, & in toto rigore verborum accipi debeat.* 331.

§. III. *Quòd in prædicta Deciſione nihil omnino contineatur Doctrinæ noſtræ contrarium.* 333.

§. IV

Digitized by Google

§. IV. *Refutatur prima illatio Terilli: atque inde explicatio Deciſionis Pontificiæ à nobis tradita, denuo confirmatur.* 335.

CAP. VIII. *An Subditus, relictâ opinione probabiliore propriâ magis tutâ, poſſit, vel debeat ſequi opinionem minùs probabilem, minùſque tutam Prælati.* 342.

§. I. *Proponitur argumentum pro parte affirmativa.* Ibid.

§. II. *Fruſtra Probabiliſtæ, ad defendendam virtutem Obedientiæ, recurrunt ad ſententiam benignam de uſu licito opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ; cùm potiùs ex illa doctrina labefactetur maximè obedientia, debita præceptis Superiorum.* 343.

Reſponſio ad Argumentum. 345.

§. III. *Concluditur ex dictis, argumentum petitum ab Obedientia, non probare, quòd liceat cuilibet ſequi ſententiam probabilem minùs tutam in occurſu tutioris, & probabilioris, ſibique veriſimilioris; ſed potiùs probare oppoſitum.* 351.

CAP. IX. *An Confeſſarius contra propriam opinionem poſſit, ac debeat abſolvere Pœnitentem, utentem opinione probabili contrariâ gravium Doctorum.* 352.

§. I. *Exponitur ſtatus Quæſtionis.* Ibid.

§. II. *Ex eo, quòd Confeſſarius contra propriam opinionem poſſit abſolvere Pœnitentem, utentem opinione probabili contrariâ, non ſequitur, poſſe quemlibet uti opinione minùs probabili, & minùs tutâ, in occurſu tutioris, & probabilioris.* 353.

§. III. *Examinatur, an Confeſſarius, qui judicat probabiliter Pœnitentem obligatum ad reſtituendum, poſſit eundem abſolvere, ſi advertat illum accedere cum propoſito non reſtituendi; eo quòd ductus opinione probabili contrariâ, judicat, ſe non eſſe obligatum reſtituere.* 355.

§. IV. *Noſtra ſententia variis aſſertionibus expoſita.* 357.

CAP. ULTIMUM: *Illatio ex dictis, de obligatione Confeſſarii ad non relinquendum Pœnitentem in ignorantiâ ſuâ.* 360.

Impri-

Digitized by Google

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiſs. P. Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Sperellus Epiſcopus Interamnen. Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Thomas Maria Ferrari Ordinis Prædic. Sac. Apoſtol. Pal. Mag.

INTRO-

Digitized by Google

INTRODUCTIO LECTORIS
AD
DISSERTATIONES
DE RECTO USU OPINIONUM PROBABILIUM.

Ubi, quantopere Societatis Doctores uſum hunc limitaverint, & intra certos cancellos conſtrinxerint.

1. OPINIONES inter, quæ in Scholas invectæ ſunt, nullam fortaſse invenire ſit, quæ plures curſu non longo temporis ſectatores habuerit, quæ plures defenſores nacta ſit, quàm ſententia benigna de uſu licito opinionis probabilis minùs tutæ in occurſu probabilioris, & tutioris; ſeu ſententia reflexa affirmans, licitum eſſe ſequi opinionem probabilem faventem libertati adversùs legem, relictâ probabiliore ſtante pro lege adversùs libertatem: ideſt licitum eſſe cuilibet ſequi ſententiam probabilem, affirmantem, aliquam actionem eſſe honeſtam, vel ſaltem licitam, quamvis agnoſcat oppoſitam id ipſum negantem, ſeu aſſerentem, talem actionem eſſe in ſe intrinſecè malam, & prohibitam, eſſe probabiliorem.

2. Cœpit hæc opinio tradi, ac typis vulgari vergente ad finem ſæculo proximè ſuperiori. Nam graviſſimus Theologus Antonius de Corduba è Sacra Divi Franciſci Familiâ in ſuo Quæſtionario Theologico in lucem edito anno 1571. lib. 2. q. 3. In tertia Aſſertione, cùm aſſeruiſſet, *partem tutiorem tenendam eſſe, quando oppoſitæ ſententiæ ſunt, aut creduntur æquè probabiles*; & in prima Aſſertione à fortiori dixiſſet, *partem tutiorem eſſe tenendam, quando illa eſt probabilior oppoſitâ*; ſtatim addidit: *Et in hoc omnes Theologi conſentiunt*. Eſtque adeo conſtans, hanc doctrinam benignam incœpiſſe ad finem præcedentis ſæculi, ut P. Franciſcus Amicus Theologus eruditiſſimus & ſententiæ benignæ Patronus tom. 3. ſui Curſûs Theologici, primùm excuſo anno 1640. diſp. 15. num. 75. affirmaverit, *omnes ferè antiquos Theologos negare, licitum eſſe operari ſecundùm ſententiam minùs tutam, & ſimul minùs probabilem; ſemperque ad licitè operandum ex ſententiâ minùs tutâ, exigere, ut illa ſit probabilior.*

Digitized by Google

3. Ita autem intra exiguum temporis ſpatium crevit, ut celebris Doctor Michaël Salonius ex Sacrâ D. Auguſtini Familiâ ann. 1592. Venetiis ediderit inſigne Volumen de Juſtitiâ, & Jure, in quo Controv. 2. concl. 4. ar. 4. in quæſt. 63. D. Thomæ, cum aſſeruiſſet; *quando ſunt duæ opiniones probabiles ex parte Juris, altera tamen probabilior, poſſe quemlibet in ſuis privatis actionibus, dimiſsâ probabiliori eligere probabilem* (quod multis argumentis contendit) tandem ſub finem admonet; *multos, ac graviſſimos Theologos ità ſentire, ac maximè ex diſcipulis S. Thomæ*.

4. Anno 1593. luce publicâ donavit ſuos Commentarios in Summam D. Thomæ P. Gregorius de Valentia, quatuor Tomis diſtinctos: in Tomo autem tertio, qui reſpondet Secundæ Secundæ, diſp. 5. quæſt. 7. puncto 4. columna mihi 1056. citat hanc ſententiam, ut jam communem. Anno 1597. Toleti typis vulgavit celebris Scriptor Petrus de Navarra opus ſuum de Reſtitutione; in hoc autem opere lib. 3. cap. 1. num. 237. pag. mihi 140. ita aſſeruit: *Juxta communiorem ſententiam Theologorum ſufficit ad ſecuritatem cònſcientiæ probabili opinioni ſe conformare, etiamſi ſit minùs probabilis*. Eo autem anno 1597. nondum aliquis Scriptor è Societate eam quæſtionem ſcholaſticè diſcuſſerat, & partem illam benignam ex profeſſo amplexus fuerat. Nam licet P. Valentia tom. 2. diſp. 2. q. 12. puncto 5. aſſertione 2. circa finem columna mihi 231. eam ſententiam videatur amplexus, id obiter tantùm, & breviſſimè præſtitit. Primus omnium è Societate, qui hanc partem benignam ex profeſſo amplexus eſt, fuit P. Gabriel Vazquez Tomo 1. in Primam Secundæ, quem edidit anno 1598. ut conſtat ex facultate ſupremi Conſilii, & Provincialis operi præfixa: in eo autem Tomo diſp. 62. cap. 4. teſtatur, illam ſententiam tunc fuiſſe communem.

5. Ab eo autem tempore uſq; ad annum 1655. ac 1656. in quibus Alexander VII. Summus Pontifex quinque ſupra quadraginta opiniones tamquam ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas damnavit, & ſtudio reformandæ Theologiæ Moralis incubuit, ea incrementa habuit ea ſententia benigna, ut in ſui aſſenſum traxerit omnes ferè Theologos, qui eo ſpatio temporis hanc controverſiam diſcuſſerunt.

6. P. Thomas Sanchez anno 1611. Tomo 1. ſuæ Summæ lib. 1. cap. 9. num. 14. citavit pro eâ ſententiâ ſeptemdecim Authores. Diana verò anno 1628. par. 2. tract. 13. reſolut. 1. addidit alios quatuordecim. Julius Mercorus in ſua Baſi Theologiæ Moralis par. 2. art. 29. anno 1658. citavit pro illâ quinquaginta novem. P. Antonius Terillus in Tomo de Conſcientiâ Probabili edito anno 1669. quæſt. 22. num. 9. teſtatur, hunc Catalogum Mercori eſſe valde diminutum, & ipſe plures alios adjunxit, licet multi ex citatis ab ipſo, ſolùm doceant, ſufficere probabilitatem majorem, & non requiri certitudinem. P. Matthæus de Moya tom. 1. Selectarum Quæſtionum Moralium tract. 1. q. 5. numerat octoginta. Certumque eſt, illam ſententiam ſub terminis, ſub quibus propoſita fuit à nonnullis Doctoribus ſæculi præceden-

ceden-

cedentis, fuiſſe communem in hoc ſæculo, & veriſſimè pronuntiaſſe Patrem Suarez tom.4. de Religione (qui anno 1624. excuſus eſt, ſeptem ſcilicet annis poſt obitum Authoris, qui accidit 25. Septembris ann. 1617.) tract. 10. lib.4.cap.15.num.21. pag.540. *Juxta communem doctrinam per ſe licere ſequi opinionem probabilem circa honeſtatem actûs, relictâ probabiliore.*

7. Falsò igitur aliqui ſententiam benignam de uſu licito opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ in occurſu probabilioris, & tutioris appellant ſententiam *Jeſuitarum*, & *Caſuiſtarum*; quaſi ſoli Jeſuitæ, & Caſuiſtæ, qui nimirum Summas Caſuum Conſcientiæ ſcribunt, hanc ſententiam tenuerint: falsò enim noſtris Theologis tribuitur ſententia, quæ jam erat communis anno 1598. quando illi hanc quæſtionem verſare cœperunt: falsò eiſdem ſolis tribuitur ſententia illa, quàm amplexi ſunt ex omni religioſâ Familiâ, & ex omni Chriſtiani Orbis celebri Univerſitate Authores graviſſimi.

8. Falsò dicitur Caſuiſtarum doctrina ea, pro quâ P. Stephanus Dechamps in ſuo erudito opuſculo, cui titulus, *Quæſtio Facti* extra Societatis Authores citat *Epiſcopos decem*, *Doctores Sorbonicos quatuor*, ideſt omnes, qui hoc ſæculo typis ſuas lucubrationes donarunt (*Nec plures*, inquit, *ex his hoc noſtro ſæculo ſcripſerunt*) & ex aliis Orbis Chriſtiani Doctoribus citat viginti duos. Quomodo verè dici poteſt ſententia Caſuiſtarum illa, quam præter primos Theologos Societatis, nimirum Gabrielem Vazquez, Franciſcum Suarez, Gregorium de Valentia, Leonardum Leſſium; è Sacrâ Prædicatorum Familiâ tenuerunt etiam primi Theologi Scholaſtici hujus ſæculi, nimirum Bartholomæus de Medina 1.2.q.19.ar.6. Dominicus Bañez 2.2.q.10. ar.1. dub.8.concl.4. Didacus Alvarez in ſuis Commentariis ad 1.2.quæſt.18. diſp. 12. art. 3. & Joannes à S. Thoma tom.2. in 1. 2. quæſt.18.diſp.12.ar.3.

9. Tantumque abeſt, ut hæc doctrina prodierit è Societate, ut potiùs è Societatę prodierint primi ejus impugnatores. Nam anno 1608. P. Ferdinandus Rebellus tom.1. de Juſtitia, & Jure quæſt. 5. in fine, oppoſitam appellat certam, ſic diſertè pronuntians: *Certum eſt, neminem ſalvâ conſcientiâ ſequi poſſe opinionem, quæ minùs probabilis eſſe ab ipſo cognoſcitur.* Anno autem 1609. P. Paulus Comitolus in Tomo Reſponſorum Moralium lib.5. quæſt. 5. inquirit: *Utrumne in perdiſcendis, perſequendiſque Chriſtiani officii rationibus, cum diſcrepant Doctores, ſit ſatis probabilem opinionem ſequi, probabiliori relictâ?* & poſtquam retulit quorumdam ſententiam, qui dixerunt, *ſatis eſſe probabiliore abjectâ probabilem ſequi opinionem*; eamque appellavit *fœdam prolapſionem*; ſtatim ſubjungit: *At id ſatis non eſſe defendunt ii omnes*; & ſubinde citat pro hâc ſententia Henricum Gandavenſem, Gerſonem, D. Antoninum, Joannem Majorem, Conradum, Adrianum, Cajetanum, Sotum, Sylueſtrum, Angelum, Tabienam, Navarrum, & Panormitanum. Et poſtmodum hanc partem validis rationibus confirmat, & probationes ſic concludit: *Denique in Romanorum Pontificum reſponſis illud animadvertas, cum de eadem re duas contrarias ſententias explicarint, eos probabiliores ſemper eſſe complexos.*

Digitized by Google

10. Anno 1642. P. Andreas Blancus Genuenſis tractatum edidit de Opinionum Praxi ſub nomine Candidi Philalethi, in quo vehementer impugnat ſententiam benignam; & ideo Joannes Baptiſta Gonet in Diſſertatione de Opinionum Probabilitate art. 2. §. 2. dixit: *Candidus Philalethus, ſeu potiùs Andreas Blancus è Societate Jeſu, primus in Italiâ ſub eo nomine adversùs ſententiam oppoſitam calamum ſtrinxit: & ut ait Mercorus, hujus noſtri ſæculi libertatem opinandi compeſcuit primus.* Quod ideo dixit, quia forſan non legerat Comitolum, qui Italus etiam eſt.

11. Indubitatum profectò eſt, Theologos ſententiæ benignæ Patronos doctrinâ, & pietate conſpicuos, complexos illam fuiſſe, non ſtudio laxandi conſcientias, vel faciendi ſibi nomen; ſed ſincero animo conſulendi proximorum ſaluti, cui promovendæ benignam ſententiam magis, quàm ſeveram oppoſitam, accommodatam eſſe cenſebant, ex illo D. Bonaventuræ documento (in Compendio Theologiæ lib. 2. cap. 52.) *Cavenda eſt conſcientia nimis larga, & nimis ſtricta: nam prima generat præſumptionem, ſecunda deſperationem; prima dicit ſæpe malum bonum, ſecunda bonum malum.*

12. Hic erat ante Alexandrum VII. hujus Controverſiæ ſtatus. At ſub eodem ſyſtema doctrinæ cœpit in hoc puncto variari. Poſtquam enim ille ſupremus Eccleſiæ Paſtor tot propoſitiones ſcandaloſas proſcripſit, & Chriſtianam Moralem, ad ſuos limites redigere voluit; tunc complures Theologi in idem ſtudium incubuerunt, & à ſententiâ benignâ receſſerunt, uſumque probabilitatum temperarunt. Verùm non omnes unâ, eâdemque proceſſere viâ. Non pauci enim, ut graviſſimo incommodo occurrerent, magis, magiſque in dies ſoboleſcentis laxitatis, in reflexum illud principium de licito uſu cujuslibet opinionis probabilis exarſere, magno conatu id reiicientes, arguenteſque falſitatis; & quidem abſolutè, univerſaliter, ac indiſtinctè ſtatuentes, nemini licitum eſſe ſequi ſententiam probabilem minùs tutam, relictâ probabiliore, & tutiore, ſeu in occurſu probabilioris, & tutioris. Id potiſſimùm præſtitit Sacra Prædicatorum Familia: ut enim refert Reverendiſſimus P. Antonius Cloche, ejuſdem Ordinis digniſſimus Magiſter Generalis, in Compendiario Chronico Reverendiſſimorum Generalium, typis Romæ vulgato anno 1690. ad finem novæ editionis Conſtitutionum pag. 119. *Succeſſerunt his quæſtionibus aliæ de Opinionum Probabilitate. Sed ne in animarum perniciem cederent, plures ex Ordine noſtro ſcripſere, juxta genuinam S. Thomæ doctrinam: in Italiâ quidem Fr. Julius Mercorus Inquiſitor Mantuanus, in Hiſpania Fr. Joannes Martinez de Prado multis Voluminibus, in Gallia Fr. Joannes Baptiſta Gonet, & Fr. Vincentius Contenſon, & alii plures.* Hactenus ille, iiſdem ferè verbis.

13. Hâc eadem viâ inceſſit ex Doctoribus Juriſperitis Antonius Merenda in Univerſitate Bononienſi eminens, ſeu publicus Profeſſor, qui anno 1655. magnum edidit Volumen contra communem in hoc ſæculo doctrinam de uſu licito cujuſcumque opinionis probabilis verſantis circa mores, etiam in

con-

Digitized by Google

conſpectu tutioris æquè probabilis, vel etiam probabilioris.

14. Eandem tenuit viam Proſper Fagnanus utriuſque Juris Canonici,& Civilis peritiſſimus, qui in Commentariis in librum primum Decretalium ad caput,*Ne innitaris* de Conſtitutionibus anno 1661.copioſum edidit Tractatum, qui poſtea anno 1665. ſeorſim Romæ excuſus eſt in octavo, in quo latiſſimè impugnat ſententiam benignam, & ſtatuit, ſemper eſſe obligationem ſequendi tutiorem, quando eſt probabilior, & etiam quando eſt æquè probabilis, ac minùs tuta.

15. Eandem viam tenent non pauci alii Authores aliarum Religionum, præſertim in Gallia, & in Belgio;ubi ab illa doctrinâ communi de recto uſu opinionis probabilis minùs tutæ in occurſu probabilioris, & tutioris pedem retrahunt communiter Religioſi, & Doctores ſæculares. Inter iſtos tamen Doctores, qui ad uſum licitum opinionis minùs tutæ exigunt, ut hæc ſit probabilior oppoſitâ, aliqui ſunt nimis ſeveri; utpote qui docent, neminem poſſe ſequi ſententiam faventem libertati adversùs legem, quin priùs omnino certificetur de ipſius veritate, ideſt quin priùs illi directè aſſenſum præbeat adeo firmum, ut ex ſe excludat omnem formidinem partis oppoſitæ. Quem rigorem ſectatur Antonius Merenda; exiſtimat enim in materia morali à probabilitatibus abſtinendum eſſe in praxi; ut de ipſo teſtatur Mercorus part.1.art.14.

16. E noſtra Societate poſt Alexandrum VII. hanc doctrinam,quatenus requirit maiorem probabilitatem ad uſum licitum partis minùs tutæ, ſecutus eſt P. Ludovicus de Scildere in noſtro Collegio Lovanienſi olim Theologiæ Profeſſor, qui anno 1664.edidit opus de Principiis conſcientiæ formandæ, in ſex tractatus diviſum; in cuius Præfatione ad Lectorem, ait: *Se in ſecundo tractatu potiſſimùm ſtabilire, quòd pro conſcientiâ formandâ in materiâ probabili,opinionem quiſque propriam de honeſtate actûs materiali, eiuſque fundamento debitè conceptam ſequi debeat: ſicut de Judice plerique docent, quòd pro ferendâ ſententiâ de rebus alienis procedere teneatur iuxta opinionem ſuam*. Et poſtea tract.2.cap.2.num.12.poſtquam definivit opinionem probabilem, dicens: *Eſſe aſſenſum cum formidine innixum rationibus gravibus, ex quibus vir conſideratus poſt argumenta contraria conſiderata, & ſoluta, in negotiis magni momenti concludere ſolet*; hinc infert, *quòd quando pro utrâque parte rationes occurrunt, neque rationes unius partis longè ſuperant alias, opinio formata non ſit probabilis*. Unde iuxta hunc Authorem ad opinionem probabilem requiritur, quòd formetur ob motiva ſenſibiliter, & notabiliter excedentia motiva partis oppoſitæ: ac proinde nulli proponitur ut practicè probabilis opinio favens ſuæ libertati contra præceptum, niſi quando poſt diligentem veritatis inquiſitionem,illa apparet in actu primo ipſi citra omnem culpam ſenſibiliter veriſimilior parte oppoſitâ. Et hanc ſententiam Patris Scildere, ſaltem quatenus ſpectat definitionem ſententiæ probabilis,communiter ſecuti ſunt Profeſſores Societatis Lovanienſes, & Antuerpienſes in Theſibus impreſſis.

Non

Digitized by Google

17. Non tamen omnes Societatis Doctores, qui poſt Alexandrum VII. de uſu opinionum probabilium ſcripſerunt, ad cohibendum opinionum probabilium abuſum, judicaverunt neceſſarium recedere â ſententiâ benignâ; ſed retinentes principium illud reflexum de uſu licito opinionis probabilis minùs tutæ, in occurſu probabilioris, & tutioris, eiuſdem tamen limites, & Probabilitatis quaſi pomœrium à non paucis Recentioribus malè amplificatum reſtrinxerunt, intra certos terminos, & cancellos coërcendo probabilitatis uſum, etiam extra materiam Sacramentorum, & extra materiam juſtitiæ, & aliam quamcumque, redundantem in damnum tertii: nam in his materiis ſemper communis conſenſus Doctorum Societatis, ſicuti, & melior, & communis aliorum Theologorum conſenſus Probabilitatis uſum coarctavit; ut evincit P. Joannes Pollenter noſtræ Societatis Theologus in opere quod inſcripſit: *Sexagintaquinque Propoſitiones nuper à Sanctiſſimo Domino noſtro Innocentio XI. proſcriptæ, à Societatis Jeſu Theologis diu ante SS. Domini Decretum communiſſimo conſenſu rejectæ.*

18. In primis enim propoſitio prima damnata ab Innocentio XI. *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore; niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi: hinc ſententia probabili tantùm utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis*: Hæc, inquam, propoſitio rejecta fuit communi conſenſu Theologorum Societatis cum P. Suarez, qui tomo 3. in 3. partem diſp. 16. ſec. 2. ex principiis à ſe ſtabilitis, ſic infert: *Secundò colligitur ex prædicto fundamento, teneri Miniſtrum Sacramentorum ad applicandam materiam, & formam certam, graviterque peccare, ſi utatur materiâ, ſeu formâ dubiâ, vel incertâ, omiſsâ certâ; etiamſi id faciat ſequendo opinionem probabilem ſpeculativè, vel etiam probabiliorem de veritate, & ſufficientiâ ... Ad reverentiam Sacramento debitam ſpectat, ut ex materiâ & formâ certa conficiatur, ſi commodè poteſt.* Suarium in hâc aſſertione ſecuti ſunt ſexagintaquatuor Societatis Theologi, quorum verba ibi ſcribit P. Pollenter, & poſtmodum ſubiungit: *Ecce ergo partem utramque damnatæ huius propoſitionis primæ, à ſexagintaquinque è Societate Jeſu Theologis rejectam conſenſu maximo, ante Decretum Sanctiſſimi Domini noſtri Innocentii XI. editum die 11. Martii 1679.*

19. Secundam quoque propoſitionem damnatam ab Innocentio, eodem conſenſu reiecerant Societatis Theologi. Secunda propoſitio eſt hæc: *Probabiliter exiſtimo, Judicem poſſe judicare iuxta opinionem etiam minùs probabilem.* Inter Defenſores ſententiæ benignæ de uſu licito opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ omnium acerrimus, & copioſiſſimus eſt P. Antonius Terillus: qui tamen in tomo de Conſcientia Probabili, quem edidit decem annis ante Decretum Innocentii, nempe anno 1669. quæſt. 24. aſſert. 3. hanc ſtatuerat concluſionem: *Judex in cauſis civilibus proferens ſententiam definitivam Juris, in quibus perſonæ, & cauſæ exigunt probationem æqua-*

æqualem, neque ſpecialibus legum privilegiis muniuntur, tenetur ſequi opinionem, quæ omnibus inſpectis ipſi probabilior videtur. Sed his non contentus addidit aſſert. 5. propoſitioni ſecundæ contradictoriam; his verbis expreſſam: *Hæc propoſitio: Judici in judicando licet ſequi opinionem minùs probabilem ab ipſo pro tali evidenter cognitam, aut abſolutè creditam, non eſt probabilis.*

20. Poſtquam P. Pollenter verba allata ex Terillo protulerat, Catalogum contexit Doctorum Societatis, qui ante Terillum illam eamdem propoſitionem ſecundam ab Innocentio XI. damnatam, vel tamquam improbabilem, vel ſaltem tamquam falſam rejecerant; & enumerat ultra quadraginta, eorum verba deſcribens.

21. Tertiam autem propoſitionem damnatam ab Innocentio XI. videlicet hanc: *Generatim dum probabilitate, ſive intrinſecâ, ſive extrinſecâ quamtumvis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi, aliquid agimus, ſemper prudenter agimus*: apertè rejecerant præcipui defenſores ſententiæ benignæ de uſu licito opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ; præſertim P. Martinus de Eſparza, & P. Antonius Terillus: qui animadvertentes, occaſionem præbuiſſe illi laxitati definitionem opinionis probabilis, quæ communiter circumferebatur, iuxta quam illa dicebatur opinio probabilis; *quæ innititur ratione alicujus momenti, dummodo tamen pro oppoſitâ, non ſit aliquid convincens, utpote textus clarus, vel ratio evidens; vel quæ nititur authoritate fide dignâ, aut non levi rationi, & non repugnat veritatibus ab Eccleſiâ receptis, nec evidenti rationi, nec temere contradicit communi, & receptæ ſententiæ Doctorum.* Quas definitiones P. Caſtro-Palao Tomo 1. diſp. 2. punct. 1. explicuerat dicens: *Opinionem probabilem eam eſſe, quæ firma ratione fulcitur, nec contra ſe habet rationem convincentem.* Animadvertentes, inquam, eam definitionem opinionis probabilis occaſionem dediſſe illi, & aliis propoſitionibus laxis, quæ in hoc ſæculo ſerpunt, eam definitionem opinionis probabilis tradiderunt, eaſque conditiones ad opinionem verè probabilem ſtatuerunt, quæ ſi ſemper præ oculis Authorum fuiſſent, laxitates illæ pernicioſæ locum non habuiſſent. Nam P. Terillus in Tomo de Conſcientia Probabili, quem, ut dixi, decem annis ante Decretum Innocentii XI. edidit, quæſt. 2. num. 41. & quæſt. 5. num. 12. eas requirit conditiones ad probabilitatem opinionis, quas poſt Decretum Innocentii expoſuit in tomo de Regula Morum quæſt. 1. num. 7. dicens: *Sententia aliqua ut ſit probabilis, confirmari debet motivo gravi, ac magno, ſcilicet valde attrahente ad aſſenſum: & quidem magnitudo hujus motivi ſumi debet non ſolùm abſolutè, quatenus vehementer impellit ſecundùm ſe, ſed etiam relativè ad omnia in contrarium allata; adeo, ut etiam in contradictione aliorum vehementer alliciat ad aſſenſum, idque præciſè vi ſuæ magnitudinis tam abſolutè, quàm comparativè, & non ex affecta, ac propenſione indebita eius, cui proponitur.*

Id

22. Id ipſum priùs docuerat P. Eſparza in ſuo Curſu Theologico primùm excuſo Romæ anno 1655. in tomis parvis, & poſtea recuſo Lugduni anno 1666. in folio lib. 3. quæſt. 23. de Actibus humanis, quæ eſt de uſu licito opinionis probabilis; & fuſiùs poſtea in Appendice ad quæſt. illam typis Romæ vulgatâ anno 1669. art. 102. & art. 112. ubi docet, ad opinionem probabilem requiri, ut motivum, quo nititur ſit ſaltem phyſicè vel moraliter æquale motivo partis oppoſitæ, itaut exceſſus veriſimilitudinis in parte oppoſitâ, vel nullus ſit, vel ſit ſolùm exiguus, & dubius; ac proinde pro nihilo reputandus. Ut enim ipſe inquit eo art. 112. *Fieri non poteſt, ut opiniones invicem contradicentes maneant ambæ probabiles apud eum, cui eſt evidens, & manifeſtum, ac indubitabile, alteram opinionum niti motivo abſolutè, & ſimpliciter, omnibuſque hinc inde conſideratis, majore.*

23. Eamdem limitationem, quam P. Eſparza, & P. Terillus, multò clariùs adhibuit P. Andreas Junius noſtræ Societatis inſignis Theologus, & olim in Provincia Toletana Primarius Theologiæ Profeſſor, Vir ſubtilis ingenii, ut oſtendit Tomus de Prædeſtinatione, & Providentiâ ab ipſo in lucem editus. Hic reliquit prælo diſpoſitum Tomum magnum de Conſcientia in Collegio Imperiali Matriti, ubi ſanctè obiit anno 1679. In eo ante Decretum Innocentii latiſſimè, & nervoſiſſimè probat, non eſſe licitum ſequi probabilem minùs tutam, quando operanti ipſi apparet in actu primo minùs veriſimilis, quàm ſententia tutior; quod adeo verum cenſuit, ut ſectione tertia illius operis, in qua agit de conſcientiâ probabili cap. 17. num. 3. diſertè pronuntiaverit: *Quemlibet rationis compotem, ex terminis intelligere, ſe non debere facere id, quod magis videtur eſſe malum, quàm non eſſe; ſeu potiùs illicitum, quàm licitum, prohibitum, quàm permiſſum.* Unde ad uſum licitum opinionis minùs tutæ, & ut illa ſit abſolutè probabilis reſpectu operantis, dicit, ut minimum requiri, quòd proponatur operanti, ut æquè probabilis, ſeu veriſimilis, ac pars magis tuta; dicitque, iſtum eſſe infimum gradum probabilitatis, intra quem depreſſa opinio minùs tuta non manet iam abſolutè probabilis. Quare licet ad uſum licitum opinionis minùs tutæ non exigat, quòd illa ſit probabilior opinione tutiore, exigit tamen quòd non ſit minùs probabilis; ac proinde exigit, quòd ſint vel phyſicè, vel moraliter æquales in probabilitate; ſeu veriſimilitudine. Id conſtat ex ſect. 1. cap. 5. & 6. & ex ſect. 3. cap. 16. ubi ſic diſertè pronuntiat: *Clarè dico, probabile eſſe id, quod poteſt aſſenſum movere, & non eſt falſi, quàm veri ſimilius.* Hinc infert, *improbabilitatem, & imprudentiam judicii, deſumptam ex obiecto, incipere à falſiſimilitudinis exceſſu; ut illud judicium ſit reſpectu alicuius obiectivè improbabile in infimo gradu improbabilitatis, quod nititur motivo, quod moraliter non eſt æquale motivo partis contrariæ, ſed ſimpliciter, & abſolutè minus.*

24. Et hanc partem ex Scriptoribus huius ſæculi è Dominicanâ Familiâ in Hiſpaniâ ſecuti ſunt Magiſter Araujo, poſtea Epiſcopus Segobienſis in Deciſioni-

ciſionibus Moralibus diſp. 9. de Statu Civili aſſert. 3. num. 12. fol. 428. & M. Joannes Martinez de Prado tomo 1. Quæſtionum Moralium tract. 1. quæſt. 4. §. 3. num. 12. quorum verba tranſcribit P. Matthæus de Moya Tom. 1. Selectarum Quæſtionum Moralium quæſt. 6. cap. 1. num. 3. & etiam 4.

25. Propoſitionem inſuper quartam damnatam ab Innocentio XI. nempe iſtam: *Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens, ductus opinione minùs probabili*, multis annis ante Decretum Innocentii, damnaverant, & tamquam planè falſam, & improbabilem rejecerant triginta quatuor Societatis Authores, quorum formalia verba tranſcribit P. Pollenter cap. 4. ſui eruditi operis, nimirum à pag. 31. ad 39. qui omnes veſtigia ſecuti ſunt Patris Franciſci Suarez diſp. 4. de Fide ſect. 2. n. 4. & 6. & ſect. 4. num. 1. ac tamquam certum ſtatuunt, cùm agitur de Religione eligenda, unumquemque teneri, relinquere, & contemnere illam, quæ poſt diligentem veritatis inquiſitionem, ipſi apparet minùs probabilis, ſeu minùs veriſimilis. Hinc autem legitimè videtur inferri, ſicut in iis, quæ ſpectant ad fidem, nemo poteſt ſequi minùs probabilem, relictâ probabiliori, ita nec poſſe in iis, quæ attinent ad bonos mores; ac proinde omnes teneri ſequi partem tutiorem, quando ſimul eſt probabilior, & ut talis cognoſcitur ab operante.

26. Certum eſt, hoſce Authores ante Decretum Innocentii XI. non parum cohibuiſſe licentiam opinandi, ſerpentem in hoc ſæculo; atque ita limitaſſe principium illud reflexum de uſu licito opinionis probabilis minùs tutæ, ut opiniones laxæ denuo excogitatæ à luxuriantibus huius ſæculi ingeniis non multùm nocere poſſint. Quamvis enim illæ circumferantur ut abſolutè in ſe probabiles; ſi tamen ad earum licitum uſum requiritur, ut ipſarum fundamentum, etiam comparatum cum fundamento opionionum communium, ſtantium pro præcepto, ſit magnum, atque æquale phyſicè, vel moraliter fundamento illarum; pauci, vel nulli erunt viri prudentes, qui illis uti poſſint, vel ad operandum, vel ad dandum conſilium, cùm ipſarum fundamentum in comparatione fundamenti oppoſiti non poſſit prudenter reputari æquale, ſed neceſſariò apparere debeat manifeſtè, & evidenter minus.

27. Aliam etiam magnam utilitatem eâ limitatione attulerunt hi Doctores; quòd nimirum obligaverint ad ſtudium ſerium Theologiæ moralis: ſi enim ad uſum licitum opinionis minùs tutæ non ſufficit, quòd illa abſolutè ſit in ſe probabilis, & habeat fundamentum, quod ſecundùm ſe, & ſeorſim inſpectum ſit magnum, & validum, ſed inſuper requiritur, quòd comparatum cum fundamento ſententiæ contrariæ ſit magnum; debet hanc comparationem inſtituere quicumque voluerit ſecundùm ſententiam minùs tutam operari, vel aliis conſilium dare. Si enim ſciat, dari opinionem probabilem in contrarium, debet expendere utriuſque fundamenta; nec poteſt minùs tutam amplecti, ſi poſt ſufficientem diligentiam adhibitam,

Digitized by Google

deprehendat, ſententiam tutiorem eſſe ſimpliciter, & abſolutè probabiliorem.

28. Alteram quoque limitationem adhibuerunt communiter noſtri Doctores, ad cohibendum opinionum probabilium abuſum. Aſſeruerunt enim, ad uſum licitum opinionis minùs tutæ, non ſufficere, quòd quis reflexè ſolùm probabiliter, & cum formidine judicet, opinionem minùs tutam eſſe verè probabilem, ſed requiri judicium reflexum omnino moraliter certum, quo ſine ullà formidine ſibi perſuadeat, talem opinionem eſſe verè probabilem. Ut enim rectè explicat P. Andreas Mendo in Diſcurſu præliminari ad Epitomen opinionum moralium editum Lugduni anno 1672. *Opinio alia eſt certò probabilis, alia eſt probabiliter probabilis. Prima eſt ea, quam eſſe probabilem, eſt certum; ſecunda ea, quam eſſe probabilem, ſolùm eſt probabile. Certitudo in prima, quòd ſit probabilis, deſumitur, tum ex fundamentis, quibus innititur, tùm ex Doctoribus, qui eam tuentur, & ſimul ex cæteris (ſaltem pro majori numero) qui cùm contrariam defendant, eam tamen affirmant eſſe probabilem; quo ſuffragio etiam adſcribunt probabilitatem fundamentis, quibus ſtabilitur. Opinio ſolùm probabiliter probabilis eſt ea, quæ ab aliquibus Doctoribus, non ſanè pluribus defenditur; & à cæteris, ſaltem ut plurimùm, non cenſetur probabilis.*

29. Noſtri porro Authores paſſim, ad uſum licitum opinionis minùs tutæ exigunt, quòd illa ſit certò probabilis: ut enim inquit P. Nicolaus Baldellus Tom. edito Lugduni anno 1637. lib. 4. de Conſcientia diſp. 10. num. 5. *Si quis non ſit certus, quaſi reflexè, quòd opinio, ex quâ operatur, ſit probabilis, ſed timeat, quòd non ſit probabilis, certum eſt, quòd non poteſt ex tali conſcientiâ operari, eamque aſſumere ut regulam*: quæ doctrina eſt adeo communis inter noſtros Authores, quos recenſet P. Pollenter cap. 3. pag. 21. & 22. ut P. Terillus quæſt. 23. de Conſc. Prob. aſſert. 1. dixerit: *Sciendum eſt, paucos fuiſſe, qui in hac materiâ expreſſè diſtinxerint inter opinionem certò, & opinionem probabiliter tantùm probabilem. Unus, aut alter expreſſè tenet, probabilitatem ſolùm probabilem de honeſtate partis minùs tutæ ſufficere, ut illa licitè in praxim deducatur; ſed hanc eorum ſententiam, utpote nimis laxam, nullatenus approbare poſſum. Reliqui omnes, qui abſolutè tenent probabilitatem excuſare, ſectantes partem minùs tutam, aut ſupponunt, aut expreſſè tradunt, probabilitatem de honeſtate operis debere eſſe certam, ut operantem excuſet.* Hactenus Terillus ibi, & quæſt. 21. n. 1. ubi negat, licitum eſſe ſequi opinionem tantùm probabiliter probabilem, ſi eſt minùs tuta.

30. Ex dictis patet, eos Doctores Societatis, qui opinionem benignam in hoc ſæculo ſub his terminis conceptam amplexi ſunt, *quòd per ſe loquendo licitum ſit opinionem probabilem ſequi, relictâ probabiliori*; nihilominus conſtanter aſſeruiſſe, illam doctrinam non habere locum in Judice, ferente ſententiam, qui rem debet adjudicare parti, habenti pro ſe opinionem probabiliorem: nec in Medico, qui, in applicandis medicinis, debet ſequi partem

pro-

Digitized by Google

probabiliorem; ſolumque illam admiſiſſe in materiâ conſcientiæ, quando diſputatur, an aliqua actio ſit honeſta, vel non ſit honeſta, ſit licita, vel non ſit licita; & etiam in hac materiâ illam doctrinam reſtrinxiſſe ad opinionem certò probabilem. Imò poſt Alexandrum VII. ad uſum licitum opinionis minùs tutæ præcipui defenſores ſententiæ communis in Societate requirunt, quòd nitatur fundamento æquali, vel ferè æquali cum fundamento ſententiæ tutioris. Unde patet quàm immeritò nonnulli laxitatem unius, aut alterius Theologi Religioſi in opinando, toti Religioni tribuant.

31. Sed regrediendo ad ſententiam, quæ aſſerit, ex opinionibus, verſantibus circa praxim operandi, & circa mores, licitum eſſe ſequi opinionem minùs tutam, ſeu faventem libertati adversùs legem, licet oppoſita ſtans pro lege adversùs libertatem ſit probabilior; poſtquam accuratè examinavi fundamenta omnia, quæ pro utraque parte allegabantur, deprehendi ſententiam communem in hoc ſæculo, aſſerentem, licitum eſſe ſequi opinionem probabilem minùs tutam, relictâ probabiliore, & tutiore, ſeu in occurſu tutioris, & probabilioris, duplicem habere ſenſum proprium, genuinum, & literalem: & in uno eſſe veram, ſaltem cum ea limitatione, quam huic doctrinæ adhibuerunt P. Eſparza, P. Terillus & P. Junius; in alio autem ſenſu eſſe falſam, & non ſatis ab Authoribus diſtingui, inter unum, & alium ſenſum, ſed ſæpe utrumque confundi; & ab uno ſenſu, in quo illa ſententia habet ſolida fundamenta, tranſitum fieri ad alium, in quo eius fundamenta ſunt fallacia, & æquivocatione plena.

32. Nam cùm ſecundùm Ariſtotelem 1. Topicorum c. 1. probabilia ſint, *quæ videntur ſapientibus, iiſque vel omnibus, vel pleriſque, vel maximè notis, ac claris*; ea opinio abſolutè loquendo, & in communi æſtimatione cenſetur probabilior, quæ plures pro ſe habet Authores graves ex profeſso quæſtionem diſputantes; ea minùs probabilis, quæ habet pauciores. Et in hoc ſenſu cenſeo, locutos fuiſſe multos ex Authoribus claſſicis huius ſæculi, qui aſſeruerunt, neceſſarium non eſſe eligere opinionem probabiliorem, ſed ſatis eſſe eligere probabilem, ut latè oſtendo Diſſert. 2. Solùm enim intenderunt, neminem obligari ad ſequendam opinionem, ſtantem pro lege adversùs libertatem ex eo, quòd illa abſolutè in ſe ſit probabilior, ſeu ex eo, quòd habeat pro ſe plures Authores graves, & vulgò exiſtimetur magis probabilis; ſed poſſe ſequi opinionem oppoſitam, ſtantem pro libertate adversùs legem, dummodo illa ſit in ſe certò probabilis, id eſt, dummodo habeat pro ſe Authores claſſicos, & graves ex profeſso rem diſputantes, qui poſt diligentem controverſiæ diſcuſſionem, & poſt conſiderata omnia, vel præcipua partis contrariæ fundamenta amplexi ſunt ut veram, partem benignam, illamque propugnarunt inculpatè, & prudenter; quia citra paſſionem, & culpam invenerunt pro illa graviora fundamenta rationis.

33. In hoc ſenſu arbitror, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, ſaltem quando exceſſus probabilitatis abſolutæ, quæ petitur ab autho-

Digitized by Google

ritate extrinſecâ Doctorum, non eſt notabilis; quia nimirum authoritas pro parte benigna, eſt ferè æqualis authoritati pro parte ſevera. Quamvis enim operans ſciat plures Authores graves aſſerere, aliquem contractum eſſe uſurarium; ſi tamen ſciat, alios Authores graves æqualis fere authoritatis hoc negare, & aliunde ille poſt diligentem veritatis inquiſitionem, ex ſincero deſiderio non offendendi Deum ſuſceptam, citra paſſionem, & culpam agnoſcat, fundamenta ſententiæ benignæ eſſe notabiliter veriſimiliora, ſeu urgentiora (eò quòd manifeſtè, & evidenter experiatur, ſe vehementiùs impelli ad aſſenſum per fundamenta ſententiæ benignæ) & motus his fundamentis, prudenter judicet judicio abſoluto, non vacillante (ſeu non fundante, niſi exiguam tantùm formidinem partis oppoſitæ) illum contractum non eſſe uſurarium, ſed licitum, exiſtimo, quòd poſſit licitè illum contractum inire.

34. Alio modo opinio dicitur magis, vel minùs probabilis formaliter reſpectu operantis. Et in hoc ſenſu ea opinio eſt probabilior reſpectu operantis, quæ in actu primo illi apparet magis vera, quàm falſa, ſeu cujus fundamenta ipſi apparent urgentiora, & veriſimiliora, & fortiùs, atque vehementiùs impellentia ad aſſenſum. Et deprehendi, in hoc ſecundo ſenſu defendi ſententiam benignam à recentioribus Theologis, nimirum à P. Eſparza, P. Terillo, P. Moya, P. Cardenas, & aliis,

35. Poſtquam autem accuratè legi quidquid benignioris ſententiæ Doctores pro ſe, quidquid contra ipſos adducerent ſeverioris ſententiæ Defenſores, poſt exactam totius controverſiæ diſcuſſionem, quamvis fuiſſem contrariæ ſententiæ principiis aſſuetus, meo tamen firmiter inſedit animo, manſitque infixum, nemini licitum eſſe aſſumere pro regulâ ſecundariâ, quam ſecurè in operando ſequatur, ſententiam alienam, faventem libertati adversùs legem, niſi ex prudenti perſuaſione, quòd illa ſit vera, & legi æternæ conformis; ſeu quin illi aſſenſum directum præbeat, iudicio abſoluto, quo ſibi applicet legem æternam, tamquam regulam primariam totius honeſtatis, cui actiones humanæ conformari debent, ut honeſtæ ſint.

36. Firmiter quoque hoc mihi perſuaſi, à nemine iudicium hoc ferri poſſe; quin omnibus hinc inde inſpectis, eorumque quaſi librato pondere majorem vim pro honeſtate actûs, quàm pro ejuſdem turpitudine præcognoverit. Ex his porro concludebam, limitationem adhibitam à P. Eſparza, à P. Terillo, & à P. Andrea Junio, & aliis quibuſdam, ad uſum licitum opinionis minùs tutæ in occurſu tutioris, eſſe quidem neceſſariam, & valde utilem ad cohibendum opinionum probabilium abuſum; non tamen ſufficere: ac ulteriùs inferebam, nulli permiſſum eſſe amplecti ſententiam minùs tutam in occurſu tutioris æquè, vel ferè æquè ſibi veriſimilis; atque adeo ad uſum licitum opinionis minùs tutæ neceſſarium omnino eſſe, quòd poſt diligentem veritatis inquiſitionem, ipſa citra paſſionem, & culpam appareat operanti ſenſibiliter, & clarè veriſimilior oppoſitâ, atque hàc de causâ

ab

Digitized by Google

ab ipſo iudicetur vera, iudicio abſoluto determinato. Quod, licet non aſſurgat ad certitudinẽ moralem, excluſivam omnis formidinis; attamen tantùm permittat formidinem exiguam, quæ per reflexionem poſſit prudenter tamquam ſcrupulus repelli. Propter hæc firmiter judicavi, opinionem faventem libertati adversùs legem, quantumvis abſolutè ſit in ſe certò probabilis, ſolùm poſſe aſſumi ut regulam ſecundariam licitè operandi ab iis, qui prudenter illam approbant ut veram, & legi æternæ conformem; non autem ab iis, qui illam reprobant ut falſam, vel prudenter reprobare poſſunt, quia pro contrariâ agnoſcunt majora momenta authoritatis, & rationis, vel qui propter æqualitatem momentorum pro una, & alterâ parte dubitant, an pars benigna ſit vera, vel falſa. Proindeque certum exiſtimavi, non ſufficere ad ſecuritatem conſcientiæ judicium reflexum de probabilitate alienæ opinionis minùs tutæ, quantumvis ſit moraliter certum, ſed inſuper requiri judicium ſaltem opinativum inculpatè conceptum ab operante, de opinionis minùs tutæ veritate: ideſt non ſufficere ad uſum licitum opinionis minùs tutæ, quòd quis ſciat, illam defendi ut veram à viris probis, & ſapientibus poſt diligens ſtudium; ſeu non ſufficere, quòd operans ſciat, aliquos viros probos, & ſapientes prudenter judicaſſe, rem illam eſſe licitam, ſed inſuper requiri, quòd ipſe prudenter ſibi perſuadeat, illos, hoc aſſerendo, verum dixiſſe, & nobis propoſuiſſe Divinam voluntatem, vel approbantem, vel ſaltem permittentem rem illam, de quâ diſputatur, an ſit licita.

37. Hanc tamen ſententiam ita tempero, ut in multis recedam à rigidioribus ſeveræ ſententiæ Patronis, illoſque oppugnem. Inter benignitatem, & rigorem, quaſi in medio ſto: utrumque ſic moderans, & infringens, ut neque ex rigore ultra humanum agendi modum, humana arctetur infirmitas; neque ex indulgentiâ moralis de moribus diſciplina labefactetur, & laxitatibus janua aperiatur.

38. Quia ergo videbam, ſententiam benignam, acceptam in illo ſecundo ſenſu, in quo illam à veritate alienam in materiâ tanti momenti exiſtimabam, Societati, quaſi propriam imputari; ideo, ut à Societate hanc invidiam amolirer, exiſtimavi, nullum eſſe efficacius remedium, quàm ſi è Societate prodiret Liber dicatus Præpoſito Generali, qui ex profeſſo impugnaret illam Probabiliſtarum ſententiam, & ſtabiliret oppoſitam: ſic enim evidenter cognoſceret Orbis literarius, non eſſe doctrinam propriam Societatis illam, quam operosè impugnabat Liber dicatus Præpoſito Generali. Et in me ſuſcepi hanc provinciam: ideoque anno 1670. & duobus ſequentibus, quando per æſtivos menſes neceſſe erat ab exercitio Miſſionum vacare, Tractatum compoſui de hoc argumento, illumque dicare decrevi R.P. Joanni Paulo Olivæ tunc Præpoſito Generali. Huic autem operi hunc titulum præfixi. *Fundamentum Theologiæ Moralis, ideſt Tractatus Theologicus de Recto Uſu Opinionum Probabilium, in quo oſtenditur, non probabilitatem, quæ communis eſt ſententiis oppoſitis, ſed duntaxat veritatem, ſaltem ut creditam, & prudenter*

Digitized by Google

denter exiſtimatam, eſſe rectam regulam morum; proindeque numquam eſſe licitum ſequi ſententiam minùs tutam in occurſu tutioris, niſi illa præemineat iſti quoad probabilitatem, ſeu veriſimilitudinem in exiſtimatione operantis. In hoc Tractatu tamquam rem præcipuè intentam, ad cohibendum opinionum probabilium abuſum, latiſſimè oſtendi, nemini licitum eſſe ſequi ſententiam faventem libertati adversùs legem, quando habet evidenter majus fundamentum authoritatis, & rationis, ad judicandum eſſe falſam, & legi Divinæ contrariam, quàm ad judicandum eſſe veram, & legi Divinæ conformem; & vehementer impugnavi tamquam radicem magnæ relaxationis, Propoſitionem tertiam, ab Innocentio XI. poſtea damnatam, de uſu licito cujuslibet probabilitatis, etiam tenuiſſimæ. Deinde latè oſtendi, nemini licere ſequi ſententiam minùs tutam, quando, omnibus hinc inde conſideratis, operans habet abſolutè majus fundamentum (præſertim ſi ſit rationis, & authoritatis ſimul) ad judicandum eſſe falſam, quàm ad judicandum eſſe veram. Tertiò oſtendi, nec hoc licitum eſſe, quando omnibus inſpectis, opinio minùs tuta, ſeu favens libertati adversùs legem, non magis apparet vera, quàm falſa, ſeu quando non habet operans majus fundamentum, ad judicandum eſſe veram, quàm ad judicandum eſſe falſam; quia nimirum fundamenta utriuſque ſint omnino paria in vi movendi, & inclinandi ad aſſenſum. Quartò latè oſtendi, non licere viro docto operari contra ſententiam propriam magis tutam, ſeu ſtantem pro lege adversùs libertatem, ſequendo opinionem aliorum, quam ipſe minùs probabilem, & abſolutè falſam agnoſcit; ac proinde omnino improbabile eſſe cenſui, quòd quis per fundamenta intrinſeca rationis judicet, contractum aliquem eſſe v.g. uſurarium, & nihilominus ob authoritatem Doctorum ſententiæ contrariæ, quos judicat falli, poſſit formare dictamen, quòd ſibi hìc, & nunc liceat exercere contractum illum, quem judicat eſſe intrinſecè malum. Unde quintò concluſi, ad uſum licitum opinionis minùs tutæ omnino requiri, quòd omnibus inſpectis, illa appareat operanti ſimpliciter, & abſolutè veriſimilior oppoſitâ, & ab ipſo judicetur abſolutè vera; imò requiri, quòd ſit notabiliter, & clarè, atque manifeſtè veriſimilior: nam cùm parum pro nihilo reputetur, ſi exceſſus veriſimilitudinis ſit exiguus, moraliter erunt opiniones illæ æquales; & tunc non poterit prudenter judicare, contractum eſſe licitum.

39. Cùm autem anno 1676. à Superioribus meis juſſus eſſem, ad Scholam redire, & Lauream Magiſtri in Univerſitate Salmanticenſi ſuſcipere, ut ſuccederem in Cathedrâ primariâ illius Academiæ, ſapientiſſimo, ac Religioſiſſimo Magiſtro meo Joanni Barbiano, opus illud factum in Miſſionibus denuo locupletandum cenſui, poſtquam vidi Tomum novum P. Terilli de Regulâ Morum, in quo quæſt. 2. per viginti folia à num. 23. ad 199. inſtaurat rationes à ſe allatas in Tomo de Conſcientiâ quæſt. 23. pro ſententiâ benignâ. Quamquam autem opus illud Salmanticæ locupletaviſſem; ob varia impedimenta, quæ ſupervenerunt, non potui typis vulgare: illud tamen, &

mul-

Digitized by Google

multa alia opuſcula, quæ de hoc argumento confeceram, mecum detuli Romam anno 1687. quando veni tamquam Elector ad Congregationem XIII. in quâ ſupra omnia mea merita electus fui in Generalem. In ea autem ad diſſipandum falſum rumorem, qui apud multos increbreſcebat, quòd ſcilicet Societas, operibus ipſis, & in actu exercito, ſententiam benignam de uſu licito opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ, ſuam vellet facere, ſapienter factum eſt Decretum XVIII. his verbis conceptum. *Cùm relatum fuiſſet ad Congregationem, aliquos in eâ perſuaſione eſſe, quòd Societas communibus quaſi ſtudiis tuendam ſibi ſumpſiſſet eorum Doctorum ſententiam, qui docent, in agendo licitum eſſe ſequi opinionem minùs probabilem faventem libertati, relictâ probabiliore ſtante pro præcepto, declarandum cenſuit Congregatio, Societatem nec prohibuiſſe, nec prohibere, quominùs contrariam ſententiam tueri poſſent, quibus ea magis probaretur.*

40. Quia ergo animadverti, ſententiam benignam de uſu licito opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ duplicem habere ſenſum legitimum, & proprium, & in altero cum quadam limitatione eſſe veram, in ſecundo autem aberrare à vero; ſtatui, præſentem Librum edere, in quo clarè oſtendo, illam ſententiam in ſecundo ſenſu, licet ſit aliquorum è Noſtris, non eſſe tamen omnium; Noſtros enim pleroſque, qui dicunt, licitum eſſe ſequi ſententiam probabilem minùs tutam, relictâ probabiliore, & tutiore, non loqui de opinione minùs tutâ, quæ ab ipſo operante, ſpectatâ authoritate, & ratione, judicatur falſa, aut judicari poteſt falſa, quia veriſimilius ipſi eſt, falſam eſſe, (in quo dumtaxat ſenſu illam ſententiam impugno) ſed loqui de opinione minus tutâ, quæ ab ipſo operante prudenter judicatur vera, ipſique eſt probabilior ob momenta rationis; quamvis ſpecificativè, & materialiter, & in communi æſtimatione ſit minùs probabilis, quia pauciores pro ſe habet Authores graves ex iis, qui dicuntur facere opinionem probabilem. Imò fidenter aſſero, perpaucos fore in Societate Theologos, qui diſtinctiùs interrogati, an liceat nobis in praxi ſequi opinionem probabilem minùs tutam, quam judicamus eſſe falſam, vel falſam eſſe prudenter judicare poſſumus, (momentis rationum, & authoritatis graviùs eo inclinantibus) reſpondere audeant, id nobis licere; ſed pleroſque ſtatim reſponſuros, id nequaquam nobis licere.

41. Hunc autem Tractatum non edo, tamquam Præpoſitus Generalis Societatis JESU, ſed tamquam unus è Societate Theologus; nullum è Subditis meis, ad ita docendum, adſtringere intendens, ſed omnibus plenam libertatem relinquens, ut in hac graviſſima controverſiâ eam partem defendant, quam poſt accuratum ſtudium ex ſincero deſiderio inveniendi veritatem ſuſceptum, ſolidioribus nixam fundamentis deprehenderint. Imò ut judicium meum illius judicio libens ſubiicio, qui in determinandis Fidei, & Morum Controverſiis errare non poteſt, Romani ſcilicet Pontificis, Chriſti in terris Vicarii, & legitimi Petri Succeſſoris; ita *ejus authoritati, atque examini*

Digitized by Google

mini (cum Bernardo loquor) *totum hoc* , *ſicut & cætera* , *quæ hujuſmodi ſunt* , *univerſa reſervo* : *ipſius ſi quid aliter ſapio* , *paratus judicio emendare* . Ut enim verè , & ſapienter ſcripſit Epiſt. 190. idem Bernardus ad Innocentium II. Pont.Max. *Oportet* , *ad veſtrum referri Apoſtolatum* , *pericula quæque* , *& ſcandala emergentia in Regno Dei* , *ea præſertim* , *quæ de Fide contingunt. Dignum namque arbitror* , *ibi potiſſimùm reſarciri damna Fidei* , *ubi non poteſt Fides ſentire defectum. Hæc quippe hujus prærogativa Sedis &c.*

42. Sed ante omnia, ut cum Auguſtino in Procemio libri ſecundi de Trinitate loquar : *Magis optabo à quolibet reprehendi* , *quàm ſive ab errante* , *ſive ab adulante laudari* : *nullus enim reprehenſor timendus eſt amatori veritatis* . Tantùmque abeſt, ut velim Subditos meos ad meam ſententiam defendendam obligare ; ut cum eodem Auguſtino lib. 1. de Trinitate in fine capitis ſecundi , & initio capitis tertii verè dicere poſſim : *Non me pigebit* , *ſicubi hæſito, quærere* ; *non me pudebit, ſicubi erro, diſcere* . *Proinde quiſquis hæc legit* , *ubi pariter certus eſt* , *pergat mecum* ; *ubi pariter hæſitat* , *quærat mecum* : *ubi errorem ſuum cognoſcit, redeat ad me* ; *ubi meum, corrigat me* . *Ita ingrediamur ſimul charitatis viam* , *tendentes ad eum* , *de quo dictum eſt* : Quærite faciem ejus ſemper . *Pſal.* 140.

Digitized by Google

DISSERTATIO PRIMA

PRÆAMBULA,

Exponens, quid ſit Opinio Probabilis, & ſtatum explicans celeberrimæ controverſiæ de uſu licito opinionis probabilis minùs tutæ, relictâ probabiliori & tutiori.

§. I.

Quid ſit Opinio in genere, quid Opinari?

1. VELUT fundamentum eorum, quæ dicenda ſunt in hoc Tractatu, præmittenda eſt vera notio Opinionis Probabilis, quæ eſt ſubjectum totius controverſiæ; ne in æquivoco laborantes, de nomine potiùs quàm de re contendamus. S. Bernardus lib. 5. de conſideratione cap. 2. docet tres eſſe vias veſtigandi conſideratione veritatem, nimirum opinione, fide, & intellectu: & horum actus definiens, vel deſcribens, inquit: *Intellectus ratione innititur, fides authoritate, opinio ſola veriſimilitudine ſe tuetur. Habent illa duo certam veritatem; ſed fides clauſam & involutam; intelligentia nudam & manifeſtam. Cæterùm opinio certi nihil habens, verum per ſimilia quærit*. Et poſt pauca. *Poſſumus*, inquit, *ſingula hæc ita definire. Fides eſt voluntaria quædam, & certa prælibatio, necdum propalatæ veritatis. Intellectus eſt cujuſcumque inviſibilis, certa & manifeſta notitia. Opinio eſt quaſi pro vero habere aliquid, quod falſum eſſe neſcias.*

2. Hic notandum, D. Auguſtinum nomen Opinionis, & Opinantium non accipere meo ſenſu, in quo accipitur à Scholaſticis cum D. Thoma; nam in libro de utilitate credendi cap. 11. ſic ſcribit. *Tria ſunt veluti finitima ſibimet in animis hominum diſtinctione digniſſima; intelligere, credere, opinari: quæ ſi per ſe ipſa conſiderentur, primum ſemper ſine vitio eſt; ſecundum aliquando cum vitio; tertium nunquam ſine vitio.* Et poſt pauca: *Quod intelligimus, debemus rationi; quod credimus, authoritati; quod opinamur, errori*. Siquidem apud Auguſtinum opinari idem eſt, ac exiſtimare certum, quod incertum, & ſæpe falſum eſt; ac proinde opinio ei eſt aſſenſus incertus in ſe, conjunctus cum exiſtimatione ſcientiæ: ut conſtat ex his, quæ paulò anteà dixerat in eodem capite. *Tria*, inquit, *ſunt hominum genera, profectò improbanda ac deteſtanda. Unum eſt opinantium, ideſt, eorum, qui ſe arbitrantur ſcire, quod neſciunt. Alterum eorum, qui ſciunt ſe neſcire, ſed non ita quærunt, ut invenire poſſint. Tertium eorum, qui nec ſe ſcire exiſtimant, ne quæ quærere volunt*. Et lib. de mendacio c. 2. *Qui opinatur, putat ſe ſcire, quod neſcit.* Aliter ergò accipiunt Scholaſtici nomen opinionis, ac in eo loco accepit Auguſtinus: ut enim definit S. Thomas Scholaſticorum Princeps. 1. part. q. 9. art. 9. ad 4. *Opinio ſignificat actum intellectûs, qui fertur in unam partem contradictio-*

Digitized by Google

nis cum formidine alterius. Et Sanctus Bonaventura in 3. diſt. 24. art. 2. qu. 2. verſ. *ſed contra*. *Opinio*, inquit, *eſt aſſenſio unius partis cum formidine alterius: opinio adhæret rationi propter ſe: unde deficiente probabilitate rationis, deficit probabilitas opinionis.*

3. Hinc naturam opinionis explicaturus Sylveſter in Summa, verb. *Opinio* notat ex D.Thoma, *quod intellectus alicui dupliciter aſſentit. Primò, quia ad hoc movetur ſufficienter ab ipſo objecto, ſive illud ſit per ſe ipſum cognitum, ut patet in primis principiis, quorum eſt intellectus; ſive per aliud; ut patet de concluſionibus, quarum eſt ſcientia. Secundò, non quia ſufficienter movetur ab objecto proprio, ſed per quandam electionem, voluntariè declinans in unam partem magis quàm aliam: quod ſi ſit cum dubitatione, & formidine, alterius partis, erit opinio; ſi verò fiat cum certitudine abſque tali formidine, erit fides. Ex quibus patet, quid ſit intellectus, quid ſcientia, quid fides, & quid opinio. Et ſic habetur horum differentia: quia intellectus, & ſcientia ſunt cum certitudine & evidentiâ rei intellectæ, & ſcitæ, etiam in particulari: fides verò eſt cum certitudine, quia nititur teſtimonio Dei infallibili, ſed ſine evidentiâ rei creditæ in particulari, licèt ſit evidens in univerſali; utpote quia fideli ex multis conjecturis librorum & rerum evidenter conſtat, quòd vera ſit fides Chriſti, licet particulariter non videat, quomodo duæ naturæ, Divina & humana ſubſiſtant in una perſona. Opinio verò neque evidentiam, neque certitudinem habet, ſed credulitatem fundatam in humana ratione, inſufficiente tamen, & non concludente neceſſariò, ſed probabiliter pro una parte, & non pro alia.*

4. Hactenus Sylueſter. Ex quo infertur, eum, qui opinatur, ferre judicium determinatum & abſolutum de veritate unius partis contradictionis: non tamen ita firmum, ut excludat ex ſe omnem formidinem partis oppoſitæ. Quamvis enim moveatur ad opinandum à veriſimilitudine objecti; judicium tamen ejus non fertur in illam veriſimilitudinem, ſed in veritatem: nam veriſimilitudinem invenit in utraque parte contradictionis; & illam manifeſtè & evidenter cognoſcit in utraque: at evidenter agnoſcit veritatem non poſſe eſſe niſi in altera tantùm; unde dum probabiliter eſſentitur uni potiùs quàm alteri, judicat judicio abſoluto unam ex illis eſſe veram, & alteram eſſe falſam. Hoc tamen judicium ex ſe permittit formidinem aliquam partis oppoſitę; ita enim intellectus affirmat unam partem eſſe veram, ut ſimul cognoſcat non repugnare quod ſit falſa. Qualis ſit iſta formido, ampliùs poſteà declarabitur.

5. Hinc Cardinalis de Lugo diſp. 10. de Fide ſect. 1. num. 14. meritò dixit, æquivocationem pati eos, qui confundunt hæc duo; nimirum: *Credere concluſionem aliquam eſſe probabilem, & credere probabiliter illam; quia ſunt valde diverſa: nam qui tenent aliquam propoſitionem probabilem, concedunt ſimul contrariam eſſe probabilem, non tamen credunt veram, etiam aſſenſu probabili: alioqui haberent aſſenſus duos probabiles de objectis contradictoriis.* Hæc ille. Aliud namque eſt credere, aliquam opinionem eſſe probabilem; aliud probabiliter credere eſſe veram. Nam primum judicium poteſt eſſe, & ſæpe eſt certum & evidens; quia evidenter ſæpe quis experitur ſe vehementer impelli ad aſſenſum per fundamenta alicujus opinionis, ac proinde evidenter cognoſcit illam eſſe veriſimilem: judicium verò quo probabiliter credit eſſe veram, eſt incertum, & cum formidine partis oppoſitæ. Dum autem dantur duæ opiniones contrariæ circa honeſtatem contractûs, quarum una affirmat contractum *A*, eſſe licitum, altera affirmat eſſe illicitum; ſi quis dicat, contractum *A*. eſſe probabiliter licitum, & ſimul eſſe probabiliter illicitum; hoc judicium non verſatur circa veritatem, vel falſitatem illius opinionis, ſed circa probabilitatē, perindequè eſt, ac affirmare, probabile eſſe, quod contractus ſit licitus, & probabile eſſe quod ſit illicitus: & utrumque verè & certò affirmatur.

6. At dices ex Reverendiſs. Joanne à S. Thoma 1. 2. pag. 525. num. 45. & 46.

Aſſen-

Digitized by Google

Aſſenſum probabilem indicare, de facto hoc eſſe verum, non abſolutè, & quoad eſſe vel non eſſe in ſe, ſed quoad apparentiam & probationem, ideſt in ratione probabilis. Quod autem ſolùm apparenter, ſeu probativè aut probabiliter eſt verum, dat locum alteri parti; quia involvit aliquam formidinem de illâ ob incertitudinem, quâ aſſentitur; & ideò ipſe aſſenſus probabilis ex ſuâ naturâ ſic importat affirmationem de unâ ratione apparentiæ, ut det locum apparentiæ & probationi partis oppoſitæ: & ideò etiam ſtante judicio de una parte, quòd vera ſit, non abſolutè, ſed probabiliter, & in apparere, ſtat judicium de oppoſita parte, quòd vera ſit non abſolutè, ſed probabiliter, & in apparentia. Hucuſque ille. Quapropter intellectus ſimul poteſt habere hos duos aſſenſus: *Contractus A. probabiliter eſt licitus*: *Contractus A. probabiliter eſt illicitus*.

7. Sed contra: quia dum quis probabiliter, & cum formidine partis oppoſitæ aſſentitur opinioni affirmanti contractum A. eſſe licitum, non affirmat ſolam probabilitatem, ſeu ſimilitudinem, & apparentiam veritatis; ſiquidem probabilitatem, ſeu veriſimilitudinem atque apparentiam certò affirmat, & evidenter experitur: unde aſſenſus circa probabilitatem, ſeu veriſimilitupinem non eſt opinativus, & cum formidine, ſed certus. Certum enim eſt intellectui, utramque partem contradictionis eſſe veriſimilem. Ponamus utramque partem proponi intellectui cum æquali vi movendi, & intellectum fluctuare & manere dubium: ut enim inquit D. Thomas q. 14. de verit. art. 1. *Quandoque intellectus non magis inclinat in unam partem contradictionis, quàm in aliam, vel propter defectum moventium, ſicut in problematibus, de quibus rationes non habemus, vel propter apertam æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem; & iſta eſt dubitantis diſpoſitio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis.* Sanè in eo caſu, qui dubitat, quænam pars ſit vera, circa neutram opinatur. Et tamen de vtrâque cognoſcit eſſe probabilem; imò cognitio experimentalis certa, quâ cognoſcit utramque partem eſſe æquè veriſimilem, facit intellectum dubitare, & ſuſpendere judicium circa alterutram partem. Ergo judicium de certâ probabilitate & veriſimilitudine opinionis, non eſt aſſenſus opinativus circa opinionem.

8. Eſtque illa doctrina contra D. Thomam. Siquidem poſt verba modò relata, ſubjungit: *Quandoque intellectus inclinat magis in unam partem contradictionis, quàm in aliam; ſed tamen illud inclinans, non ſufficienter movet intellectum ad hoc, quòd determinet ipſum ad unam partem totaliter: unde accipit quidem unam partem, ſed tamen ſemper dubitat de oppoſita. Et hæc eſt diſpoſitio opinantis, qui accipit unam partem contradictionis cum formidine alterius*. Ergo juxta D. Thomam, opinari eſt accipere unam partem contradictionis, ob majorem ipſius veriſimilitudinem, & relinquere aliam, quæ ob ſuam minorem veriſimilitudinem minùs impellebat in ſui aſſenſum; & eſt accipere partem illam magis inclinantem in ſui aſſenſum cum formidine partis alterius, eò quòd illa major veriſimilitudo, licet magis impellat intellectum ad aſſenſum, non tamen determinat. Ergo quicumque opinatur, accipit unam partem contradictionis, illamque abſolutè judicat veram, licet judicet cum aliquâ formidine propter debilitatem motivi, in quo non apparet connexio infallibilis cum veritate; & ſpernit, ac prætermittit aliam partem, illamque judicat abſolutè falſam. Ergo ſicut impoſſibile eſt, ut intellectus eandem partem contradictionis ſimul judicet veram & falſam; ita impoſſibile eſt, ut ſimul opinetur circa utramque.

9. Urgetur ampliùs: quia ut ait idem D. Thomas, quodlib. 8. art. 13. *Quando ſunt duæ opiniones contrariæ de eodem objecto, oportet eſſe alteram veram, & alteram falſam*. Ergo opinari de aliquâ propoſitione idem eſt, ac credere illam eſſe veram, & alteram eſſe falſam; ergo implicat ut intellectus ſimul opinetur de propoſitionibus contradictoriis: quia hoc ipſo judicaret eandem propoſitionem eſſe veram & falſam. At non implicat intellectum ſimul judicare,

Digitized by Google

utramque propoſitionem contradictoriam eſse in ſe abſolutè probabilem; ergo judicare propoſitionem aliquam eſse probabilem, non eſt opinari circa illam. Aſsenſus itaque opinativus eſt judicium abſolutum de veritate rei in ſe, cum aliquâ tamen formidine, eò quòd innitatur motivo fallibili, in quo non apparet infallibilis connexio cum re affirmata. Ergo aſsenſus opinativus non eſt judicium de probabilitate, vel de veritate in apparentia, ſeu de veriſimilitudine.

10. Quare opinio ut ſic, prout præſcindit à probabili, & improbabili, *eſt aſſenſus ex motivo fallibili*: qui proindè conjungi ſolet cum formidine partis oppoſitæ; quamvis non ſemper ex aſſenſu opinativo formido actualis reſultet. Si enim ad aliquid affirmandum urgentiſſima adſint motiva, & nihil pro parte contrariâ poſt ſufficientem adhibitam diligentiam occurrat, tunc cum omnimodâ ſecuritate, & morali quâdam certitudine id affirmamus, quamvis motivum affirmandi de ſe ſit abſolutè fallibile. Differt autem per motivum fallibile aſsenſus opinativus ab aſsenſu ſcientifico, & ab aſsenſu fidei. Nam ille nititur motivo evidenter oſtendente convenientiam prædicati cum ſubjecto; ac proinde excludente apparentiam veri in oppoſito. At iſte nititur motivo infallibiliter connexo cum illâ convenientiâ prædicati ad ſubjectum, non tamen excludente apparentiam veri in oppoſito. Aſsenſus verò opinativus nititur motivo veriſimiliter oſtendente convenientiam prædicati cum ſubjecto, quod de ſe, nec cum illâ convenientia eſsentialitèr connectitur, nec excludit apparentiam veri in oppoſito.

11. Quando opinio temerè concipitur, nimirum quia vel præcipitanter, & non præmiſsâ diligentiâ debitâ ad inquirendam veritatem, fertur judicium; vel fertur ex vi motivi ex ſe levis, & quod virum prudentem, atq; extra paſſionis impetum conſtitutum, movere non poteſt; tunc opinio concepta dicitur improbabilis. Probabilis verò, quando oppoſitis gaudet conditionibus. Nunc porro ampliùs explicanda eſt natura opinionis probabilis, in medium proferendo definitionem illius traditam à Doctoribus claſſicis.

§. II.

Quid ſit opinio probabilis? Ubi impugnatur definitio ejus tradita ab antiquioribus Probabiliſtis hujus ſæculi, ſeu Authoribus benignioribus, qui pugnant pro uſu licito opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ.

12. INter præcipuos, & antiquiores defenſores ſententiæ benignæ de uſu licito opinionis minùs probabilis & minùs tutæ, eſt ſatis communis hæc definitio, *Opinio*, inquiunt, *ſeu ſententia probabilis eſt, quæ rationibus alicujus momenti innititur, ità tamen ut pro oppoſitâ nihil convincens ſit; nimirum vel textus clarus, vel ratio evidens.* Quod alii his terminis explicant. *Probabilis* (inquiunt) *ſententia, uti communiter accipitur, ita definiri poteſt: Quæ certitudinem non habens, tamen non vulgari authoritate, vel non modici momenti ratione nititur.*

13. Hæc tamen definitio validè impugnatur. Primò, quia conjuncta cum principio communi inter Authores benignos hujus ſæculi, quod nimirum liceat ſequi quamcumque opinionem probabilem practicè, ſeu ex iis, quæ verſantur circa praxim operandi, & affirmant aliquam actionem eſse licitam; conjuncta, inquam, cum hoc principio, januam aperit magnæ relaxationi, & laxitati. Nam hoc ipſo, quod aliquis Author novitatis amans, & faciendi ſibi nomen cupidus, cudat aliquam novam opinionem indulgentem libertati, lucro, vel commodo adversùs legem; & inveniat duos, vel tres, vel quatuor ipſi ſubſcribentes; quilibet poterit illam ſequi, quamvis videat oppoſitam ſententiam eſse communem, & eſse longè probabiliorem. Faciet enim hunc diſcurſum. Opinio probabilis eſt, quæ nititur fundamento alicujus momenti, & non habet aliquod convincens contra

ſe; ſed hæc opinio, v.g. quæ affirmat talem vel talem contractum eſse licitum, nititur fundamento alicujus momenti (quandoquidem non poteſt non eſse fundamentum alicujus momenti illud, quod movit tres vel quatuor viros doctos ad defendendam hanc ſententiam) & aliunde non habet aliquid convincens contra ſe; quia nec contra illam inventa eſt demonſtratio evidens, nec prodiit definitio Eccleſiæ: ergo hæc ſententia eſt probabilis. Sed licet ſequi quamcumque ſententiam probabilem ex iis quæ affirmant aliquid eſse licitum: ergo mihi licet hanc opinionem ſequi. Impugnatur 2. quia ex illâ definitione ſequitur, poſse quem licitè ſequi ſententiam aliorum faventem libertati adversùs legem, quamvis prudentèr judicet eſse falſam, & legi Divinæ contrariam; quia poteſt hoc judicare, quamvis videat illam niti fundamento alicujus momenti, & quamvis non habeat argumentum convincens adversùs illam. Bene enim cohærent, me non habere demonſtrationem, quâ de falſitate convincam illam ſententiam, nec inveniſse definitionem Eccleſiæ, vel textum expreſsum contra illam, & tamen prudentiſſimè judicare illam eſse falſam: nimirum ſi infra evidentiam habeam argumenta valde veriſimilia, & manifeſtè præſtantiora fundamentis oppoſitæ ſententiæ, quibus perſuadear illam eſse falſam. Quòd autem nemo poſſit licitè ſequi ſententiam faventem libertati adversùs legem, quando judicat eſse falſam, & legi Divinæ contrariam, patet; quia hoc foret poſse quem licitè exercere actionem, quam judicat eſse ſecundùm ſe intrinſecè malam,& legi Divinæ naturali contrariam; ſiquidem idem eſt, quod quis judicet eſſe falſam ſententiam faventem libertati adversùs legem Divinam naturalem, ſeu quod judicet eſſe falſam ſententiam negantem actionem aliquam eſſe lege Divina naturali prohibitam; ac judicare illam actionem eſſe ſecundùm ſe intrinſecè malam, & prohibitam: implicat autem, ut quis poſſit licitè exercere actionem, quam judicat eſſe ſecundùm ſe intrinſecè malam,& prohibitam; nam hoc ipſo quo id judicet, neceſſariò judicat illam actionem eſſe omnibus fugiendã,ac proinde eſſe fugiendam ſibi:& conſequenter ſi illam exerceat in ſenſu compoſito talis judicii, agit contra conſcientiam dictantem illam actionem eſſe malam, & ab omnibus fugiendam: agere autem contra conſcientiam, ſemper eſt malum. Unde P. Antonius Terillus, quamvis inter Authores benignos ſit exactiſſimus, in Tomo de Regula morum par. 1. pag. 11. expreſsè fatetur, & conſtanter ſtatuit, *niſi quis abſolutè credat opus eſſe licitum, non excuſari, ſi illud ponat*: implicat autem ut abſolutè credat eſſe licitum, quando judicat eſſe ſecundùm ſe malum, & prohibitum.

14. Dices: Authores definientes opinionem probabilem per hoc quòd nitatur fundamento alicujus momenti, per fundamentum & rationem alicujus momenti intelligere rationem aliquam firmam & ſolidam; unde opinio favens libertati, ſolùm manebit probabilis apud eos, qui judicaverint illius rationem eſſe ſolidam & firmam. Sed contra: quia Authores illi expreſsè docent, poſſe quẽ ſequi ſententiam faventem libertati adversùs legem, quamvis illa opinio videatur ipſi minùs probabilis, ſeu minùs veriſimilis, quàm contraria; idem aliqui ex illis affirmant, quamvis operanti appareat illa opinio evidenter minùs veriſimilis, quàm contraria; imò quamvis ab operante judicetur perprincipia intrinſeca eſse falſa, & legi Divinæ contraria. Non poteſt autẽ cenſeri ſolida & firma ratio alicujus ſententiæ ab illo, qui judicat illam ſententiam eſſe falſam (quia hoc ipſo judicat illam rationem eſſe fallacem) nec ab illo, cui ratio ſententiæ contrariæ apparet abſolutè veriſimilior: non enim reſpectu mei eſt ſolida & firma ratio illa, de quâ veriſimilius mihi eſt eſſe fallacem, ſeu inducentem ad judicandum falſum, quàm eſse veracem, ſeu moventem ad judicandum verum.

Expen-

Digitized by Google

§. III.

Expenduntur definitiones Opinionis Probabilis traditæ à recentioribus Probabiliſtis; & obiter ex illis colligitur, eſſe falſam illorum doctrinam de uſu licito opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ.

15. AD evitanda incommoda orta ex illa definitione opinionis probabilis,quę communiter circumferebatur, P. Antonius Terillus in Tomo de conſcientia probabili, quæſt. 2. num. 41. & quæſt. 5. num. 12. & in Tomo de Regula morum, quæſt. 1. num. 7. multa requirit, ut opinio ſit verè probabilis. *Primum omnium*, inquit, *eſt, ut nitatur fundamento fide digno, id eſt, tali, quod aptum eſt ad aſſenſum ab homine perito, & probo irreprehenſibiliter judicante impetrandum. Iam ut motivum aliquod ſit tale, ante omnia maximè eſſentialiter requiritur, ne quidquam certi in contrarium afferatur; quia nemo irreprehenſibiliter judicat contra id, quod eſt certum. Unde nihil contrarium Fidei, aut Decretis Summorum Pontificum, vel Conciliorum approbatorum, aut expreſſo Scripturæ textui, vel unanimi Sanctorum Patrum conſenſui, aut ulli argumento plenam fidem facienti, atque moralem certitudinem inducenti, eſt probabile. Secundò ſententia aliqua ut ſit probabilis, confirmari debet motivo gravi, ac magno, ſcilicet validè attrahente ad aſſenſum: & quidem magnitudo hujus motivi ſumi debet non ſolùm abſolutè, quatenus vehementer impellit ſecundùm ſe, ſed etiam relativè ad omnia in contrarium allata; adeò ut etiam in contradictione illorum vehementer alliciat ad aſſenſum, idque præciſè vi ſuæ magnitudinis tam abſolutæ, quàm comparativæ; & non ex affectu, ac propenſione ejus, cui proponitur.*

16. Idque ipſum docet P. Eſparza in Appendice ad quæſtionem de uſu licito opinionis probabilis, art. 112. ubi docet ad probabilitatem *opinionis requiri, ut nitatur opinio fundamento abſolutè, & comparativè magno; id eſt, fundamento, quod non ſolum ſeorſim, & ſecundùm ſe ſit difficilè ſolubile, & validè pertrahat ad aſſenſum, ſed quod comparatum etiam cum fundamento oppoſitæ partis, retineat adhuc vim magnam pertrahendi ad aſſenſum.* Ex quo infert, non manere probabilem apud aliquem unam partem contradictionis, quando apud eundem fundamentum alterius partis eſt evidenter, & manifeſtè, atque omnino indubitanter majus. Idem docuerat, & explicaverat art. 102. & in ſuo Curſu Theologico 1. 2. quæſt. 23. opinionem probabilem definiens, inquit: *Opinio probabilis eſt illa, quę nititur motivo fallibili, ſed magni momenti; id eſt, fundante exiguam formidinem.*

17. Sed inprimis ego non video quomodo hi Authores has definitiones componere poſſint cum ſua ſententia de uſu licito opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ in occurſu probabilioris, & tutioris. Uterq; enim ſupponit opinionem faventem libertati adversùs legem manere abſolutè probabilem reſpectu operantis, quamvis in actu primo illi proponatur ſimpliciter, & abſolutè ut minùs veriſimilis, quàm ſententia oppoſita ſtans pro lege adversùs libertatem. Ut enim inquit P. Eſparza eo art. 102. *Apud Authores Latinos tam veteres, Sanctis quoque comprehenſis, quàm recentes, probabile ſumitur pro approbabili, ſeu pro eo, quod approbare, & cui adhærere, ac aſſentire intellectus meritò poteſt cum formidine partis oppoſitæ.* At intellectus non poteſt meritò approbare ut veram, ſententiam faventem libertati adversùs legem, quando illi proponitur ut minùs veriſimilis, quàm oppoſita; quia tunc potiùs poteſt, ac debet illam reprobare ut falſam; nec poteſt meritò illi adhærere, & aſſentiri, ſed potiùs debet illi diſſentiri: cùm enim tendat ſub ratione veri, naturaliter refugit falſitatem; unde debet diſſentiri ut falſæ parti illi, quæ in actu primo illi apparet potiùs falſa, quàm vera; & aſſentiri illi, qua ipſi proponitur potiùs vera, quàm falſa, ſi velit de alterutrâ judicium ferre. Quare ſicut non manet abſolutè probabilis reſpectu operantis pars una, quando oppoſita in

Digitized by Google

actu primo proponitur ipſi, ut evidenter veriſimilior, ita non manet abſolutè probabilis, quando oppoſita proponitur abſolutè, & ſimpliciter ut veriſimilior: quia in neutro caſu poteſt meritò, & prudenter approbare ut abſolutè in ſe veram, partem ſibi minùs veriſimilem. Rurſus, quomodo verificari poteſt quòd fundet exiguam formidinem opinio concepta, & formata ab operante ex vi motivi, ſeu fundamenti ſimpliciter, & abſolutè minoris fundamēto opinionis oppoſitæ? Qui enim judicat contractum aliquem v.g. eſſe licitum, quando in actu primo habet ſimpliciter majus fundamentum ad judicandum eſſe illicitum (permittendo nunc, quòd ex imperio voluntatis poſſit phyſicè intellectus opinari partem minùs ſibi veriſimilem) non judicat ex meritis objecti, ſed quia ita vult judicare. Unde neceſſe eſt, ut reſultet magna, & prudentiſſima formido de malitiâ talis contractûs; quia reflectens ſupra motivum ſui aſſensûs, comperiet, veriſimiliùs eſſe, quòd ille aſſenſus ſit falſus, quàm verus; & timere magnopere debet, ne illi contractus ſit turpis.

18. Prętereà ego non video, quomodo motiva unius partis poſſint dici magna in ordine ad movendum intellectū ad aſſenſum ſui, quando concurrunt ſimul cum motivis partis oppoſitæ fortiùs retrahentibus ab illo aſſenſu, & inclinantibus ad diſſenſum: non enim eſt magnum comparativè, quod vincitur à contrario; ſicut in ſtatera non eſt magnum pondus poſitum in una lance, quod vincitur à pondere exiſtente in oppoſita, & bilancem deprimente: ſic enim ſe habent pondera motivorum ad flectendum intellectum, ſicut pondera materialia ad deprimendam, & inclinandam bilancem. Quod confirmatur: nam ſecundùm Ariſt. 1. Rheto. cap. 7. *Magnum dicitur, quod eſt excedens.* Ergo opinio favens libertati adversùs legem, non nititur motivo magno, quando non nititur motivo excedente motivum *partis oppoſitæ.*

19. Nec aſſequor, quomodo motivum probabile pro libertate adversùs legem, aptum ſit ad impetrandum aſſenſum ab homine perito & probo, & irreprehenſibiliter judicante, quando concurrit cum motivo fortiùs impellente ad diſſenſum. Vir enim peritus & probus nequit irreprehenſibiliter judicare actionem aliquam eſſe licitam, quando ſentit & experitur fortius motivum ad judicandum eſſe illicitam; nec intellectus poteſt flecti ad ita judicandum, niſi avertat oculos conſiderationis à motivis impellentibus ad judicandum oppoſitum. Hoc autem quid eſt aliud, quàm voluntariè claudere oculos, & nolle intelligere, ut benè agat?

20. Deinde, quādo in definitione opinionis probabilis dicitur, quòd debeat niti motivo magno; magnitudo motivi debet ſumi per ordinem ad intellectum proprium ipſius opinantis & operantis. Ut enim Petrus probabiliter judicet, contractum aliquem eſse licitum, non requiritur, ut motivum, quo inducitur ad ita judicandum, appareat magnum omnibus Sapientibus: alioqui nemo poſſet certificari de probabilitate ſuæ opinionis; quia nemo poteſt certificari, quòd motivum ſuum apparere debeat magnum omnibus. Sæpe enim fundamenta opinionis alicujus, quæ alicui Authori videntur magna, alteri apparent exigui momenti; ſæpe namque magnitudo fundamenti eſt apparens duntaxat; nimirum quoties opinio reipsâ eſt falſa; quia toties ejus fundamentum eſt fallax: movet enim quia non detegitur ejus fallacia; nam ſi penetraretur ratio illa, quæ apparet magna ob ignorantiam intellectûs judicantis, contemneretur ut falſa & ſophiſtica, & non poſset trahere ad aſsenſum. Motivum ergo opinionis dicitur magnum per ordinem ad intellectum hominis periti & probi. Nec ſufficit ad probabilitatem opinionis, quòd operanti ipſi fundamenta ſuæ opinionis appareant urgentiora fundamentis ſententiæ contrariæ; nam hæreticis fundamenta ſuarum hæreſeon apparent non ſolùm veriſimiliora fundamentis doctrinæ Catholicæ, ſed apparent certa; & tamen ipſorum ſententia non eſt opinio probabilis, ſed eſt error damnabilis;

damnabilis;

minabilis; quia nimirum ſuâ culpâ illis apparent magna ſuæ ſectæ fundamenta. Requiritur ergo, quòd poſt diligentem veritatis inquiſitionem, citra paſſionem & culpam fundamenta illius partis appareant magna, & præeminentia fundamentis partis contrariæ; nam nemo prudenter, imò nec inculpabiliter poteſt judicare, eſſe veram ſententiam faventem ſuæ libertati adversùs legem; ſi omnibus ritè conſideratis invenit majus fundamentum ad judicandum eſſe falſam; imò ſi invenit æquale fundamentum. Nemo enim poteſt licitè ſectari ſententiam faventem libertati adversùs legem, & relinquere ſententiam ſtantem pro lege adversùs libertatem, niſi ex prudenti perſuaſione quòd illa ſit vera, & iſta ſit falſa; quam perſuaſionem nequit prudenter, imò neque inculpatè concipere, quin poſt diligentem veritatis inquiſitionem, habeat majus fundamentum ad judicandum eſſe veram & legi Divinæ conformem ſententiam faventem libertati adversùs legem, quàm ad judicandum eſſe falſam, & legi Divinæ contrariam.

21. Quare, licet P. Eſparza & P. Terillus dum ad uſum licitum opinionis minùs tutæ in occurſu tutioris, requirunt, quòd ſaltem ſit paris vel ferè paris probabilitatis cum ſententiâ oppoſitâ, non parum coarctaverint ſententiam benignam de uſu licito opinionis cujuslibet probabilis circa honeſtatem actûs; amplius tamen requiritur ad uſum licitum opinionis minùs tutæ in occurſu tutioris; nimirum ut illa ipſi ſaltem operanti citra paſſionem & culpam poſt diligentem veritatis inquiſitionem appareat veriſimilior: & hoc ipſum infertur ex definitione opinionis probabilis ab ipſis tradita.

§. IV.

An ad probabilitatem opinionis requiratur, ut reipsâ non ſit contra Scripturæ Sacræ teſtimonium, vel contra Eccleſiæ Decreta?

22. Circa conditiones illas cõmuniter adhibitas à Probabiliſtis benignis ad uſum licitum opinionis minùs tutæ inquiritur, an ad probabilitatem opinionis requiratur, quòd reipſa non ſit contra Scripturæ Sacræ teſtimonium vel contra Eccleſiæ, vel Conciliorum, aut Romanorum Pontificum definitiones & Decreta, aut contra communem Sanctorum Patrum ſententiam. Supponitur, neminem poſſe probabiliter aliquid aſſerere, ſi ſciat hoc eſſe contra aliquod ex modò enumeratis; vel ſi ſcire debeat, & ſuâ culpâ ignoret: quia tunc ejus ſententia non eſt opinio probabilis, ſed error culpabilis: dubium ſolùm eſt, quando inculpabiliter quis ob fundamenta rationis urgentia, & propter authoritatem aliquorum Theologorum defendit aliquam ſententiam ut veram, quæ tamen à Romano Pontifice confixa eſt, ut falſa, & ſcandaloſa, atque temeraria. Reſpondeo, in illo eventu illam opinionem eſſe probabilem in exiſtimatione Authoris illam inculpabiliter defendentis ut veram, non tamen abſolutè in ſe; imo neque in communi æſtimatione: quia moraliter impoſſibile eſt, ut aliqua propoſitio ſit vel contra clarum textum Scripturæ, vel contra Decretum Concilii, vel Summi Pontificis, vel contra communem ſenſum Patrum, & quòd hoc ignoretur in Eccleſia à communitate Theologorum. An verò illa dicenda ſit vera probabilitas reſpectu tenentis illam ſententiam inculpabiliter; an ſolùm probabilitas imaginaria, & exiſtimata; erit quæſtio de nomine. Certè ille durante illâ ignorantiâ inculpabili perinde poterit uti licitè illa opinione; ſicut in ſententia communi licitè quis uti poteſt ſententia probabili, quam inculpabiliter judicat veram (eò quòd poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra paſſionem & culpam, ejus fundamenta viſa ſint ipſi urgentiora fundamentis oppoſitæ) cùm tamen reipsâ ſit falſa. Unde ſicut ſententia poteſt eſſe verè probabilis, quia ejus fundamenta apparent homini probo & ſapienti ſolida, & gravia poſt accuratam veritatis inquiſitionem; licet illa fundamenta reipsâ ſolida non ſint, ſed fallacia, & inducentia ad aſſenſum falſum; ita videtur, quod poſſit eſſe verè probabilis, quamvis reipsâ

pſâ ſit contra Pontificum Decreta, ſi id inculpabiliter ignoratur ab operante.

23. Nihilominus dicendum eſt, non eſſe verè probabilem opinionem, quæ reipsâ eſt contraria vel Scripturæ Sanctæ verbis, vel Conciliorum ſcitis, vel Summorum Pontificum Decretis, vel unanimi Patrum conſenſui; quamvis opinans id inculpabiliter ignoret, & aliunde fundamenta rationis pro illa parte ipſi appareant magna: quia ubi primum conſtiterit illam opinionem reipſa eſſe contrariam alicui ex iis regulis, omnes tenentur illam ut improbabilem rejicere. Non eſt ſimilis ratio de fundamento rationis, quod per ignorantiam apparet magnum viro probo & docto poſt diligentem veritatis inquiſitionem, & vi illius citra paſſionem & culpam, judicavit rem eſſe licitam: nam quamvis vir alius doctus inveniat rationem validiorem pro parte contraria, vi cujus ſibi firmiter & certò perſuadeat ſententiam illam benignam eſſe falſam, & verè pronuntiare poſſit, illam ſententiam benignam non eſſe ſibi practicè probabilem; quia ipſe non poteſt illam probare ut veram: non tamen poteſt verè pronuntiare, illam opinionem eſſe ſecundùm ſe improbabilem abſolutè; quia non poteſt prudenter judicare, rationem illam, quâ ipſe convincitur de falſitate illius opinionis benignæ, convicturam omnes; ſed potiùs prudenter timere poteſt, illam rationem facilè ſolvendam ab aliis: cùm paſſim contingat, ut ratio, quæ uni videtur convincens, alteri videatur fallax & debilis. Unde opinio, quæ ſemel aſſerta eſt ut vera à viris probis & ſapientibus poſt diligens examen ſine præcipitatione & paſſione; & communiter habetur pro probabili; non poteſt reddi improbabilis per hoc præciſè, quòd alicui viro ſapienti videatur manifeſtè falſa: alioqui non poſſet quis certificari de probabilitate alicujus opinionis, niſi ipſi planè conſtaret, nullum Doctorem in toto orbe inveniſſe argumentum, quo certum putaret illam eſſe falſam. Ut ergo ſententia ſemel probabilis reddatur poſtea improbabilis per fundamenta intrinſeca rationis, requiritur, ut denuo adverſùs eam talia ſint excogitata argumenta, ut communiter apud ſapientes ejus falſitatem oſtendant; & debilitatem atque fallaciam manifeſtent fundamentorum, quibus ejus Authores moti ſunt ad illam propugnandam.

24. Itaque ut opinio, quæ antea erat probabilis, reddatur abſolutè improbabilis, ſatis eſt, quòd denuò prodeat Eccleſiæ definitio, ſeu Decretum illam notâ aliquâ afficiens: at ut reddatur abſolutè improbabilis, non ſufficit, quòd aliquis invenerit argumentum contra illam, quod eum omninò reddat certum moraliter de illius falſitate, & quod ipſi videatur moraliter evidens: niſi illud argumentum tale ſit, ut ſapientes communiter convincat, & apud pleroſque detegat debilitatem & falſitatem talis opinionis. Ratio eſt, quia definitio Eccleſiæ æqualiter obligat omnes ad deferendam illam ſententiam: at argumentum rationis ſolùm obligat eos, quibus apparet valdè urgens. Sæpiſſimè autem contingit, ut argumentum, quod uni videtur convincens adverſùs aliquam ſententiam, eamque proinde reddit improbabilem ipſi; aliis non ſolùm non videatur convincens, ſed valdè inefficax.

§. V.

Expenduntur aliæ Opinionis Probabilis definitiones; ex quibus colligitur, licitum non eſſe ſequi opinionem probabilem minùs tutam in occurſu tutioris, quando hæc proponitur operanti ut magis veriſimilis.

25. Alii etiam ex Authoribus benignis, quamvis defendant ut licitum uſum opinionis probabilis minùs tutæ in occurſu tutioris & operanti illi veriſimilioris, ſeu probabilioris; eam tamen tradunt opinionis probabilis definitionem, ex qua oppoſitum colligitur. Aſſerunt enim opinionem probabilem *eſſe firmum fixumque judicium ex gravibus rationibus ortum, quod nec evidenti rationi, neque verbis Scripturæ Sanctæ, nec Conciliorum ſcitis, nec Sum-*

Digitized by Google

morum Pontificum Decretis, nec unanimi Patrum conſenſui adverſatur. Ex hac namque definitione colligitur, non eſſe probabile judicium formatum ab operante de honeſtate actûs ex vi motivi non præponderantis motivo partis oppoſitæ; ſed potiùs ex vi motivi minùs ipſi veriſimilis. Quomodo enim fieri poteſt, ut quis formet firmum, fixumque judicium de honeſtate vel licentia contractûs, quando omnibus hinc inde conſideratis habet majus fundamentum ad judicandum contractum illum eſſe ſecundùm ſe intrinſecè malum & prohibitum? Quare tunc ſolùm poteſt operans ex vi opinionis alienæ probabilis faventis libertati adversùs legem, formare judicium opinativum verè probabile de honeſtate contractûs juxta aſſignatam definitionem, quando poſt diligentem veritatis inquiſitionem, citra paſſionem & culpam, fundamenta illius opinionis benignæ apparent illi urgentiora clarè & manifeſtè fundamentis oppoſitæ ſententiæ cum notabili exceſſu: tunc enim ſolùm poteſt formare firmum fixumque judicium de honeſtate actûs; ita ut licèt illud judicium, quia merè opinativum, non excludat ex ſe omnem formidinem de malitia talis contractûs; nihilominus exiguam dumtaxat formidinem fundet; quæ facilè poſſit tamquam ſcrupulus repelli, & ſine ulla temeritate contemni.

26. Hinc maximè placet illatio, quam P. Ludovicus Scildere noſtræ Societatis in ſuo opere de Principiis conſcientiæ formandæ ann. 1664. in lucem edito, elicit ex definitione opinionis probabilis. Nam tract. 2. illius operis cap. 2. §. 1. num. 12. ſic opinionem probabilem definit: *Opinio probabilis*, inquit, *eſt aſſenſus cum formidine innixus rationibus gravibus, ex qualibus vir conſideratus poſt argumenta contraria conſiderata & ſoluta, in negotiis magni momenti concludere ſolet.* Ex hac definitione hanc infert concluſionem. *Ex hac definitione*, inquit, *ſequitur, quòd quando pro utraque parte rationes occurrunt, neque rationes unius partis longè ſuperant alias, opinio formata non ſit probabilis. Nam rationes pro utraque parte allatæ, ſi ſint æquales, vel ferè æquales, elidunt vim mutuam, ut nullus conſideratus vir ob alterutras ſit formaturus aſſenſum, ex eoque proceſſurus ad praxim: ſic nullus vir conſideratus judicabit, ſe facturum eſſe ex aliqua negotiatione lucrum, quando tot rationes ſunt contra ſpem lucri, quot pro illa ſunt.* Et hanc ſententiam Patris Scildere, ejuſque diſcurrendi modum ſecuti ſunt communiter noſtri Profeſſores Lovanienſes in theſibus impreſſis. Sic enim exponunt definitionem opinionis probabilis: *Opinio*, inquiunt, *certò & practicè probabilis motivo nititur, ſecundùm ſe quidem fallibili, gravi tamen, talique, ex quo vir prudens, & errorem ſtudioſè devitans, in rebus magni momenti ſolet concludere. Quod ſanè prudenter facere non poterit, niſi pro ea parte ferat ſententiam, quæ ritè perpenſis utrimq; rationibus, gravius cenſetur, firmiuſque habere motivum, quàm oppoſita. Hinc ſua cuique opinio, ſi verè probabilis, eſt probabilior: nec enim poteſt voluntas, quando eidem intellectui paria omnino proponuntur momenta, immediatè prudentem pro una potiùs quàm pro altera parte aſſenſum imperare, multoque minùs pro ea, quæ minùs apparet vera.*

§. VI.

Noſtra ſententia circa conceptum Opinionis Probabilis.

27. ASſero primò, dari opinionem verè & certò probabilem abſolutè & in ſe de honeſtate vel licentia actus, nihil aliud eſſe reipsâ & ſeclusâ contentione de nomine, quàm aliquos viros probos, & ſapientes poſt diligentem veritatis inquiſitionem, id eſt poſt accuratum ſtudium, & diligens examen rationum & fundamentorum pro una & altera parte, citra paſſionem & culpam judicâſſe illum actum eſſe honeſtum, vel ſaltem licitum, & lege Divinâ non prohibitum; ob fundamenta, quæ illis viſa ſunt magna & gravia, ac digna impetrare aſſenſum ab homine perito & prudente; id eſt ob fundamenta, quæ infra infallibilitatem & evidentiam, illis

viſa

Digitized by Google

viſa ſunt urgentiora fundamentis partis contrariæ: nullus enim vir prudens, probus & doctus judicare poteſt rem eſſe licitam, quin pro hac parte inveniat majus fundamentum, quàm pro contraria. Hoc ipſo, quod illi viri probi & ſapientes ita judicaverint; & poſtea non ſit inventum aliquod argumentum, quod communiter apud doctos, illam ſententiam de falſitate convincat; nec prodierit aliquod Eccleſiæ Decretum, quo illa doctrina notâ aliquâ afficiatur; cenſetur illa opinio abſolutè & in communi æſtimatione probabilis; & eò cenſetur probabilior, quò plures & graviores habuerit patronos. Id autem rectè colligitur ex definitione probabilium tradita ab Ariſtotele 1. Topic. cap. 1. Nam cùm juxta Philoſophum, *ea ſint probabilia, quæ videntur omnibus, aut pluribus, vel ſapientioribus; & iis vel omnibus, vel plurimis, vel maximè notis, & illuſtribus*: ſanè regulariter loquendo (ut inquit P. Caſtro-Palao diſp. 2. de Conſcientia cap. 1. num. 8.) *ea ſententia probabilior eſt judicanda, quæ à pluribus defenditur & doctioribus*. Nam quò plures & doctiores conveniunt in aliqua ſententia aſſerenda, eò graviori fundamento illa niti cenſenda eſt. Unde quamvis probabilitas opinionum præcipuè ſumatur à fundamentis intrinſecis rationis; hæc fundamenta præſumuntur eſſe validiora, dum ſcitur ob ipſa in talem ſententiam plures ſuâ ſponte conſpirâſſe Doctores. E converſo autem regulariter loquendo, ea ſententia in communi æſtimatione cenſebitur minùs probabilis, quæ pro ſe pauciores habuerit Authores graves, qui ex profeſſo rem diſputârunt. Quamvis autem abſolutè & in communi æſtimatione, & non factâ comparatione ad perſonam particularem, quæ pro ſententia minùs communi validiorem invenerit rationem, ea reputetur probabilior ſententia, quæ plures pro ſe numerat graves Authores; tamen per reſpectum ad talem vel talem hominem in particulari, poteſt eſſe probabilior opinio, quæ pauciores habet Authores; quia quamvis vir doctus & probus videat pro aliqua ſententia plures ſtare Authores graves; ſi tamen re diligenter examinatâ inveniat pro contraria novam aliquam rationem validam ab illis non tactam, & inveniat promptam & facilem ſolutionem ad fundamenta, quibus illi permoti ſunt: illa opinio, quæ in ſe abſolutè erat magis probabilis, erit minùs probabilis ipſi; & oppoſita reſpectu ejus erit magis probabilis.

28. Unde eſt regula illa, quam ex antiquis Canoniſtis laudat & ſequitur Sylveſter in Summa verbo *Opinio*. Item Tabiena in ſua Summa, verbo *Opinio*, num. 3. *Non generatur aliquod præjudicium veritati, cùm inter diverſas opiniones à Magiſtris approbatas, illam quis eligit, quæ ſibi videtur magis conſona rationi.* Unde licet opinio ſtans pro lege adversùs libertatem habeat pro ſe graves Authores; ſi oppoſita ſtans pro libertate adversùs legem habeat etiam pro ſe Authores graves, & aliunde operanti citra paſſionem & culpam, occurrat pro illa ratio validior, poterit illam ſequi: quia tunc prudenter poteſt judicare, rem eſſe licitam; & non poteſt judicare eſſe illicitam.

29. Quando Scriptura aliquid affirmet, debemus id firmiſſimè credere; & quamvis in oppoſitum nobis occurrat ratio validiſſima, debemus nobis perſuadere illam eſſe fallacem, & credere authoritati. Unde Auguſtin. Tom. 2. Epiſt. 7. ajebat: *Si ratio contra Divinarum Scripturarum authoritatem redditur, quamlibet acuta ſit, fallit veriſimilitudine; nam vera eſſe non poteſt. Rurſus ſi manifeſtiſſimæ certæque rationi velut Scripturarum Sanctarum objicitur authoritas, non intelligit, qui hoc facit; & non Scripturarum illarum ſenſum, ad quem penetrare non potuit, ſed ſuum potiùs objicit veritati. Nec quod in eis, ſed quod in ſeipſo velut pro eis invenit, opponit.*

30. At quando homines fallibiles aliquid affirmant, non debemus illos ſequi, quando firmâ ratione cognoſcimus illos errare. Unde Auguſtin. Epiſt. 19. ad Hieronymum cap. 1. *Ego* (inquit) *fateor charitati tuæ ſolis eis Scripturæ libris,*

bris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum Authorem ſcribendo aliquid errâſſe firmiſſimè credam.... Alios autem ita lego, ut, quantâlibet ſanctitate, doctrinâque polleant, non ideò verum putem, quia ipſi ita ſentiunt; ſed quia mihi vel per illos Authores Canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreant, perſuadere potuerunt.

31. Docuerat Hieronymus, & multi cum ipſo, Petrum à Paulo per ſimulationem fuiſſe reprehenſum: hanc opinionem tanquam falſam & improbabilem rejecit Auguſtinus; probans Petrum verè errâſſe, & à Paulo non ſimulatè, ſed verè jureque reprehenſum, in eo potiſſimùm, quòd Judæis nimium indulgeret in legis antiquæ ceremoniis. Unde ad Galatas 2. v. 11. inquit Paulus: *Cùm autem veniſſet Cephas Antiochiam in faciem reſtiti ei, quia reprehenſibilis erat. Priùs enim quàm venirent quidam à Jacobo, cum Gentibus edebat; cùm autem veniſſent, ſubtrahebat, & ſegregabat ſe, timens eos, qui ex circumciſione erant: & ſimulationi ejus conſenſerant Judæi.* Hanc ſimulationem reprehendit Paulus, *ut ultra non haberent progreſſum ceremoniæ legis Moſaicæ, ne putarentur neceſſariæ, tanquam ab illis ſalus eſſet, vel ſine illis eſſe non poſſet*; ut loquitur Auguſtinus: cujus judicium univerſa dein Eccleſia, & ipſe Hieronymus amplexus eſt. Unde illa tam ſæpe repetita ab Auguſtino ſententia: *Si quid* (inquit) *Divinarum Scripturarum, earum ſcilicet, quæ Canonicæ in Eccleſia nominantur, perſpicuâ firmatur authoritate, ſine ulla dubitatione credendum eſt.* Huic authoritati ſemper adjungit Auguſtinus authoritatem Eccleſiæ, quæ tanta eſt, ut propter illam Euangelio credamus. *Ego Euangelio non crederem*, ajebat ille, *niſi me Eccleſiæ moveret authoritas.* Similiter adjungit authoritatem Traditionis. Et poſtmodum ſubjungit: *Aliis verò teſtibus, vel teſtimoniis, quibus aliquid credendum eſſe ſuadetur, tibi credere, vel non credere licet, quantum ea momenti ad faciendam fidem vel habere, vel non habere perpenderis.*

32. Hinc obiter inferes, quantum à ſenſu Auguſtini aberrent Authores benigniores hujus ſæculi, qui tantam authoritatem tribuunt duobus vel tribus vel quatuor Authoribus aſſerentibus probabiliter aliquam actionem eſse licitam, ut quilibet poſſit eorum ſententiam tutò ſequi, quamvis prudentiſſimè judicare valeat illos errâſse, eò quòd clarè agnoſcit pro oppoſita ſententia adeſse urgentiora fundamenta authoritatis & rationis; imò quamvis id actualiter judicet: non enim poteſt ab imprudentia & temeritate excuſari, qui ſequitur errantes contra legem Dei, quando cognoſcit illos errare. Quando Scriptor Canonicus affirmat aliquid eſse licitum, poſsumus clauſis oculis ejus judicium ſequi, quamvis in contrarium nobis occurrat ratio vehementiſſimè impellens ad judicandum illam rem eſse illicitam: quia ſcimus illum errare non poſse; ac proinde agnoſcimus rationem noſtram eſse fallacem, quamvis nobis appareat urgentiſſima. At quando homines fallibiles affirmant aliquem contractum eſse licitum, & nos videmus alios doctiores, vel ſaltem æquè doctos aſserere oppoſitum, & in probationem ſuæ ſententiæ adducere rationes urgentiſſimas & majoris momenti, vi quarum prudentiſſimè judicare poſsumus, errâſſe illos Authores benignos, qui favent libertati adversùs legem, & conſequenter eſse intrinſecè malam actionem illam, quam ipſi licitam eſse affirmant: tunc illos Authores benignos ſequi, non ſolùm eſt minor prudentia, ſed poſitiva imprudentia & temeritas. Eſt enim ſcienter velle violare legem Dei, & pro nihilo ducere, quòd lex Divina violetur, dummodo obtineamus lucrum, vel commodum, cui favet ſententia benigna.

33. Ex dictis inferes, non facere opinionem probabilem Authores illos, qui vel ex deſiderio placendi hominibus; vel ex pravo affectu favendi ſibi nomen, & inveniendi Sectatores; vel ſine ſufficienti ſtudio, nimis properè ferunt judicium, docentes eſſe licitam actionem, quam illicitam eſſe docuiſſent, ſi ex ſincero deſiderio inveniendi veritatem diligenter

ligenter incubuiſſent illius controverſię ſtudio, & non ducerentur inordinato aliquo affectu.

34. Infero deinde, non ſatis eſſe ad hoc, ut opinio aliqua ſit mihi ſeu reſpectu mei probabilis, quòd ſit mihi utcumque veriſimilis, ſeu quòd ejus fundamenta appareant mihi utcumque veriſimilia; ſed neceſſarium eſſe, ut veriſimilitudo, & apparentia veritatis ſit tanta, ut vi illius prudenter poſſim ego judicare opinionem illam eſſe veram: quod numquam contingere valet, dum pro parte oppoſitâ occurrunt, & repræſentantur fundamenta urgentiora, vel ſaltem æquè urgentia; ſeu dùm opinio contraria proponitur mihi ut magis, vel ſaltem ut æquè veriſimilis. Ad hoc probandum aſſumo traditam à P. Terillo definitionem *Probabilitatis ut ſic*, à qua opinio denominatur *Probabilis*, prout præſcindit à probabilitate intrinſecâ vel extrinſecâ. *Probabilitas ut ſic* (inquit Terillus q. 2. de conſcientia, aſſertione 10.) rectè definitur: *Apparentia veritatis adeò magna, ut illa digna ſit aſſenſu; ſeu ut qui illi abſolutè aſſentitur, meritò ut prudens laudari, nullatenus tamquàm temerarius & imprudens reprebendi poſſit*. Ergo non habet probabilitatem ſimpliciter & abſolutè reſpectu mei opinio, quæ mihi magis apparet falſa, quam vera, qualis eſt opinio eiuſmodi, quæ repræſentatur mihi ut minùs veriſimilis, quàm opinio ipſi oppoſita; vel quæ ſaltem mihi non magis apparet vera quàm falſa; eò quòd nimirum ſententia contraria appareat mihi æquè veriſimilis. Ut ergo opinio aliqua nuncupari poſſit ſimpliciter & abſolutè, & abſque addito diminuente probabilis reſpectu mei, debet habere apparentiam veritatis clarè præeminentem apparentiæ veritatis opinionis contrariæ; ſeu debet mihi proponi ut clarè veriſimilior quàm contraria: nemo enim prudenter & irreprehenſibiliter judicare poteſt contractum *A.* eſſe licitum, ut ſic ad ejus executionem deveniat, quando habet majus fundamentum ad judicandum eſſe illicitū, vel ſaltem æquale. Ut ergo prudenter judicet contractum illum eſſe licitum, debet apparentia veritatis pro illâ parte citra paſſionem & culpam eſſe clarè major, quam pro contrariâ. Non enim niſi temerè & imprudenter poteſt quis judicare contractum *A.* eſſe licitum, quando habet majus, vel ſaltem æquale fundamentum ad judicandum eſſe illicitū: nam quando habet majus fundamentum, prudentia dictat, ut judicet contractum illum eſſe illicitum: quando autem habet æquale, prudentia dictat, ut ſuſpendat judicium, & aſſenſum; maneatque dubius, an contractus ille ſit licitus, vel illicitus.

35. Atque adeò, quoties diſputatur, & dubitatur, an actio ſit licita, necne? ſolùm eſt abſolutè probabilis reſpectu mei illa pars contradictionis, quæ poſt diligentem veritatis inquiſitionem, mihi apparet veriſimilior; quia illam ſolùm poſſum prudenter approbare, ut veram. Probabile namque reſpectu alicujus eſt illud, quod ab ipſo meritò approbari poteſt ut verum; quod autem ab ipſo prudenter improbatur ut falſum, dum ſic improbatur, non remanet reſpectu illius probabile. Ut enim ait Auguſtinus libr. de utilitate credendi cap. 11. *Quomodò eſt illud, quod ſequuntur, ſi non probatur, probabile?* Prudens enim nequit approbare ut verum, niſi illud, quod ob magnam apparentiam veritatis, meretur approbari ut verum; non meretur autem ob apparentiam veritatis approbari ut verum, quod habet majorem vel ſaltem æqualem apparentiam falſitatis. Ergo non eſt abſolutè probabile reſpectu alicujus, niſi illud, quod ei proponitur ut magis veriſimile, quam ejus contradictorium.

36. Et ideò Eminentiſſimus Cardinalis Lauræa tom. 2. in 3. ſententiarum Diſp. 11. ar. 4. §. 241. & 281, docet, non debere vocari *probabilem in vero ac proprio ſenſu Ariſtotelico aut etiam Scripturali ſententiam illam, quæ operanti apparet minùs veriſimilis quàm contraria: nam probabile idem importat ac dignum ut approbetur; non eſt autem digna approbari ſententia, quæ repræſentatur ut minùs veriſimilis*. Hinc eo num. 241. ait:

ait: *Illud exiſtimarunt probabile* (Sancti Patres) *quod carens evidentiâ, haberet omnia alia motiva, quæ inveniri poſſunt ad illud ſuadendum; idemque eſt apud illos probabile, quod nos dicimus probabilius*. Poſtea verò eodem art. 4. n. 303. inquit. *Hoc vocabulum Probabilitas, ut ex Sacra Scriptura notavimus in principio art., nil aliud importat, niſi dignitatem & meritum, ut aliquid approbetur, ſeu commendetur. Unde probabilis vir, probabile dictum, ideſt commendabilia. Et ſi attentè, atque accuratè res penetretur, quiſque concludet, quod Ariſt. cæterique cum eo Philoſophi, ac Theologi nomine propoſitionis probabilis, nihil aliud intellexerunt, niſi eam cujus veritas evidenter non conſpicitur, ſed per aliqua media, ſive intrinſeca, ut ſunt rationes, ſive extrinſeca, ut ſunt authoritates, ita apparet, ut expulsâ formidine mereatur approbari, ſeu exiſtimari vera*. Hactenus Eminentiſſimus Laurea. Idem notavit P. Eſparza in Appendice art. 102. aſſerens apud Authores Latinos, & apud Sanctos Patres *probabile ſumi paſſivè, pro approbabili, ſeu pro eo, quod approbare, & cui adhærere ſive aſſentiri intellectus meritò poteſt*. Idem notavit Seraphinus Piccinardus in ſua Dogmatica Philoſophia To. 1. pag. 195. citans Antonium Cotonium in Univerſitate Patavina Cathedræ Metaphyſicæ moderatorem controv. 5. cap. 5. quæſt. 5. *Omnes* (inquit) *antiqui, tam Theologi, quàm Philoſophi, probabile pro eo, quod nunc probabilius dicitur, frequentiùs uſurpabant.*

37. Bifariam itaque accipitur probabile. Primò ut idem ſit, ac *veriſimile*; & in hoc ſenſu, quia ex duabus partibus contradictionis, una poteſt eſſe veriſimilior aliâ; una poteſt eſſe alterâ probabilior: & ſicut utraque eſt veriſimilis reſpectu ejuſdem intellectûs; ita utraque eſt probabilis reſpectu ejuſdem. Secundò, ut idem ſit ac *approbabile* per prudentem aſſenſum: & in hoc ſenſu ſolùm eſt abſolutè probabilis reſpectu alicujus illa pars contradictionis, quam ipſe poteſt approbare ut veram per prudentem aſſenſum. Unde cùm ſolùm poſſit prudenter approbare ut veram eam partem contradictionis, quę apud ipſum eſt veriſimilior; ea ſolùm apud ipſum manet abſolutè & ſimpliciter probabilis, quæ omnibus inſpectis, apparet ipſi veriſimilior, quàm ejus contradictoria. Unde cùm diſputatur, an liceat ſequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, relictâ probabiliori, & tutiori, non debet ſupponi partem minùs tutam manere abſolutè & ſimpliciter probabilem reſpectu operantis; ſed ſolùm debet ſupponi eſſe abſolutè probabilem reſpectu aliorum, ab illiſque de facto fuiſſe approbatam; reſpectu autem operantis eſſe quidem abſolutè veriſimilem, ſed eſſe minùs veriſimilem, quàm contrariam. Hinc autem nequit inferri, quòd maneat abſolutè probabilis reſpectu operantis in ſenſu quæſtionis, quatenus probabile idem eſt, ac approbabile per prudentem aſſenſum. Apud operantem enim non manet probabilis ratio favens libertati adversùs legem, niſi ita præemineat rationibus faventibus legi adversùs libertatem, ut meritò poſſit operans vi illius rationis judicare actionem eſſe licitam. Ratio enim, quæ non poteſt pondere ſuo perſuadere, rem eſſe licitam, non manet probabilis apud operantem. Unde qui ob fundamenta ſibi veriſimiliora & urgentiora judicat contractum A. eſſe illicitum, licet poſſit dicere ſententiam contrariam eſſe abſolutè in ſe probabilem, quia ſcit illam approbatam fuiſſe ut veram à viris probis & ſapientibus, non poteſt verè affirmare eſſe probabilem ſibi, quia illam ipſe non poteſt tunc approbare ut veram, nec mediante illâ applicare ſibi legem Divinam ut regulam. Hinc illa opinio tunc non manet practicè & exercitè probabilis reſpectu illius; licet reflexè poſſit ſpeculativè verè enuntiare, illam in ſe, & reſpectu aliorum eſſe verè probabilem.

38. Ex dictis infero, addendum eſſe aliquid definitioni opinionis probabilis traditæ à P. Eſparza 1.2. quæſt. 23. ſic decernente: *Opinio probabilis eſt illa, quæ nititur motivo fallibili, ſed magni momenti, id eſt fundante exiguam formidinem*; debet enim addi: *quòd tale appareat opinanti citra paſſionem & culpam, poſt debi-*

tam

tam veritatis inquiſitionem. Nam ſi motivum apparet magnum, vel ex negligentia inquirendi veritatem, vel ex paſſione, opinio concepta non eſt probabilis; ſic non eſt probabilis opinio, quam hæretici habent de ſuis dogmatibus, quamvis ipſi exiſtiment, illius motiva eſſe magna & gravia, & nihil à ſe affirmari contra Divinas Scripturas. Illa namque motiva apparent ipſis magna propter ipſorum ſuperbiam, & voluntariam cæcitatem ob negligentiam culpabilem inquirendi veritatem, quæ culpæ ſi non adeſſent, talem opinionem non concepiſſent.

39. Definitio tradita à Terillo quæſt. 2. de Conſcientia num. 41. juxta quam *opinio probabilis eſt judicium abſolutum de aliquo objecto, ſed incertum, innixum motivo, cui homo irreprehenſibiliter aſſenſum præbet*: definitio, inquam, illa, per illam particulam *irreprehenſibiliter*, videtur caviſſe illa incommoda. Hæretici enim non irreprehenſibiliter, ſed reprehenſibiliter aſſenſum præbent ſuis dogmatibus; quia quòd dogmata illa repræſententur ipſis ut veriſimiliora veritatibus catholicis, imò ut certa, provenit ex ipſorum culpa: unde aſſenſus ſubſecutus eſt error abſolutè culpabilis, quia eſt voluntarius in cauſa. Claritatis tamen gratiâ dicatur: *Opinio probabilis eſt judicium abſolutum de aliquo objecto, cui homo poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra paſſionem & culpam irreprehenſibiliter aſſenſum præbet.*

40. Opinio ergo probabilis eſt illa, quæ concipitur ob rationem vel rationes talem præſeferentes apparentiam veritatis, ut ob illas vir prudens ſine ulla præcipitatione & paſſione judicet rem eſſe veram, licet agnoſcat non repugnare quòd ſit falſa; quia videlicet medium aſſentiendi non eſt demonſtrativum: ut enim inquit D. Thomas 2.2. quæſt. 5. art. 3. *Qui tenet mente aliquam concluſionem, non cognoſcens medium demonſtrationis illius, non habet ejus ſcientiam, ſed ſolùm opinionem*. Quamvis enim concluſio ſit demonſtrabilis, & medium aſſentiendi ſit in ſe demonſtrativum, ſi tamen is, qui ab illo movetur ad aſſentiendum concluſioni, non cognoſcit infallibilem connexionem, quam habet cum veritate concluſionis, non habet de illa ſcientiam, ſed ſolam opinionem.

PARS SECUNDA DISSERTATIONIS,

Exponens ſtatum celeberrimæ controverſiæ, an liceat ſequi opinionem probabilem minùs tutam, relictâ probabiliori, & tutiori.

41. ID eſt, an ex duabus opinionibus practicis probabilibus, quarum una affirmat actionem aliquam eſse in ſe malam, & lege Divinâ prohibitam, v. g. aliquem contractum eſse uſurarium; & hoc pacto ſtat pro lege, quia movet ad ejus obſervationem: alia idipſum negat; & hac ratione favet libertati adversùs legem, quatenus non imponit homini obligationem abſtinendi ab illa actione, ſed liberum ipſi relinquit, ut ſine peccato illam poſſit exercere. An, inquam, ex iis duabus opinionibus oppoſitis, poſſit quis licitè amplecti illam, quæ favet libertati adversùs legem, quamvis ſit minùs probabilis, quàm oppoſita: an verò teneatur ſequi illam, quæ ſtat pro lege adversùs libertatem, ſi ſit probabilior.

42. Hæc quæſtio poteſt intelligi vel de opinione probabili propria ipſius operantis, id eſt de opinione probabili ſubjectivè & phyſicè exiſtenti in mente operantis, vel de opinione aliena exiſtente phyſicè in mente aliorum, & ſolùm objectivè verſante in mente ipſius, quatenus operans cognoſcit dari opinionem probabilem negantem illum contractum eſse uſurarium, quæ ipſi videtur minùs veriſimilis, quàm ſententia ſevera id ipſum affirmans. Si accipiatur primo modo, erit ſenſus, utrùm, ut operans poſſit licitè exercere contractum de quo controvertitur, an ſit uſurarius, necne, ſatis ſit, quòd ipſe judicio prudenti merè opinativo, & cum formidine partis oppoſitæ, judicet contractum illum

illum non eſse uſurarium, quamvis agnoſcat ſententiam oppoſitam, aſſerentem illum contractum eſse uſurarium, habere pro ſe Authores graves ex iis, qui dicuntur facere opinionem probabilem, & communiter haberi illorum ſententiam pro probabili: an verò neceſſarium ſit, quòd formet judicium moraliter certum, & excludens formidinem partis oppoſitæ, quo ſine ulla dubitatione ſibi perſuadeat contractum non eſse uſurarium, ſed licitum.

43. Si autem quæſtio intelligatur ſecundo modo, ſenſus eſt: an, ut quis poſſit licitè exercere contractum illum, ſatis ſit, quòd ipſe ſciat dari opinionem verè probabilem de eo, quòd contractus ſit licitus, quam ſcilicet Authores graves & pii poſt accuratum examen propugnârunt ut veram, ob fundamentum, quod citra paſſionem & culpam ipſis viſum eſt grave & dignum impetrandi aſſenſum à viro prudente; quamvis ſciat dari opinionem probabiliorem de eo, quòd contractus ille ſit uſurarius: quia nimirum ſcit Authores plures & graviores id defendere, & iſtorum fundamenta ipſi videntur urgentiora & veriſimiliora; vel ſaltem ſcit ſententiam illam non habere pro ſe minus pondus authoritatis, quàm oppoſitam, & aliunde experitur pondus rationis eſſe majus pro hac parte, quàm pro contraria, quia ſentit, ſe vehementiùs impelli ad aſſenſum per illam, quàm per contrariam. An verò ſit neceſſarium, quòd poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra paſſionem pars favens libertati adversùs legem appareat illi ſimpliciter & abſolutè probabilior, ſeu veriſimilior, authoritate & ratione ſimul, vel ſaltem ratione, ſeu à fundamentis intrinſecis, eò quòd agnoſcit majus pondus rationis in illam partem inclinare.

44. In utroque ſenſu negant licitum eſse ſequi opinionem probabilem minùs tutam ſtantem pro libertate adversùs legem, relictâ tutiori ſtante pro lege & præcepto adversùs libertatem, aliqui Theologi, requirentes omnimodam certitudinem ad licitè operandum. De quorum ſententia agemus Diſſertatione decimâ.

45. Sed communis ſententia non ſolùm Theologorum benignorum hujus ſæculi, ſed antiquorum conſtanter docet, non requiri omnimodam certitudinem de veritate ſententiæ minùs tutæ, ut quis poſſit ſecundùm illam operari; ſed ſufficere probabilitatem ſaltem majorem, vi cujus operans judicio abſoluto prudenter ſibi perſuadeat rem eſse licitam, & legi Divinæ conformem; etſi hoc judicium ſit merè opinativum, & ex ſe non excludens omnem formidinem: quia ſuper hoc judicio univerſali, quod propterea dicitur ſpeculativum, (quamvis in alio ſenſu ſit practicum, quatenus movet ad operandum) poteſt fundari ultimum dictamen conſcientiæ moraliter omnino certum, ſeu judicium practicè practicum, quo operans cenſet ſibi hic & nunc licitum eſse exercere illam actionem, quam judicio opinativo prudenti judicat eſse ſecundùm ſe licitam, ſi illud ſit neceſſarium ad licitè operandum. Et in hanc ſententiam conſpirant omnes Societatis Doctores. Unde noſter eximius Doctor P. Suarez primâ ſecundæ tract. 3. diſp. 12. ſect. 6. num. 4. dixit: *Eſt certum, probabile judicium ſpeculativum, quando in contrarium nihil certius, vel probabilius occurrit, ſufficere ad conſcientiam practicam, veram & certam formandam.* Et P Vazquez 1. 2. diſput. 62. num. 13. tanquam certum ſupponit, *unumquemque poſſe operari ſecundùm ſuam ſententiam probabilem.*

46. Et in hoc ſenſu veriſſimum puto, licitum eſse ſequi quamcumque opinionem verè & certò probabilem ſubjectivè exiſtentem in mente operantis, etiamſi ſit minùs tuta. Et in eodem ſenſu Doctoribus n. 44. dictis me ex diametro oppono. Conſtanter tamen teneo, non poſse opinionem à me conceptam de honeſtate vel licentia actûs, eſse certò probabilem, niſi à me concipiatur poſt diligentem veritatis inquiſitionem; & inſuper concipiatur, quia citra paſſionem & culpam talis ac tanta apparuit veriſimilitudo pro honeſtate actûs, ut clarè & manifeſtè ſuperaverit veriſimilitudi-

litudinem pro actus turpitudine; quia certum non eſt, me poſſe prudenter & verè probabiliter iudicare, actum eſſe honeſtum, niſi poſt diligentem veritatis inquiſitionem mihi manifeſtè veriſimiliùs appareat, actum eſſe honeſtum, quàm eſſe turpem. Ubi autem iudicium fero ob illam maiorem veriſimilitudinem & probabilitatem, formido ex hoc iudicio opinativo reſultans, erit parva, & quæ per reflexionem poſſit tanquam ſcrupulus repelli.

47. Si autem vera foret ſententia Patris Eſparza aſſerentis, poſſe quem prudenter imperare aſſenſum directum de honeſtate actûs, quamvis habeat æquale fundamentum ad imperandum aſſenſum de turpitudine eiuſdem, imò quamvis habeat maius fundamentum, ſi exceſſus ſit exiguus; tunc dicerem non ſufficere illud iudicium ad licitè operandum, quia illud eſſet coniunctum cum magna & prudentiſſima formidine de turpitudine actûs. Si autem quæſtio intelligatur in ſecundo ſenſu, nempe de opinione aliena exiſtente in aliorum mente, quæ in ſe ſit verè & certò probabilis, non poteſt eſſe univerſaliter verum, licitum eſſe ſequi quamlibet opinionem probabilem de honeſtate actûs; ſolùm enim eſt verum ſub conditione, quòd poſt diligentem veritatis inquiſitionem, illa aliorum opinio cum tanta apparentia veritatis mihi proponatur, ut citra paſſionem & culpam, illam iudicem eſſe veram, & legi Divinæ conformem: quod nunquam facere potero, dum oppoſita opinio mihi propoſita fuerit cum maiori, vel ſaltem cum æquali veriſimilitudine. Opinio enim probabilis de honeſtate actûs ſolùm poteſt eſſe ſecura regula operandi pro illis, qui illam iudicaverint eſſe veram, & legi Divinæ conformem; non autem pro illis qui iudicaverint eſſe falſam, & legi Divinæ contrariam; nec pro illis qui dubitaverint, an ſit vera vel falſa.

48. Quare ad uſum licitum partis minùs tutæ faventis libertati adversùs legem naturalem & Divinam; ſufficit probabilitas ſeu veriſimilitudo adeò conſpicua, ut manifeſtè præemineat veriſimilitudini partis oppoſitæ, ita ut ſine præcipitatione & inculpatè poſſit operans iudicio opinativo prudenti ſibi perſuadere, rem eſſe licitam.

Digitized by Google

DISSERTATIO SECUNDA.

In qua oſtenditur ſententiam recentium Probabiliſtarum, aſſerentium unicuique licitum eſſe ſequi opinionem minùs tutam, ſi ſciat, eſſe abſolutè probabilem, quamvis ei in actu primo appareat minùs veriſimilis, quàm oppoſita; non eſſe communem inter Theologos hujus ſæculi, qui docuerunt, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam, relictâ probabiliore, & tutiore.

INTRODUCTIO DISSERTATIONIS.

1. QUIA ego veriſſimum cenſeo, nemini licitum eſsè ſequi ſententiam minùs tutam faventem ſuæ libertati, quando oppoſita ei apparet in actu primo vel abſolutè veriſimilior, vel æquè veriſimilis, præſertim authoritate & ratione ſimul; ſeu quando experitur ſe magis inclinari in actu primo ad illi diſſentiendum, quàm ad aſſentiendum, vel inclinari æqualiter ad utrumque, ob pondus maius, vel æquale rationis & authoritatis ſimul; vel ſolius rationis coniunctæ cum authoritate gravium Doctorum, qui tuentur opinionem tutiorem: & quoniam ad ſecurum & licitum uſum opinionis minùs tutę in conflictu tutioris indiſpenſabiliter cenſeo requiri, ut illa in actu primo appareat operanti ſimpliciter & abſolutè veriſimilior poſt diligentem veritatis inquiſitionem ſine paſſione & affectu pravo obcæcante ſuſceptam; ideò hanc quęſtionem facti examinare operæ pretium duxi. Quia multum intereſt ſcire, in quo ſenſu locuti ſint Doctores huius ſæculi, quos brevitatis causâ *Probabiliſtas* appellamus, ut diſtinguamus à *Probabilioriſtis*, ſeu ab illis, qui requirunt nobiſcum maiorem probabilitatem in opinione minùs tuta, ut illâ licitè uti poſſimus. Speciali autem titulo Probabiliſtæ nuncupantur Authores illi benigni, qui ad uſum licitum opinionis probabilis minùs tutæ dicunt, non requiri quòd operans probabiliter aſſentiatur eius veritati; ſed ſatis habent quòd reflexè ſciat illam eſſe probabilem. Nam ſi nomine Probabiliſtarum intelligamus Doctores aſſerentes non requiri certitudinem, ſed ſufficere opinionem de honeſtate actionis, ut illam licitè exerceamus, ſaltem ſi opinio illa ſit abſolutè probabilior, & ſenſibiliter magis veriſimilis; ſic Probabiliſtæ ſunt non ſolùm Authores huius ſæculi, ſed ferè omnes, paucis exceptis, qui hoc punctum de uſu opinionum attigerunt, ſive in hoc ſæculo, ſive in præteritis; ut perſpicuè oſtendunt P. Antonius Terillus quæſt.22.de Conſcientia, & P. Moya in ſelect.tract.1.quæſt.5.

Digitized by Google

§. I.

Oſtenditur pleroſque Authores hujus ſeculi ex affirmantibus licitum eſſe uſum opinionis minus probabilis & minùs tutæ, non loqui in ſenſu recentium Probabiliſtarum; ac proinde non eſſe nobis contrarios.

2. QUamvis recentes Probabiliſtę poſt Illuſtriſs. Caramuelem communiter ſequantur ſententiam affirmantem propoſitam in titulo Diſſertationis, quales abſque dubio ſunt ex noſtris P. Martinus de Eſparza, P. Antonius Terillus, P. Matthęus de Moya, & P. Joannes de Cardenas, qui copioſiùs ſententiam Probabiliſtarum defensârunt; nihilominus arbitror ego, pleroſque ex Scriptoribus huius ſæculi non loqui in ſenſu noſtræ controverſiæ, ſed in alio longè diverſo, nobis minimè contrario. Dum enim abſolutè dicunt, licitum eſſe ſequi quamcumque opinionem practicè probabilem, id eſt affirmantem non temerè, & cum levi fundamenro, ſed prudenter, & cum gravi fundamento aliquid eſſe licitum, non loquuntur de opinione obiectivè ſumpta, ſed ſubiectivè & formaliter; nimirum de opinione exiſtente formaliter apud ipſum operantem: ita ut ſecurè, & bonâ conſcientiâ poſſit deducere in praxim illud, quod probabiliter iudicat eſſe licitum, quamvis ſciat oppoſitum docere graves Doctores, quorum ſententia communiter cenſetur magis probabilis; & abſolutè & ſimpliciter magis probabilis eſt.

3. In eo planè ſenſu, in quo P. Sà verb. *Dubium*, inquit: *Poteſt quis facere, quod probabili ratione, vel authoritate putat licere.* Item eo ſenſu, quo Sylveſter, verbo *Confeſſio Sacrament.* 2. quæſt. 2. ait: *Qui opinatur probabili ratione de aliquo, quod non ſit mortale, non tenetur illud confiteri.* Et in eo ſenſu in quo idem Sylveſter in Sum. verbo *Opinio*, quæſt. 1. ait: *In rebus obſcuris non generari præjudicium veritati, cùm inter diverſas opiniones à Magiſtris approbatas, & ſcripturis authenticis annotatas, illam quis amplectitur, quæ ſibi videtur magis conſona rationi.* Ubi notat hoc intelligendum *non ſolùm quando quis facit, quod in ſe eſt, ut intelligat veritatem; quia talis etiam in manifeſtè determinatis excuſaretur, cùm laboret ignorantiâ invincibili pro tunc: ſed etiam cùm quis ex affectione ad ſuum Doctorem judicat probabiliter, ut ſibi videtur, eſſe verum, quod eſt falſum. Nec obſtat, quòd in dubiis tutior opinio eſt eligenda.* De Sponſ. C. *Juvenis*, *Quia non eſt in dubio, qui probabilibus rationibus flectitur ad unam partem.* Et in eo ſenſu, in quo loquitur Tabiena in Sum. verbo *Opinio*, num. 3. dum ait: *Quæritur, quæ opinio ſit ſequenda ſecundùm Canoniſtas? Reſpondeo primò, quòd in dubiis non generatur aliquod præjudicium veritati, quando inter diverſas opiniones à Doctoribus approbatas, illam quis amplectitur, quæ ſibi magis videtur conſona rationi.* Et in quo loquitur Navarrus in Manuali cap. 27. num. 288. ubi ait: *Quantum attinet ad forum conſcientiæ, ſatis eſt, ſi quis opinionem probabilem ſequatur, quam veram eſſe putat, quia vir doctus & probus eam tenet, & perſuadet.*

§. II.

Multiplici argumento oſtenditur, pleroſque Authores hujus ſæculi non loqui de opinione minùs probabili formaliter reſpectu operantis.

4. ET quòd in hoc ſenſu intelligi debeant, probo primò: quia ut inquit P. Eſparza in Appendice ad quæſtionem de uſu opinionis probabilis part. 1. art. 30. *In præſenti controverſiâ de uſu licito opinionis probabilis, ſolùm quæritur, an opinio probabilis quandocumque, & cuicumque adeſt, in quacumque demum materia contigerit illam adeſſe, reddat tutum operantem ſecundùm ipſam?* Ergo dum Doctores affirmant licitum eſſe ſequi quamcumque opinionem practicè probabilem, ſeu affirmantem aliquid eſſe licitum, loquuntur de opinione, quæ adeſt ipſi operanti. Ergo loquuntur de opinione propria ipſius operantis, & illi ſubiectivè inhærente.

Digitized by Google

Idque confirmo ex eximio Doctore Suarez, qui tom. de Cenſuris diſp. 4. ſect. 6. num. 6. ſolùm appellat commune dogma Theologorum, *unumquemque operari poſſe juxta ſuam opinionem probabilem*, non autem iuxta quamcumque opinionem probabilem, ſive propriam, ſive alienam. Idque ipſum docet idem P. Suarez lib. 6. de Legib. cap. 8. numer. 6. his verbis: *Judicium probabile in rebus moralibus ſufficit ad prudenter operandum; præſertim ubi regula certa applicari non poteſt, ut ex materia conſcientiæ ſuppono. Item quia alius modus operandi eſt ultra hominum conditionem; cùm omnis cognitio humana conjecturalis ſit, præſerſertim in rebus agendis.* Senſus ergo eſt, unicuique licitum eſſe operari iuxta iudicium probabile proprium. Ut tamen quis formet iudicium certò probabile, & certò prudens, debet accuratè, & ſine paſſione rem examinare, & iudicium ferre innocenter & inculpabiliter, & inſuper moveri à motivo præponderante motivo partis oppoſitæ: quia non eſt certum, neque verum, quòd poſſit intellectus prudenter aſſentiri ob motivum antecedenter minùs veriſimile. Docet hoc ipſum tom. 4. in 3. par. diſput. 6. ſect. 6. num. 5. his verbis: *In moralibus licitum eſt uti opinione probabili; nam qui ex illa operatur, moraliter certus eſt practicè ſe non peccare. Et confirmatur ex uſu; ſæpe enim in quæſtione verſatur, an hoc vel illud ſufficiat ad juriſdictionem habendam: & nihilominus Confeſſores non dubitant ſuo munere ſungi, quoties juxta probabilem opinionem juriſdictionem ſe habere putant.* In eodem ſenſu ſpecificativo & materiali loquitur P. Granadus, dum docet, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem & minùs tutam in occurſu probabilioris & tutioris. Nam tom. de Pœnit. pag. 1252. num. 1. ita loquitur: *Ille, qui judicat probabiliter illud, quod fecit, non eſſe peccatum, etiamſi credat probabilius eſſe oppoſitum, non tenetur illud confiteri.* Id eſt, etiamſi credat oppoſitum à pluribus, & abſolutè gravioribus Authoribus defendi. Manifeſtum eſt enim ibi loqui de probabilitate abſoluta; nam loquendo de reſpectiva, unicuique ſua opinio eſt probabilior, & veriſimilior oppoſitâ; ergo dum ait, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem relictâ probabiliore, loquitur de minùs probabili propria, id eſt, de opinione, quæ licet ipſi apparuerit veriſimilior, in ſe tamen & abſolutè minùs eſt probabilis, quia pauciores vel minùs graves pro ſe habet Authores.

5. In eodem ſenſu loquitur recens & inſignis Scotiſta Maſtrius in ſecundum diſt. 5. quæſt. 2. art. 2. ubi latè defendit, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem & minùs tutam relictâ probabiliore & tutiore: & tamen loquitur de opinione minùs probabili propriâ, ut patet ex titulo articuli, qui ita habet: *Conſcientia probabilis eſt regula humanarum actionum.* Conſcientia enim eſt iudicium proprium operantis: ergo loquitur de opinione ſubiectivè exiſtente in mente operantis: hæc autem ſemper formaliter & relativè ad illum eſt magis probabilis, licèt abſolutè in ſe ſit minùs probabilis.

6. Et quidem quòd Probabiliſtæ graviores loquantur de opinione probabili exiſtente formaliter in mente operantis, probatur ex R. M. Joan. à S. Thoma Primario Complutenſi 1. 2. quæſt. 18. diſp. 2. art. 3. apud Moyam tom. 2. pag. 45. ubi ſic ait: *Quod attinet ad conſcientiam probabilem, eſt unica regula certa, licere ſequi conſcientiam & ſententiam probabilem, dummodo de ejus probabilitate conſtet practicè & prudentialiter, & non ſolùm ſpeculativè; quia probabilitate practicè ſtante, licet oppoſitum appareat probabilius & juſtius, licitè poteſt talem conſcientiam ſequi. Hanc regulam cenſeo generalem & univerſaliter veram pro omnibus actionibus moralibus.* Hactenus ille. In quibus verbis manifeſtum eſt, ipſum loqui de opinione, ſeu iudicio proprio ipſius operantis; nam iſtud appellat *conſcientiam.*

7. In eodem ſenſu loquitur Bartholomæus de Ledeſma in Summario tract. de Pœnit. difficult. 14. concluſ. 5. ubi cum Mag. Soto in 4. diſt. 18. quæſt. 2. art. 5. ad 5. §. *Unde ad argumentum.* loquens de pœnitente, inquit: *Eum poſſe perſeverare*

in

in contractu, quem juxta probabilem opinionem Doctorum probatæ authoritatis, licitum putat, contra aliorum tamen opinionem probabiliorem & tutiorem.

8. Probatur ſecundò, quia Sinnichius Doctor Lovanienſis, & Præſes maioris ibi Collegii Theologici, in libro, quem inſcripſit *Saul Exrex*, in quo acriter invehitur in uſum opinionis probabilis pro dirigendis conſcientiis, in hoc ſenſu accipit communem ſententiam Theologorum huius ſæculi, quos impugnat. Ibi enim cap. 94. ſic loquitur: *Poſtulat tractationis ordo, ut hoc loco breviter perſtringamus Neotericorum quorumdam Ethicen, ſive morum doctrinam nimio jam ſucceſſu in Eccleſia adoleſcentem, multigenâ librorum editione ſeſe diffundentem, priſco Eccleſiæ rigori non tam inſidiantem, quàm inſultantem, ſuffragatorum multitudine crebreſcentem, eorumdemque claritudine celebreſcentem, quæ humanarum opinionum dictaminibus tantum defert, ſive arrogat, ut unicuique licere aſſerat, quidquid propria conſcientia, probabilitate ſubnixa, præſcripſerit.* Ergo exponit communem ſententiam, quaſi eius Authores loquantur de conſcientia probabiliter dumtaxat dictante, aliquid eſſe licitum. Conſcientia autem importat opinionem propriam ipſius operantis, ut patet. Ergo ſentit, in hoc ſenſu loqui communem ſententiam Theologorum, aſſerentium licitum eſſe, ſequi quamcumque opinionem practicè probabilem.

9. Eodem modo loquitur Guillelmus Wendrockius acerrimus Probabiliſtarum impugnator, qui in diſſertat. de Probabilit. ſect. 2. pag. 5. probat, non ſufficere opinionem probabilem, quâ nimirum quis probabiliter iudicat, aliquid eſſe licitum, ad honeſtè operandum; probat autem his verbis à poſteriori: *Qui incertus eſt, an rem illicitam fecerit, hic ſecurus eſſe non poteſt ſe non peccaſſe. At qui opinionem probabilem ſecutus, id facit, quod probabiliter tantùm putabat eſſe licitum, is certus non eſt, id quod fecit, non eſſe illicitum, id eſt peccatum: ergo ſecurus non eſt, ſe non peccaſſe.* Imò P. Antonius Terillus in ſuo opere de Conſc. probab. quæſt. 23. ubi multis contendit, licitum eſſe ſequi in praxi opinionem minùs probabilem & minùs tutam, id ipſum non obſcurè tradit. Nam ibi nu. 37. ſextam probationem ſuæ ſententiæ ſic conficit: *Omne opus conforme rationi rectæ eſt licitum: ſed omne judicium certò probabile de univerſali boneſtate alicujus objecti, ſi per debitam diligentiam adhibeatur, eſt ratio recta: ergo opus conforme ejuſmodi judicio certò probabili, eſt licitum. Ex hac conſequentia, quæ legitimè deducitur, habemus* (inquit) *unumquemque licitè ſequi partem minùs tutam, quotieſcumque omnibus inſpectis certò probabiliter judicat, illam eſſe univerſaliter licitam. At aliud non requirimus.* Hæc ille.

10. Probo tertiò: quia loquuntur de opinione probabili, quæ operantem diſtinguit ab operante cum dubio propriè tali, & ab operante cum opinione temeraria & improbabili. Dicunt enim operantem cum opinione probabili, operari prudenter, ac proinde non peccare; ſicut peccat is, qui operatur id, de quo dubitat propriè, an ſit vel non ſit peccatum, vel id, de quo temerè iudicat. Opinio autem, quæ non inhæret ipſi operanti formaliter, non diſtinguit illum ab operante cum dubio: imò talis opinio ipſum facit dubitare: dubium enim morale non contingit, niſi quando eidem intellectui proponuntur opiniones probabiliter contrariç, quarum fundamenta, quia çqualiter ipſum movent, illum relinquunt ſuſpenſum & dubium. Ergo loquuntur ii Doctores de opinione probabili, ſubiectivè exiſtente in ipſo operante.

11. Audiamus eximium Suarezium 3. part. tom. 5. diſp. 40. ſect. 5. num. 2. hæc tria optimè explicantem: *Oportet*, inquit, *advertere, aliud eſſe dubitare, aliud verò aſſentiri cum formidine. Dubium enim proprium eſt, quando poſt diligentem inquiſitionem intellectus anceps, & quaſi ſuſpenſus manet, vel omnem ſuſpendendo aſſenſum, vel judicando ſolùm, rem eſſe dubiam; quod ad præſens perinde eſt. Aſſenſus autem licet ſit cum formidine, eſt tamen determinatus ad alteram partem:*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

atque ita tollit dubium, & præbet ſaltem opinionem. In quo poſſunt eſſe probabilitatis gradus. Nam ſi aſſenſus ſit improbabilis & temerarius, non meretur nomen opinionis moraliter loquendo; quia nec ad rectè operandum, neque ad excuſandum quidquam valet. Idque conſtat ex D. Antonino in Sum. 1. part. tit. 3. cap. 10. §. 10. ubi ait: *Utique ille, qui agit ſcienter id, de quo dubitat eſſe mortale, permanente dubitatione mortaliter peccat, etiamſi illud non eſſet mortale in ſe, ſumendo propriè & ſtrictè dubitationem, videlicet prout rationes ſunt æquè ponderantes ad utramque partem, neque magis declinat quis ad unam, quàm ad alteram. Sed ſi dubitet leviter quis, & per modum ſcrupuli, ſicut dubitat aut formidat habens opinionem de aliquo, quia ita inhæret ipſi ſententiæ, quòd tamen formidat de oppoſito: ſic agendo contra tale dubium non peccat.* Rationemque reddit: quòd talis non agat in dubio mortalis peccati, ſed ſecundùm opinionem probabilem; nempe propriam, conceptam ob motiva, quæ in actu primo apparuerunt ipſi urgentiora; nam ſi apparuiſſent in actu primo ęqualia, manſiſſet omnino anceps & dubius.

12. Conſtat etiam ex Doctore Navarro de Pœnit. diſt. 5. num. 38. ubi hæc habet: *Reſpondeo ſecundò, negando, ſemper tutiorem partem eligendam eſſe; quoniam ſatis eſt eligere tutam, ut utiliter declarat Antoninus, & facit Gloſſa recepta, quæ ſecunda eſt, quam dicit ſingularem Alexander. Quamquam verum eſt, eum peccare mortaliter, qui facit aliquid dubitans, an ſit peccatum mortale, necne, juxta illud: Qui amat periculum, peribit in eo. Sed aliud eſt dubitare, an tale quid faciendum ſit, aliud credere ratione probabili, & authoritate alicujus illuſtris Doctoris admonente: ut pulcrè in loco præcitato declaravit Antoninus, & nos latiùs, & magis ad uſum diſputavimus ſuper illis verbis: Tene certum, & relinque incertum: & reſolutiùs poſt hæc tradidimus in Manuali Confeſſorum.* Doctores ergo iſti loquuntur de opinione probabili propria ſubiectivè exiſtente in mente ipſius. Quæ opinio numquam eſt certò probabilis, niſi poſt adhibitam ſufficientem diligentiam quis innocenter & ſine omni culpa ob motiva ſibi urgentiora & probabiliora iudicium ferat. Unde S. Antoninus loco nuper citato, & inſuper 3. p. tit. 5. cap. 2. §. 9. luculenter docet, illum, qui agit contra dubium, & dubium reſolvit, non peccare; *dum adhęret opinioni alicujus Doctoris, & habet rationes probabiles pro ipſa magis, quàm pro oppoſita opinione.* Et ibidem 1. part. loco citato hæc habet: *Poteſt aliquis tenere unam partem alicujus opinionis, & ſecundùm eam operari, dummodo talis opinio non ſit contra authoritatem expreſſam Sacræ Scripturę, nec contra determinationem Eccleſiæ Catholicæ: & quando jam ex contrarietate opinionum non inducatur ad dubitandum, ſed bonam conſcientiam & credulitatem formet de eo quod credit, tamquam probabiliori parte.*

13. Probatur quartò: Quia dum affirmant, licitum eſſe operari ſecundùm opinionem probabilem, præcipuè intendunt ſe opponere Caietano, qui affirmavit, non eſſe licitum operari cum ſola opinione probabili de honeſtate obiecti; ſed requiri aſſenſum moraliter certum excludentem omnem formidinem de malitia in oppoſito. Sic enim ait in Sum. verbo *Opinionis uſus: In operandis, niſi tutiorem partem eligendo, non licet opinionem cujuſque aſſumere ut regulam operis, quia eo ipſo, quod operatio committitur opinioni, committitur regulæ ambiguæ: quia opinio omnis ambigua eſt, utpote cum formidine alterius partis.* Itaque Doctores affirmantes licitum eſſe uſum cuiuſcumque opinionis practicè probabilis, ſolùm contendunt, licitè poſſe exequi hominem id, quod probabiliter iudicat eſſe ſibi licitum, etiamſi id iudicet cum formidine, quia videt oppoſitum docere ſententiam valdè communem; quod tamen Caietanus negat.

14. Probatur quintò: Quia dum univerſaliter docent, licitum eſſe operari ſecundùm opinionem probabilem, non poſſunt loqui de opinione exiſtente in aliorum intellectu; nam cohæret aliquam opinionem eſſe abſolutè probabilem, & tamen eius falſitatem eſſe mihi no-

Digitized by Google

notam. Non poſſum autem ego ſequi opinionem probabilem faventem libertati, dum ejus falſitatem cognoſco. Si enim ego judico falſam eſse opinionem affirmantem aliquem contractum eſse licitum, iudico illum contractum eſſe illicitum: implicat autem, ut ego celebrem contractum aliquem iudicans eſse illicitum, & quòd tamen licitè operer. Ergò dum univerſaliter docent licitum eſse operari ſecundùm quamcumque opinionem probabilem practicè, loquūtur de opinione exiſtente in intellectu operantis ſubiectivè, & non ſolùm obiectivè exiſtente, quatenus cognoſcit dari talem opinionem.

15. Probatur ſextò: Quia fundamentum à priori, quo communiter moventur Doctores ad aſſerendum, licitum eſſe uſum cujuſcumque opinionis practicè probabilis, ideſt, cujuſcumque opinionis affirmantis aliquid eſſe licitum, eſt ſatis firmum, & rationabile, ſi loquantur de opinione inhærente ipſi operanti: eſt autem debiliſſimum, & laborans inſigni æquivocatione & paralogiſmo, ſi loquantur de opinione exiſtente in alio intellectu. Fundamentum enim eſt hujuſmodi: Is qui operatur ſecundùm opinionem probabilem, operatur prudenter; quia opinio probabilis eſt dumtaxat illa, quæ innititur gravi & prudenti fundamento: implicat autem operari prudenter, & peccare: ergo qui operatur ſecundùm opinionē probabilem, licitè operatur. Hoc fundamentum bonum & firmum videtur eſſe, ſi ſermo ſit de opinione exiſtente in ipſo operante; ſi autem ſermo ſit de opinione exiſtente in alio, debile eſt, & inſigni laborat æquivocatione. Nam quod opinio ſit abſolutè probabilis, & defendatur à Viris ſapientibus, probat quidem, ipſius Authores rectè ſecundùm ipſam operari: nam eis illa opinio repræſentata eſt ut veriſimilior opinione contraria; nemo enim defendit aliquam opinionem, quin in actu primo repræſentetur ipſi potiùs ut vera, quàm ut falſa; & quin ejus fundamenta majoris ponderis ei viſa ſint, quàm fundamenta opinionis contrariæ: quicumque enim aliquam opinionem amplectitur, paratus eſt eam defendere ſi impugnetur, & oſtendere, majori niti fundamento quā oppoſitam; quod præſtare non poſſet, ſi oppoſitæ ſententiæ fundamenta illi apparerent veriſimiliora. Opinio autem hæc, quæ ſuis Authoribus repræſentata eſt hoc modo, poteſt repræſentari mihi ut minùs veriſimilis, quam oppoſita. Quod patet manifeſtâ experientiâ; cum ſæpè fundamenta alicujus ſententiæ, quæ aliquibus Doctoribus videntur valdè urgentia, faciuntque ut eam acriter tueantur, aliis Authoribus videantur debilia, qui & ideo eam ſentētiam deſerunt, & oppoſitam defendunt. Ex eo autem, quod operetur prudenter ſecundùm aliquam opinionem Author illius opinionis, cui illa repræſentata eſt ut multò magis veriſimilis quàm oppoſitâ, & propterea illi aſſenſum præſtitit, non bene infertur, quod poſſim operari prudenter ſecundùm eam opinionem ego, cui illa apparet multò minus veriſimilis, quàm oppoſita: eſt enim arguere à ſingulari ad univerſale; & oſtendere, poſſe approbari ab omnibus & in omni circumſtātia opinionem aliquam ex eo, quod fuerit approbata ab aliquo in aliqua circunſtantia; nimirum in circumſtantia, in qua ei repræſentata eſt, ut magis veriſimilis quam oppoſita: quod eſt argumentum futile, & fallax. Ergo ſi adverſarii, dum dicunt, licitum eſſe ſequi quamcumq; opinionem probabilem, quia illa nititur fundamento prudenti, loquuntur de opinione exiſtente in alieno intellectu; fundamentum ipſorum eſt omnino frivolū. Cum ergo præſumendum non ſit de Viris inſignibus, motos fuiſſe fundamento tam frivolo, dicendum erit, eos loqui de opinione propria ipſius operantis. Vel ſi loquantur de opinione aliena, intelligendi ſunt, dixiſſe, licitum eſſe eam ſequi, nimirum ſub conditione, quod in eorum intellectu habeat eundem ſtatum, quem habuit in intellectu ſuorum Authorum, cùm eam amplexati ſunt.

16. Secundò exponi poſſunt Doctores ſententiæ hoc ſæculo communis, ut dum dicunt licitum eſſe ſequi opinio-

nem

nem minùs probabilem relictâ probabiliori, & tutiori, loquantur de opinione minùs probabili, & probabiliori, quaſi materialiter, & non formaliter, ſeu quoad ipſum operantem; itaut ſit ſenſus: quamvis opinio benigna communiter ſit habita pro minus probabili, quàm ſententia rigida; nihilominus hoc ipſo, quo quis ſciat illam eſſe abſolutè & ſimpliciter probabilem, & defendi à Viris ſapientibus, poſse illam ſequi; nimirum ſi factâ diligentiâ ad inquirendam veritatem, ipſi repræſentetur ut magis veriſimilis quàm oppoſita: neque honeſtatem operationis impediri poſse per hoc quòd ipſe reflexè cognoſcat, opinionem contrariam ſuæ, eſſe magis communem, & abſolutè magis probabilem; ſed ſufficere quod opinio benigna ſit abſolutè certò probabilis, & ipſi vera appareat, eò quod ipſi propoſita fuerit ut magis veriſimilis, quàm contraria; ac proinde quod ſit ipſi magis probabilis, quàm oppoſita, quamvis oppoſita abſolutè reputetur, ut magis probabilis. In hoc ſenſu ſæpè Navarrus docet, licitum eſse ſequi opinionem quamcumque probabilem, dummodo ab operante probabilior judicetur, ut teſtatur eruditiſſimus Salas 1. 2. tract. 8. diſp. vnic. ſect. 6. num. 66. Et quidem, quòd multi Probabiliſtæ aſserentes licitum eſse ſequi ſententiam minùs probabilem, relictâ probabiliori, loquantur de minùs probabili ſpecificativè, & materialiter, quæ tamen ſit probabilior formaliter & relatè ad operantem, patet ex Joanne Baptiſta Harquetti Ordinis S.Dominici, qui in *Controverſorio Theologico* in primam ſecundæ impreſso Romæ an. 1654. in Controverſia 14. inquirit, *Utrum liceat ſequi opinionem minus probabilem, etiam relictâ probabiliori, & magis tutâ?* atque ſic reſolvit: *Dico, licitum eſſe ſequi in praxi opinionem minùs probabilem & minus tutam ſive propriam, ſive alienam; dummodò ſit ſimpliciter probabilis.* Patet inquam; quia unicuique ſententia propria propoſita eſt ut probabilior. Unde quando ſequendo ſententiã propriam, nihil minùs dicitur ſequi ſententiam minùs probabilem; ſermo eſt de minùs probabili ſpecificativè. Idem priùs docuerat M. Petrus Cornejo præſtantiſſimus Theologus ex Carmelitana familia (quem Paulus V. *Verè dignum Eccleſiæ Dei Doctorem appellavit*) Nam 1. 2. tract. 8. diſp. 3. dub. 6. hanc concluſionem ſtatuit: *Licitum eſt ſequi opinionem minùs probabilem & minùs tutam, ſive propriam, ſive alienam; dummodo ſit ſimpliciter probabilis. Ita docent communiter Recentiores.*

§. III.

Solvitur objectio, & ampliùs confirmatur noſtra ſententia.

17. Dices, hoc modo viam facilem aperiri, ut quivis facilè poſſit ſequi quamcumque opinionem benignam, quamvis nondum examinatâ ejuſdem veritate, cognoſcat illam eſſe multò minùs probabilem, quàm oppoſitam. Si enim ſemel agnoſcat illam opinionẽ communiter reputari ut probabilem, ex affectu ad ipſam poterit applicare intellectum ad expendenda & ponderanda ipſius fundamenta, avertendo intellectum à conſideratione fundamentorum oppoſitæ ſententiæ. Et ſic citò eveniet, ut illa ſententia benigna appareat illi in actu primo veriſimilior: quo poſito, eidem aſſenſum præſtabit, eamque ſecurè deducet in praxim.

18. Reſpondeo primò. Quamvis hoc gratis permitterem, nihil hoc probaret contra me, qui ſolùm contendo, in mea aſſertione, eum, cui, factâ ſufficienti diligentiâ ad inquirendam veritatem, repræſentatur ut magis veriſimilis ſententia rigida, quæ communiter cenſetur magis probabilis, quàm ſententia benigna, habetque majus pondus authoritatis & rationis; vel ſaltem, quæ communiter reputatur ut æquè probabilis ac ſententia benigna; non poſſe ſequi ſententiam benignam relictâ ſententiâ oppoſita, quæ ipſi apparet, ut magis probabilis, & apud alios communiter cenſetur magis vel ſaltem æquè probabilis. Reſpondeo ſecundò, eum,

qui

Digitized by Google

qui ex induſtria averteret intellectum à fundamentis ſententiæ rigidæ, illumque nimio affectu applicaret ad expendenda fundamenta ſententiæ benignæ, non rectè operaturum, quamvis ſententia benigna hâc induſtriâ ei repræſentaretur, ut magis veriſimilis. De tali enim homine verificatur illud Pſal. 35. 4. *Noluit intelligere ut bene ageret*: ubi Bellarminus ait: *ut malè ageret, ſcientiam bene vivendi contempſit*. *Etenim* (inquit P. Salas in 1. 2. tract. 8. ſect. 5. num. 43.) *Opinio quæ alicui eſt probabilis, aliquando eſt inculpata; quia videlicet homo adhibet omnem diligentiam requiſitam pro qualitate negotii, temporis, & loci ad inquirendam veritatem: aliquando verò eſt culpabilis; quia homo deficit à debita diligentia*. Ad rectè ergo operandum debet homo adhibere eam diligentiam, quam omnes concedere debent ad inquirendum, quid Deus requirat ab ipſo pro qualitate negotii, loci, & temporis, & ad cognoſcendum, an talis operatio ſit licita. Dum enim proponitur ut dubium, an aliquid ſit licitum, certum eſt neminem poſse licitè operari, niſi priùs adhibeat aliquam diligentiam ad aſſequendam veritatem: nam ignorantia vincibilis non excuſat à culpa, ſed dumtaxat ignorantia invincibilis; ut enim inquit D. Auguſtinus lib. 3. de lib. arb. cap. 19. *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; ſed quod negligis quærere, quod ignoras*.

19. Debet ergo quiſque facere diligentiam aliquam ad aſſequendam veritatem: ut enim ait D. Thomas quodlib. 3. q. 4. art. 10. in corp. *In rebus dubiis non eſt de facili præſtandus aſſenſus*. Præſertim ubi *res dubiæ pertinent ad fidem, vel bonos mores*. Si hac factâ diligentiâ, repræſentetur ipſi ſententia benigna ut magis veriſimilis, eam poterit ſequi; quamvis ipſi conſtet, oppoſitam eſſe magis communem, & communiter cenſeri magis probabilem: dummodò enim ſciat ſententiam benignam eſſe probabilem; ſi aliunde citra paſſionem & culpam ei apparet vera, eam poteſt licitè ſequi. Et in hoc ſenſu dico, exponi poſſe ac debere multos ex Doctoribus noſtri ſæculi, qui inter Probabiliſtas cenſentur. Non enim contendunt, poſſe quem eligere ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam relictâ probabiliori & tutiori, ſi ſententia benigna non ſolùm ſit abſolutè minùs probabilis, ſed etiam ſit minus probabilis ipſi operanti, eique proponatur ut minùs veriſimilis; ſolùmque contendunt, poſſe eligere ſententiam minùs tutam, & minùs probabilem; nimirum ſi ei ut magis probabilis appareat: ſeu minùs probabilem verè, & quoad ſe, quia ipſi magis probabilis apparet. Ut enim rectè explicat P. Terillus q. 2. num. 37. *Motivum verè & quoad ſe probabilius (cui innititur opinio verè probabilior) eſt, quod cæteris paribus aptum eſt plures peritos, & probos ad ſui aſſenſum allicere, quàm aliud; quod ideo dicitur minùs probabile, quia cæteris paribus aptum eſt pauciores ad ſui aſſenſum inducere. Opinio nitens hoc motivo reipsâ probabiliori, eſt reipsâ probabilior; & opinio nitens motivo reipsâ minùs probabili, eſt reipsâ minùs probabilis. Et nihilominus ſuo Authori videtur probabilior. Cæterùm illa probabilioritas eſt dumtaxat apparens*.

20. Hoc pacto in concordiam veniunt graviſſimi Theologi moderni cum Antiquis, qui ante ſæculum proximè elapſum uniformiter docebant: nemini licere ſequi opinionem probabilem faventem libertati, niſi ei appareat veriſimilior, quàm ſententia ſtans pro præcepto. Et ſic noſtra ſententia non ſolùm habet pro ſe Theologos antiquos, ſed pleroſque ex modernis. Pleroſque, inquam, nam multi, ut Caramuel, Terillus, & alii non pauci ita expreſsè nobis opponuntur, ut interpretationem non admittant. Exponantur ergò Doctores, quaſi velint, licitum eſſe ſequi opinionem reipsâ, & quoad ſe minùs probabilem, relicta altera reipsâ probabiliore, ſi nimirum quæ reipsâ eſt minùs probabilis, proponatur citra culpam ut magis probabilis operanti.

21. Hanc autem expoſitionem colligo non ſolùm ex ratione à priori, qua Probabiliſtæ utuntur, quæ intellecta de opinione probabiliore abſolutè &

Digitized by Google

quo ad ſe eſt valde efficax, & intellecta de opinione probabiliore apud ipſum operantem, eſt inefficax, & æquivocatione laborat, ut vidimus; ſed etiam ex ratione à poſteriori & abſurdo, cui maximè inſiſtunt. *Nam*, ut inquit Bartholomæus de Medina, *noſtra ſententia cruciat animos timoratos: nam ſemper oportet inquirere, quænam ſit opinio probabilior*. Et ut ait P. Thomas Sanchez in Summ. lib. 1. cap. 9. num. 14. *Intolerabile onus, & multis ſcrupulis expoſitum eſſet, ſi opiniones probabiliores inveſtigare teneremur*. Conſtat, inquam, expoſitio noſtra ex hac ratione, quæ efficax eſt ad probandum, neminem obligari, ad ſequendas opiniones reipsâ, & abſolutè probabiliores: eſt autem inermis ad probandum, neminem teneri ad ſequendam ſententiam tutiorem, quæ factâ ſufficienti diligentiâ ad inquirendam veritatem, illi apparet probabilior, ut ſtatim videbimus.

22. Et quidem, quod multi Authores hujus ſæculi affirmantes, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem relictâ probabiliori & tutiori, loquantur de minùs probabili ſpecificativè, & in ſe, agnovit Vincentius Contenſon Ordinis Prædicatorum tom. 3. ſui curſ. Theologici, quem intitulavit *Theologia mentis & cordis*, impreſſo Lugduni anno 1675. Siquidem Diſſert. 6. cap. 2. pag. 724. excuſans multos è ſuis Thomiſtis à novello Probabilitatis Commento, (ſic appellat ipſe ſententiam Probabiliſtarum) inter alias reddit hanc rationem: *Quia multi* (inquit) *eorum intelligendos ſe dant de opinionibus, quæ licet vulgò exiſtimentur minùs probabiles, re tamen verâ illis apparent probabiliores*. Et ſubjungit præterea aliam rationem, ſeu interpretationem ſuorum Thomiſtarum: *Quia ut notat ſapientiſſimus Julius Mercorus 2. par. art. 21. Thomiſtæ illi loquuntur hypotheticè, ideſt, ſi minus probabilis, minùſque tuta in occurſu probabilioris & tutioris remaneat probabilis, & tuta. Neque enim inter tutas vias neceſſariò tutior ſequenda eſt; ſed à veritate, & à verborum ſenſu alienum eſt, minùs probabilem minùſque tutam opinionem per hoc præcisè reddi tutam, quòd probabilis ſit*. Hæc ille.

23. Quare in præſenti controverſia non debet ſupponi, ſed probari, quòd opinio minùs tuta, quę operanti apparet antecedenter minùs veriſimilis, quàm oppoſita, maneat abſolutè probabilis reſpectu illius. Nam ſi hoc ſupponatur, hoc ipſo ſupponitur, poſſe approbari ab operante per prudentem aſſenſum. Hoc autem ſuppoſito, non remanet difficultas in eo, quòd illam poſſit in praxim deducere; nam, ex ſuppoſitione, quòd quis prudenter judicet, non extare legem prohibentem aliquem contractum, licitè poteſt illum facere. Quare in præſenti ſolùm debet ſupponi, ſententiam minùs tutam eſſe abſolutè probabilem, quia defenditur à viris probis & ſapientibus poſt maturam rei diſcuſſionem, & communiter cenſetur probabilis, licèt vulgò habeatur pro minùs probabili. Et hoc ſuppoſito inquiritur, an illam opinionem liceat mihi ſequi, quamvis mihi repræſentetur ut minùs veriſimilis. Ac in hoc ſenſu nos conſtanter negamus.

§. IV.

Confirmatur expoſitio & doctrina hucuſque tradita, authoritate Venerabilis Patris Ludovici à Ponte.

24. IDem docet inſignis ille Doctor Myſticus, atque magnus vitæ ſpiritualis Magiſter V. P. Ludovicus à Ponte, non minùs ſingulari vitæ probitate, quàm doctrinâ illuſtris. Nam tomo 4. Perfectionis Chriſtianæ tract. 6. agens de perfectione in officiis & miniſteriis literas profitentium, ac nominatim Magiſtrorum cap. 6. in quo agit de humilitate in re literaria, ejuſque actibus, enumeratis aliis actibus n. 7. inquit. *Septimus actus eſt, ita probabiles ſuas opiniones ſequi, ut non contemnat ſequentes contrarias; neque eos damnet tanquam ignorantes, aut temerarios; ſed permittat unumquemque ſuum ſequi judicium ac ſenſum, etiamſi proprio ipſius adverſum in rebus, quæ non ſunt apertè ac certò con-*

tra

Digitized by Google

tra fidem, aut bonos mores. In hoc enim ſenſu dixit Apoſtolus: Qui manducat, non manducantem non ſpernat; & qui non manducat, manducantem non judicet: ſed unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet; ita tamen, ut alteri non noceat. Voluit enim Apoſtolus dicere, ut explicat S. Thomas: Qui exiſtimat licitum eſſe manducare de omnibus cibis in antiqua lege prohibitis, eò quod illa jam ceſſaverit; ſequatur ſuum judicium & opinionem; nec tamen contemnat, aut condemnet alterum aliter ſentientem. Qui autem aſſerit non eſſe comedendos tales cibos, ne debiles ſcandalizentur, non condemnet alterum, nec eum judicet ignorantem, aut incautum. Eſt enim ſuperbia temeraria, ita pertinaciter ſuæ adhærere opinioni, ut condemnet non ſequentes eam. Nam quod uni verum videtur, alteri videtur falſum, propter aliam rationem æquè probabilem, atq; eſt ipſius. Ac proinde non debet alium contemnere, ſicut nec ipſe contemni vellet; ſed ſinat eum ſequi ſuum ſenſum: dum non conſtat certò eſſe falſum. Et hac ratione etiam cum diverſitate judiciorum conſervari poteſt, ut jam diximus, unio voluntatum, & pax, quæ fructus eſt charitatis, & amicitiæ Chriſtianæ. Hactenus Venerabilis Author; qui ut conſtat, ibi ſermonem habet de opinione probabili exiſtente in mente operantis, & conceptâ ob rationem, quæ majus momentum habuit apud illum; propter quam non debet contemnere aliter ſentientes, qui oppoſitum judicant ob rationes, quæ illis apparuerunt majoris momenti, & in ſe ſunt forſan abſolutè æqualis ponderis.

§. V.

Infertur ex dictis, Probabiliſtas modernos in hac controverſia de uſu licito opinionis minùs probabilis, tranſitum feciſſe ab uno ſenſu, in quo eſt vera, ad alium diverſum, in quo eſt falſa.

25. UNde poſt longam obſervationem Doctorum, ſuſpicor, Probabiliſtas modernos tranſitum feciſſe ab uno ſenſu hujus controverſiæ, (in quo verum cenſeo, licitum eſſe ſequi opinionem minùs tutam & minùs probabilem) ad alium longè diverſum, in quo id falſum mihi apparet. Qui dicit opinionem, dicit aſſenſum determinatum unius partis, cum aliqua tamen formidine: qui dicit opinionem probabilem, dicit aſſenſum prudentem exhibitum poſt maturam diſcuſſionem controverſiæ: *dicit aſſenſum innixum rationibus gravibus, ex quibus vir conſideratus in negotiis magni momenti concludere ſolet, poſt argumenta contraria conſiderata & ſoluta*; ut opinionem probabilem definit P. Ludovicus de Scildere in ſuo opere de Principiis conſcientię formandæ tract. 2. cap. 2. §. 1. dicit, *judicium abſolutum de aliquo objecto, ſed incertum; nixum motivo prudenti, cui homo irreprehenſibiliter aſſenſum præbet*: ut definit P. Antonius Terillus Tomo de probabilitate qu. 2. num. 41. Qui enim præcipitanter, & re non diligenter diſcuſsâ, vel paſſione obcæcatus judicat, aliquem contractum eſſe licitum, non habet opinionem probabilem; ſed iudicium temerarium de honeſtate actûs. Jam verò, ſi ego prudenter iudico, aliquem contractum eſſe licitum, & meum iudicium de honeſtate actûs eſt opinio verè probabilis, mihi veriſſimum eſt, me poſſe licitè illum contractum exercere; quia unicuique licitum eſt facere illud, quod poſt maturam & diligentem rei diſcuſſionem irreprehenſibiliter iudicat omnibus eſſe licitum.

26. Quare quamvis opinio affirmans illum contractum eſſe licitum, ſit abſolutè & in communi æſtimatione minùs probabilis; ſi tamen ſit certò probabilis, & à me innocenter iudicetur vera, quia fundamenta illius præponderant apud me fundamentis ſententiæ oppoſitæ; licitè potero ſecundùm illam operari: numquam tamen potero pervenire ad illum ſtatum iudicandi prudenter, illum contractum eſſe licitum; niſi fundamenta opinionis benignæ ritè à me conſiderata vehementiùs me impellant ad aſſenſum, quàm fundamenta ſententiæ contrariæ. Vt enim rectè infert P. Scildere, ubi ſupra

pag. 68. ex definitione opinionis probabilis; *Quando pro utraque parte rationes occurrunt, neque rationes unius partis longè ſuperant alias, opinio formata non eſt probabilis: nam rationes pro utraque parte allatæ ſi ſint æquales, aut ferè æquales, elidunt vim mutuam; ut nullus conſideratus vir ob alterutras ſit formaturus aſſenſum, ex eoque proceſſurus ad praxim. Sic nullus vir conſideratus judicabit, ſe facturum eſſe ex aliqua negotiatione lucrum, quando totidem rationes ſunt contra ſpem lucri, quot pro illa ſunt.* Quare numquam iudicium à me formatum de aliqua re, eſt reverâ prudens, & conſtituens opinionem verè probabilem, niſi fundamenta illius antecedenter ad imperium voluntatis præponderent in meo intellectu fundamentis oppoſitæ ſententiæ.

27. Ex hoc autem principio, quòd unicuique licitum ſit ſequi opinionem minùs tutam, ſi ſit verè probabilis, & ſit opinio ipſius operantis; tranſitum fecerunt Probabiliſtæ ad opinionem minùs tutam alienam, exiſtentem in mente ſuorum Doctorum; qui tranſitus eſt fallax. Nam unaquæque eſt opinio in mente ſuorum Authorum; neutra autem eſt opinio ſimul cum alia in eodem intellectu; quia idem intellectus nequit ſimul opinari contractum eſſe, & non eſſe licitum: ac proinde opinio affirmans ſolùm eſt opinio in mente Theologorum affirmantium, non autem in intellectu Theologorum negantium contractum eſſe licitum: ex adverſo, opinio negans ſolùm eſt opinio in intellectu Theologorum negantium; non autem in intellectu Theologorum affirmantium. Quare quamvis ego ſciam, dari opinionem certò probabilem, affirmantem aliquem contractum eſſe licitum; adhuc illa non eſt opinio mea; & cohæret me ſcire, quòd detur talis opinio; & quòd iudicem illam eſſe falſam: quia eius fundamenta mihi apparent minùs veriſimilia, quàm fundamenta ſententiæ contrariæ. Unde ex eo, quòd unicuique liceat ſequi propriam ſententiam probabilem; nõ ſequitur, quòd liceat ſequi ſententiam probabilem alienam: quia propriam ſententiam non poſſum ego iudicare eſſe falſam, neque eius fundamentum reputare leve & frivolum. Nemo enim prudenter aſſentitur alicui veritati propter fundamentum, quod reputat leve; neque poteſt ſimul aſſentiri obiecto ut vero, & ſimul iudicare hũc ſuum aſſenſum eſſe falſum.

28. At optimè hęc duo cohærent, opinionem alienam eſſe reverâ certò probabilem, & à me reputari falſam, & eius fundamentum mihi apparere leve: quia licet illud fundamentum fuerit grave & prudens apud illos Authores, qui ab illo moti ſunt ad defendendum illam opinionem; eò quod apud eos præponderaverit fundamento ſententiæ contrariæ: non tamen eſt grave & prudens apud me, qui iudico illam opinionem eſſe falſam; quia hoc ipſo apud me illud fundamentum eſt minoris ponderis, quàm oppoſitum, & poteſt mihi repræſentari ut leve. Quare illa opinio non eſt probabilis mihi, licet certò ſciam eſſe abſolutè probabilem, quatenus certò ſcio propugnari à viris probis & ſapientibus poſt maturam & diligentem rei diſcuſſionem; & ab illis reputatam fuiſſe veram citra ullam culpam; & poſtea non inventam fuiſſe claram demonſtrationem, quæ illam falſitatis convicerit apud omnes, vel ſaltem apud pleroſque ſapientes; vel definitionem Pontificis, quæ illam damnaverit. Hoc autem eſt opinionem aliquam eſſe certò probabilem. Nam Probabiliſtarum exactiſſimus P. Antonius Terillus Tomo de probabilitate qu. 5. aſſert. 12. hanc firmam regulam ſtatuit. *Quod à pluribus Authoribus doctis & piis poſt diligentem totius quæſtionis enodationem judicatur probabile, eo ipſo eſt certò probabile: & à fortiori eſt certò probabile illud, quod à Viris doctis & probis poſt diligentem quæſtionis diſcuſſionem innocenter, & abſque paſſione defenditur ut verum.* Stat autem, me certò iudicare aliquam opinionem propugnatam fuiſſe ut veram innocenter & abſque paſſione à Viris probis & ſapientibus, poſt diligentem quæſtionis diſcuſſionem; & tamen quod illam opinionem iudicem falſam, imò quòd eius fun-

fundamenta reputem levia propter rationes novas ab illis Viris ſapientibus non excogitatas, quæ à poſterioribus Theologis adinventæ ſunt. Ergò ſtat, opinionem aliquam eſſe certò probabilem, & non eſſe probabilem mihi. Ergo ex eo, quòd opinio aliena ſit abſolutè probabilis, non ſequitur, quòd ego poſſim ſecundùm illam operari, niſi fundamenta illius in meo intellectu habeant eundem ſtatum, quem habuerunt in mente ſuorum Authorum. Nam cum abſoluta probabilitate illius componitur, quòd illius fundamenta mihi videantur fallacia & levia. At ex eo, quòd opinio propria ſit verè probabilis, legitimè infertur, me poſſe ſecundùm illam operari: quia qui prudenter poſt maturam & diligentem quæſtionis diſcuſſionem, ex fundamento gravi ſimpliciter, & abſolutè præeminenti fundamento partis oppoſitæ, & in mente ſua ſenſibiliter illud excedenti, iudicat aliquem contractum eſſe ſecundùm ſe licitum, bene poteſt hinc haurire dictamen conſcientiæ certum, quòd ſibi hic & nunc liceat illum exercere.

29. Hinc infertur, eſſe inefficax illud commune fundamentum Probabiliſtarum, quo contendunt, me poſſe licitè ſequi ſententiam minùs tutam, & minùs probabilem in occurſu probabilioris & tutioris, ſi intelligatur de minùs probabili reſpectivè ad operantem. Fundamentum eſt hoc: Quia opinio minùs probabilis, inquiunt, eſt abſolutè probabilis: ergo habet fundamentum grave & prudens: ergo quicumque operetur ſecundùm illam, operabitur prudenter: ergo non peccabit. Eſſe fallax hoc fundamentum, ſuadetur; Siquidem opinio non dicitur probabilis, neque eius fundamentum dicitur grave & prudens, eo quòd ſit grave & prudens reſpectu omnium: ſic enim opinio aliquorum Doctorum non eſſet abſolutè probabilis, ſi eius fundamenta apparerent levia & frivola alicui Doctori. Unde manerent improbabiles omnes opiniones Caietani & Suarii, quarum fundamenta ſæpè appellantur levia & frivola à P. Vazquez, quod eſt apertè falſum. Opinio ergo dicitur abſolutè probabilis per ordinem ad aliquos Viros probos & ſapientes, qui poſt diligentem quæſtionis diſcuſſionem illam defenderunt ut veram: nam reſpectu eorum fundamentum talis opinionis fuit grave & prudens. Hinc autem ſolùm ſequitur, quòd operari potuerint ſecundùm illam illi Doctores; & quòd ſimiliter poſſint operari ſecundùm illam omnes illi, in quorum intellectu habuerit eundem ſtatum; ideſt, omnes illi, quibus fundamenta illius opinionis præponderant fundamentis oppoſitę; & qui idcircò illam iudicant veram, ſicut iudicârunt ſui Authores. Inde autem non ſequitur, quòd poſſim ego operari ſecundùm illam, ſi eius fundamenta mihi appareant levia, & fundamenta contraria apud me præponderent. Nec enim valet argumentum à ſingulari ad univerſale, dicendo, fundamentum hoc eſſe grave & prudens reſpectu omnium quia eſt grave & prudens reſpectu aliquorum: & perinde ſe haberet, ac ſi quis contenderet, fundamentũ alicuius opinionis debere in intellectu omnium hominum præponderare fundamentis oppoſitæ, eo quòd præponderaverit in intellectu illorum Doctorum, qui illam ſententiam primò tractarunt, & ut veram amplexi ſunt.

30. Si autem opinio minùs probabilis ſumatur abſolutè, & in communi æſtimatione, & quia pauciores habet patronos: ſic mihi erit licitum ſequi opinionem minùs tutam & minùs probabilem, ſi ſit abſolutè certò probabilis; & aliunde eius fundamenta mihi veritatẽ diligenter inquirenti, citra omnem culpam appareant ſenſibiliter urgentiora: tunc enim prudenter iudicare potero, talem contractum v. g. eſſe abſolutè & ſecundùm ſe licitum: & reflectens ſupra meum aſſenſum, & videns hoc ipſum ſentire viros probos & ſapientes magnæ authoritatis, ſecurus ero, meum iudiciũ non eſſe temerarium, ſed prudens; & potero ex illo operari. Et in hoc ſenſu exiſtimo loqui plurimos Authores huius ſæculi, ac in illo veram cenſeo Probabiliſtarum opinionem.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO TERTIA.

Præcipuè intenta ad cohibendum opinionum probabilium abuſum: in qua oſtenditur, nemini licitum eſſe ſequi ſententiam minùs tutam in occurſu tutioris, quando hæc tum ab authoritate, tum à ratione apparet operanti ut manifeſtè probabilior, ſeu veriſimilior.

CAPUT PRIMUM.

Explicantur termini Quæſtionis & ſtatus controverſiæ.

1. INTER opiniones contrarias illa dicitur tutior, in quâ ad praxim deducendâ nullum eſt peccati periculum; quia nimirum, qui illam ſequitur, nequit in eo peccare: ut, ſi ſunt opiniones contrariæ de reſtitutione facienda, ea quæ dicit reſtituendum aliquid eſſe, eſt tutior, quia in reſtitutione facienda nequit eſſe peccatum: contraria verò minùs tuta, quia in non facienda reſtitutione poteſt eſſe peccatum.

2. Vnde quoties diſputatur, an aliquid liceat, vel non liceat, ſit, vel non ſit prohibitum, opinio ſtans pro præcepto, & affirmans rem eſſe illicitam, eſt tutior: opinio verò contraria favens libertati dicitur minùs tuta. Poteſt autem opinio tutior eſſe ſimul probabilior, quia nimirum validioribus nititur fundamentis: eſſe autem probabiliorem duplici ex capite contingere poteſt; & quia habet pro ſe urgentiores rationes, & quia habet pro ſe maius authoritatis pondus, vel quia plures Doctores, vel ſaltem quia ſapientiores illam tuentur. Caſus ergo noſtræ diſputationis procedit, quando opinio tutior eſt ſimul probabilior à ratione, & ab authoritate, & talis apparet operanti, ita ut ipſi manifeſtus ſit iſte exceſſus: quia clarè experitur ſe vehementiùs impelli ad aſſenſum per motiva, & fundamenta illius opinionis, quàm per fundamenta contrariæ; & ſimul cognoſcit plures, & graviores Doctores pro illa ſtare. Ponamus caſum. Viginti Doctores ex gravioribus affirmant aliquem contractum eſſe peccaminoſum, idque probant gravibus fundamentis: decem vel duodecim ſufficientis notæ Doctores, & verè graves affirmant eſſe licitum. Expendo ego utriuſque partis fundamenta; & fundamenta ſententiæ rigidæ, atque tutioris mihi apparent magis veriſimilia, quam fundamenta ſententiæ benignæ, & minùs tutæ, iſteque exceſſus eſt mihi manifeſtus. Inquiritur ergo, an in eo eventu poſſim ego tutâ conſcientiâ in praxim deducere opinionem, quæ benigna eſt, & favet libertati, & propterea dicitur minùs tuta.

3. His ſuppoſitis, dicimus partem negativam eſſe tenendam; ac proinde tamquam principium maximè neceſſarium ad cohibendum probabilium abuſum, ſtatuimus ſequentem propoſitionem. *Nemini licet in praxi ſequi opinionem minùs tutam faventem libertati adversùs legem, ſeu affirmantem aliquid eſſe lici-*

Digitized by Google

licitum, ſi in opinione contrariâ id ipſum negante agnoſcat majus evidenter fundamentum; præſertim ſi illud ſit authoritatis & rationis ſimul.

4. In hac concluſione conveniunt ferè omnes Doctores claſſici tàm antiqui, quàm moderni: de antiquis, qui univerſaliter negant uſum licitum opinionis minùs tutæ in occurſu tutioris, & probabilioris, res eſt manifeſta. De modernis verò, qui à fine præcedentis ſæculi communiter docuerunt, licitum eſſe ſequi opinionem probabilem minùs tutam prætermiſsâ tutiore, & probabiliore, id oſtenditur. Nam ut teſtatur P. Martinus de Eſparza in Appendice ad quæſtionem de uſu licito opinionis probabilis art. 156. Doctores benigni huius ſæculi, affirmantes licitum eſſe ſequi opinionem probabilem minùs tutam in occurſu probabilioris & tutioris, loquuntur, quando exceſſus probabilitatis non eſt manifeſtus & evidens, ſed dubius, eò quod non ſit magnus, ſed exiguus; ac proinde loquuntur de opinione probabili minùs tutâ, quæ ſit fermè æqualis probabilitatis cum tutiore. Quæ expoſitio licet rectè accomodetur gravioribus Doctoribus benignis, non tamen omnibus. Non deeſt enim Author modernus ex benignis, qui ſic expreſsè aſſeruerit: *etiam quando una pars repræſentatur intellectui, ut evidenter probabilior, poteſt voluntas flectere intellectum ad aſſenſum partis minùs probabilis.* Qui poſtmodum affirmat, *hunc aſſenſum non fore temerarium, ſed prudentem.* Deinde Caramuel, & pauciſſimi alii ipſum ſecuti, eò laxitatis devenêre, ut dixerint, omnem opinionem probabilem ſufficere ad ſecuritatem conſcientiæ, etiamſi ſit in infimo probabilitatis gradu, dummodo à probabilitatis finibus non exeat, & conſtabit cap. 2. huius Diſſertationis §. 1. ubi ipſorum verba adducimus.

5. Negari non poteſt has eſſe pernicioſas laxitates, à quibus longè eſt communis ſenſus Doctorum, qui in hoc ſæculo dixerunt, licitum eſſe ſequi opinionem minùs probabilem & minùs tutam: cui tamen doctrinæ aliquam anſam dederunt. Cùm enim docuerint, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs tutam, etiamſi ipſi operanti appareat minùs probabilis, ſeu minùs veriſimilis, & non determinaverint gradum minoris probabilitatis, infra quem non liceat deſcendere; anſam dederunt Authoribus nuper relatis aſſerendi, licitum eſſe ſequi opinionem minùs probabilem, etiam deſcendendo ad infimum gradum probabilitatis.

6. His pernicioſis laxitatibus conſtanter ſe oppoſuerunt poſteriores ſententiæ benignæ aſſertores, dum ad probabilitatem opinionis requirunt, ut nitatur fundamento, quod non ſolùm ſecundùm ſe, & ſeorſim inſpectum ſit magnum & grave, ſed quod etiam comparatum cum fundamento ſententiæ oppoſitæ, retineat magnitudinem & gravitatem, ſeu vim magnam impellendi ad aſſenſum: ut patebit legenti Patrem Martinum de Eſparza; qui quamvis acriter contendat, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem & minùs tutam, nihilominus ut quid indubitatum defendit, id non eſſe licitum, quando exceſſus probabilitatis eſt manifeſtus, & evidens ex parte ſententiæ tutioris: *Fieri enim non poteſt* (inquit ipſe in Appendice De uſu licito opinionis probabilis art. 112.) *ut opiniones invicem contradicentes maneant ambæ probabiles apud eum, cui eſt evidens, ac manifeſtum, & indubitabile, alteram opinionem niti motivo abſolutè & ſimpliciter, omnibuſque hinc inde conſideratis majori: quia ad probabilitatem opinionis requiritur, ut nitatur opinio fundamento, & abſolutè, & comparativè magno, id eſt, fundamento, quod non ſolùm ſeorſim & ſecundùm ſe ſit difficilè ſolubile, & validè pertrahat ad aſſenſum, ſed quod comparativè etiam cum fundamento oppoſitæ partis, retineat etiam vim magnam pertrahendi ad aſſenſum. Quando autem fundamentum unius partis evidenter & manifeſtè, atque indubitanter eſt majus, quàm fundamentum oppoſitæ partis, eo ipſo fundamentum iſtud minus, evadit parvum ſub ea comparatione, nec retinet ampliùs vim magnam pertrahendi ad aſſenſum.* Quare hic Author dicit, ſolùm eſſe licitum uſum opinionis minùs

probabilis & minùs tutæ, quando exceſſus probabilitatis ex alia parte non eſt manifeſtus & evidens, ſed dubius; ſeu quando plùs minùſve opiniones illæ ſunt equalis probabilitatis, quia utraque apparet operanti, ut habens grave & magnum fundamentum. Et art. 156. ait: *Nihil aliud intendere reipsâ patronos usûs liciti opinionis minùs probabilis & minùs tutæ: ut facilè* (inquit) *conjiciet quiſquis fundamenta eorum, & contextum totius doctrinæ attentè & ſincerè conſideraverit.*

7. Idque ipſum ſupponit P. Terillus quæſt. 10. aſſert. 1. ubi ait: *Ut opinio ſit probabilis in comparatione probabilioris, debet niti motivo tam validè alliciente intellectum ad aſſenſum ſui, ut verè & meritò cenſeatur motivum magnum, & aptum ad movendum virum prudentem, etiam quando totum oppoſitum motivum illi repræſentatur.* Idque fuſiùs docet in tomo De Regula Morum quæſt. 1. à numer. 7. Item P. Joannes de Cardenas in ſua Criſi Theologica tom. 1. diſput. 10. nu. 150. inde enim probat, licitum eſſe ſequi opinionem minùs probabilem & minùs tutam relictâ probabiliore & tutiore; quia opinio minùs tuta in occurſu magis tutæ & magis probabilis, adhuc nititur fundamento prudenti & magno, quia adhuc eſt probabilis; & de conceptu opinionis probabilis eſt, quòd nitatur fundamento gravi & prudenti. Hoc ipſum latè & nervosè probat P. Andreas Junius noſtræ Societatis inſignis Theologus, & in Provincia Toletana olim Primarius Profeſſor. Nam in tomo De Conſcientia, quem prælo paratum reliquit in Collegio Imperiali Matritenſi, ubi obiit anno 1679. ſect. 1. cap. 5. & 6. & ſect. 3. cap. 16. ad probabilitatem opinionis requirit, quòd nitatur motivo moraliter ſaltem æquali, motivo partis oppoſitæ: unde docet, non eſſe probabilem alicui opinionem, quæ illi apparet ſimpliciter minùs veriſimilis, quàm ſententia oppoſita.

8. Itaque Authores aſſerentes licitum eſſe ſequi omnem opinionem practicè probabilem, etiam relictâ probabiliore & tutiore, ſupponunt opinionem minùs tutam manere probabilem in conſortio alterius magis probabilis & tutioris. Et ratione idipſum evincitur; quia ſtat, aliquod fundamentum ſecundùm ſe & ſeorſim ſumptum eſſe magnum, & validè pertrahere ad aſſenſum; & tamen non eſſe magnum, nec validè pertrahere ad aſſenſum, quando concurrit cum fundamento contrario, quod evidenter apparet majus, & fortiùs, atque validiùs trahit ad aſſenſum oppoſiti: multa enim ſunt magna abſolutè, quę parva ſunt comparativè ad alia multò majora. Sic homo juſtæ ſtaturæ magnus abſolutè eſt, parvus tamen eſt, ſi comparetur cum gigante. Sic numerus prædeſtinatorum eſt abſolutè in ſe inſpectus, verè magnus; & ideò Joannes in Apocalypſi multitudinem prædeſtinatorum appellat *turbam innumerabilem*: at comparatus cum numero reproborum, parvus eſt; & ideò Chriſtus veriſſimè dixit: *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*. Ergo non ſufficit aliquam opinionem abſolutè ſumptam eſse probabilem, ut dicatur, & verè ſit probabilis in occurſu alterius longè veriſimilioris. Quare ſicut ad opinionem probabilem requiritur, ut nitatur fundamento magno, & graviter pertrahente ad aſsenſum; ita ad opinionem probabilem in occurſu oppoſitæ, requiritur, ut etiam in occurſu oppoſitæ, ejus fundamenta ſint verè magna, & validè pertrahentia ad aſsenſum. Cùm ergo hoc non habeat opinio minùs tuta, quando operanti apparet oppoſita ut manifeſtè veriſimilior, conſequens eſt, ut tunc non maneat verè probabilis practicè. Ergo cùm Doctores hujus ſæculi, affirmantes, licitum eſse ſequi omnem opinionem practicè probabilem, etiam relictâ probabiliore & tutiore, ſupponant, omnem opinionem minùs tutam debere manere probabilem in occurſu tutioris, patet illos non poſse citari pro parte affirmativa in caſu noſtræ quæſtionis.

9. His poſitis aſserimus, numquam eſse licitum ſequi opinionem minùs tutam in occurſu tutioris, quando opinio tutior repræſentatur operanti ut manifeſtè veriſimilior, id eſt, quando fundamenta tutioris manifeſtè ſunt veriſimi-

Digitized by Google

riſimiliora, id eſt, quando manifeſtè & evidenter ſunt fortiora & validiora, quamvis non ſint evidentia & demonſtrativè concludentia.

10. Hanc concluſionem ſi efficaciter probaverimus, præcidemus radicem quamdam laxitatum pernicioſarum in materia morali, quæ meo judicio inde ortum duxit, quòd moderni aliqui Probabiliſtæ videntur ſtabilire ut principium, quamcumque opinionem faventem libertati, hoc ipſo, quòd ſecundùm ſe probabilis ſit, eò quòd defendatur à viris doctis, poſse eſse regulam morum etiam in occurſu opinionis tutioris manifeſtè probabilioris. Dum enim contra illam non producitur evidens demonſtratio, aut Eccleſiæ definitio, putant in omni occurſu rerum poſse licitè ad praxim deduci. Quod eorum principium, niſi radicitus convellatur, numquam poterit Theologia moralis à pernicioſis laxitatibus liberari. Et ideò latè à nobis hæc aſsertio comprobanda eſt. Quandoquidem autem deciſio hujus quæſtionis multùm dependet à deciſione illius quæſtionis metaphyſicæ, An intellectus noſter poſſit ex duabus contradictoriis ſibi propoſitis aſsentire illi, quæ ipſi repræſentatur ut minùs veriſimilis, ideò ut fundamentum ad reliqua, hoc examinandum priùs eſt.

CAPUT II.

Statuitur ut fundamentum ad dicenda: non poſſe intellectum aſſentire illi parti contradictionis, quæ ipſi apparet minùs veriſimilis, quàm ejus contradictoria, ſeu quæ magis ipſi apparet falſa, quàm vera.

11. HAnc concluſionem ut rem mihi exploratam tradidi Salmanticæ an. 1662. in tractatu de Pœnitentia diſput. 8. ſect. 2. & anno 1663. in tractatu de Incarnatione. Eamque ex noſtris tuetur in primis Eximius Doctor P. Franciſcus Suarez 1. 2. tract. de Actibus Humanis diſput. 10. ſect. 1. ubi hæc habet: *Nunc autem dico, voluntatem non poſſe movere intellectum niſi ſub ratione veri, &c. Quãdo autem eſt tale medium, quod non infert neceſſitatem... tunc poteſt voluntas movere ad aſſenſum; & mihi probabile eſt, non poſſe movere niſi in illud, quod probabilius & veriſimilius apparet; quamvis affectio voluntatis plurimùm conferre poſſit, ut ipſum objectum probabilius & veriſimilius appareat.* Eum ſecuti ſunt P. Leſſius in tomo poſthumo de Actibus Humanis quæſt. 17. art. 16. Cardinalis Pallavicinus tom. de Actibus Humanis diſput. 8. quæſt. 6. art. 4. & lib. 3. de Fide cap. 6. num. 112. Layman tract. 1. de Conſcientia cap. 5. §. 2. num. 2. Breſserus de Conſcientia lib. 3. cap. 2. P. Antonius Perez diſput. 4. de Juſt. & Jure cap. 5. P. Arriaga 1. 2. tom. 2. diſput. 24. num. 30. Paulus Comitolus lib. 5. Reſponſ. Moral. quæſt. 16. & Candidus Philalethus quæſt. 2. de Opinionum Praxi, allegans pro hac ſententia Ariſtotelem, ejuſque Commentatores, Averroëm, Simplicium, Philoponum, Themiſtium, & D. Thomam. Item Joannem Majorem in 4. quæſt. 2. prologi, Richardum in 2. diſt. 38. art. 2. quæſt. 4. Henricum quodlib. 14. quæſt. 8. Olcoth. 1. ſent. quæſt. 1. Conradum de Contract. quæſt. 10. Cordubam lib. 2. Quæſtionarii quæſt. 3. & Cardinalem Toletum. Stat etiam pro hac ſententia P. Vazquez 1. 2. diſput. 43. cap. 2. Eamdem denique tuetur Magnus ille vitæ ſpiritualis Magiſter, & Theologiæ myſticæ profundiſſimus Doctor, vitæ probitate & ſapientiâ clariſſimus Venerabilis Pater Ludovicus à Ponte, in Manuſcriptis Scholaſticis, quæ aſservantur in Bibliotheca noſtri Collegii Valliſoletani Divi Ambroſii, ad quæſt. 18. D. Thomæ 1. 2. in materia de conſciéntia, dub. 5. §. *Ultimo, ad hominem*. ubi hæc habet: *Non eſt in poteſtate hominis deponere opinionem, quam certò ſcit eſſe probabiliorem; quia intellectus neceſſitatur quoad ſpecificationem aſſentiri probabilioribus.* Et ibidem dub. 4. in quo inquirit, *utrum conſcientia opinativa obliget*; hanc ſtatuit concluſionem: *Nullus poteſt ſpeculativè aſſentire opinioni, quam videt minùs probabilem.* Vnde Auguſtinus in Enchirid. cap. 17. ajebat: *Uſque adeò ratio refugit*

 fal-

Digitized by Google

falſitatem, & quantùm poteſt devitat errorem, ut falli nolint etiam quicumque amant fallere. Ex Thomiſtis modernis eam latè defendit Julius Mercorus in Baſi fundamentali Theologiæ Moralis part. 2. art. 4. eam variis teſtimoniis Sancti Thomæ comprobans, & Ariſtotelis, & dicens eſse communiorem inter Thomiſtas. Mercorum ſequuntur F. Jo:Bapt. Gonet,& Vincentius Baronius, & alii recentiores. Item Homen de Conſcientia Probabili §. 2.

12. Probatur autem noſtra concluſio; quia cùm noſter intellectus in ſuis aſsenſibus tendat ſub ratione veri, impoſſibile eſt, ut ex duobus contradictoriis ſibi propoſitis,illi aſsenſum prębeat, quod ſibi ut minùs veriſimile repræſentatur; præſertim ubi exceſsus eſt manifeſtus & evidens. Implicat enim, ut dum majorem veriſimilitudinem experitur in uno extremo, eamque reflexè evidenter agnoſcit, quatenus videt ſe vehementiùs impelli à rationibus ſuadentibus veritatem illius extremi, quàm à rationibus oppoſitis: implicat, inquam, quòd nihilominùs tum judicet illud extremum eſse falſum; & extremum oppoſitum, quod ſibi ut manifeſtè minùs veriſimile proponitur, eſse verum. Id autem præſtaret, ſi tunc aſsenſum præberet huic extremo minùs veriſimili: nam aſsenſum præſtare alicui extremo contradictionis,eſt illud cenſere verum, & oppoſitum cenſere falſum, ut patet ex terminis. Ergo, &c. Aſsumptum probatur primò: quia, ut doctè admonet Cardinalis Pallavicinus; *Nemo in ſe experitur hunc actum: Ego credo hoc, ſed video contrarium eſſe probalius & veriſimilius.* Secundò: quia qui experimentaliter cognoſcit,ſive exercitè,ſive ſignatè, unum extremum eſse manifeſtè veriſimilius ſuo contradictorio, implicat, ut ex hac ſuppoſitione judicet illud extremum eſse falſum (iudicaret autem eſse falſum, ſi ex illa ſuppoſitione aſsenſum præberet extremo contradictorio ſibi minùs veriſimili, ut patet) ſicut qui iudicat colorem A. eſse ſimiliorem albo, quàm nigro, implicat, ut in ſenſu compoſito iſtius iudicii pro poſteriore iudicet colorem A. eſse nigrum: ſunt enim oppoſita hæc iudicia virtualiter: *Color A. eſt ſimilior albo, quàm nigro: Color A. non eſt albus, ſed niger.* Eamdem autem oppoſitionem habent hæc alia duo: *Extremum A. eſt manifeſtè ſimilius vero, quàm falſo: Extremum A. non eſt verum, ſed falſum.*

13. Confirmatur: quia ubi unum extremum contradictionis proponitur ut manifeſtè veriſimilius ſuo contradictorio, intellectus exercitè cognoſcit evidenter illum exceſsum; quia manifeſtè experitur, ſe vehementiùs impelli à rationibus ſuadentibus illud extremum, quàm à rationibus ſuadentibus oppoſitum. Poteſt ergo reflectere ſupra ſuam cognitionem experimentalem, & ſignatè ſic affirmare: *Extremum A. mihi videtur manifeſtè veriſimilius, quàm extremum B. ipſi oppoſitum.* Implicat autem, ut in ſenſu compoſito hujus judicii poſſit nihilominus amplecti ut verum, extremum B. & rejicere ut falſum extremum A. Nam hic actus contradictionem involvit: *Quamvis cenſeam extremum A. eſſe manifeſtè veriſimilius extremo B. nihilominus cenſeo extremum A. eſſe falſum, & extremum B. eſſe verum.* Ergo non poteſt intellectus aſſentiri illi parti contradictionis, quæ ipſi proponitur ut minùs veriſimilis, quàm ipſius contradictoria: nam quæ proponitur ut minùs veriſimilis, hoc ipſo proponitur ut magis falſiſimilis, ſeu ut magis expoſita falſitati, quàm veritati: implicat autem, ut intellectus judicet abſolutè veram eam partem, quam in eodem inſtanti judicavit magis ſimilem falſo, quàm vero.

14. Confirmatur ſecundò: nam qui aliquid affirmat, credit ſe verum dicere, ſi id mente, & non ore tantùm affirmet; & credit falſum dicere eos, qui id negant: ergo credit, ſe majori fundamento niti, quàm negantes. Ergo implicat, ut ſimul credat veriſimilius eſſe oppoſitum; prorſus enim eſt impoſſibilis hic actus: *Ego quidem cenſeo contractum A. eſſe uſurarium, & falli Authores id negantes; nihilominus fateor fundamenta illorum eſſe urgentiora & veriſimiliora.* Stultuſque meritò haberetur, qui ità aſſe-

Digitized by Google

aſſereret: *Sententia affirmans contractum A. eſſe uſurarium, vera eſt; proindeque abſolutè ego judico illum contractum eſſe illicitum: nihilominus ſententia contraria habet meliora fundamenta.* Ergo numquam intellectus aſſentiri poteſt alicui parti contradictionis, eamque ut veram amplecti, quin ipſi repræſentetur, ut magis veriſimilis, quàm contradictoria.

15. Reſpondebis ex Terillo quæſt. 8. de Conſcientia num. 25. eum, qui affirmat aliquid eſſe verum, hoc ipſo ex ſuppoſitione hujus aſſensûs judicare, illud objectum eſſe veriſimilius oppoſito, quod judicat eſſe falſum; quia affectus voluntatis imperantis illum aſſenſum, & aſſenſus ipſe ſicut faciunt, ut illud objectum appareat verum, & verum eſſe credatur, ita faciunt, ut appareat veriſimilius objecto oppoſito: cæterùm cum hoc componi, quòd antecedenter ad imperium, omnemque affectionem voluntatis pars oppoſita appareat magis veriſimilis. Itaque Terillus ait, intellectum noſtrum poſſe ex imperio voluntatis flecti ad præſtandum aſſenſum illi parti, quæ antecedenter ad omnem actum voluntatis ipſi repræſentabatur ut minùs veriſimilis, minùſque probabilis: ac proinde poſſe flecti ad amplectendam ut unicè veram eam partem, quæ antecedenter repræſentatur ut magis ſimilis falſo, quàm vero.

16. Sed contra primò: nam qui amplectitur partem hanc ut veram, & alteram rejicit ut falſam, id præſtat ex vi alicujus motivi, vi cuius paratus debet eſſe ad defendendam ſuam ſententiam, & reiiciendã oppoſitam: ergo motivum illud debet antecedenter ad aſſenſum repræſentari ei ut validius oppoſito, & veriſimilius: nam nemo defendens concluſionem ob aliquam rationem, eam putat eſſe validiorem oppoſitâ, eò quòd illi præſtitit aſſenſum; ſed quia illa ſecundùm ſe, & antecedenter ad aſſenſum ei apparet validior, & experitur ſe vehementiùs per illam inclinari, quàm per oppoſitam. Et interrogatus, cur amplectatur ut veram illam ſententiam potiùs, quàm oppoſitam? debet reddere rationem, quæ vim habeat ſuadendi independenter ab aſſenſu ipſo, & imperio eum inducente. Ergo qui amplectitur aliquam partem ut veram, & oppoſitam reiicit ut falſam, id præſtat quia antecedenter ad aſſenſum illa pars propoſita ei fuit ut veriſimilior oppoſitâ.

17. Contra ſecundò: nam ſi antecedenter ad omnem actum voluntatis, & antecedenter ad aſſenſum unius partis, repræſentatur mihi ut veriſimilius contractum A. eſſe peccaminoſum, idque intellectus meus experitur, & exercitè cognoſcit, vel etiam ſignatè, reflectendo ſupra maiorem probabilitatem illius partis; quantumvis accedat imperium voluntatis flectens intellectum ad iudicandum illum contractum non eſſe peccaminoſum, neceſsariò intellectus experitur in eo inſtanti maiorem probabilitatem in ſententia aſserente contractum A. eſse peccaminoſum, & iudicat maiorem probabilitatem eſse penes ſententiam illam: ergo implicat, ut in eodem inſtanti pro poſteriori iudicet ſententiam oppoſitam eſse magis veriſimilem, magiſve probabilem; quia in eodem inſtanti adhuc pro diverſis ſignis non poteſt iudicare de eadem ſententia eſse minùs veriſimilem, & non eſse minùs veriſimilem, ſeu eſse minùs veriſimilem, & eſse magis veriſimilem: ſicut de eadem ſententia nequit in eodem inſtanti pro diverſis ſignis iudicare, quòd ſit vera, & ſimul iudicare, quòd ſit falſa. Ergo quotieſcumque intellectus amplectitur aliquam ſententiam ut veram, & oppoſitam reiicit ut falſam, manifeſtum eſt, antecedenter ad aſsenſum repræſentatam ei fuiſse illam ſententiam ut magis veriſimilem, & oppoſitam ut minùs veriſimilem; ideò enim illam amplexus eſt ut veram, & oppoſitam reiecit ut falſam, quia antecedenter ad aſsenſum apparuit abſolutè magis veritas, quàm falſitas in illa ſententia, & in oppoſita apparuit magis falſitas, quàm veritas. Ergo eſt chimæra, quòd intellectus etiam ex imperio voluntatis amplectatur ut veram illam ſententiam, quæ antecedenter ei magis falſa, quàm vera apparebat, quatenus dabantur rationes validiores

Digitized by Google

ad ſuadendum eſſe falſam, quàm ad ſuadendum eſſe veram, eaſque manifeſtè intellectus experiebatur.

18. Contra tertiò: nam ſi intellectus poſſet ex imperio voluntatis flecti ad amplectendam ut veram eam ſententiam, quam ipſe exercitè & ſignatè iudicat eſſe minùs veriſimilem oppoſitâ, poſſet quis hunc actum habere: *Quamvis ego evidenter experiar majora, & validiora fundamenta ad judicandum contractum A. eſſe peccaminoſum, quàm ad judicandum oppoſitum; nihilominus cenſeo contractum illum non eſſe peccaminoſum, & hanc partem ut unicè veram amplector, & oppoſitam rejicio ut falſam.* Quis autem non videat eum actum omnino repugnare? ſicut repugnat iſte: *Quamvis ego videam hunc colorem eſſe magis ſimilem albo, quàm nigro, nihilominus judico eſſe nigrum, & non album.* Et quis non rideret Magiſtrum, qui defendens aliquam concluſionem ut veram, ita pronunciaret: *Ego quidem cenſeo hanc ſententiam eſſe veram, v. g. quod Deus cognoſcat futura libera in Decreto prædeterminandi cauſam ſecundam. Cæterùm nihilominus cenſeo fundamenta ſententiæ oppoſitæ, aſſerentis cognoſci independenter à Decreto, eſſe validiora & urgentiora: & ita mihi repræſentantur in actu primo.* Ridiculus haberetur qui ita pronunciaret, & non poſſet defendere ſuam ſententiam, & oppoſitam impugnare, niſi ore tenus, non autem ſeriò, & ex animo. Quis enim ex animo præferat alteri ſententiam, cuius fundamenta apud ipſum minoris ſunt momenti?

19. Fateor affectum & inclinationem voluntatis erga aliquam ſententiam multùm deſervire, ut eius fundamenta nobis urgentiora appareant; quia deſervit, ut quis intellectum applicet ad ponderanda fundamenta talis ſententiæ, & excogitandas novas rationes ad ipſius veritatem confirmandam & ad vividiùs & attentiùs expendendum quidquid in illius confirmationem facere poteſt: & contra, iſte affectus erga unam ſententiam animum avertit à contraria, & eſt in cauſa ut intellectus leviter tantùm & curſim eius fundamenta inſpiciat, & ne novas talis ſententiæ confirmationes quærat & inveniat. At poſtquam ſincerè & abſque paſſione rem meditanti, & fundamenta utriuſque ſententiæ expendenti apparent fundamenta alterius urgentiora, & validiora fundamentis oppoſitæ, impoſſibile eſt, ut in eo inſtanti illa ipſa fundamenta appareant minora propter aliquem actum voluntatis ſubſecutum pro poſteriori, vel propter aſſenſum ipſum. Nam actus voluntatis pro poſteriori conceptus ſupponit ſuâpte naturâ militare urgentiores rationes pro una ſententia, quàm pro alia, eaſque non poteſt extinguere, nec earum vim infringere. Unde ſi ille actus determinaret intellectum ad aſſentiendum parti minùs veriſimili, cogeret illum ad aſſentiendum propter rationes minùs validas, dum manifeſtè cognoſcit exercitè & ſignatè illas eſſe minoris ponderis. Ergo cogeret ad amplectendam ut unicè veram illam partem contradictionis, quam ipſe cognoſcit eſſe minùs veriſimilem, & dum ita cognoſcit; & ad reiiciendam ut unicè falſam alteram partem, dum eam experitur manifeſtè veriſimiliorem, & magis fundatam. Hoc autem eſt apertè falſum: ut enim inquit ipſe Terillus quæſt. 8. num. 28. *Objectum, quod non ſolùm apparet ut falſum, ſed etiam abſolutè creditur eſſe falſum, non poteſt apparere tam veriſimile, quàm illud, quod apparet abſolutè verum, & ut tale abſolutè creditur.*

20. Omitto alias probationes noſtræ concluſionis, quia infra Diſſertat. 7. §. 3. & 4. patebit à fortiori eius veritas: nam ibi oſtendemus, non poſſe intellectum aſſentire alterutri ex partibus contradictionis, quando utraque apparet æquè veriſimilis, ibique reddemus manifeſtam diſparitatem inter ipſum & voluntatem.

Digitized by Google

§. II.

Explicatur libertas Fidei, & oſtenditur ex illa non probari, quòd poſſit intellectus aſſentire objecto ſibi minùs veriſimili.

21. COmmuniter ad probandum poſse intellectum ex imperio voluntatis adhærere obiecto ſibi propoſito ut minùs veriſimili, ſolet obiici exemplum hæreticorum, qui diſsentiunt myſteriis noſtræ fidei ſibi ſufficienter propoſitis: myſteria autem fidei non proponuntur ſufficienter, dum non apparent ut magis veriſimilia erroribus oppoſitis: ergo poteſt intellectus ex imperio voluntatis aſsentiri obiecto ſibi minùs veriſimili, quàm ſit eius contradictorium.

22. Verùm hoc fundamentum nimis probat: nam quamvis adverſarii dicant, poſse intellectum aſsentiri obiecto minùs veriſimili, relicto veriſimiliore; certum tamen debet eſse, illum aſsenſum eſse debere coniunctum cum formidine partis oppoſitæ, nec poſse eſſe omnino firmum & certum in exiſtimatione ipſius aſsentientis. Nullus enim poteſt eſse certus quoad ſe de veritate illius obiecti, quod ipſi repræſentatur ut minùs veriſimile oppoſito. Hæreticus autem aſsentitur ſuis erroribus, non tamquam rei minùs veriſimili, quàm fides Catholica, ſed tamquam rei apud ipſum omnino fixæ & certæ. Nullus enim hæreticus exiſtimat ſe eſse hæreticum, ſed potiùs exiſtimat ſe veritatem infallibilem defendere, aliterque aſsentitur ſuis dogmatibus, ac aſsentitur concluſioni Philoſophicæ inter Doctores controverſæ.

23. Confirmatur: nam ſi quoties hæreticus aſsentitur ſuis erroribus, & peccat peccato hæreſis, myſteria noſtræ fidei ſunt ei propoſita internè ſufficienter, ut habeat obligationem illis aſsentiendi, & potentiam proximam ad aſsentiendum; ſequitur myſteria noſtræ fidei illi repræſentari ut evidenter credibilia, ac proinde hæreticum habere evidentiam de credibilitate noſtrorum myſteriorum. Siquidem ex communi conſenſu Theologorum cum D. Thoma 2. 2. quæſt. 1. art. 4. & 5. myſteria noſtræ fidei ſunt evidenter credibilia; ſive quia convincitur evidentibus argumentis Deum eſse authorem veræ Religionis Chriſtianæ, eiuſque myſteria revelâſse, ac proinde dari obligationem ea credendi tamquam à Deo revelata, ut contendit Lorca 2. 2. diſputat. 16. num. 19. cum Caietano in Commentario illius articuli 4. ac latè & nervosè probat P. Michaël de Elizalde in ſuo opere de Forma veræ Religionis inveniendæ: ſive quia convincitur evidenter poſse credi, quòd Deus revelaverit myſteria noſtræ fidei, ſeu dari fundamenta gravia & urgentia id perſuadentia; ut contendit P. Valentia tom. 3. diſput. 1. quæſt. 1. pun. 4. §. 3. cum aliis. Ut enim inquit Lorca ibi num. 15. dupliciter intelligi poteſt credibilitatem evidenter probari; uno modo, quia fiat evidens ipſa teſtificatio Dei; alio modo, quia licet non fiat evidens, ſit credibile Deum teſtificari.

24. Itaque doctrinam noſtræ fidei eſſe evidenter credibilem, vel ſignificat dari evidentia argumenta ad probandum, quòd Deus illius author ſit, eamve atteſtatus ſit: vel ſaltem eſſe evidens illam gravibus adeò argumentis confirmari, ut temeritas ſit illam negare. Evidentia namque credibilitatis noſtræ fidei, non eſt ſolùm evidentia cujuſdam probabilitatis, vel majoris probabilitatis; ſic enim quædam opiniones ſunt evidenter credibiles, quia evidens eſt dari fundamentum ſufficiens ad præſtandum illis aſſenſum opinativum: ſed eſt evidentia ita reddens prudenter credibilem doctrinam noſtræ fidei, ut reddat incredibilem doctrinam ipſi contrariam, & inducat obligationem amplectendi ut veram doctrinam noſtræ fidei: quam obligationem non induceret, ſi eſſet ſolùm evidenter credibilis tamquam doctrina veriſimilis, vel veriſimilior contrariis doctrinis. Ergo ſi, quoties hæreticus aſſentitur ſuis dogmatibus, & peccat peccato hæreſis, doctrina fidei Catholicæ eſt illi proximè propoſita, non ſolùm cognoſcit doctrinam Catholicam

licam eſſe veriſimiliorem dogmatibus, quæ ipſe amplectitur, ſed cognoſcit eſſe unicè tunc credibilem, & eſſe dignam fide certâ; è contra verò ſua dogmata eſſe incredibilia. Quomodo ergo illis adhæret per aſſenſum omnino certum in ipſius exiſtimatione? Fieri enim non poteſt, ut quis firmiter, & abſque formidine credat objectum, quod ipſi antecedenter eſt propoſitum, ut omnino incredibile; & rejiciat tamquam erroneum objectum, quod ipſi repræſentatum eſt ut dignum fide certâ. Ergo argumentum adverſariorum nimium probat.

25. Reſpondeo ergo, hæreticum in eo inſtanti, in quo ſuis erroribus pertinaciter adhæret, non habere potentiam proximam ad aſſentiendum myſteriis noſtræ fidei, ac proinde illa non repræſentari ei ut veriſimiliora ſuis pravis dogmatibus, & multò minùs ut evidenter credibilia credibilitate inducente obligationem credendi: id autem provenire ex ipſius malitia; ut enim inquit P. Valentia Tom. 3. diſput. 1. quæſt. 1. punct. 4. ad fin.: *Communiter ii, qui fidem non admittunt ex malitia, aut affectu erga ſe, aut erga Magiſtros ſuos, impediuntur, & excæcantur, quominùs poſſint rationes & motiva fidei perſpicere; atque ita mirum non eſt, ſi non habeant evidentiam de credibilitate fidei noſtræ.* Et hanc doctrinam probat ex Apoſtolo 2. Corinth. 4. ubi cauſam infidelitatis rejicit in cæcitatem mentis: *Deus*, inquit, *hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat in eis illuminatio Euangelii gloriæ Chriſti.* Item confirmat teſtimonio Sapientis, qui agens de incredulitate Judæorum circa Divinitatem Chriſti, inquit: *Excæcavit eos malitia eorum.* Sapient. 2.

26. Quod à poſteriori comprobatur. Nemo enim eſt eorum, qui pertinaciter adhærent dogmatibus noſtræ fidei contrariis, qui ſi interrogetur, cur adhæreat potiùs ſuæ ſectæ, quàm fidei Catholicæ? reſpondeat, agnoſcere ſe quidem fidem Catholicam eſſe evidenter credibilem, & multò veriſimiliorem ſuâ ſectâ, nihilominus ſectam ſuam cognitam ut minùs veriſimilem tenaciter intellectu amplecti. Sed omnes ejuſmodi reſpondebunt, ideò ſe nolle amplecti fidem Catholicam, quia repræſentatur ipſis ut falſa: & ideò tam tenaciter adhærere ſuis dogmatibus, quia ſibi proponuntur ut omnino certa. Nihil tamen hoc illos excuſat, quia quòd non videant evidentem credibilitatem noſtræ fidei, & manifeſtam preeminentiam illius ſupra omnes mundi ſectas quoad veriſimilitudinem, quòd Deus ſit Author illius, provenit ex illorum malitia, qui voluntariè oculos claudunt, ne videant lucem, noluntque mentem applicare ad ſincerè examinanda motiva credibilitatis noſtræ fidei.

27. Et ſanè peccatum infidelitatis (cujus ſpecies eſt hæreſis, ut probat D. Thomas 2. 2. quæſt. 11. art. 1.) teſte D. Thomâ 2. 2. quæſt. 10. art. 1. in corpore, *conſiſtit in contrarietate ad fidem, quâ ſcilicet aliquis repugnat auditui fidei, vel etiam contemnit ipſam.* Non ergo conſiſtit in eo, quòd cognitâ evidenti credibilitate myſteriorum noſtræ fidei, illis diſſentiat quis adhærendo dogmatibus contrariis. Impoſſibile namque eſt, ut quis diſſentiat objecto in eo inſtanti, in quo ipſi proponitur ut manifeſtè veriſimilius oppoſito, & adhæreat tamquam certo, objecto contrario ſibi tunc propoſito ut minùs veriſimili.

28. Fateor poſſe infidelem cognoſcere evidentem credibilitatem myſteriorū noſtræ fidei, nec tamen hanc amplecti, vel ob malitiam, vel ob ejus difficultatem: ſiquidem motiva fidei evidenter cognita etſi obligent, non tamen cogunt aſſentiri. Cæterùm in eo inſtanti non poſſet amplecti intellectualiter ſectam contrariam, eique per aſſenſum pertinaciter adhærere, licet externè eam profiteretur; quia non poteſt quis credere ut certum id, cujus contrarium cognoſcit eſſe evidenter veriſimilius, & dignius fide.

29. Sicut autem hæreticus in inſtanti, in quo pertinaciter adhæret ſuis erroribus, non habet poteſtatem proximam aſſentiendi doctrinæ Catholicæ; ita dum Catholicus per actum fidei aſſentitur doctrinæ Catholicæ ſibi ſufficienter pro-

propoſitæ, nequit eidem diſſentire: quia non poteſt elicere actum fidei ſupernaturalis circa myſteria noſtræ fidei, quin ea proponantur ei ut credibilia fide divinâ, id eſt, digna fide certâ, & infallibili. Ut enim docet D. Thomas 2. 2. quæſt. 1. art. 4. ad 2. *Omnis qui credit, debet evidenter diſcernere credibilitatem myſteriorum, & ea videre ſub ratione communi credibilis: non enim crederet, niſi videret ea eſſe credenda, vel propter evidentiam ſignorum, vel propter aliud bujuſmodi.* Quæ Angelici Doctoris verba exponens Cajetanus, inquit; *Dicendum, quòd Author loquitur de viſione propriè, & & quòd verè, ac virtuosè credere exigit evidentiam, quòd illud ſit credibile: ita quòd nullus aliquid verè, hoc eſt, abſque formidine alterius partis, & virtuosè, hoc eſt, prudenter credit, niſi evidenter cognoſcat illud eſſe credibile.*

30. Quomodo autem ſinguli fideles habeant evidentiam credibilitatis explicat Lorca 2. 2. diſp. 16. memb. 4. Qui rectè notat ibi num. 24. quod ſi alicui proponatur fides ſine hac apparentiâ credibilitatis, tunc nec credet fide divina, nec credere tenebitur, ſed excuſabitur inculpabili ignorantiâ; nimirum ſi nanciſci non potuit ſufficientem inſtructionem de credibilitate myſteriorum, nec Deus ſpeciali illuſtratione illum defectum ſupplere voluit. Facilè autem Chriſtiani ex communi inſtructione aſſequuntur hanc evidentiam de credibilitate myſteriorum fidei. Ut enim inquit Cajetanus: *Vident Chriſtiani credentes, credibilia eſſe, quæ ſunt fidei, audientes à fide dignis, mundi ſcilicet converſionem ad Chriſtum pauperem per pauperes piſcatores, idiotas, inter tot perſecutiones, & tormenta, & mortes; & poſtmodum à tot doctiſſimis viris cum vitæ propriæ caſtigatione, mundique bujus contemptu approbata, innumeriſque miraculis firmata.*

31. Cum ergo quicumque credit fide divinâ myſteria noſtræ Religionis, debeat habere evidentiam de credibilitate eorum, conſequens eſt, ut in illo inſtanti non habuerit poteſtatem proximam antecedentem ad diſſentiendum illis; quia implicat ut intellectus evidenter cognoſcens myſterium aliquod eſſe credibile fide certa, & ſine formidine, non cognoſcat illud obiectum eſſe evidenter veriſimilius ſuo contradictorio. Implicat autem intellectum iudicare eſſe falſum illud, quod ſibi proponitur ut evidenter veriſimilius ſuo contradictorio.

32. Et ſanè homini docto penetranti credibilitatem noſtræ fidei, omninò apparet impoſſibile eidem diſſentire, eam falſam reputando: dum enim penetrat motiva credibilitatis, evidenter cognoſcit Deum eſſe authorem fidei Chriſtianæ: implicat autem, ut corde ſibi perſuadeat falſam eſſe doctrinam, cujus Deus eſt author. Et quamvis concederemus cum Ripalda diſp. 6. de Fide ſect. 6. dari aliquos aſſenſus fidei ſupernaturalis, qui non ſupponunt credibilitatis evidentiam, nempè aſſenſus imperfectos, & infirmos: certum tamen eſt aſſenſus perfectos, ac firmos noſtræ fidei ſupponere per ſe evidentiam credibilitatis in quocumque fideli, ut probat ipſe Ripalda ibidem ſect. 5. num. 48. cum S. Tho. Suarez, Lugo, & aliis. Ergo ſaltem omnis aſſenſus fidei firmus, & perfectus ſupponit evidentiam credibilitatis noſtræ fidei, & credibilitatis talis, quæ reddat incredibilem errorem contrarium. Ergo Catholicus in inſtanti, in quo elicit aſſenſum perfectum fidei non habet poteſtatem proximam ad diſſentiendum fidei noſtræ ut falſæ, & amplectendum errorem contrarium ut verum: quia implicat ut quis amplectatur ut certum, quod evidenter cognoſcit eſſe incredibile.

33. Quare licet actus fidei ſit liber, & eſſentialiter ſupponat affectum efficacem voluntatis determinantis intellectum ad ipſius elicientiam; non eſt tamen immediatè liber quoad ſpecificationem, quia non oritur ab intellectu proximè potente ex imperio voluntatis elicere diſſenſum oppoſitum: ſed ſolùm quoad exercitium; quia poteſt voluntas ſuſpendere aſſenſum illum. Myſteria enim fidei quamvis ſint evidenter credibilia, quia tamen ſunt obſcura, & diffi-

cilia,

cilia, propoſita intellectui eum non rapiunt ad ſui aſſenſum: quare poteſt ex imperio voluntatis ſuſpendere intellectus aſſenſum illum.

34. Atque ita arbitror eſſe intelligendum D. Thomam 2.2.q.2.art.9.& 10. ubi docet actum fidei eſſe meritorium vitæ æternæ, quia eſt actus intellectus aſſentientis divinæ veritati ex imperio voluntatis: redditque diſparitatem inter ſcientiam, & fidem, quòd ſcientia eſt libera dumtaxat quantùm ad uſum, non tamen quantùm ad aſſenſum: at fides eſt libera quantùm ad uſum, & quantùm ad aſſenſum. Scientia eſt libera quantùm ad uſum, quia habitibus utimur cum volumus, & eſt in poteſtate voluntatis applicare intellectum ad conſiderationem rei ſcitæ: at ſuppoſitâ illâ conſideratione non eſt in poteſtate voluntatis continere aſſenſum; quia principia demonſtrationis actu conſiderata neceſſitant intellectum ad aſſenſum concluſionis. At fides eſt libera quantùm ad utrumque, quia liberum eſt voluntati applicare intellectum ad conſideranda motiva credibilitatis, quæ myſterium de ſe obſcurum, reddunt evidenter credibile; & poſt hanc conſiderationem, liberum eſt imperare aſſenſum myſterii, vel non imperare. Quamvis enim illa conſideratio, & evidens cognitio de credibilitate myſteriorum fidei inducat obligationem credendi: non tamen neceſſitat ad credendum; quia cum non appareat evidenter convenientia prædicati cum ſubjecto, ſed potiùs ſit obſcura, & intellectui appareat difficilis, non cogitur intellectus ad aſſentiendum myſterio, quamvis evidenter cognoſcat eſſe credibile, & ſe poſſe, ac debere captivare intellectum in obſequiū fidei. Sicut intemperans evidenter cognoſcit ſe obligatum eſſe temperatè vivere, & tamen rei difficultate victus operatur contra obligationem evidenter cognitam.

§. III.

Exponitur natura Judicii temerarii, & oſtenditur eum, qui temerè judicat, non aſſentiri objecto ſibi minùs veriſimili.

35. AD probandum poſſe intellectum aſſentiri parti contradictionis ſibi minùs veriſimili, adducere ſolent adverſarii exemplum hominis temerè judicantis malum de proximo: cum enim judicium temerarium ſit, quod *de alicujus peccato, aliove infami malo ex levibus indiciis concipitur*, malitia judicii temerarii conſiſtit in eo, quòd potens quis bene de proximo judicare ob motiva gravia, quæ ad ita judicandum habet, nihilominus mavult ex levibus indiciis de illo malè judicare, ipſum in tribunali ſuæ conſcientiæ condemnando de peccato commiſſo, ex levibus indiciis. Ergo qui temerè de alio judicat, aſſentitur objecto ſibi minùs veriſimili: ſiquidem habens grave fundamentum ad judicandum quod proximus malum non fecerit, nihilominus ob fundamentum leve, & conſequenter multò minùs veriſimile, judicat, malum illud patraſſe.

36. Notant autem graves Theologi judicium temerarium in animo tuo reſidens non eſſe peccatum priuſquàm aliquo modo advertas, vel judices te ex ſignis inſufficientibus judicare: quia priuſquam animadvertas, cauſas ex quibus judicas non eſſe ſufficientes, vel ſaltem priuſquam de illis dubites, non eſt illud judicium ullo modo voluntarium, ſaltem quâ parte temerarium, ſed cenſetur primus motus libertatem voluntatis præveniens, etiamſi longo tempore duraſſet. Itaque juxta hos Doctores, ad judicium temerarium peccaminoſum non ſatis eſt quod concipiatur ex fundamentis, & indiciis reipsâ levibus, ſed ex fundamentis, quæ levia eſſe animadvertat ipſe, qui judicat. At, qui cognoſcit leve eſſe fundamentum, quo ducitur, abs dubio cognoſcit, eſſe minùs veri-

Digitized by Google

veriſimile, quàm fundamentum ad judicandum oppoſitum, ſeu ad judicandum, proximum non eſſe malum. Ergo poteſt quis aſſentiri ex duobus contradictoriis parti ſibi minùs veriſimili.

37. Verùm hanc doctrinam falſiſſimam eſſe, & judicium temerarium, ac peccaminoſum, præſertim, quando eſt peccatum mortale, non concipi ex indiciis, quæ levia appareant ipſi judicanti, & minùs veriſimilia, quàm fundamenta ad bene judicandum de proximo; ſed concipi ex indiciis reipsâ levibus, vel nullis (ſi maturè, prudenter, & abſque paſſione perpenderentur) gravibus tamen in exiſtimatione iudicantis, cui ex odio, vel invidiâ vel alia paſſione repræſentantur ut graviſſima, & longè veriſimiliora quàm fundamenta ad probè judicandum de proximo: hoc, inquam, oſtendere operoſum non erit, ex doctrinâ D. Thomæ 2. 2. q. 60. ar. 3. ubi agens de judicio temerario, diſtinguit tres gradus ſuſpicionis, ſeu judicii temerarii. Primus, inquit, gradus eſt, ut homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus dubitare incipiat: & hoc eſt veniale, & leve peccatum: pertinet enim ad tentationem humanam, ſine quâ vita iſta non ducitur, ut habetur in Gloſſa ſuper illud 1. ad Cor. 4. *Nolite ante tempus judicare*. Secundus gradus eſt, cum aliquis pro certo malitiam alterius æſtimat ex levibus indiciis. Et hoc ſi ſit de aliquo gravi, eſt peccatum mortale, in quantum non eſt ſine contemptu proximi. Vnde Gloſsa ibidem ſubdit: *Si ergo ſuſpiciones vitare non poſſumus, judicia tamen, ideſt definitivas, firmaſque ſententias continere debemus*. Tertius gradus eſt, cum aliquis Judex ex ſuſpicione procedit ad condemnandum; & hoc directè ad injuſtitiam pertinet: unde eſt peccatum mortale.

38. Notant verò Cajetanus in Commentario hujus loci, & alii Interpretes, communiter, D. Thomam ſub primo gradu non ſolùm comprehendiſse dubitationem propriè talem, conſiſtentem in ſuſpenſione aſsensûs, ſed omnem æſtimationem de proximi malo conjunctam cum hæſitatione, ac proinde comprehendiſse etiam aſsenſum opinativum. Nam in corp. illius articuli, aſſerit cum Tullio, ſuſpicionem eſse *opinionẽ mali ex levibus indiciis conceptam*. Verùm, ut optimè notat Leſſius lib. 2. de Juſt. & Jure cap. 29. dub. 2. ſuſpicio, ſi propriè & ſtrictè ſumatur, differt ab opinione. Vnde ſi quis hos gradus diſtinguere velit, erunt quinque.

39. Primus in dubitando, ſecundus in ſuſpicando, tertius in opinando, quartus in firmiter judicando, quintus in ferenda ſententiâ. Dubitatio propriè eſt cum animus hæret in medio ſuſpenſus, neutram in partem inclinans. Suſpicio eſt, quando in alteram partem inclinat, nondum attamen abſolutè aſsentitur: non enim eſt aſsenſus, & determinatum judicium, ſed inclinatio, & concitatio animi ad aſsenſum; quod fit vel per motus quoſdam aſsentiendi imperfectos, & indeliberatos, vel quòd ſpecies aliqua veri ſubluceat in hac parte, quæ non in altera. Opinio eſt aſsenſus alterius partis, & iudicium determinatum, ſed infirmum & vacillans, habens coniunctam formidinem de oppoſito. Quamobrẽ opinantis animus quodammodo fluctuat, & dicitur adhuc dubitare; quia etſi non maneat ſuſpenſus quoad aſsenſum in genere, cum alteri parti aliquem aſsenſum accommodet; manet tamen ſuſpenſus quoad aſsenſum firmum, cum neutri parti aſsentiatur firmiter: & hoc modo nomen dubitationis ſæpè accipitur: vulgò enim dicimus nos dubitare, quando in neutram partem certi ſumus. Judicium firmum eſt aſsenſus ſine formidine veritatis oppoſitæ. Sententia eſt iudicii interni patefactio exterior. Hæc Leſſius. Itaque D. Tho. tres priores gradus ſub nomine generali *dubitationis* comprehendit, latè accipiendo dubitationem prout comprehendit dubitationem propriè ſumptam, ſuſpicionem ſtrictè acceptam, & opinionem.

40. Controverſia eſt inter Doctores, an ſuſpicio temeraria de gravi malo proximi, quando deliberata eſt, ſit peccatum mortale? Cajetanus hic, & poſt eum Navarrus in Rubricis de judiciis num. 48. & Petrus Navarra lib. 2. cap. 4.

F num.

Digitized by Google

num.474. affirmant, nullam ſiniſtram æſtimationem de proximi malitia eſse peccatum mortale, ſi ſit aliquo modo hæſitans, & vacillans; quare cenſent dumtaxat in iudicio firmo de gravi proximi malo poſse reperiri peccatũ mortale. Bañez autem hîc, Michael Salon, & Petrus Aragon arbitrantur, omnem temerariam ſuſpicionem de gravi proximi malo deliberatè conceptam eſse peccatum mortale. Sotus verò lib.3. de Juſt. & Jur. qu. 4. ar. 3. & multi Recentiores arbitrantur, ſuſpiciones illas, & iudicia vacillantia communiter eſse ſolùm peccata venialia; aliquando tamen poſse pervenire ad malitiam gravem propter gravitatem materiæ, ut ſi quis levi indicio ſuſpicaretur deliberatè virum religioſum eſse hæreticum, vel inceſtaſse matrem. In uno conveniunt omnes cum Divo Thoma, eſse peccatum mortale cum quis ex levi fundamento, firmo iudicio, definitivaque ſententiâ iudicat malum grave de proximo.

41. Itaque iudicium temerarium, quod extra controverſiam eſt peccatum mortale, tunc intervenit, quando quis ex levibus indiciis pro certo credit malitiam gravem alterius, ideſt, quando pro certo apud ſe habet, & definitivâ, firmaque ſententiâ iudicat proximum graviter deliquiſse. At implicat quod hoc iudicium temerarium ſit aſſenſus partis minùs veriſimilis, cognitæ ut talis ab ipſo iudicante. Quamquam enim intellectus noſter poſset ex imperio voluntatis aſsentiri illi parti contradictionis, quæ illi propoſita erat ut minùs veriſimilis, quàm oppoſita: implicat tamen, ut id præſtet per aſsenſum firmum, vi cuius apud ſe certus ſit, quod res ita ſe habeat. Cum ſit manifeſtè implicatorium, ut quis pro certo habeat id, cuius oppoſitum cognoſcit eſse multò veriſimilius. Ergo iudicium temerarium quod eſt peccatum mortale, procedit quidem ex fundamentis reipsâ levibus, & inſufficientibus, non tamen repræſentatis ipſi iudicanti ut levibus, & inſufficientibus. Qui enim animadvertit ſe non habere niſi fundamenta levia ad iudicandum malum de proximo: & animadvertit, exercitèque, vel ſignatè cognoſcit fundamenta longè maiora ad iudicandum bonum de proximo, impoſſibile eſt, ut in ſenſu compoſito huius advertentię poſſit tamquam certum iudicare proximum eſse malum: ad ſummum enim poterit ſuſpicari, vel cum maxima formidine partis oppoſitæ credulitatem, aſsenſumque maximè vacillantem de malitia alterius concipere. Nam iudicium firmum, & certum ſupponit eam dumtaxat partem propoſitam fuiſſe ut veram, ſeu cum veriſimilitudine ingenti, & multùm excedente veriſimilitudinẽ partis oppoſitæ: cum de minùs veriſimili, ut minùs veriſimili, certitudo, firmumque iudicium haberi non poſſit.

42. Quod confirmatur: nam ſi ad temerè iudicandum de proximo, eſſet neceſſarium pro priori ad iudicium, cognoſcere levitatem fundamenti, in eodem inſtanti & eâdem actione temerè iudicans injuriam inferret proximo, & illam reſarciret; honorem auferret, & reſtitueret. Dum enim cognoſceret ſuum fundamentum eſſe leve, cognoſceret ſe leviter, & abſque fundamento malum de proximo iudicare, & fateretur ſuam levitatem, & temeritatem in iudicando. Non aliter autem poteſt quis reſtituere honorem ablatum per iudicium temerarium, quàm fatendo ſe temerè, & abſque fundamento iudicaſſe malum de proximo, cum poſſet, ac deberet iudicare bonum.

43. Eſt ergo contra rationem temerè iudicantis, quòd antecedenter ad iudicium temerarium concipiendum cognoſcat, ſe non habere fundamentum grave, & prudens ad iudicandum malum de proximo. Temeritas ergo ſita eſt in eo, quod dum ex paſſione iræ, odii, vel invidiæ repræſentatur mihi ut valdè veriſimile, quòd proximus commiſerit malum, vel laboret infamiâ; cum poſſem, ac deberem præſumere illud fundamentum, quod mihi apparet magnum, eſſe reipsâ leve, totamque illam apparentiam mali oriri ex mea paſſione vel malitia, præcipitatione quadam ſenten-

ten-

Digitized by Google

tentiam fero contra ipſum; & cum deberem conſiderare fundamenta, quæ dantur ad abſolvendum proximum in Tribunali mei iudicii, bene de illo iudicando, unicè forſan oculos mentis coniicio in indicia, quæ me inducere poſſunt ad malè ſuſpicandum; & propterea experior motivum vehementer impellens ad illum condemnandum, & hinc oritur, quòd ex levibus reipsâ fundamentis habeam pro certâ malitiam proximi.

44. Hinc oriri temeritatem iudicii docet D.Thomas eâ q.60. ar.3. ubi aſſignans cauſas cur ex levibus indiciis, quis de proximo ſiniſtrè iudicet, inquit: *Uno quidem modo contingit ex hoc, quòd aliquis ex ſe ipſo malus eſt; & ex hoc ipſo quaſi conſcius ſuæ malitiæ, faciliter de aliis malum opinatur, ſecundùm illud Eccleſiaſt.* In via ſtultus ambulans, cum ipſe ſit inſipiens, omnes ſtultos æſtimat. *Alio modo provenit ex hoc, quòd aliquis malè afficitur ad alterum: cum enim aliquis contemnit, vel odit aliquem, aut iraſcitur, vel invidet ei, ex levibus ſignis opinatur mala de ipſo, quia unuſquiſque faciliter credit, quod appetit.*

45. Exploratum itaque ſit, ex iudicio temerario non rectè confici argumentum ad probandum, quòd poſſit quis aſſentire parti contradictionis ſibi minùs veriſimili: nam ad hunc aſſenſum requiritur ut intellectui repræſentetur utraque pars contradictionis, & quòd una in occurſu alterius appareat veriſimilior. Quando autem quis ex levibus fundamentis temerè iudicat de proximo, pro certo habens ejus malitiam, vel unicè attendit ad indicia pravè ſentiendi, oculos avertens à motivis, quæ illum fortiter inducerent ad bene iudicandum; vel ſi attendit ad indicia, & motiva utriuſque partis, non repræſentantur illi indicia mali ut multò minùs veriſimilia in comparatione indiciorum boni, & conſequenter non repræſentantur ei ut levia (cum impoſſibile ſit, ut quis habeat pro certa unam partem in comparatione alterius, quæ ipſi apparet ut manifeſtè veriſimilior) ſed potiùs ob malitiam, & pravam diſpoſitionem indicia mali repræſentantur ut maiora indiciis boni; & propterea pro certâ habet malitiam proximi.

CAPUT III.

In quo multiplici ratione oſtenditur, non eſſe licitum ſequi opinionem minùs tutam relictâ tutiore, quando hæc apparet operanti manifeſtè veriſimilior tum ratione, tum authoritate.

46. POſtquam ut fundamentum ad dicenda ſtatuimus, non poſſe intellectum aſſentire parti contradictionis ſibi minùs veriſimili in conſpectu veriſimilioris, veniamus iam ad ſcopum principaliter intentum, quem variis rationibus ſtabilire conabimur.

§. I.

Prima ratio noſtræ ſententiæ, oſtendens fundamentum à priori ſententiæ contrariæ (deſumptum ex eo, quòd operari ex opinione minùs tutâ, minùſque probabili, ſeu minùs veriſimili operanti, ſolùm ſit operari minùs prudenter) niti mera æquivocatione nominis prudenter: *oſtenditurque, non ſolùm eſſe minorem, vel exiguam prudentiam, operari ex opinione minùs tutâ, quando operanti proponitur minùs veriſimilis, quàm contraria, ſed eſſe poſitivam imprudentiam, & temeritatem.*

47. PLacuit ab hac ratione incipere, ut omnibus conſtet, quàm levi fundamento nixi fuerint recentes aliqui Probabiliſtæ, ſeu minoris Probabilitatis aſſertores, ad aſſerendum licitum eſſe ſequi quamcumque opinionem probabilem, etiamſi ſit minùs tuta, & faveat libertati adversùs legem; ac etiamſi concurrat cum opinione tutiore, quæ non ſolùm abſolutè & in ſe inſpecta, ſit evidenter probabilior authoritate & ratione, ſed etiam ut talis proponatur operanti.

48. Ponamus iam caſum: Viginti Authores graves aſſerunt aliquem contractum eſſe illicitum, & lucra illo con-

tractu adquiſita debere reſtitui: quatuor vel ſex ſufficientis notæ affirmant contractum illum eſſe licitum, ac proinde ex eo non oriri obligationem reſtituendi. Horum ſententia communiter cenſetur probabilis, quia non datur demonſtratio; nec definitio eam falſitatis convincens; & aliunde videtur niti fundamento gravi, & alicuius momenti, quandoquidem illud fundamentũ permovit viros doctos, & probos ad defendendam illam ſententiam ut veram, poſt quam rem diſputarunt ex profeſſo. Mercator, qui ingentia lucra fecit eo contractuum genere, invenitur in articulo mortis. Repræſentantur ipſi utriuſque ſententiæ fundamenta ab authoritate, & ratione; agnoſcit ipſe multò maius fundamentum authoritatis, & rationis ad cenſendum ſe obligatum eſſe ad reſtituendum, quàm ad oppoſitum, quia probabilitas, & veriſimilitudo ſententiæ ipſum liberantis ab onere reſtituendi apparet in gradu valdè exiguo; veriſimilitudo autem ſententiæ oppoſitæ apparet multò maior, & in gradu excellenti; & in ipſius æſtimatione comparantur tamquam infima, & ſuprema veriſimilitudo, ac probabilitas.

49. Volunt itaq; iſti moderni hunc hominem ſecurè poſſe operari ſecundùm illam ſententiam favorabilem, quamvis ſit apud ipſum exiguæ probabilitatis in comparatione alterius: ac proinde in tuto ponere ſuam ſalutem, quamvis nihil reſtituat, confiſus opinione illorum Doctorum; quia quamvis ipſi appareat exiguæ probabilitatis in comparatione alterius, ſatis eſt illam eſſe abſolutè probabilem, ut prudenter, & ſine peccato agat ſecundùm illam operando.

50. Probant autem, prudenter, & ſine peccato operari, ex illo fundamento à priori Probabiliſtarum, quod in hunc modum proponit Fr. Bartholomæus de Medina 1.2. q.19. ar. 6. prope fin. commentarii illius articuli.. *Cum opinio probabilis ſit, quæ nititur fundamento gravi, & prudenti, qui operatur ſecundùm opinionem probabilem, operatur prudenter: implicat autem operari prudenter, & peccare: ergo qui operatur ſecundùm opinionem probabilem non peccat*. Hoc eſt totum fundamentum à priori horum Recentiorum.

51. Mihi verò videtur illud eſſe planè nullum, & ſolùm niti quadam æquivocatione hujus verbi *prudenter operari*. Ut æquivocationem detegam, & debilitatem fundamenti oſtendam, animadverto rem omnino exploratam, & manifeſtam: nimirum illam ſententiam quæ mercatori in extremis conſtituto apparet exiguæ probabilitatis, & multò minùs veriſimilis, quàm oppoſita ipſi imponens reſtituendi onus; illam, inquam, ſententiam ſuis authoribus non apparuiſſe exiguæ probabilitatis, ſed potiùs apparuiſſe maioris probabilitatis, quàm ſententiam rigidam: Doctori enim defendenti ut veram aliquam ſententiam poſt maturam rei diſcuſſionem, & oppoſitam reiicienti ut falſam, propoſita eſt illa ſententia ut veriſimilior; ac propterea illam amplectitur, & defendit ut veram: & oppoſita propoſita eſt ei ut minùs veriſimilis; ac ideo illam reiicit ut falſam. Nemo enim eſt, cui ſua ſententia non appareat veriſimilior oppoſitâ. Ergo ſententia illa benigna liberans ab obligatione reſtituendi, diverſiſſimum ſtatum habet in intellectu illorum ſex Doctorum eam defendentium ut veram, ab eo, quem habet in intellectu mercatoris illam reputantis exiguæ probabilitatis in comparatione contrariæ, quæ ipſi repræſentatur ut longè veriſimilior.

52. Hinc manifeſtè apparet fallacia illius fundamenti. Ex eo enim quod illa ſententia benigna ſit abſolutè probabilis, nitaturque fundamento gravi, & prudenti, ad ſummum ſequitur, prudenter poſſe ſuos Authores operari ſecundùm illam; item prudenter etiam poſſe ſecundùm illam operari omnes illos, in quorum intellectu habuerit eundem ſtatum, quem habuit in intellectu ſuorum authorum; ideſt quibus illa poſt ſufficientem diligentiam adhibitam ad inquirendam veritatem, ſyncerè, & ſine paſſione repræſentata fuerit ut magis veriſimilis, quàm ſententia

oppo-

Digitized by Google

oppoſita, ſicut fuit repræſentata ſuis authoribus. Hinc autem arguere, quòd poſſit operari prudenter ſecundùm eam homo ille, cui talis ſententia apparet exiguæ probabilitatis, & multò minùs veriſimilis quàm oppoſita, eſt inſignis fallacia; eſt enim arguere à ſingulari ad univerſale, probando poſſe omnes in omni circumſtantiâ & occurſu, operari prudenter ſecundùm illam ſententiam, eo quòd aliqui in aliquâ circumſtantiâ longè diverſâ operentur prudenter. Eſt probare, quod operetur prudenter quis ſecundum illam ſentententiam in illis circumſtantiis, in quibus eam reputat exiguæ veriſimilitudinis, & propterea illam ut veram per aſsenſum amplecti non poteſt, ex eo quòd operatur prudenter alius in aliis circumſtantiis, in quibus illi apparet magnæ veriſimilitudinis, & propterea illam ut veram prudenter amplectitur. Quis autem non videat hunc modum arguendi eſse fallacem?

53. Fundamentum illius ſententiæ benignæ eſt quidem prudens reſpectu ſuorum authorum, & omnium quibus ſyncerè, & abſque paſſione repræſentatum fuerit cum eâdem veriſimilitudine, & vi movendi, nimirum reſpectu omnium, quibus repræſentatum fuerit ut magis veriſimile fundamento oppoſito: quia unuſquiſque prudenter operatur ſecundùm eam ſententiam, quam prudenter veram reputavit; prudenter autem veram reputavit illam ſententiam, cuius fundamenta poſt diligentem veritatis indagationem, ſyncerè, & abſque paſſione repræſentata ſunt ei ut veriſimiliora fundamentis oppoſitis. At verò hinc perperam arguitur, quòd ſit etiam prudens illud fundamentum reſpectu illorum, quibus apparet exiguæ probabilitatis; ii enim non poſsunt prudenter aſsentiri tali ſententiæ: cum non ſit prudentia, ſed temeritas iudicare veram aliquam ſententiam ex vi fundamenti quod apparet exiguum mihi, quando habeo magna & urgentia fundamenta ad iudicandum eſse falſam illam ſententiam: quod infra latè probabimus in hac Diſsertatione.

54. Rurſus, fundamentum prudens idem eſt, ac fundamentum grave, & magnum, ſeu magnæ veriſimilitudinis. Atqui ex eo, quòd fundamentum illius ſententiæ benignæ ſit grave, & magnum ſuis authoribus, non ſequitur, quòd ſit grave, & magnum reſpectu illius, cui illa ſententia apparet exiguæ veriſimilitudinis in comparatione oppoſitæ, quæ apud illum habet manifeſtè longè maius pondus authoritatis, & rationis: ergo ex eo quòd aliquod fundamentum ſit prudens reſpectu aliquorum Doctorum, & pro aliqua circumſtantiâ, non rectè infertur eſſe prudens reſpectu omnium, & pro omni circumſtantia rerum.

55. Prætereà Authores illius ſententiæ benignæ, illam amplexati ſunt ut veram in iis circumſtantiis, in quibus non potuerunt illi ut falſæ diſſentire; ſiquidem illam amplexati ſunt ut veram, quia eis propoſita ſunt fundamenta ipſius, ut veriſimiliora, & urgentiora fundamentis oppoſitæ ſententiæ: ut conſtat autem ex dictis §. 1. nemo poteſt diſſentire ſententiæ, quæ illi proponitur ut veriſimilior oppoſitâ, dum ita proponitur. At homo ille, cui fundamenta illius ſententiæ apparent ut manifeſtè minùs veriſimilia quàm fundamenta ſententiæ rigidæ, non poteſt illam ut veram amplecti, & ſententiæ rigidæ ſibi veriſimiliori diſſentire, ut ibidem probatum manet. Ergo ex eo quòd fundamentum ſententiæ benignæ ſit prudens reſpectu aliquorum Doctorum, quibus apparet veriſimilius fundamento oppoſitæ, non ſequitur, quòd ſit prudens reſpectu eorum, quibus fundamentum oppoſitæ apparet veriſimilius. Nam fundamentum illud in primo caſu ita ſuadet aſſenſum ſententiæ benignæ, ut poſſit conjungi cum illo, & nequeat conjungi cum eius diſſenſu; in ſecundo autem ita ſuadet aſſenſum ſententiæ benignæ, ut nequeat conjungi cum aſſenſu illius; poſſit verò conjungi cum diſſenſu. Ex eo autem quòd dicatur prudens fundamentum ſententiæ benignæ, quando poteſt conjungi cum aſſenſu eius, & nullatenus cum diſ-

Digitized by Google

diſſenſu, non poteſt probari, quòd ſit etiam prudens ad operandum ſecundùm illam ſententiam benignam, quando nequit conjungi cum aſſenſu illius; poteſt autem conjungi cum diſſenſu.

56. Prætermitto alia, quæ in huius argumenti confirmationem adducemus Diſsert.8. §.2. & 3. Et ex dictis infero, non ſolùm eſſe minorem, vel exiguam prudentiam, ſequi ſententiam faventem libertati contra legem, quando poſt diligentem veritatis inquiſitionem apparet ei exiguè probabilis comparativè ad ſententiam oppoſitam; ſed eſſe poſitivam imprudentiam, & temeritatem. Ubi enim agnoſco rationes illas, quibus moti ſunt quatuor, vel quinque Authores docti & probi, qui dicuntur facere opinionem probabilem eſſe debiles, & comparatas cum rationibus contrariis eſſe exigui momenti, & parvæ veriſimilitudinis, poſſum prudentiſſimè iudicare, illos homines erraſſe contra legem, affirmautes eſſe licitum, quod lex reprobat ut illicitum; imò debeo iudicare, ſi velim ad opus procedere: non eſt autem ſolùm minor prudentia, ſed poſitiva imprudentia & temeritas ſequi errantes contra legem Dei, quando prudenter iudico, vel iudicare poſſum, illos erraſse. Quando Scriptor Canonicus, qui errare non poteſt, me docet, aliquam actionem eſse licitam, poſsum clauſis oculis illius iudicium ſequi, quamvis in contrarium mihi occurrat ratio apparenter validiſſima, me vehementiſſimè impellens ad iudicandum actionem illam eſse illicitam; quia poſsum ac debeo iudicare rationem illam, quæ mihi videtur convincens, eſse fallacem, ac proinde illa contemptâ, poſsum ac debeo iudicare actionem eſse licitam; ut conſtat ex illo celebri axiomate D. Auguſtini tom. 2. Epiſt. 7. *Si ratio* (inquit) *contra Divinarum Scripturarum authoritatem redditur, quamlibet acuta ſit, fallit veriſimilitudine; nam vera eſſe non poteſt.* At quando homines fallibiles, & de quibus evidenter ſcio errare poſse, mihi affirmant aliquid eſse licitum, ſi poſt diligentem veritatis inquiſitionem invenio rationes validas infra evidentiam, quibus prudentiſſimè poſſum iudicare, illos de facto erraſse in ferendo illo iudicio; erit magna temeritas illos ſequi: illi enim non poſsunt reddere ſuam ſententiam probabilem omnibus, ſeu prudenter approbabilem ab omnibus in ordine ad operandum; ſed ſolùm poſsunt reddere probabilem, ſeu prudenter eligibilem in ordine ad praxim operandi, pro illis, quibus poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra paſſionem, & culpam illa opinio probata fuerit, ſeu qui prudenter illam judicaverint eſse veram; non autem pro illis, qui judicaverint eſse falſam, vel prudenter judicare poſsunt: pro illis enim non eſt probabilis; quia prudenter non poſsunt illam approbare ut veram; Ut autem inquit P. Eſparza art. 102. *Apud Authores Latinos tam veteres, ſanctis quoque comprehenſis, quàm recentes, probabile ſumitur pro approbabili, ſeu pro eo, quod approbare, & cui adhærere, ac aſsentire intellectus meritò poteſt cum formidine partis oppoſitæ.* Idem notavit Eminentiſſimus Card. Lauræa tom. 2. in 3. ſententiam diſp. 11. art. 4. §. 241. & 281. Item Seraphinus Piccinardus in ſua Dogmatica Philoſophia tom. 1. pag. 195. & apud illum Antonius Coton in Vniverſitate Patavina Cathedræ Metaphyſicæ moderator controv. 5. cap. 5. qu. 5. dicens: *Omnes antiqui tam Theologi, quàm Philoſophi, probabile pro eo, quod nunc probabilius dicitur, frequentiùs uſurpabant.* Non enim qualiſcumque veriſimilitudo ſufficit ad conſtituendum objectum abſolutè & ſimpliciter probabile reſpectu alicuius, niſi ſit tanta, ut abſorbeat, & quaſi perimat veriſimilitudinem partis oppoſitæ apud illum: & ideò meritò P. Terillus qu. 2. de conſcientia aſsert. 10. probabilitatem, ut ſic definiens, inquit: *Probabilitas eſt apparentia veritatis adeò magna, ut illa digna ſit aſſenſu, ſeu ut qui illi abſolutè aſſentitur, meritò ut prudens laudari, nullatenus tamquam temerarius & imprudens reprehendi poſſit.*

Quan-

Digitized by Google

§. II.

Quando opiniones ſunt invicem oppoſitæ, & veritas unius eſt falſitas alterius; non manet abſolutè probabilis reſpectu operantis pars illa, quæ ipſi proponitur ut minùs veriſimilis, quia illam non poteſt tunc approbare ut veram per prudentem aſſenſum.

57. QVare implicatorium eſt, ut ubi duæ opiniones ſunt ex diametro oppoſitæ, quarum unam eſſe veram idem eſt, ac alteram eſſe falſam, ita comparentur ad eundem intellectum, ut una ſit reſpectu illius clarè & manifeſtè probabilior, ſeu veriſimilior alterâ; & tamen altera maneat abſolutè & ſimpliciter probabilis reſpectu eiuſdem: quia hoc ipſo, quòd intellectus unam partem contradictionis approbat prudenter ut veram, alteram reprobat ut falſam; & dum ob præponderantiam momentorum rationis & authoritatis pro una parte, eſt proximè potens illi aſſenſum prudentem præbere, ſeu illâ approbare ut veram; eſt proximè potens reprobare oppoſitam ut falſam: unde iſta non manet probabilis reſpectu illius abſolutè & ſimpliciter; ut videtur denotare comparativum *minùs*. Comparativum illud *minùs probabile*, ſolùm arguit poſitivum, quando extrema, quæ comparantur, poſſunt eſſe ſimul vera: nimirum quando comparantur opiniones inter ſe non oppoſitæ; quibus idem intellectus aſſenſum ſimul præbet, vel præbere poteſt. Poteſt enim utraque eſſe verè & abſolutè probabilis reſpectu eiuſdem intellectûs, & una eſſe probabilior alterâ: quia nimirum intellectus etſi utramque iudicet veram ob momenta rationis & authoritatis, quæ pro unaquaque militant, & clarè præponderant fundamentis opinionum contrariarum, quæ iſtis opponuntur; nihilominùs experitur fundamenta unius ex illis opinionibus, quas iudicat eſſe ſimul veras, eſſe validiora fundamentis alterius; ac proinde utraque habet fundamenta urgentia, & impellentia ad aſſenſum prudentem; alterius tamen fundamenta ſunt validiora. Author enim, qui multas opiniones propugnat ut veras, non omnes æquali argumentorum pondere comprobat. At quando opiniones ſunt invicem oppoſitæ, & veritas unius eſt falſitas alterius, implicat, ut reſpectu intellectûs, qui ex præponderantiâ momentorum rationis & authoritatis, approbare prudenter poteſt unam ex illis, oppoſita maneat abſolutè probabilis; ſed potiùs neceſſe eſt ut maneat improbabilis practicè & exercitè reſpectu illius: ſeu neceſſe eſt, non maneat probabilis practicè reſpectu illius: quia hoc ipſo, quòd unam ex contradictoriis propoſitionibus poſſit prudenter approbare ut veram, neceſſe eſt, ut oppoſitam poſſit prudenter reprobare ut falſam; non manet autem probabilis reſpectu alicujus illa pars contradictionis, quam ille meritò poteſt reprobare ut falſam. Ut enim ſapienter ait Auguſtinus lib. de utilitate credendi cap. 11. circa finem agens contra Academicos, qui ex probabili, non ex vero actiones ſuas gubernabant, & apud quos hoc erat fixum axioma: *Turpe eſt errare; & ideo nulli rei aſſentire debemus; ſed tamen cum agit quiſque, quod ei videtur probabile, nec peccat, nec errat*, (ut refert idem Auguſtin. lib. 2. contra Academicos cap. 11.) ut, inquam, ait: Auguſtinus contra iſtos Academicos. *Quis quod probat, non credit? aut quomodo eſt illud, quod ſequitur, ſi non probatur, probabile?*

§. III.

Inſigni D. Auguſtini teſtimonio oſtenditur, comparativum illud, magis probabile, *non arguere, quòd pars oppoſita maneat abſolutè probabilis reſpectu operantis.*

58. ET quidem quòd ex eo, quòd aliqua propoſitio dicatur *minùs probabilis* reſpectu alicujus, minimè arguatur, illam manere probabilem abſolutè, & ſimpliciter reſpectu ejuſdem, probatur ex Auguſtino lib. 3. con-

contrà Creſconium cap. 73. ubi hæreticum illum, ſimili utentem argumento, ſic alloquitur Auguſtinus: *Tamquam victor*, inquit, *exultas, quòd non poſſem dicere, traditionem probabiliùs nos vobis objicimus, niſi vos nobis eam probabiliter objicere confiterer. Si enim vos, inquis, probabiliùs, nos ergo probabiliter ... quia gradus iſte, quod ante poſitum eſt auget, non quod ante dictum eſt, improbat.* Huic Creſconii objectioni reſpondens Auguſtinus ſubdit capite 74. *Conſidera tamen diligentiùs, ne fortè invenias in Latinæ locutionis authoribus, quibus Grammaticorum artificialia ſerviunt, non ſemper iſtum gradum quod ante poſitum eſt, augere, ſed aliquando contrario ſuperferri: cujus interim locutionis exemplum mihi ex Apoſtoli Epiſtola occurrit ad Hebræos:* Confidimus, *inquit*, de vobis, fratres chariſſimi, meliora, &c. *Attendis certè, quomodo hic Meliora dixerit, non quia bona erant, quæ ſupra dixerat, &c. Quid ſi & ego dixerim Probabilius, comparativum pro poſitivo ponens, non quia vos probabiliter, ſed magis quia improbabiliter; ſicut ille Meliora, nō quia bona, ſed magis quia mala.* Et cap. 75. *Quamquàm nec ſecundùm Grammaticos in verbo me errâſſe reprehenderes, ſi ſaltem verborum ipſorum authores vel attendere, vel memoriter recolere voluiſſes. Pueriles habent literæ, ſed non à puero imperito dictum:*

Dii meliora piis, erroremque hoſtibus illum, &c.

Quomodo ergo meliora piis, quaſi bona eſſent iſtis, & non potiùs magna mala, qui Diſciſſos nudis laniabāt dentibus artus? *Sic & ego potui dicere: Traditionem probabiliùs vobis objicimus; qùamvis eam vos nobis non probabiliter objiceretis.* Hactenus Auguſtinus.

59. Quam doctrinam confirmat Fagnanus ex ſacris Canonibus in ſuo tractatu de Opinione Probabili num. 273. nam hoc ipſo quod ſacri Canones dicant, unam ex opinionibus contrariis eſſe probabiliorem, illam unicè approbant ut veram, & oppoſitam reprobant ut falſam. Audiamus Fagnani verba: *Quamvis Doctores ſæpe affirment, aliquid eſſe probabilius, & verius, non tamen inde licet inferre, ut ſentiant, contrarium eſſe probabile, aut verum; quemadmodum perperam deducunt aliqui ex recentioribus.* Conſtatque ex Scriptura comparativum non ſemper ſupponere poſitivum, nec augere illud, ſuper quod fertur. Sic Danielis 13. Suſanna dixit impudicis ſenibus: *Meliùs mihi eſt abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Dei.* Id enim quod opponitur huic comparativo *meliùs*, ſcilicet peccatum, non eſt bonum, ſed malum; ideòque unicè eligendum erat Suſannæ illud *meliùs*, quia illud ſolùm erat bonum ipſi. Similiter 1. Corinth. 7. cùm dicitur: *Meliùs eſt nubere, quàm uri*, non eſt ſenſus, quòd bonum ſit uri, & melius nubere; ſed quòd his duobus inter ſe comparatis, nubere ſit bonum, & uri malum. Sic dicitur tutius ſequi ſententiam ſtantem pro lege adversùs libertatem in conſpectu ſententiæ minùs veriſimilis ſtantis pro libertate adversùs legem; non quia hoc ſecundum ſit verè tutum, ſed quia illud primum eſt unicè tunc ſecurum. Moduſque iſte loquendi, quo aſſeritur, licitum eſſe ſequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam in occurſu probabilioris, & tutioris, invectus eſt in ſcholas ab Authoribus ſententiæ benignæ, qui vergente ſæculo ſuperiori docere incœperunt, *quòd ſi opinio* (favens libertati) *eſt probabilis, licitum eſt eam ſequi; etſi oppoſita* (ſtans pro lege) *ſit probabilior.* Et ideò verè pronuntiavit P. Suarez tom. 4. de Relig. pagin. 540. *Juxta communem doctrinam* (inter Theologos nempe illos, qui ſcripſerunt ab eo tempore, uſque ad annum in quo illa ſcribebat P. Suarez) *per ſe licere ſequi opinionem probabilem circa honeſtatem actûs, relictâ probabiliore.* Quæ propoſitiones videntur mihi veræ, ſi intelligantur de opinione probabili ſubjectivè exiſtente in mente operantis, quæ ſi verè probabilis eſt, debet eſſe concepta inculpatè ab operante ex motivo præeminenti motivo partis contrariæ, ac proinde debet eſſe veriſimilior operanti, licet ſpecificativè, & in ſe ſit minùs probabilis, quia habet pro ſe pauciores Sapientes, & ſic communiter reputatur pro minùs

Digitized by Google

minùs probabili. Si autem intelligantur de opinione probabili aliena, quæ ipſi operanti apparet minùs veriſimilis, tunc ſunt falſæ; quia nemo licitè poteſt ſequi ſententiam faventem libertati adversùs legem, quando habet majus fundamentum ad judicandum eſſe falſam, & legi Divinæ contrariam, quàm ad judicandum eſſe veram, & legi Divinæ conformem. Et in hoc ſenſu loquuntur plurimi ex aſſertoribus ſententiæ benignæ. Unde modus ille loquendi invectus ab aſſertoribus falſæ ſententiæ, non probat, partem faventem libertati, quæ ipſi operanti appareat minùs probabilis, quàm contraria, eſſe formaliter ſecuram; potiùs enim eſt formaliter intuta, & peccaminoſa in circumſtantiis illis. Similiter, quando dicitur, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam in occurſu tutioris, & probabilioris, ſi ſermo ſit de probabilitate formaliter ſumptâ, & reſpectivè ad operantem, tunc ſententia minùs tuta, ſeu favens libertati adversùs legem, non manet abſolutè, & ſimpliciter probabilis reſpectu operantis, hoc ipſo, quòd in actu primo illi appareat magis falſa, quàm vera, ſeu magis falſiſimilis, quàm veriſimilis; quia tunc non poteſt prudenter illam approbare ut veram; ſed potiùs debet reprobare ut falſam: non eſt autem probabile abſolutè reſpectu alicujus exercitè, & practicè illud, quod non poteſt ab ipſo approbari ut verum, ſed potiùs poteſt prudenter reprobari ut falſum.

60. Hinc infer, partem contradictionis, quę operāti repręſentatur ut minùs veriſimilis, eſſe tunc ſolùm probabilem ſecundùm quid, reſpectu operantis: abſolutè verò, & ſimpliciter, & ſine addito diminuente, ſolùm eſſe probabilem reſpectu operantis illam partem contradictionis, quæ pro ſe habet fortiora momenta rationis, & authoritatis; vel quę licet pro ſe non habet majus momentum authoritatis humanæ, habet tamen adeò præponderans momentum rationis, ut vi illius prudenter poſſit contemni exceſſus authoritatis humanæ. Unde quando pars favens libertati poſt diligentem veritatis inquiſitionem apparet operanti minùs veriſimilis, quia majus pondus rationis, & authoritatis inclinat in partem oppoſitam, illa non manet abſolutè practicè probabilis reſpectu operantis; quia nemo prudenter poteſt ſectari partem faventem ſuæ libertati adversùs legem, quando ſibi perſuadere non poteſt, illam eſſe veram, & legi Divinæ conformem: nemo autem poteſt ſibi hoc prudenter perſuadere, quando habet majus fundamentum, ut ſibi perſuadeat eſſe falſam, & legi Divinę contrariam. Conſtat ergò, non ſolùm eſſe minorem prudentiam, ſed poſitivam imprudentiam, & temeritatem, ſequi ſententiam faventem libertati adversùs legem, quando illa omnibus inſpectis apparet in actu primo minùs veriſimilis, quàm ſententia oppoſita; pręſertim quando exceſſus veriſimilitudinis ex altera parte eſt manifeſtus, & evidens.

§. IV.

Infertur ex dictis, eſſe falſam opinionem aliquorum Authorum aſſerentium, licitum cuilibet eſſe ſequi ſententiam probabilem minùs tutam, dum non fuerit ei manifeſtum, & evidens illam eſſe falſam.

61. Hinc infertur falsò aſſeruiſſe aliquos Authores nimis benignos, licitum cuilibet eſſe ſequi ſententiam probabilem aliorum, faventem libertati adversùs legem, dum non fuerit illi vel per rationem evidens, vel per fidem certum, illam opinionem eſſe falſam. Quis enim dedit hoc privilegium quatuor, vel quinque Authoribus doctis & piis, ex iis, qui faciunt opinionem probabilem, ut hoc ipſo, quòd illi probabiliter aſſeruerint aliquem contractum eſſe licitum, reddant illum licitum omnibus, qui evidenter non cognoverint illos erràſſe, & affundant ſecuritatem omnibus, qui non fuerint aſſecuti omnimodam certitudinem de illorum deceptione? Quid enim refert, quòd ego non poſſim evidenter ſcire illos erràſſe,

Digitized by Google

ſi prudentiſſimè ob fundamenta urgentiſſima infra evidentiam judico illos erràſſe, vel id judicare poſſum? ſequi enim errantes contra legem Dei, quando prudenter judico illos erràſſe, eſt planè illicitum. Hic honor ſolùm debetur Scriptoribus Canonicis, ut ſecuriſſimè poſſim illorum judicium ſequi, quamvis in contrarium mihi occurrat ratio apparenter validiſſima, quæ mihi videatur evidens; debeo enim credere illam eſſe fallacem, quia opponitur aſſertioni Scriptoris infallibilis, quem credo errare non poſſe: atque eodem modo debita eſt hæc mentis ſubjectio Summo Pontifici ex Cathedra loquenti, & Conciliis Generalibus legitimis in materia fidei & morum. Cæterùm quando Scriptor, vel Scriptores ſunt fallibiles, & aliquid affirmant in favorem libertatis contra legem, non ſolùm non poteſt illos ſequi is, qui certum, & evidens putat illos erràſſe, ſed nec ille, qui id judicat prudenter ob rationes urgentes, quas manifeſtè cognoſcit eſſe veriſimiliores rationibus contrariis, præſertim quando iſtæ rationes viſæ, & examinatæ ſunt, & approbatæ à viris probis, & ſapientibus majoris authoritatis, quàm ſint illi, qui favent libertati. Sequi enim homines fallibiles errantes contra legem Divinam, quando prudenter judico illos erràſſe, vel judicare poſſum, eſt magna imprudentia, & temeritas. Unde S. Auguſtinus epiſt. 19. ad Hieronymum ajebat: *Ego ſolis iis Scripturæ libris, qui jam Canonici dicuntur, didici hunc honorem deferre, ut nullum eorum Authorem ſcribendo aliquid erràſſe firmiſſimè credam. Alios autem ita lego, ut quantàlibet ſanctitate, doctrinâque polleant, non ideò verum putem, quia illi ita ſentiunt, ſed quia mihi, vel per illos Authores Canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreant, perſuadere potuerunt.*

62. Quare tunc ſolùm ſecurè potero ſequi Authores benignos affirmantes, aliquem contractum eſſe licitum in occurſu aliorum Authorum paris, vel majoris authoritatis id ipſum negantium, quando vel authoritate Scriptoris Canonici, aut Eccleſiæ, vel Romanorum Pontificum, aut Conciliorum, vel probabili ratione, Authores benigni mihi perſuaſerint, ipſos à vero non aberràſſe; id eſt, quando authoritate, vel ratione præponderante motus, prudenter judicavero, illorum ſententiam eſſe veram, & legi Divinæ conformem. Ergo quando ab authoritate, & ratione eſt mihi evidenter veriſimilius, illos erràſſe, non poſſum illos ſequi; quia eſſet ſcienter velle violare legem Dei.

63. Illa autem propoſitio, *In humanis, ut cum prudentia, quæ eſt regula humanarum actionum, operemur, non niſi probabilitas neceſſariò requiritur*; diſtinguenda eſt: probabilitas conſpicua, & præponderans abſolutè, & ſimpliciter probabilitati partis oppoſitæ, concedo: probabilitas minor, præſertim ſi ſit evidenter minor, nego. Quamquam etiam illa propoſitio, *Ut cum prudentia operemur, nonniſi probabilitas neceſſariò requiritur*; abſolutè concedi poteſt: quia ut ſapienter inquit P. Suarez li. 6. de Leg. cap. 8. *Judicium probabile in rebus moralibus ſufficit ad prudenter operandum, quia alius modus operandi eſt ultra hominum conditionem, cùm omnis cognitio humana conjecturalis ſit.* Illa autem propoſitio ſolùm facit contra Authores rigidiſſimos, qui ad honeſtè, & licitè operandum requirunt, quòd operans formet judicium omnino certum, & excludens omnem formidinem turpitudinis. Sententia autem communis Theologorum docet, ſufficere judicium merè probabile, dummodo ſit verè, & certò probabile; quod numquam continget, niſi formetur ex momentis rationis, & authoritatis clarè præponderantibus motivis partis oppoſitæ: non enim eſt certum, me poſſe formare judicium prudens de honeſtate actûs, niſi ſit certum me poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra paſſionem, & culpam inveniſſe ſenſibiliter majus fundamentum pro honeſtate actûs, quàm pro turpitudine actûs. Ex hac autem doctrina malè intulit Author tertiæ propoſitionis damnatæ ab Innocentio XI. ſufficere quamcumque probabilitatem ad rectè operandum.

§. V.

Digitized by Google

§. V.

Ulteriùs oſtenditur, non ſolùm minùs prudenter, ſed potiùs imprudenter agere, qui ſectatur opinionem probabilem minùs tutam relictâ tutiore, ſibi notoriè probabiliore, ſeu veriſimiliore.

64. ASſumptum probatur; quia is, qui habet longè veriſimiliora, & urgentiora fundamenta ad credendum, ſeu judicandum, aliquem contractum eſſe graviter à Deo prohibitum, quàm ad judicandum oppoſitum, & nihilominus illum contractum celebrat; legem Dei contemnit, ejuſque amicitiam parvi pendit; cùm ſe voluntariè, & ſciens, & volens exponat periculo agendi id, quod à Deo graviter eſt prohibitum. Ergo imprudenter, & temerè agit.

65. Probatur antecedens. Nam abs dubio in humanis contra leges amicitiæ peccaret quis, ſi habens urgentiſſima fundamenta ad credendum amicum graviter offenſum iri, dum ipſe talem actionem exerceret, nihilominus illam exequeretur, ductus fundamento alio longè inferioris veriſimilitudinis, & probabilitatis. Certè ego tales amicos nollem habere, qui tam parvi facerent meas injurias, ut non timerent rem exequi, quando adeſt major probabilitas, & veriſimilitudo, quòd illius executio ſit mihi offenſiva, quàm quòd non ſit offenſiva. Ergo peccaret contra Dei amicitiam, qui habens validiora fundamenta ad credendum Deum graviter offendendum contractûs cujuſdam celebratione, quàm ad credendum minimè offenſum iri, nihilominus contractum illum celebraret, ductus fundamento illo ſibi minùs veriſimili.

66. Certè Superior, qui ſciret ſubditum ingreſſum eſſe alienum cubiculum, quando habet majus fundamentum ad credendum, id ſeriò à ſe ante fuiſſe prohibitum, quàm ad credendum, non fuiſſe prohibitum, meritò illi ſubdito ſuccenſeret, & illum tamquam contemptorem ſuæ authoritatis reputaret. Ponamus quatuor Sacerdotes graves Subdito Religioſo aſſeverare, Superiorem impoſuiſſe præceptum, ut nemo tale cubiculum ingrediatur, duos autem Religioſos, quorum teſtimonium minoris ponderis eſt apud ſubditum illum, contrarium teſtificari ipſi: certè ſi nihilominus ſubditus cubiculum ingrederetur, delinqueret contra Superiorem, & malus ſubditus æſtimaretur. Ergo ubi viginti Authores mihi teſtantur aliquem contractum eſſe lege Divinâ prohibitum, & conſequenter à nemine poſſe celebrari ſine violatione Divinæ legis, eorumque fundamenta mihi apparent longè validiora, quàm fundamenta duodecim Doctorum affirmantium contractum illum non eſſe prohibitum, ſi hoc non obſtante contractum illum ineo, temerè me expono periculo mihi valdè veriſimili violandi legem Dei, & Legiſlatorem, ejuſque voluntatem contemno, & graviſſimè contra illum delinquo, non minùs quàm ſubditus contra Prælatum in caſu poſito.

67. Confirmatur. Qui propter vehementes rationes hinc inde occurrentes dubius eſſet, an detur præceptum Divinum graviter prohibens aliquem contractum, & cum hoc dubio iniret contractum illum, temerè ſe gereret, & graviſſimè delinqueret, quia ſe exponeret periculo violandi legem Dei, & ſic Legiſlatorem contemneret, lucrumque temporale propriæ ſaluti anteponeret, ut docent communiter Theologi, prout videbimus Diſſertat. 7. §. 9. & 10. & docet manifeſtè D. Thomas quodlib. 8. art. 13. his verbis: *Si ille, qui habet plures Præbendas in quamdam dubitationem reducitur ex contrarietate opinionum, & manente dubitatione plures præbendas habet, periculo ſe committit, utpote magis amans beneficium temporale, quàm propriam ſalutem.* Ergo à fortiori temerè agit, & graviſſimè delinquit contra Supremum Legiſlatorem homo ille, qui habens urgentiora fundamenta authoritatis, & rationis ad judicandum eſſe lege Divinâ prohibitum aliquem contractum, quàm ad judicandum, eſſe lege Divinâ permiſſum, illum nihilominus init.

§. VI.

Novis confirmationibus petitis à paritate medicinæ corporalis roboratur noſtra ratio.

68. Quatuor Medici magni nominis teſtantur infirmo, ſi talem medicinam ſumat, morbum gravandum eſse, & mortis periculum imminere certiſſimè; ſi verò ab omni medicina abſtineat, ſpem adeſse recuperandi ſalutem, prævalente naturâ contra vim morbi. Duo ſufficientis authoritatis ex adverſo dicunt, ſi talem medicinam ſumat, ſpem adeſse ſalutis; ſi verò ab omni medicina abſtineat, mortis periculum fore præſentiſſimum. Expendit infirmus utriuſque ſententiæ fundamenta, & authoritatem ponderat. Et in ipſius æſtimatione magis veriſimile apparet placitum quatuor Doctorum, quàm placitum duorum. Certè ſi in hoc rerum ſtatu medicinam ſumeret, temerè ageret, & imprudentiſſimè ſe gereret. Quamvis enim placitum duorum tale ſit, ut ſi ſeorſim occurreret, prudenter infirmus illud ſequeretur; tamen ubi occurrit cum placito quatuor magni nominis, quod abſolutè eſt veriſimilius, non poteſt prudenter illud ſectari.

69. Pariter ergo ubi viginti Doctores magni nominis teſtantur contractum aliquem eſse Divinâ lege prohibitum, & venenum culpæ mortalis habere, eorumque fundamenta mihi apparent urgentiora, quàm fundamenta duodecim Doctorum id negantium; imprudenter, & temerè me geram, ſi contemptâ illâ majori veriſimilitudine, contractum illum inire volo, ductus fundamento illo apud me longè minùs veriſimili. Quamvis enim fundamentum hoc tale ſit, ut ſi ſeorſim mihi proponeretur, poſsem ob illud prudenter operari, quia tunc prudenter judicarem illam ſententiam eſse veram: ubi tamen concurrit cum oppoſito apud me veriſimiliori, & longè validiori, jam illo prudenter uti non poſsum ad operandum, quia in talibus circumſtantiis minimè ab illo moveri poſsum ad judicandum contractum illum non eſse prohibitum.

70. Paritas rationis urget; quia non eſt minor obligatio in nobis ad non violandam legem Dei, quàm ad conſervandam propriam vitam: ſed obligatio conſervandi vitam facit, ut ſit temeraria electio medicinæ, quam veriſimilius eſt graviter nocituram, quàm profuturam: ergo obligatio non violandi legem Dei facit, ut ſit temeraria electio operationis, quâ multò veriſimilius eſt violandam eſſe legem Divinam, quàm non violandam. Rurſus: minus malum non eſt violatio legis Divinæ, quàm propriæ valetudinis amiſſio: ſed multò majus. Et ſicut ratio naturalis dictat, fugiendum eſſe periculum amittendi vitam; ita dictat, cavendum eſſe periculum violandi legem Divinam. Ergo ſi eſt temeritas, & imprudentia ſe exponere periculo amittendi vitam; multò magis erit temeritas, & imprudentia ſe exponere periculo violandi legem Dei.

71. Hìc reſpondere ſolent adverſarii, propterea temerarium eſſe ſumere illam medicinam, quamvis duo Medici affirment nihil nocituram, ſed maximè profuturam, ubi quatuor affirmant certò nocituram: quia placitum duorum Medicorum, quamvis verè probabile, non impediet mortem, ſi medicina reipsâ nociva ſit, ut affirmant quatuor peritiores. At placitum duodecim Theologorum negantium, contractum aliquem eſſe prohibitum, hoc ipſo, quòd abſolutè probabile ſit, impedit omnem rationem culpæ, quamvis reipsâ contractus ille prohibitus ſit, ut majori cum fundamento affirmant viginti illi graviores Theologi: quia hoc ipſo, quòd detur opinio probabilis, quòd contractus non ſit prohibitus, erit dumtaxat materialis tranſgreſſio legis, celebratio illius contractûs, quamvis contingat eſſe reipsâ prohibitum.

72. Verùm hæc ſolutio eſt omnino inſufficiens: & contra eam ſic argumentor. Sicut placitum duorum Medicorum non impediet mortem ſi reipsâ

me-

medicina ſit nociva; ita placitum duodecim Theologorum non impediet, ne celebratio contractûs ſit violatio Divinę legis, ſi reipsâ detur lex, prohibens illum contractum: ſed propter primum eſt temeraria medicina, quando adeſt majus fundamentum ad credendum, illam eſſe nocivam, quàm non eſſe nocivam, & illud majus fundamentum facit, ut mors ſecuta non ſolùm ſit malum phyſicum, ſed malum morale, & imputabile ſumenti medicinam reipsâ nocivam. Ergo propter ſecundum erit temeraria celebratio contractûs, quando adeſt majus fundamentum ad intelligendum contractum eſſe prohibitum, quàm ad intelligendum oppoſitum; & illud majus fundamentum efficiet, ut tranſgreſſio ſecuta non ſolùm ſit violatio legis merè materialis, ſed tranſgreſſio formalis, & imputabilis operanti.

73. Sicut enim tenemur evitare propriam mortem quando poſſumus; ita tenemur facere ne à nobis egrediatur Divinæ legis tranſgreſſio, quando poſſumus, & habemus fundamentum prudens ad credendum, illam tranſgreſſionem ſecuturam: ut contingit in præſenti, ubi operans habet prudentiſſimum & urgentiſſimum fundamentum ad credendum, contractum illum eſſe prohibitum; ac proinde ad judicandum à ſe violandam eſſe legem Divinam, ſi contractus ille celebretur.

74. Quare diſparitas eſt omnino nulla: ſi enim contingat contractum illum eſſe prohibitum, violatio legis non erit ſolùm materialis, ſed formalis; nam tranſgreſſio materialis tunc contingit, quando ponitur actio reipsâ contraria legi Divinæ, neque adeſt notitia talis legis, nec fundamentum ullum prudens ad judicandum legem illam exiſtere. Ut cùm quis comedit carnes die Veneris, omnino ignorans eſſe diem Veneris. At quando adeſt urgentiſſimum fundamentum ad judicandum exiſtere legem, & non obſtante hoc fundamento quis ponit actionem, quæ reipsâ prohibita eſt, iſta eſt formaliſſima tranſgreſſio legis. Nam tranſgreſſio materialis tranſit in formalem per hoc præcisè, quòd ſit voluntaria, & libera: eſt autem voluntaria, & libera tranſgreſſio legis quam quis ponit, habens urgens fundamentum ad exiſtimandum exiſtere legem. Sicut eſt voluntaria, & libera occiſio hominis, quam quis ponit, habens fundamentum prudens ad credendum, occidendum eſſe hominem ſi emittatur ſagitta.

75. Confirmatur: Ut mors eſt malum phyſicum hominis, ita violatio legis Divinę eſt malum quoddam Dei, quatenus eſt fruſtratio Divinæ voluntatis, prohibentis illam actionem. Et ſicut tenemur impedire propriam mortem, ita tenemur impedire violationem illam legis Divinæ, quoties prudenter judicare poſſumus exiſtere legem, & in noſtra poteſtate eſt impedire actionem violativam illius. Sicut autem malum illud mortis non imputaretur homini ſumenti medicinam reipsâ cauſativam mortis, ſi duo illi Medici ſapientes affirmarent, illam medicinam eſſe ſalutiferam, & ipſe non haberet fundamentum prudens ad timendum eſſe nocivam; ita malum violationis legis Divinæ non imputaretur homini celebranti contractum illum reipsâ prohibitum, ſi adeſſent illi duodecim viri ſapientes, qui affirmarent contractum illum non eſſe prohibitum, & aliunde non adeſſet fundamentum prudens ad credendum extare prohibitionem. Ergo ſimiliter ſicut illud malum mortis imputatur homini ſumenti medicinam reipsâ nocivam ex conſilio duorum Medicorum, quando adeſt prudens fundamentum ad credendum eſſe nocivam, nempe teſtimonium quatuor Medicorum reddens veriſimiliorem illam partem, quàm oppoſitam; ita malum violationis Divinæ legis imputabitur homini celebranti contractum propter placitum duodecim Theologorum, quando adeſt prudens fundamentum ad credendum illum contractum eſſe prohibitum, nempe ſententia viginti Theologorum majori cum fundamento affirmantium, illum contractum eſſe prohibitum. Nequit enim eſſe innocens homo in illa tranſgreſſione, ſi celebrat contractum, dum videt majus multò

Digitized by Google

tò fundamentum adeſſe ad judicandum extare prohibitionem, quàm ad judicandum non extare.

76. Mirorque, poſſe virum doctum in illa ſolutione quieſcere. Quæro enim, unde probetur placitum probabile duodecim Doctorum affirmantium, quòd contractus non ſit prohibitus, habere vim tollendi venenum culpæ à transgreſſione illa? Quis eis hoc privilegium conceſſit, reddendi licitum quemcumque contractum per hoc præcisè, quòd affirmet eſſe licitum? Quâ authoritate, quo Conciliorum teſtimonio hoc privilegium fulcitur? Quid refert ad ſecuram reddendam conſcientiam operantis, & auferendum venenum culpæ ab aliquo contractu, quòd duodecim viri ſapientes judicent, non extare legem prohibitivam illius, ſi viginti ſapientiores affirmant exiſtere talem legem, & ipſorum fundamenta urgentiora ſunt apud ipſum operantem? Ponamus reipsâ contractum illum eſſe prohibitum. Potentioreſne erunt duodecim Theologi probabiliter, ſed falsò, affirmantes, contractum non eſſe prohibitum, ad auferendam rationem culpæ ab illa tranſgreſſione, quàm viginti probabiliùs, ſeu majori cum fundamento affirmantium, & verè affirmantium eſſe prohibitum, ad adſpergendam illi contractui, illive tranſgreſſioni rationem culpæ? Sanè ſi placitum probabile Theologorum, excuſantium contractum à ratione culpæ, illum à culpa liberat; multò magis placitum probabilius plurium Theologorum rationem culpæ illi contractui affigentium, illum contractum culpabilem reddet.

77. Erit ergo ſimul à culpa immunis, quia graves Theologi illum cum probabili fundamento à culpa liberant, & ſimul erit culpabilis, & peccaminoſus, quia graviores Theologi majori cum fundamento illum peccaminoſum affirmant. Cùm ergo hoc eſse non poſſit, & alterum dumtaxat illi competere valeat, dicendum eſt, prævalere placitum plurium majori cum fundamento affirmantium, contractum eſse prohibitum contra placitum pauciorum, minore cum fundamento hoc negantium. Ac proinde tenendum firmiſſimè eſt, peccare hominem, qui habens longè majora fundamenta ad judicandum, contractum eſse prohibitum, quàm ad judicandum non eſse prohibitum, illum nihilominus exequitur.

78. Quâ enim ratione, quo colore probabis, hominem illum non peccare? Si dixeris non peccare, quia ſequitur opinionem probabilem nitentem fundamento prudenti; & nullus peccare poteſt, dum ſequitur opinionem probabilem, quia hoc ipſo operatur prudenter: jam inanitas, & fallacia hujus fundamenti detecta, & rejecta eſt, & ſeorſim poſteà id ipſum magis oſtenditur.

79. Si dixeris non peccare, quia licet attentis fundamentis directis, veriſimilius eſt, contractum eſse prohibitum, & conſequenter peccare illum, qui eum exerceat; nihilominus attentis fundamentis reflexis multò veriſimilius eſt, & ferè moraliter certum non peccare, ſequendo ſententiam benignam minùs probabilem, quia omnes ferè hujus ſæculi Theologi affirmant, licitum eſse ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam relictâ probabiliore, & tutiore; & id ipſum eſt multò probabilius oppoſito: Si hoc, inquam, dixeris, Diſſertatione V. latè impugnaberis, & iſtarum reflexionum inutilitas patebit.

80. Probabimus deinde Diſsertatione ſequenti, ſatis eſse, quòd ſententia magis tuta ſit abſolutè, & ſimpliciter veriſimilior operanti, quàm minùs tuta, ne iſtam poſſit ſequi, quamvis non detur exceſsus ille ingens in probabilitate, de quo agimus in hac Diſſertatione: ibi iſtud argumentum latè verſabimus, quod in præſenti omittimus, nè Diſſertationem hanc juſto diffuſiorem reddamus. Pro nunc ſatis eſt negare, eſse reflexè probabilius, quòd ſit licitum ſequi ſententiam minùs probabilem relictâ probabiliore, & tutiore in ſenſu præſentis quæſtionis, nempe quando opinio tutior eſt manifeſtè, & evidenter probabilior, tum ab authoritate, tum à ratione. Ut enim probavimus §. 1. hujus Diſſertationis, Theologi labentis ſæculi non

Digitized by Google

non loquuntur in hoc caſu; quia ubi exceſsus eſt adeò magnus, jam comparativè non eſt grave, & magnum fundamentum ſententiæ minùs tutæ: Vnde etiam in principiis adverſariorum non manet comparativè probabilis ſententia minùs tuta in illo occurſu rerum.

81. Sed dices: Paritatem illam medicinæ nimium probare; probaret enim ſimiliter, non eſse licitum ſequi ſententiam minùs tutam, etiamſi ſit probabilior oppoſitâ; quia quamvis ſit probabilius medicinam non nocituram, ſatis eſt, quòd ſit abſolutè probabile allaturam mortem, ut ſit imprudentia, & temeritas illam ſumere. Si ergo paritas valet, ſatis erit eſse abſolutè probabile, quòd contractus ſit illicitus, ut ſit imprudentia, & temeritas illum celebrare, quamvis probabilius ſit, quòd ſit licitus.

82. Reſpondeo negando antecedens: nam ſi quatuor Medici ſapientiores affirmarent meliori cum fundamento neceſsariam eſse ſumptionem alicujus medicinæ ad convaleſcendum ex aliqua infirmitate, è contra verò duo ſufficienter docti aſseverarent, ſine ulla medicina ſanitatem reſtituendam beneficio naturæ prævalentis contra vim morbi; ſumptione verò medicinæ aggravandam infirmitatem, & periculum mortis fore præſentiſſimum: in hoc caſu probabile eſset morbum aggravandum, ſi medicina ſumatur, quia id teſtantur probabiliter duo Medici, & tamen quia probabilius eſt reſtituendam ſanitatem ſi ſumatur, prudenter medicina ſumeretur: cùm enim neceſse ſit, vel medicinam ſumere, vel à medicina abſtinere, prudentia dictat ſumendam eſse medicinam, ubi manifeſtè probabilius eſt profuturam medicinæ ſumptionem, & abſtinentiam ab ea nocituram, quàm è converſo.

83. Rurſus ſi ægrotante Petro, conveniat inter ſex Medicos neceſsarium eſse ad mortem arcendam, & valetudinem recuperandam, promptè remedia adhibere; cæterùm inter illos diſſidium detur, an frigida, an calida ſint applicanda, & quatuor ſapientiores majori cum fundamento affirment, niſi applicentur calida mortem ſecuturam; è contra verò duo ſufficientis literaturæ affirment ſecuturam, niſi applicentur frigida: in hoc eventu probabile eſt mortem ſecuturam ſi applicentur calida, quia ita probabiliter affirmant duo Medici: nihilominus quia multò veriſimilius eſt fugiendam mortem, & recuperandam valetudinem, ſi calida applicentur, prudentia eſset calida remedia adhibere; foret verò ingens temeritas illa omittere, & applicare frigida.

84. Quomodo autem non operetur imprudenter homo ſectando ſententiam minùs tutam, quando illa eſt manifeſtè veriſimilior oppoſitâ, explicabimus infra in proprio loco Diſsertat. IX. & Diſsertat. XIV. cap. 1. Nunc breviter dico, hominem in eo caſu habere quamdam ſecuritatem, & certitudinem moralem, quòd non peccabit ſectando ſententiam minùs tutam; quia qui exequitur id, quod prudenter judicat omnibus eſse licitum, in hac actione peccare non poteſt: ubi autem multò veriſimilius apparet operanti, idque non ex paſſione, ſed ex efficacia, & ſoliditate rationum, contractum aliquem eſse licitum, prudenter operans judicat illum contractum eſse omnibus licitum; ergo in exequendo hunc contractum non peccat. At ubi ſententia minùs tuta eſt manifeſtè minùs veriſimilis, nequit homo ille prudenter judicare, contractum illum eſse licitum, imò nullo pacto de hoc judicium ferre poteſt; cùm impoſſibile ſit intellectum etiam ex imperio voluntatis aſsentire parti ſibi minùs veriſimili. Et quamvis ex imperio voluntatis poſset, hoc judicium temerè conciperetur; eſt enim temeritas, & imprudentia, quòd quis judicet contractum eſse licitum, ut ſic illum impunè exerceat, quando habet longè majora, & urgentiora fundamenta ad judicandum eſse peccaminoſum. Id enim eſset ſibi voluntariè claudere oculos, ne videat malum: atque de homine ſic judicante verificarentur illa: *Noluit intelligere, ut bene ageret: Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum volumus*, Pſal. 35. & Job. 21.

§. VII.

Digitized by Google

§. VII.

Ulterius oſtenditur, nullam aliam prudentiam reperiri poſſe in ſectanda ſententia minùs tuta, quando oppoſita apparet operanti manifeſtè veriſimilior, niſi prudentiam carnis, quæ inimica eſt Deo.

85. QVia adverſarii noſtri ſæpe repetunt electionem ſententiæ minùs probabilis prætermiſsâ probabiliore & tutiore, eſſe quidem minùs prudentem, cæteroquin abſolutè prudentem eſſe; nunc oſtendendum nobis eſt, nullam hic prudentiam intervenire poſſe præter prudentiam carnis, quæ teſte Apoſtolo. Rom.8. *Mors eſt, & inimica eſt Deo.* Id autem probabimus diſcurrendo per varia prudentiæ genera.

86. In primis ſi Ariſtotelem conſulamus, eumque interrogemus, quid ſit prudentia? reſpondebit 6. Ethic. cap. 5. *Eſſe habitum agendi vera cum ratione circa ea, quæ ſunt bona homini, atque mala.* Quaſi diceret, prudentiam eſſe habitum, qui dictat cum vera ratione, quid homini bonum ſit, ut illud proſequatur, quidque malum, ut illud fugiat. Vt exponit P. Vazquez 1. 2. diſp. 65. cap. 1. Quomodo autem, quæſo, poteſt prudentia vera cum ratione dictare homini cognoſcenti ſententiam tutiorem eſſe manifeſtè veriſimiliorem, quod ſit bonum, & conforme appetitui recto virtutis, prætermiſsâ hac ſententiâ, eligere oppoſitam minùs tutam, quæ apparet manifeſtè minùs veriſimilis? Certè hoc dictare non poteſt niſi prudentia carnis, quæ magis æſtimat bonum temporale, quam Dei amicitiam.

87. Deinde ſi ab Angelico Præceptore quæramus quodnam ſit prudentiæ munus, reſpondebit 2. 2. q. 49. ar. 7. *Ad prudentiam præcipuè pertinet rectè ordinare aliquem in finem: quod quidem rectè non fit* (inquit) *niſi, & finis bonus ſit; & id, quod ordinatur ad finem, ſit etiam bonum, & conveniens fini.* Itaque prudentia ſupponit appetitum rectum finis, ideſt intentionem finis honeſti; eiuſque munus eſt ordinare media convenientia ad illius finis conſecutionem. Et ideò Ariſtoteles 6. Ethic. cap. 2. dixit: *Quod bonitas intellectûs practici* (ideſt veritas, cum finis intellectûs ſit veritas) *eſt verum conforme appetitui recto.* Vt autem exponit hunc locum Angelicus Doctor 1. 2. q. 58. ar. 3. ad 2. Philoſophus ibi loquitur de intellectu practico ſecundùm quod eſt conſiliativus, & ratiocinativus eorum, quæ ſunt ad finem; ſic enim perficitur per prudentiam. In iis autem quæ ſunt ad finem, rectitudo rationis conſiſtit in conformitate ad appetitum finis debiti.

88. Inquiro igitur, ex qua intentione oriri valeat electio opinionis minùs tutæ in occurſu tutioris evidenter probabilioris? Et quem finem intendat, qui opinionem minùs probabilem præfert opinioni evidenter probabiliori, cum manifeſto periculo violandi legem Dei? Certè electio hæc ex charitate, quæ eſt primum mobile omnium virtutum, oriri non poteſt; nec item ex intentione alterius peculiaris virtutis: cum non poſſit eſse conforme appetitui recto, ſeu intentioni honeſtæ alicujus virtutis, ſe voluntariè exponere periculo prudenti tranſgrediendi legem Dei. Sicut quod Medicus ex duabus medicinis eligat illam, de quâ cognoſcit veriſimiliùs multò eſſe quòd ſit nocumentum allatura, quàm quòd ſit profutura, potiùs quàm oppoſitam magna cum veriſimilitudine profuturam; nequit oriri ex appetitu recto, ſeu intentione ſanandi infirmum, ſed ex alio fine peculiari, reſpectu cujus bona infirmi valetudo parvi penditur, imò contemnitur.

89. Quodſi ab eligente opinionem minùs tutam, quando eſt evidenter illi minùs probabilis, inquiramus, quem finem intendat, dum ita eligit? certè reſpondere non poterit, ſe eligere illam opinionem, quia intendit ſuam æternam ſalutem, vel quia intendit finem alium immediatiorem alicujus virtutis; nemo enim ex intentione alicujus finis, eligit id, de quo cognoſcit veriſimilius multò eſſe quòd ſit impediturum, quàm quòd

Digitized by Google

quòd ſit inducturum vel promoturum finis conſecutionem.

90. Neceſse eſt ergo ut reſpondeat, ſe quidem eligere opinionem minùs tutam, licet videat eſſe multò minùs probabilem oppoſitã, quia id eſt conforme appetitui, ſeu deſiderio alicujus boni temporalis, quod acquirere intendit, ſive illa acquiſitio ſit prohibita ſive non. Dum enim eligit opinionem minùs tutam habens majus fundamentum ad iudicandum eſſe falſam, quàm ad iudicandam eſſe veram, virtualiter dicit: *Sive hæc opinio affirmans talem contractum eſſe licitum ſit vera, ſive ſit falſa, vel potiùs quamvis hæc opinio ſit falſa, ſeu quamvis contractus ſit illicitus, nihilominus volo illum celebrare*. Hoc autem eſt magis æſtimare lucrum temporale, quã Dei amicitiam, & animæ ſalutem. Quæ eſt ſapientia carnis, quæ eſt inimica Deo.

91. Nam qui habens majora fundamenta ad iudicandum contractum eſſe illicitum, quàm ad iudicandum oppoſitum, illum nihilominus celebrat, ita operatur, ut ſi inter operandum rogetur, an ſciat dari legem prohibentem illum contractum, vel an ſciat non dari: ſi verè reſpondeat, neceſſariò reſpondere debet, ſe exiſtimare dari ejuſmodi legem; vel ſaltem ſe dubitare an detur, & ſibi veriſimilius videri quòd detur. Ergo homo ille operatur iudicans dari legem prohibitivam contractûs, vel ſaltem dubitans cum vehementi fundamento, an detur. At qui ſub hoc dubio, vel iudicio celebrat contractum, de quo dubitat an ſit illicitus, magis amat lucrum proventurum ex contractu, quàm propriam ſalutem, ut dicit D. Thomas quodlib. 8. ar. 13. de eo qui dubitans, an ſit licitum habere ſimul multas præbendas, illas eligit habere. Aſſerit enim Angelicus Doctor, quod iſte periculo ſe exponit, utpotè magis amans beneficium temporale, quàm propriam ſalutem. Ergo electio opinionis minùs tutæ in occurſu tutioris, quæ operanti appareat manifeſtè magis veriſimilis, eſt prudentia carnis, de qua dicit Apoſt. Rom. 8. *Prudentia carnis mors eſt*.

§. VIII.

Oſtenditur illud Chriſti Domini pronuntiatum; Jugum meum ſuave eſt, *nihil laxis Probabiliſtis favere.*

92. SIcut nos adverſariis opponimus eorum ſententiam non bene cohærere cum illa Chriſti: *Arcta eſt via, quæ ducit ad ſalutem*; ita viciſſim nobis obiiciunt, noſtram non bene conſentire cum illa ejuſdem Salvatoris: *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*. Matth. 11. & illa Joan. Ep. 1. cap. 5. *Mandata ejus gravia non ſunt*. Nam ſi pro regula noſtrarum operationum eligere non poſſemus ſententias minùs probabiles in occurſu probabiliorum, & tutiorum, jugum Chriſti nimis aſperum, & grave redderetur.

93. Sed fruſtra id nobis opponitur; nam jugum Chriſti ſemper fuit ſuave, & onus ipſius leve in ſenſu ab ipſo intento. Et tamen opinio iſta Probabiliſtarum, quòd liceat ſequi opinionem probabilem relicta probabiliore, & tutiore, cognita non fuit in Eccleſia Dei uſque ad ſæculum decimum ſextum; nam ut conſtat ex Introductione operis, tunc primò in ſcholas invecta eſt. Et extenſio iſtius ſententiæ ad caſum præſentis Diſſertationis uſq; ad Caramuelem innominata omninò erat: nec enim producetur teſtimonium alicujus Theologi Caramuele antiquioris, qui affirmaverit, licitum eſſe ſequi opinionem faventem libertati, etiamſi oppoſita ſtans pro præcepto appareat operanti longè veriſimilior, ſitque evidenter probabilior authoritate & ratione. Ergo ſuavitas legis Euangelicæ non dependet à Probabiliſtarum benignitate. Alioqui nobis cum Magno Guigone Carthuſianorum quondam Generali exclamare liceret, *O Apoſtolorum tempora infœliciſſima! ò viros illos ignorantiæ tenebris involutos, & omni miſeratione digniſſimos, qui ut ad vitam pertingerent, propter verba labiorum Dei tam duras vias cuſtodiebant, & hæc noſtra compendia neſciebant*. Nimirum tot opinionum probabilium, quæ jugum Chriſti reddunt ſuave, dum licitè ad praxim poſſunt reduci

vi illius reflexi principii à Caramuele, & aliis recentioribus commendati, quòd liceat ſequi opinionem quamcumque probabilem, etiam in occurſu opinionis tutioris longè probabilioris.

94. Facilèque cernitur ſuavitatem Euangelicæ legis non eſſe deſumendam ab his probabilitatibus. Suavitas namque à Chriſto promiſſa non tollit jugum, ſed jugum impoſitum leve facit, & ſuave. At probabilitates illæ eò tendunt, ut jugum multorum præceptorum omnino confringant, & ab hominum ceruice excutiant. Quod quidem à conditione creaturæ alienum eſt. Ut enim eleganter ait modernus Scriptor; *Profectò tam non poteſt humana ſolertia ad ſemitam cæli adiicere digitum unum latitudinis, quàm non poteſt ad ſtaturam hominum adiicere cubitum unum longitudinis.* Etenim qui vitæ hominis conſtituit terminos, qui præteriri non poterunt, ipſe conſtituit viæ cœli terminos, qui præteriri non poterunt: ipſe quoque conſtituit viæ tartari terminos, qui contrahi non poterunt: atque adeo & illa permanet arcta, prout ab ipſo conſtituta eſt, & iſta perſeverat ſpatioſa, prout ab ipſo conſtituta eſt.

95. Quare creatura tantum debet collum ſubmittere jugo à Creatore ſibi impoſito, nec poteſt leges Creatoris coarctare detrahendo, vel amplificare adiiciendo præceptis Creatoris, juxta illud Deuteronom. 12. v. 32. *Nec addas quicquam, nec minuas*; id enim non magis eſt in eius poteſtate, quàm ventis imperare, & cælos volvere. Unde meritò Jus Canonicum 24. q. 1. ex Auguſtino admonet. *Non afferamus ſtateras doloſas, ubi appendamus quod volumus, & quomodo volumus, pro arbitrio noſtro dicentes, hoc grave, hoc leve eſt: ſed afferamus divinam ſtateram de Scripturis ſanctis, tamquam de theſauris dominicis, & in illa quid ſit gravius, quid levius appendamus; imò non appendamus, ſed à Domino appenſa recognoſcamus.* Ad creaturam ergo tantùm ſpectat diligenter inquirere, quid Dominus ab ipſa requirat, & voluntatem Creatoris explorare, ut eam opere compleat. Ubi autem habuerit urgentiora fundamenta ad ſibi perſuadendum legem Creatoris extare, quàm ad iudicandum non exiſtere, præſertim ubi exceſſus fuerit manifeſtus & evidens, perinde debet Creatorem revereri legem illam obſervando, ac ſi ipſi clarè conſtaret de eius exiſtentia. Nec enim dumtaxat debet facere voluntatem Domini evidenter cognitam, ſed per indicia, & argumenta probabilia prudenter coniectatam, ac affirmatam.

96. Ad argumentum reſpondeo legem Euangelicam appellari à Chriſto Domino, & reverâ eſſe jugum ſuave, quia eſt lex amoris, qui ſuave, & leve facit quod ex ſe aſperum & grave erat. Et quia Chriſtus jugum imponens, gratiâ ſuâ vires ſuperaddit, quibus ſuave fiat, & leve. Quod paſſim ſic explicant Patres. In primis Auguſtinus variis in locis ſerm. 47. de diverſis cap. 1. *Durum* (inquit) *videtur quod Dominus imperavit, ut ſi quis eum vult ſequi, abneget ſemetipſum: ſed non eſt durum, & grave quod ille imperat, qui adjuvat ut fiat, quod imperat. Nam & illud verum eſt, quod dicitur in Pſalmo; Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras: & illud verum eſt, quod ipſe dixit; Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve: quidquid enim durum eſt in præceptis, ut ſit leve, charitas facit.* Item in Pſal. 118. Conc. 22. *Quomodo dilexi legem tuam Domine &c. Sæpe*, inquit, *admonuimus laudabilem latitudinem, in qua nullas, cum mandata Dei facimus, patimur anguſtias, intelligendam eſſe charitatem. Propter quod etiam in magno iſto Pſalmo, cum ſuperiùs dixiſſet, Latum mandatum tuum valdè, in hoc ſequenti verſu oſtendit, unde ſit latum, dicens: Quomodo dilexi legem tuam Domine. Dilectio ergo eſt latitudo mandati.*

97. Idem docet Chryſoſtomus homil. 13. in cap. 6. 2. ad Corinth. *Quemadmodum*, inquit, *quod calefacit dilatare facit, ita & charitatis opus eſt dilatare*, & Hieronymus in Pſal. 118. *Viam mandatorum cucurri, cum dilataſti cor meum, ideſt, inquit, in latitudine charitatis, in fide, & in ſpe.* Item Gloſſa in cap. 11. Matthæi. *Quomodo* (inquiens) *jugum*

Chri-

Digitized by Google

Chriſti ſuave, cum ſupra dicatur: Arcta eſt via, quæ ducit ad vitam? Sed anguſta, quæ non niſi anguſto initio incipitur; proceſſu verò temporis ineffabili charitatis dulcedine dilatatur.

98. Et hoc etiam modo exponit ſuavitatem legis Euangelicæ Concilium Tridentinum ſeſs. 6. cap. 11. inquiens: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis: cujus mandata gravia non ſunt, cujus jugum ſuave eſt, & onus leve. Qui enim ſunt filii Dei Chriſtum diligunt; qui autem diligunt eum, ut ipſemet teſtatur, ſervant ſermones ejus: quod utique cum Diuino auxilio præſtare poſſunt*. Et hinc Catechiſmus Romanus juſſu Pii V. editus ad mentem Concilii rem hanc explicans par.3.cap.1. quæſtion.4. dicit. *Legis juſſa difficultatem etiam non habere oſtendat Parochus, quod vel hac una ratione ex S. Auguſtino docere poterit, cum inquit: Qui quæſo dicitur homini impoſſibile amare? Amare, inquam, Creatorem beneficum, Patrem amantiſſimum. Deinde etiam, & carnem ſuam in fratribus ſuis. At verò qui diligit, legem implevit. Quare Joannes Apoſtolus præcepta Dei gravia non eſſe teſtatur &c.*

99. Secundò (& in idem recidit) noſter Maldonatus in explicatione huius loci notat Epithetum *ſuave, & leve*, non tam ad rem, quàm ad perſonas, & mores pertinere, quaſi Chriſtus dicat: Jugum meum nõ eſt iugum hominis crudelis, quale ſolent, huius mundi Reges ſuis populis imponere, ſed benigni ſuavis & clementis Patris.

100. Ultimò reſpondeo ex Hieronymo hic, & lib.2. Dialog. adversùs Pelagianos, *Leve jugum* dici legem Euangelicam per comparationem ad legem Moſaicam. Sed excitat quæſtionem Hieronymus in Commentario huius loci, quomodo Euangelium Jugum ſuave, & onus leve eſſe dicat, cum multò gravius, quam legale eſſe videatur. In lege homicidium, in Euangelio verbum *Raca*: in lege adulterium, in Euangelio mulieris ad concupiſcendum, aſpectus hominem damnat. Huic quæſtioni reſpondeo cum Maldonato ad locum iſtum Matthæi, quatuor de cauſis dici levius. Prima eſt, quòd in Euangelio non ſint niſi neceſſaria ad ſalutem præcepta, quæ natura ipſa docet, quædam ipſa ſola, quædam poſitâ revelatione alicuius veritatis ſupernaturalis; quæque uno verbo continentur: *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis*. Matth.7.12. ut hoc loco docet Hilarius. In lege autem Moyſis infinita erat præceptorum multitudo, quæ non ideo data fuerant, quòd ad ſalutem naturâ ſuâ erant neceſſaria, ſed ut ſeveriore diſciplina rudem populum exercerent. Quò ſpectavit Petrus Actor.15.10. *Quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod nec Patres noſtri, neque nos portare potuimus*. Secunda, quod ſublata ſunt in Euangelio ſupplicia illa graviſſima, quæ lex comminabatur Exodi 20.24. *Dentem pro dente, oculum pro oculo*. Lex enim *iram operabatur*, ut inquit Apoſt. Rom.4.15. *Spiritus legis ſpiritus erat timoris, & ſervitutis: ſpiritus Euangelii, ſpiritus eſt charitatis, & benignitatis*, iuxta illud Rom.8.14. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum*. Unde volentes aliquando diſcipulos ignem de cœlo devocare, ut Samaritanos, qui Chriſtum recipere noluerant, abſumeret, Dominus increpavit dicens: *Neſcitis, cujus ſpiritus eſtis*. Lucæ 9.55. Tertia, quia in lege omnia vi fiebant, quæ res leviſſimas, graviſſimas reddit: in Euangelio omnia charitate & voluntate fiunt: & nihil grave, ac difficile volenti. *Hæc*, inquit Joannes, *eſt charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus, & mandata ejus gravia non ſunt, quoniam omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum*. 1. Jo.5.34. Quam rationem Hieronymus reddit. Quarta, quia lex *onerabat, non juvabat*: in Evangelio *unà cum onere ſpiritus datur, qui adjuuat infirmitatem noſtram*, ut Auguſtinus dicit Serm. 9. de verb. Dom. ſecundùm Matthæum.

101. Nec ex eo, quod in Euangelio non ſolùm homicidium, ſed verbum iuiuroſum, non ſolùm adulterium, ſed

Digitized by Google

turpis etiam mulieris aſpectus prohibeatur, conſequitur onus Euangelii eſſe gravius onere legis: *Facilius eſt enim ſervare utrumque, ſcilicet nec videre, nec adulterare, quàm videndo non adulterare.* (inquit appoſitè Chryſoſtomus.) Multa enim ſunt, quæ additione redduntur faciliora: ſic onus plauſtri faciliùs movetur additione rotarum; onus navis additione velorum: onus avis additione plumarum. Et ideo Dominus ut faciliora redderet præcepta negativa non occidendi, non mœchandi, non furandi, & alia, primò omnium poſuit præceptum amoris, cuius additione reliqua redderentur faciliora, ut optimè explicat Auguſtinus tract. 87. in Joannem. *Quis eſt longanimis in bono opere perſeveranter manendo, niſi ferueat diligendo? Quis ab eo continet unde turpatur, niſi diligat unde honeſtatur?* Meritò itaque Magiſter bonus dilectionem ſic ſæpe commendat, tamquam ſola præcipienda ſit, ſine quâ non poſſunt prodeſſe cætera bona, & quæ non poteſt haberi ſine cæteris bonis &c. Et ideò Chriſtus dixit: *Si quis diligit me ſermones meos ſeruat.* Hinc Bernardus Epiſt. 341. *Nam ut omnino ſimus inexcuſabiles, in via vitæ, quò citiùs, eò faciliùs occurritur, & leve Salvatoris onus quò creſcit ampliùs, eò portabit faciliùs; quia portat potiùs, quàm portatur.*

102. Et rurſus Auguſtinus ſerm. 22. de verbis Apoſtoli. *Hæc ſarcina gravis eſt, Fides, ſpes, & charitas? Iſtæ enim humilem reddunt, iſtæ mitem. Et vide quia oneratus non eris, ſi ipſum audieris: jugum enim meum leve eſt, ſarcina mea levis. Quid eſt, levis eſt? Quid ſi habet pondus? ſed minus: plus habet auaritia, minus juſtitia. Nolo ſic intelligas. Hæc ſarcina non eſt pondus onerati, ſed alæ volaturi. Habent enim & aves pennarum ſuarum ſarcinas. Et quid dicimus? Portant illas, & portantur. Portant illas in terra, & portantur ab illis in cœlo. Aut ſi miſericordiam velis præbere avi præſertim æſtate, & dicas: miſeram iſtam aviculam onerant pennæ; & detrahas onus hoc: in terra remanebit, cui ſubvenire voluiſti. Porta ergo pennas pacis: alas accipe charitatis. Hæc eſt ſarcina: ſic impletur lex Chriſti.*

§. IX.

Tertia ratio noſtræ ſententiæ.

Quia ſi licitum eſt ſequi quamcumque opinionem probabilem etiam in occurſu opinionis longè probabilioris, redditur inutile ſtudium Theologiæ Moralis.

103. Finis Theologiæ Moralis eſt humanorum actuum rectitudo: eò quippe omnis diſputatio morum dirigitur, ut oſtendatur quinam actus ſint mali moraliter, ut ab eis fugiamus; quinam honeſti, ut eos exerceamus; quinam indifferentes, ut ſciamus ſine peccato poſſe exerceri; ne per ignorantiam in peccatum incidamus. Eſtque proinde utiliſſima cum in formandis moribus verſetur, & eo dirigatur, ut ſciamus quomodo nos oportet vivere. Unde ſententia ſeu opinio, quæ inutile reddat tam nobilis ſcientiæ ſtudium, erit profectò abſurdiſſima. Quòd autem hoc præſtet opinio Probabiliſtarum, quam in tota hac Diſſertatione impugnamus, nunc probandum eſt.

104. Probatur autem primò. Quoniam ſi quælibet opinio probabilis etiam in occurſu longè probabilioris aſſumi poteſt ut regula ad rectè operandum, totus finis Theologiæ moralis obtinebitur ſine huius ſcientiæ ſtudio, & ſine diſputationum ſtrepitu, ac labore; & quidem multò faciliùs, & compendioſiùs; nempe per ſolam hiſtoriam, & catalogum opinionum probabilium, qui faciliùs addiſcitur, quàm ipſa moralis ſcientia, breviori tempore, & minore ſtudio, & exiguo vel ferè nullo ingenio, ſi adſit bona memoria. Si enim ad rectè operandum ſufficit quæcumque opinio probabilis actionem à culpa liberans; ſatis erit ad rectè operandum ſcire, quòd extet talis opinio apud aliquem vel aliquos authores: ad hoc autem non eſt neceſſaria ſcientia ipſa Moralis, ſeu cognitio directa concludens ex principiis mo-

Digitized by Google

morum, talem operationem eſſe licitam; ſed ſufficit cognitio purè hiſtorica, & reflexa teſtificans dari talem opinionem. Unde otioſum, & infructuoſum erit ad ſecurè operandum, vel conſulendum aliis, & ad caſus morales reſolvendos, libros evolvere, diſputationes integras legere, & directè comprehendere materiam, de quâ eſt dubium; ſed ſatis erit indices legere, vel initia diſputationum. Nam ſi ſemel quis imbibat hoc principium, quod quælibet opinio probabilis ſufficit ad ſecuritatem conſcientiæ; ſi interrogetur de aliquo caſu difficili, ſatis illi erit ad reſolvendum, certò ſcire materiam illam diſputatam eſſe inter Theologos, & aliquos affirmare actionem illam eſſe licitam; vel ad ſummum legere initium diſputationis; & ubi viderit authorem aliquem gravē, v. g. Patrem Thomam Sanchez ſupponere, quod detur talis opinio, & aliquos authores pro ea referre, ſtatim poterit ſecurè reſpondere, licet ultra non progrediatur: Unde author purè hiſtoricus, & reflectens, qui diligens ſit in contexendo catalogo opinionum probabilium, quæ inveniuntur in authoribus gravibus, ſatis ſuperque erit ad reſolvendos omnes caſus, de quibus controverſia eſt inter Theologos; perindeque quis ſecurè decidere poterit aliquē contractum eſſe licitum, ſi videat Leandrum, vel Dianam referre aliquos authores pro illa ſententia, ac ſi profundam diſputationem inſtituens, validiſſimo authoritatis, & rationis pondere aſſequeretur actionem illam eſſe honeſtam.

105. Unde ulterius fiet, in caſibus apud Doctores controverſis, de quibus ſunt opiniones pro una, & altera parte, non eſſe neceſſarium viros doctos conſulere, ſed ſufficere indices Doctorum legere, & initia diſputationum intelligere; atque adeo tanti momenti eſſe ad eiuſmodi caſuum reſolutionem Theologum tyronem, vel Clericum purè Caſuiſtam conſulere, ac Magiſtrum ſapientiſſimum. Siquidem ad ſciendum, quòd datur opinio Doctorum affirmantium contractum aliquem eſſe licitum non eſt neceſſaria ſcientia moralis; ſed notitia purè hiſtorica, & reflexa de Doctorum aliquorum placito ſufficit. Quare ad ſummum ſolùm erit neceſſarium conſulere Magiſtros, & viros doctos in caſibus extraordinariis, qui in controverſiam vocati non ſunt à Doctoribus. Hi autem ſunt rariſſimi; cùm de rebus moralibus tot ſint agitatæ quæſtiones, ut unus Diana in ſuis operibus ultra tres mille numeret, in quibus datur opinio probabilis pro una, & altera parte. Expediret ergo Reipublicæ tot volumina Doctorum moralium doctiſſimorum ſepelire, & luce publica privare, ne eorum lectio tempus nobis ſubripiat, & catalogum contexere, in quo fideliter referantur opiniones probabiles benignæ, quæ in quacumque materia à Doctoribus defenduntur. Unde qui Leandrum, vel Dianam habuerit, apud quos eiuſmodi opiniones reperiuntur, ſuperſedere debet ab aliorum librorum lectione. Quis autem non videat hoc abſurdiſſimum eſſe, & contra praxim ipſo lumine naturali inditam conſulendi ſapientes, & in maiori pretio habendi reſolutiones doctiorum?

106. Confirmatur, & explicatur denuo hoc dilemmate. Vel cognitio reflexa, & notitia purè hiſtorica de opinionibus probabilibus, quæ extant àpud Doctores, ſufficit ad regulandas conſcientias tutò, & ſine periculo peccati in rebus omnibus, in quibus reperitur opinio probabilis, vel non ſufficit. Si ſufficit, ergo Theologia Moralis ad nihil eſt neceſſaria circa eiuſmodi actiones, & fruſtra, & ſine fine in eius ſtudio laboratur, novique eduntur libri: ſi non ſufficit; ergo dici non poteſt omnes opiniones probabiles ſufficere ad dirigendas, ſeu regulandas conſcientias. Falſum igitur eſt, licere ſequi quamcumque opinionem probabilem, etiam in occurſu opinionis contrariæ longè probabilioris.

107. Hinc inutilis erit labor denuò ſcribere circa quæſtiones morales iam à Theologis ventilatas, nec Probabiliſta affirmans, licitum eſſe ſequi quamcumque opinionem probabilem, poteſt ſinē

ullum

Digitized by Google

ullum aſſignare, novos libros vel tractatus ſcribendi de rebus moralibus in controverſiis, in quibus ipſemet ſcribens, ſupponit dari opiniones contrarias: quamcumque enim partem defendendam ſuſcipiat, irrito conatu laborat. Vel enim defendit actionem eſse illicitam & peccaminoſam: vel defendit eſse licitam, & ab omni culpâ liberam? ſi primum, conſtat eius conatum eſse irritum; quia cum ipſe ſupponat, vel etiam expreſsè aſſerat opinionem contrariam eſse probabilem; & aliundè univerſaliter doceat, omnem opinionem probabilem affirmantem aliquid eſse licitum tutam & ſecuram eſse, & licitè ad praxim deduci, conſequens eſt, ut oleum & operam perdat in ſtabilienda ſententia rigida: nam interrogatus, an omnibus inſpectis licitum abſolutè ſit exercere actionem illam, reſpondere debet, licitum eſse: quia quamvis ſentiat ſententiam benignam eſſe falſam, nihilominùs cenſet eſse abſolutè probabilem; & aliunde ut principium ſtatuit licitum eſſe ſequi quamcumque opinionem probabilem. Ut quid ergo laborat in ſtabilienda ſententia rigidâ?

108. Si autem defendat actionem eſse licitam, etiam vanus eſt eius labor: quia antècedenter ad hûc laborem ſupponebatur, eſse probabilem ſententiam illam: ergo ſi ſcribens ſupponit tamquam principium, licitum eſse ſequi quamcumque opinionem probabilem, ſupponit ut ſufficienter probatum, licitum eſse exequi talem actionem. Ergo actum agit, dum magno argumentorum apparatu contendit licitam eſse. Nec refert ſi reſpondeas, laborem diſputationis deſervire, ut opinio benigna reddatur magis probabilis: nam ſi ſemel ſupponatur, licitum eſse ſequi ſententiam benignam, etiam in occurſu ſententiæ oppoſitæ longè probabilioris; ſententia illa non redditur tutior per hoc quod fiat probabilior. Quare ſolùm in ſententia aſserente non eſse licitum ſequi opinionem favorabilem, niſi appareat probabilior, vel ſaltem æquè probabilis, ac ſententia oppoſita, utilis eſt labor denuo ſtabiliendi ſententiam favorabilem libertati, quæ in ipſo diſputationis veſtibulo ſupponitur abſolutè probabilis.

109. Imò non ſolùm inutile, ſed etiam illicitum erit impugnare ſententias favorabiles, quas in ipſo diſputationis limine author ſupponit eſse abſolutè probabiles, ſi ſemel ſupponatur licitum eſse ſequi quamcumque opinionem probabilem. Nam ubi hoc ſupponitur, ſupponitur quamcumque ſententiam probabilem eſse tutam, & honeſtè in praxim deduci, etiam in occurſu ſententiæ oppoſitæ longè probabilioris: nefas autem eſt conari ad exterminandam & deſtruendam doctrinam, quam tu ipſe ſupponis eſse ſanam & tutam. Nec refert ſi dicas, te impugnare illam doctrinam, non quia ſana, & tuta, ſed quia falſa. Nam ſi ſana, & tuta ſupponitur, falſitas eius nihil moribus nocet, ſanitas verò multùm prodeſt: iniquum autem eſt conari ad evertendam doctrinam, quæ nihil poteſt nocere animæ, & poteſt ipſi prodeſse multùm. Rurſus falſitas illius doctrinæ, ſi illa ſupponatur eſse tuta, & ſufficiens ad rectè operandum, eſt exiguum malum; nam eſt error purè materialis: ſanitas autem, & ſecuritas ejus eſt ingens bonum. Iniquum autem eſt, conari ad deſtruendam rem, quæ affert ingens bonum, ne inducat exiguum malum. Sic ubi medicina ſupponitur allatura maximum bonum valetudinis, & conſervationis vitæ, iniquum eſt illam impedire propter exiguum malum quod inducit ſimul cum ingenti bono.

110. Abſolutè quidem abſurdum eſt, & implicatorium, me affirmare eſſe tutam abſolutè, & ſanam doctrinam quam iudico eſſe falſam, ut oſtendam poſtea Diſſert. 4. cap. 2. §. 4. & Diſſert. 5. & Diſsert. 6. §. 2. Ex ſuppoſitione autem quòd quis ſupponat omnem opinionem probabilem eſſe tutam, & ſufficere ad honeſtè operandum, iniquum eſt conari ad deſtruendam illam doctrinam, quam ſupponit eſſe probabilem. Imò dum quis affirmat eſſe probabilem, & tutam ſententiam affirmantem actionem aliquam eſſe licitam, videtur mentiri

tiri

Digitized by Google

tiri negans illam actionem eſſe licitam; & contradictoria verificare. Nam ſi ſentit illam ſententiam eſſe tutam: ergo abſolutè ſentit licitum eſſe exercere talem actionem; ergo mentitur dum negat id eſſe licitum, & ſibi contradicit.

§. X.

Quarta ratio noſtræ ſententiæ.

Quia ſententia aſſerens licitum eſſe ſequi ſententiam favorabilem, etiamſi oppoſita appareat operanti evidenter probabilior, viam ſternit ad aſſerendum non obligare legem, dum non fuerit certa & evidens ejus exiſtentia; quod eſſe manifeſtè abſurdum, contra Caramuelem demonſtratur.

111. PRobatur aſſumptum: quia ſi ſemel quis non eſt obligatus ſequi in praxi opinionem ſtantem pro præcepto, quamvis & in ſe ſit, & evidenter ipſi appareat longè veriſimilior, quàm ſententia oppoſita favens libertati; ſed ſufficit hanc eſſe abſolutè in ſe probabilem, ut illi poſſit conformari, quamvis videat eſſe minoris longè probabilitatis; nec etiam obligatus erit ſequi ſententiam ſtantem pro præcepto, quamvis unicè repræſentetur ipſi ut veriſimilis, dum nō proponitur ei ut certa, & evidens. Quia dum non proponitur ei ut certa, poterit diſcurrere in hunc modum. Omnis ſententia, quæ non nititur fundamento certo, & evidenti, admittit ſententiam probabilem in oppoſitum; quia ſola certitudo, & evidentia unius partis excludit probabilitatem de oppoſito. Hæc ſententia repræſentans exiſtentiam præcepti non nititur fundamento certo, & evidenti (quia ejus fundamentum nec eſt certum de fide, nec evidens lumine naturali) ergo admittit ſententiam probabilem de oppoſito. Ergo non obligor hoc præcepto. Probabit autem hanc conſequentiam ſic: ſi mihi occurreret opinio probabilis in favorem libertatis, ego non tenerer hoc præcepto, licet illa opinio eſſet manifeſtè minùs probabilis: ergo nec modò teneor. Nam quòd mihi talis opinio non occurrat, eſt per accidens. Siquidem mihi non occurrit, vel ob imperitiam, vel ob tarditatem ingenii. Id autem mihi nocere non debet, quandoquidem prudenter coniectare poſſum talem opinionem dari: cum enim nec ratione evidens, nec fide certa ſit exiſtentia huius præcepti, videtur moraliter certum, quod aliquibus occurrerit fundamentum probabile ad ſuadendum talę præceptum non extare.

112. Et confirmare poterit ſuum diſcurſum principio apud Caramuelem familiari, nempe quòd ubi una pars contradictionis eſt probabilis, altera quoque eſt probabilis. Unde ipſe putat hanc conſequentiam eſſe certam & evidentem: *Probabile eſt, quod ſi adiero talem locum faciam hoc: ergo probabile eſt, quod etſi eundem locum adiero, non faciam hoc*. Ita affirmat in Theologia fundamentali editionis Lugdunen. pag. 139. num. 519. redditque rationem; *Quia ſicut repugnat alteram contradictionis partem eſſe dubiam, & alteram non eſſe dubiam, ſic etiam repugnat alteram eſſe probabilem, & alteram non eſſe probabilem*. Ex hoc principio ſic quilibet poterit arguere. Ubi exiſtentia præcepti non eſt manifeſta, & evidens, non eſt certum, & evidens, ſed tantùm probabile tale præceptum exiſtere. Ergo etiam eſt probabile non exiſtere: ergo eſt probabile non eſſe peccaminoſam talem actionem: ergo eſt probabile licitum eſſe omnibus illam exercere. Ergo eſt probabile mihi eſſe licitum illam hic & nunc exercere.

113. Deinde hoc ipſo quòd non ſit certa exiſtentia præcepti, poterit mentem applicare ad quærendas rationes ſuadentes rem eſſe licitam; facilèque occurret ratio aliqua dubitandi, quæ ipſi gravis videatur: quoties enim aliquid certum non eſt, facilè occurrit ratio veriſimilis in contrarium. Hinc autem procedere poteſt ad iudicandum dari ſententiam probabilem abſolventem actionem illam à ratione culpæ: quia in rebus, in quibus homini non inepto occurrunt utrimq; rationes dubitandi, quo-

quotidiana experientia docet inveniri ſemper, vel ferè ſemper Theologum, vel Theologos abſolventes. Unde argumento ſatis veriſimili ſumpto ab his, quæ plerumque contingunt, concludere apud ſe poterit, dari ſententiam probabilem, quòd res illa non ſit peccaminoſa. Ergo ſi ſemel licet ſequi opinionem faventem libertati in occurſu opinionis contrariæ longè probabilioris, licitum erit non exequi actionem, cujus prohibitio, & malitia non eſt certa & evidens, quamvis probabiliſſima appareat.

114. Dicere autem, quod lex non obligat, niſi eius exiſtentia ſit cognita certò, & evidenter ab operante, eſt res abſurdiſſima, & quæ uno ictu innumera præcepta de medio tollit, & facit licitas res omnes, quæ in controverſiam vocatæ ſunt à Theologis. Unde ſufficiet ſcire, quòd diſputatur inter Theologos, an aliquis contractus ſit illicitus, aliqua actio prohibita, ut ſtatim abſque ullo ſcrupulo poſſit quis ejuſmodi contractum, & actionem exercere; quia hoc ipſo quòd ſciat id vocatum eſse in diſputationem à Theologis, rectè inferre poteſt non eſſe manifeſtum, & evidens, quod ſit prohibitum. Quia Theologi non vocant in quæſtionem, an ſint illicita ea, quorum malitia, & prohibitio eſt omnino certa, & indubitata. Quis autem non videat hoc eſse contra omnium Patrum, & Theologorum mentem, qui poſt longas diſputationes, & quæſtiones, concludunt, tales, & tales contractus eſſe illicitos; tales, & tales actiones eſſe malas?

115. Et tamen in hanc monſtruoſam laxitatem prolapſi ſunt Probabiliſtæ aliqui, quaſi vi conſequentiæ. Ita enim diſertè pronuntiavit Dominus Caramuel in Theologiâ fundamentali editionis Francofordianæ nu.275. & n.451. impreſſionis Lugdunenſis, ubi hæc habet: *Omnis omninò actus humanus licitus eſt, qui non impingit evidenter in aliquam legem obligatoriam evidenter.* Item num.453. ubi inquit. *Qui rem aſſerit eſſe illicitam ad multa tenetur. Primò enim debet oſtendere rationes, quæ malitiam probant, eſſe demonſtrativas, adeoque tales, quibus ſecundùm prudentiam moralem probabilis reſponſio dari nequeat. Secundò debet etiam oſtendere rationes, quæ bonitatem ſuadent, ſecundùm moralem prudentiam conſideratas ne quidem probabiles eſſe. Et id oſtendet ſi omnibus ad unam dederit ſolutionem, quæ evidenter ſit vera. Tertiò etiam debebit evidenter oſtendere partem illam, quæ bonitatem adſtruit, non habere ſufficientes authores, ut dicatur probabilis. Hæc omnia tria ſimul oſtendere ille debet, caſurus causâ etſi duo ex illis demonſtrativè oſtendat, modò unum non oſtendat.*

116. Neque defuerunt ei ſuffragia, & ſubſcriptiones quorumdam Theologorum, qui tamquam probabilem approbarunt hanc aſſertionem; non obligare præceptum, cuius exiſtentia non fuerit manifeſta, & evidens. Quaſi iniquum ſit privare hominem libertate faciendi rem aliquam, niſi conſtet evidenter de exiſtentia præcepti, quæ ipſum tali libertate ſpoliat. Quàm autem debile ſit hoc fundamentum conſtabit Diſsert.7.§.13. ubi oſtendemus axioma illud, *quod in dubiis melior eſt conditio poſſidentis*, ſolùm tenere in materia juſtitiæ.

117. Nunc verò addo, quòd quamvis verum eſſet in materia omnium virtutum, id locum habere non poteſt in præſenti caſu; nam quando occurrit ratio urgentiſſima ad probandum aliquem contractum eſſe illicitum, & nulla occurrit ratio ad ſuadendum eſſe licitum; tunc non dubitat homo an ſit licitus: omnis namque prudens, & moralis dubitatio oritur ex conflictu rationum veriſimilium pro una, & altera parte: ut conſtabit quæſt.13.ex D.Thoma, & Philoſopho. Et ideo Sylveſter verb. *dubium* meritò pronuntiavit, dubium ſecundùm Philoſophum, & Divum Thomam eſſe contrariarum rationum æqualitatem. Ergo in illo caſu non eſt dubius intellectus. Ergo quamvis pro caſu, in quo adſunt rationes æquè veriſimiles pro lege, & contra legem, poſset homo eximi ab obligatione faciendi rem: non tamen quando pro

lege

Digitized by Google

lege occurrit ratio urgentiſſima intra limites probabilitatis, & pro libertate nulla omnino occurrit ratio.

118. Et ratio eſt; quia tunc prudentiſſimè, & abſque ulla hæſitatione poteſt homo iudicare, rem illam eſse illicitam: peccat autem homo, qui hoc iudicans, vel proximè iudicare potens rem illam exequitur, ut conſtabit. Servus enim cognoſcens Domini voluntatem, & non faciens, dignus eſt ſupplicio. Eſtque lumine naturæ notum, malum eſſe, quòd quis exequatur illud, quod prudenter iudicat eſse à Deo prohibitum. Quamvis autem motivum iudicandi non ſit certum, & evidens, poteſt quis prudenter iudicare aliquid eſse à Deo prohibitum, ſi adſit pro illa parte motivum probabile valdè urgens, & in contrarium nihil occurrat. Ergo quamvis non ſit certa, & evidens exiſtentia præcepti, poteſt quis contra præceptum graviter delinquere. Obligat ergo præceptum independenter à notitia certa, & evidenti de exiſtentia illius.

119. Idque patet: Nam ſi quis poſt diuturnam navigationem appellat ad portum, & interrogans à viro fide digno, an ſit dies feſtus, audiat ab illo eſse diem feſtum; abs dubio peccabit, ſi potens facilè audire ſacrum nolit audire, ubi nullam habet rationem, vel authoritatem ad credendum non eſse diem feſtum. Et tamen non conſtat illi certò, & evidenter de exiſtentia præcepti. Rurſus, certum eſt hæreticos peccare in diſſentiendo fidei catholicæ, ſicut certum eſt hæreſim eſse peccatum. Et tamen non habent notitiam certam de exiſtentia præcepti Divini obligantis ipſos ad amplectendam noſtram fidem; imò nec iudicio opinativo ſibi perſuadent talem legem exiſtere; ſed potiùs pertinaciter abſque ulla hęſitatione exiſtimant ſuam Eccleſiam eſse veram Chriſti Eccleſiam, idque ut certum habent ex ignorantia, & errore ſuo culpabili, ut conſtat ex hac Diſsert. cap. 2. Ergo certiſſimum eſt non requiri ad obligationem præcepti, quòd eius exiſtentia ſit manifeſta, & evidens operanti; ſed ſufficit quòd prudenter iudicet, vel iudicare poſſit tale præceptum exiſtere. Deus enim habet certiſſimum jus, ut homo faciat eius voluntatem, quoties prudenter iudicare valet exiſtere præceptum Divinum obligans ad operandum. Et ſanè in tribunali humano ſi Petrus coram Judice præſentet inſtrumentum, vel aliud teſtimonium, quo Judex moveri prudenter poſſit ad iudicandum Paulum debere ei centum: ſi Paulus nihil opponat, quo vim illius probationis elidat, nec aliquid in ſui defenſionem alleget, debet Judex in favorem Petri ſententiam proferre, Paulùmque condemnare ut ſolvat illa centum. Nec enim expectandæ ſunt probationes omninò certè, & palmares; ſed ſufficiunt probationes valdè veriſimiles. Ergo pariter ſi in tribunali noſtræ conſcientiæ occurrat vehemens motivum ad credendum nos debere Deo alicujus rei executionem, ſi nullam habemus probationem in contrarium, debemus iudicare tale præceptum exiſtere & nos ipſos obligatos agnoſcere ad rei executionem. Nam probatio illa vehementer movens ad ita credendum, dum non debilitatur probatione contrariâ, fundat iudicium firmum abſque prudenti hæſitatione, & formidine de oppoſito, & moralem ſecuritatem generat, de exiſtentia præcepti.

§. XI.

Quinta ratio noſtræ ſententiæ.

Quia ſi quælibet probabilitas ſufficit ad rectè operandum, tollitur ſtudium orandi, & enixè à Deo poſtulandi notitiam Divinæ legis, & veritatis cognitionem.

120. PAſſim Scripturæ nos admonent, ut à Deo poſtulemus Divinæ legis notitiam, & veritatis cognitionem, ut per viam mandatorum Dei ambulantes ad ipſum perveniamus. Sæpè id repetit David in Pſalmis: *Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me: dirige me in veritate tua, & doce me*. Pſal. 24. 4. *Deduc*

me in via tua, & ingrediar in veritate tua. Pſal. 85. 11. *Doce me juſtificationes tuas, viam juſtificationum tuarum inſtrue me.* Pſalm. 118. 26. *Notam fac mihi Domine viam, in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam, doce me facere voluntatem tuam.* Pſal. 141. v. 8. & 10.

121. Atqui ſi quælibet probabilitas ſufficit ad ſecuritatem conſcientiæ etiã concurrens cum probabilitate oppoſita longè majori, tollitur ſtudium iſtud petendi à Deo notitiam veritatis. Quorſum enim ſe quis fatiget petendo à Deo notitiam veritatis, qui ſecurum ſe reputat ductu cujuslibet probabilitatis? Nec enim ob aliud eſt neceſſaria legis vera notitia, niſi ut obtineatur bene agendi ſecuritas. Si ergo hæc obtinetur per dictamen cujuslibet probabilitatis, quantumvis exiguæ, ceſſare debet anxietas inquirendi ſcopum veritatis. Ergo non ſufficit qualiſcumque probabilitas ad bene agendi ſecuritatem, ſed neceſſaria eſt probabilitas præponderans probabilitati partis oppoſitæ; talis ſcilicet, qualis requiritur ut quis prudenter ſibi perſuadeat veritatem eſſe potiùs penes illam partem contradictionis, quam ſequitur, quàm penes oppoſitam, vel ſaltem probabilitas æqualis: Ergo non licet ſequi opinionem minùs tutam in occurſu tutioris, quando hæc operanti apparet longè probabilior.

122. Quod confirmatur: nam cum probabilitas ſit communis utrique parti contradictionis, ſeu ſententiis ex diametro oppoſitis, & veritas in una dumtaxat reperiri valeat, convincitur non quærere veritatem, qui relictâ ſententia longè probabiliori, & veriſimiliori amplectitur ſententiam exiguæ probabilitatis, & veriſimilitudinis. Qui enim quærit opinionem propter veritatem, eam amplecti debet, in quâ majora videt indicia, & argumenta veritatis. Ergo ſententia Probabiliſtarum affirmans licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem in occurſu longè probabilioris, de medio tollit ſtudium quærendi veritatem, & impedit orationem, quâ homo inſtanter à Deo petit, ut illuminet mentem ſuam ad ſciendum quid reipsâ Deus præceperit, & quid à nobis expoſcat, & aſſequatur eam fælicitatem, de quâ loquitur Pſalmiſta: *Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.* Pſalm. 93. 12. Hucuſque ſcripſi anno 1672. Sed quia poſtea Sanctiſs. D. N. Innocentius XI. anno 1679. 3. Martii inter ſexaginta quinque propoſitiones, quas ut minimùm tamquam & in praxi perniciosas damnavit; tertiam ordine damnavit iſtam: *Generatim dum probabilitate ſive intrinſecâ, ſive extrinſecâ, quantumvis tenui, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.* Hinc magis confirmatus ſum in ſententiâ, quam hactenus defendi. Ex damnatione cujus præfatæ propoſitionis manifeſtè conſequitur, haud ſufficere quamlibet probabilitatem. Quin jure novum inde argumentum deſumi poteſt pro noſtrâ ſententiâ.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO QUARTA.

In qua oſtenditur, nemini licitum eſſe ſequi ſententiam faventem libertati adversùs legem, quando omnibus inſpectis, habet majus fundamentum ad judicandum eſſe falſam, & legi æternæ contrariam, quàm ad judicandum eſſe veram, & legi æternæ conformem.

CAPUT PRIMUM.

Status quæſtionis, & Authorum placita.

1. Ponamus caſum. Diſputatur inter Theologos, v.g. an aliquis contractus ſit uſurarius. Sunt authores graves aſſerentes eſſe uſurarium; ſunt etiam authores graves hoc negantes: ſed priores faciunt ſimpliciter majus pondus authoritatis, vel quia ſunt plures, vel quia ſunt ſapientiores. Petrus deliberat de ineundo illo contractu; & poſt diligentem veritatis inquiſitionem agnoſcit in illam partem ſeveram inclinare majora momenta rationis, & authoritatis, quàm in partem benignam: quia videt pro illa parte ſtare plures authores graves; & eorum fundamenta videntur ipſi urgentiora; quia manifeſtè experitur ſe vehementiùs impelli ad aſſenſum per fundamenta illius partis, quàm per fundamenta partis oppoſitæ: ac proinde ipſi veriſimilius ſimpliciter eſt authoritate & ratione, illum contractum eſſe uſurarium, & lege æterna naturali prohibitum, quàm eſſe licitum, & lege æterna permiſſum. Inquiritur, an tunc liceat ipſi amplecti ſententiam benignam faventem ſuæ libertati, quam agnoſcit eſſe minùs veriſimilem; an teneatur amplecti ſententiam ſtantem pro lege adversùs libertatem, quam agnoſcit eſſe magis probabilem, ſeu magis veriſimilem.

2. Sententia benigna ſub his terminis propoſita, *Per ſe licet ſequi opinionem probabilem circa honeſtatem actûs relictâ probabiliori*, eſt communis, ut teſtatur noſter Eximius Doctor P. Franciſcus Suarez to.4. de Religione pag. 540. nimirum inter authores hujus ſæculi, qui libris editis agitarunt hanc quæſtionem à ſæculo præterito uſque ad annum 1656. in quo Alexander VII. tot opiniones laxas confixit, & reformandæ Theologiæ Morali incubuit; paucis enim exceptis in illam ſententiam abiêre graviſſimi Theologi ex omni Religioſâ familiâ, & ex Doctoribus ſæcularibus, qui hanc quæſtionem agitarunt. Quin etiam ante finem ſæculi proximè ſuperioris intra paucos annos facta eſt illa ſententia communis ſub illis terminis propoſita, ut conſtabit legenti Petrum de Navarra, qui opere de reſtitutione edito Toleti anno 1597. lib. 3. pag. 140.

ſic ſcripſit: *Juxta communem ſententiam ſufficit ad ſecuritatem conſcientiæ probabili opinioni ſe conformare, etiamſi ſit minùs probabilis.*

3. Quamvis autem ſub illis terminis fuerit communis in hoc ſeculo, multi tamen ex illis Authoribus non ſunt locuti de opinione minùs tuta, quæ ipſi operanti in actu primo propoſita fuerit ut minùs veriſimilis, quàm ſententia tutior; ut latè oſtenſum eſt Diſſertatione ſecundâ. Et certè exploratum eſt, Theologos antiquos, qui attigerunt hanc controverſiam ante præteritum ſeculum, omnes, vel ferè omnes ad uſum licitum opinionis minùs tutæ exigere, ut illa proponatur operanti, ut moraliter certa, vel ſaltem ut probabilior, & veriſimilior, quàm ſententia oppoſita; ita ut operans vel formet judicium univerſale omnino moraliter certum de honeſtate actûs in genere, antequam deſcendat ad illum in particulari exercendum; vel ſaltem formet judicium probabile prudens ex vi motivi præeminentis motivo partis oppoſitæ: quod judicium licet non excludat omnem formidinem partis oppoſitæ, excludat tamen formidinem conſiderabilem, & ſolum permittat formidinem exiguam, quę per modum ſcrupuli per reflexionem contemni poſſit.

4. Hinc Vincentius Contenſon Ordinis Prædicatorum tom. 3. Theologiæ Mentis, & Cordis, quem Lugduni edidit anno 1675. diſſertat. 6. cap. 2. pag. mihi 716. dixit: *Ante octuaginta annos quotquot de morali ſcripſerunt, probabilioribus, & tutioribus adhærendum ſanxerunt.* Et noſter Franciſcus Amicus in ſuo Curſu Theologico tom. 3. primùm edito anno 1640. & poſtea ſæpe recuſo cum reliquis, diſputat. 15. num. 75. teſtatur, *Omnes ferè antiquos Theologos negare, quòd poſſimus operari ex opinione probabili minùs tuta relictâ probabiliore, & tutiore.* Et graviſſimus Author Antonius Cordubenſis in ſuo Queſtionario Theologico edito anno 1571. libro 2. quæſtione 3. concluſione 3. cùm aſſeruiſſet, *ad uſum licitum opinionis minùs tutæ exigi, quòd ſit probabilior*, ſubjunxit: *Et in hoc omnes Theologi conſentiunt.*

5. Quòd autem dictamen ultimum conſcientiæ, quo operans judicat, ſibi hic & nunc licitum eſſe talem actum exercere, debeat eſſe moraliter certum, & evidens, cenſent communiter Authores ſententiæ benignæ contra P. Vazquez 1. 2. diſput. 6. num. 22. & P. Thomam Sanchez lib. 1. ſum. cap. 9. num. 18. Quomodo autem poſſit fundari dictamen certum, quòd hic, & nunc mihi liceat exercere actum, de quo mihi probabiliùs, ſeu veriſimiliùs eſt eſſe ſecundùm ſe intrinſecè malum, Authores benigni conantur explicare, ſed fruſtra; ut infra oſtendemus.

6. Neſcio autem, an multi ſint refragaturi noſtræ ſententiæ ſub his terminis propoſitæ: *Nemini licet ſequi ſententiam faventem libertati adverſùs legem, quando omnibus hinc inde conſideratis habet majus ſimpliciter fundamentum ad judicandum eſſe falſam, & legi Divinæ contrariam, quàm ad judicandum eſſe veram, & legi Divinæ conformem*; præſertim ubi fundamentum illud majus eſt rationis, & authoritatis ſimul, quia videt plures, & graviores Authores aſſerere, illum contractum eſſe in ſe intrinſecè malum, & uſurarium, & eorum fundamenta apud ipſum præponderant fundamentis ſententiæ contrariæ, ipſique apparent urgentiora, & veriſimiliora in actu primo.

CAPUT II.

Multiplici ratione ſtatuitur noſtra concluſio.

7. Pleræque ex rationibus, quibus Diſſertatione præcedenti oſtendimus, nemini licitum eſſe ſequi ſententiam faventem libertati adverſùs legem, quando habet evidenter majus fundamentum authoritatis, & rationis cum notorio exceſſu ad judicandum eſſe falſam, quàm ad judicandum eſſe veram, ſeu non eſſe licitum ſequi opinionem minùs tutam relictâ majore, quando hęc apparet operanti manifeſtè veriſimilior

tum

Digitized by Google

tum authoritate, tum ratione: pleręque, inquam, ex iis rationibus idem probant, quando omnibus inſpectis habet abſolutè maius fundamentum, præſertim authoritatis, & rationis ſimul; quia nimirum pars ſtans pro præcepto apparet operanti in actu primo ſimpliciter, & abſolutè veriſimilior, quàm pars oppoſita; quandoquidem momenta rationis, & authoritatis magis inclinant in priorem partem.

8. Prima præſertim ratio etiam hìc militat: non enim ſolùm eſt minor prudentia, ſed poſitiva imprudentia, & temeritas ſequi ſententiam faventem libertati adversùs legem, quando omnibus hinc inde conſideratis, illa tibi magis apparet falſa, quàm vera, magis contraria, quàm conformis legi æternæ. Nunc alias rationes adiungemus.

§. I.

Prima ratio noſtræ aſſertionis: quia non eſt facile diſcernere inter probabilitatem ſimpliciter, & abſolutè minorem, & probabilitatem manifeſtè, & evidenter minorem. Unde cùm licitum non ſit ſequi ſententiam minùs tutam, quando eſt manifeſtè, & evidenter minùs probabilis ſententiâ tutiore; neque erit licitum, quando ſimpliciter, & abſolutè eſt minùs probabilis.

9. Illud primum non eſſe licitum, oſtendimus Diſſertatione precedenti. Quòd autem non ſit facile diſcernere inter illa duo, probatur. Quamvis enim P. Eſparza in Appendice artic. 112. dicat, Theologos huius ſæculi dum affirmant licitum eſſe ſequi opinionem minùs probabilem relictâ probabiliore, & tutiore, non loqui quando opinio tutior apparet operanti ut manifeſtè, & evidenter probabilior, ſeu veriſimilior, ſeu quando exceſſus probabilitatis, & veriſimilitudinis eſt manifeſtus, & evidens, ſed dubius, quia exiguus; ac proinde loqui quando opiniones illæ ſunt ferè æquales; Quamvis, inquam, hæc dixerit P. Eſparza, hoc eius pronuntiatum non videtur quadrare modo præcedenti Theologorum, dum hìc diſtinguunt duas quæſtiones, eaſque proponunt ut diverſas, longèque maiorem difficultatem agnoſcunt in prima, quàm in ſecunda; nam ſi exceſſus probabilitatis opinionis tutioris ſupra minùs tutam ſit adeo exiguus, ut ab intellectu nequeat evidenter, & manifeſtè notari, ſed ſolùm dubiè apprehendi, opinio tutior non apparet abſolutè, & ſimpliciter probabilior, ſed æquè probabilis; ſicut ubi exceſſus unius montis ſupra alium eſt adeò exiguus, ut illum nequeat viſus evidenter percipere, & notare, mons ille non apparet abſolutè, & ſimpliciter major alio, ſed ſimpliciter apparet æqualis. Ergo cùm Theologi diſtinguant unam quæſtionem ab alia, conſequens videtur eſſe, ut dum affirmant, non ſolùm eſſe licitum ſequi opinionem minùs tutam, quando oppoſita apparet æquè probabilis, ſed etiam quando apparet probabilior, affirment licitum eſſe ſequi opinionem minùs tutam, quando exceſſus probabilitatis ex parte alterius eſt manifeſtus, & evidens intellectui.

10. Ut ergo opinio aliqua dicatur apparere probabilior abſolutè, & ſimpliciter alterâ, requiri videtur, quòd intellectus clarè, & evidenter experiatur majorem vim movendi, & inclinandi ad aſſenſum in fundamentis illius ſententiæ, quàm in fundamentis oppoſitæ, & quòd ſignatè, & reflexè poſſit evidenter judicare, fundamenta illa eſſe apud ſe majora, atque urgentiora. Ut autem hoc experiatur, non eſt neceſſe, quòd manifeſtè animadvertat plures Doctores eſſe pro illa ſententia, quàm pro oppoſita: vel enim aſſentitur opinioni precisè credendo illius Authoribus, quatenus illi veriſimile repræſentatur, quod viri probi, ac ſapientes affirmant, quamvis non capiat fundamenta rationis, quibus illi Authores permoti ſunt; vel aſſentitur propter motiva rationis, quibus videt ſententiam illam à probis, & ſapientibus defendi, ita ut ratio authoritate munita ſit aſſentiendi motivum. Et in neutro caſu requiritur, quòd animadvertat plures Doctores ſtare pro illa ſententia. Nam in primis, quamvis aſ-

ſen-

Digitized by Google

ſentiatur præcisè ob authoritatem Doctorum, poteſt illi repræſentari ut veriſimilior ſententia, quæ pauciores habet Authores; nimirum quia etſi pauciores numero, tamen, ſapientiâ, & doctrinâ ſuperiores ipſi apparent: ut ſi videat pro aliqua ſententia præter antiquos majoris nominis ſtare Authores modernos diligentiſſimos, qui exactiſſimè rem tractârunt, & profundè diſcuſſerunt, & examinatis fundamentis oppoſitæ, illa deſerunt ut invalida, & propter fundamenta denuo à ſe excogitata in talem ſententiam magna cum adhæſione abierunt. Omnibuſque penſatis veriſimilius ipſi repræſentatur, quod à paucioribus ex profeſſo rem examinantibus aſſeritur, quàm quod à pluribus inſtar avium, & ovium priorum veſtigia prementibus defenditur. Si autem ob rationum momenta aſſenſum præbeat, poſſunt ei repræſentari ut validiora, & urgentiora, quæ à paucioribus, ſed diligentioribus, & profundioribus in medium prolata ſunt.

11. Nec in præſenti quæſtione loquor pro caſu, in quo alicui ob peculiarem rationem ab ipſo excogitatam repræſentatur pars benigna ut veriſimilior oppoſitâ, quæ communi calculo Doctorum firmata eſt: huic enim veriſimilitudini communiter loquendo non multùm fidere debet, ſed potiùs prudentiæ erit timere, ne ratio ipſi occurrens ſit merum ſophiſma, vel ne eius veriſimilitudo oriatur ex animi paſſione, vel ignorantia. Loquor ergo, quando fundamenta illa, quæ ipſi apparent urgentiora, viſa ſunt vera, & ſolida viris verè probis, & ſapientibus poſt diligentem, & profundam rei, & controverſiæ diſcuſſionem, ita ut pondus authoritatis non ſit abſolutè minus pro hac ſententia, quàm pro oppoſita. Vel ſi ſit minus, adſit pro illa vir aliquis magnus, qui multùm, diuque in ea examinanda laboraverit, novaſque rationes ab antiquis non tactas pro ea excogitaverit, & infirmitatem fundamentorum oppoſitæ ſententiæ detexerit. His ſuppoſitis ad rem deveniamus.

12. Quare fundamenta à nobis propoſita Diſſertatione præcedenti, hanc etiam concluſionem confirmant. Nam ut modò dicebamus, nequit ſententia minùs tuta apparere operanti ſimpliciter, & abſolutè veriſimilior, & probabilior, quin hic exceſſus probabilitatis ſit manifeſtus, & evidens ipſi operanti. At non licet ſequi ſententiam minùs tutam, quando ſententia tutior apparet operanti manifeſtè veriſimilior. Nec ergo licet ſequi ſententiam minùs tutam, quando ſententia tutior apparet operanti veriſimilior abſolutè, & ſimpliciter. Minorem probavimus multis rationibus, quibus nunc addimus novam confirmationem inſinuatam Diſſertat. præced. §. 1. Non licet ſequi ſententiam minùs tutam in illis circumſtantiis, ſub quibus non manet probabilis, id eſt, nitens magno fundamento. Atqui ſententia minùs tuta non manet probabilis reſpectu operantis, quando ſententia tutior apparet ei manifeſtè, & evidenter veriſimilior. Siquidem ſub illis circumſtantiis eius fundamentum non eſt magnum. Ut enim inquit P. Eſparza in Appendice art. 112. quando fundamentum unius partis evidenter, & manifeſtè, atque indubitanter eſt maius, quàm fundamentum oppoſitæ partis, eo ipſo fundamentum illud apparet parvum ſub ea comparatione, nec retinet ampliùs vim magnam pertrahendi ad aſſenſum. Ergo non licet ſequi ſententiam minùs tutam, quando ſententia tutior apparet operanti manifeſtè veriſimilior.

13. Deinde independenter ab hoc diſcurſu ferè ſingulæ rationes à nobis propoſitæ Diſſertatione præcedenti militant pro hac concluſione, ut patebit per ſingulas diſcurrenti. Nam prima evertens fundamentum à priori ſententiæ contrariæ, ſicut probat eſſe inſignem fallaciam contendere eſſe prudentiam uti ſententiâ minùs probabili in occurſu oppoſitæ apparentis cum maiori probabilitate manifeſtè, & evidenter, ex eo quòd opinio probabilis abſolutè, & ſimpliciter nitatur fundamento prudenti; ita probat eſſe fallaciam id ipſum contendere, quando opinio tutior apparet abſo-

abſolutè, & ſimpliciter veriſimilior operanti. Secunda etiam deſumpta ex eo, quòd nemini liceat ſequi ſententiam, cui non poteſt aſſentiri, militat pro hac concluſione. Quia implicat intellectum noſtrum, etiam ex imperio voluntatis aſſentiri uni parti contradictionis, quando oppoſita apparet ei abſolutè, & ſimpliciter veriſimilior. Et idem conſtabit applicanti illas rationes præſenti concluſioni. Et ideo eis ſuppoſitis novas rationes pro hac concluſione conficiamus eas præcedentibus coniungentes.

§. II.

Secunda ratio noſtræ ſententiæ. Quia qui ſequitur opinionem minùs tutam, quando opinio tutior apparet ipſi ſimpliciter, & abſolutè veriſimilior authoritate, & ratione, nequit defendere coram Deo ſuum modum operandi.

14. ARgumentor ſic. Qui rectè operatur, poteſt coram Supremo Judice iuſtam ſuæ operationis defenſionem opponere, & modum ſuum operandi defendere: At qui operatur ſecundùm opinionem minùs tutam relictâ tutiore, quæ ſibi ab authoritate, & ratione apparet abſolutè, & ſimpliciter veriſimilior, nequit coram Supremo Judice hunc modum operandi defendere: Ergo non rectè operatur. Maior, & conſequentia ſunt evidentes. Probatur minor, quia nihil poterit reſpondere Judici interroganti, cur ſecutus ſit ſententiam illam ſibi favorabilem, quandoquidem viderit oppoſitam eſſe abſolutè, & ſimpliciter veriſimiliorem authoritate, & ratione.

15. Si enim reſpondeat: Domine, ſectatus ſum illam ſententiam, quia duodecim Authores graves illam ut veram docuerunt; ſtatim Judex opponet: Serve nequam, hæc tibi reſponſio non proderit. Quid enim referebat ad ſecuritatem tuæ conſcientiæ ſcire, quòd duodecim Authores contractum illum defendebant ut licitum, ſi ſimul ſciebas viginti graviores illum defendere ut illicitum, & authoritas iſtorum maioris apud te erat momenti? Cur minorem authoritatem maiori prætuliſti? Nonne ſciebas faciliùs eſſe, quòd decipiantur duodecim, quàm viginti Doctores?

16. Si autem reſpondeat: Domine, ſecutus ſum opinionem illorum duodecim Doctorum, quia nitebatur fundamento gravi, & prudenti, utpote quo moti ſunt tot viri ſapientes, & probi: ſtatim Deus reponet; Serve nequam, ex ore tuo te iudico, nam illud fundamentum ideo fuit grave, & prudens reſpectu illorum Doctorum, quia ipſis apparuit veriſimilius fundamento ſententię contrariæ; tibi autem è contra fundamentum ſententiæ contrariæ apparuit abſolutè, & ſimpliciter ut ſenſibiliter veriſimilius: cur ergo contempſiſti ſententiam, quæ in tua æſtimatione nitebatur fundamento maiori, ut ſectareris ſententiam, cuius fundamentum tibi apparuit minùs veriſimile? Ergo non motus es ad ſectandam ſententiam tibi favorabilem à momentis rationis, nec à pondere authoritatis; quandoquidem tu ipſe agnoſcebas maius authoritatis, & rationis pondus in ſententia ſtante pro meo præcepto, & lege. Ergo in operando non meam legem, & voluntatem, ſed carnem, & ſanguinem conſuluiſti. Nonne tibi evidens erat, ex illis duabus ſententiis alteram eſſe falſam, & alteram dumtaxat eſſe veram? Cur ergo habens urgentiſſima fundamenta ad tibi perſuadendum, veram eſſe ſententiam ſtantem pro mea lege, ſectatus es ſententiam tibi favorabilem, quam eſſe falſam illa fundamenta tibi urgentiſſimè ſuadebant, & pro cuius veritate minora tibi fundamenta apparebant comparativè ad fundamenta alterius? Quid ad hæc reſpondere poterit homo ille? obmuteſcet planè, *omniſque iniquitas oppilabit os ſuum*.

17. Sanè ſi ſententia illa, quæ repræſentatur ut veriſimilior, eſſet operanti favorabilis, & carni, & ſanguini conformis, poſſet ille prudenter ſuſpicari, illam maiorem apparentiam veritatis forſan provenire ex paſſione, & amore proprio, non autem ex vi ipſius rationis. Nam ut inquit D. Thomas 2. 2. quæſt. 60. art. 3. *Unuſquiſque facilè credit quod appetit.*

At

Digitized by Google

At ubi ſententia, quæ operanti repræſentatur ut longè probabilior, eſt carni, & ſanguini contraria, id non provenit ex pravo affectu, & diſpoſitione operantis, ſed ex ipſa rei veritate. Rurſus: ſi operanti appareret probabilior ſententia rigida ex vi alicuius rationis primò ab ipſo adinventæ, & ex proprio cerebro fabricatæ, poſſet prudenter ſic forſan diſcurrere: Ingenium meum exiguum eſt; præſertim ſi comparetur cum acumine tot virorum ſapientum, qui arbitrati ſunt talem contractum eſſe licitum: forſan ratio, quæ magnam mihi vim infert, eſt merum ſophiſma, quod prævifum, & contemptum fuit ab his Doctoribus. Et fundamenta, quæ illos impulêre ad ita opinandum, me parùm movent, quia eorum vim non penetro. Ergo prudentiæ erit rationem mihi occurrentem ut validam poſtponere tot Doctorum authoritati. Hoc diſcurſu poterit operans obtinere, ut ſententia communis appareat illi abſolutè veriſimilior ob tantorum virorum authoritatem, quàm ſententia oppoſita, pro qua ratio illa ei occurrit.

18. At ubi ſententia rigida apparet operanti veriſimilior, non præciſè ob fundamenta aliqua nova ab ipſo excogitata, ſed ob fundamenta illa, quæ vicenos Doctores graves pertraxerunt ad illam amplectendam; & fundamenta ſententiæ contrariæ, quæ ipſi videntur parùm ſolida, talia etiam viſa ſunt tot illis viris ſapientibus, nullum eſt fundamentum ad prudenter coniectandum, potiùs falli Doctores ſententiæ rigidæ, quàm Doctores ſententiæ contrariæ, qui pauciores ſunt, & minoris authoritatis; ſed potiùs adeſt fundamentum urgentiſſimum ad prudenter iudicandum falli Doctores ſententiæ benignæ. Immò quamvis rationes pro utraque ſententia occurrentes apparerent æquè veriſimiles, poſſet homo prudenter coniectare veritatem eſſe potiùs in ſenten-tentia rigida carni, & ſanguini contraria, quàm in ſententia favorabili; quia poſſet ſic diſcurrere: Forſan quòd ſententia rigida mihi appareat æquè veriſimilis ac ſententia benigna favens meæ libertati, non provenit ex ſoliditate fundamenti, ſed ex mea inclinatione; facilè enim apparent credibilia, quæ ſunt inclinationi naturali conformia. In dubio ergo præſumere debeo veritatem eſſe penes ſententiam carni, & ſanguini contrariam.

§. III.

Tertia ratio noſtræ ſententiæ.

Quia ubi ſententia tutior, ſeu ſtans pro lege adversùs libertatem, apparet operanti ſimpliciter, & abſolutè veriſimilior, tunc formaliter, vel æquivalenter judicat, rem eſſe illicitam: & ſuppoſito hoc judicio, eſſet peccatum rem illam exequi.

19. Tertiò argumentor pro noſtra ſententia. Nam ubi ſententia magis tuta, quæ affirmat rem eſſe illicitam, ſeu à Deo prohibitam, apparet operanti abſolutè, & ſimpliciter veriſimilior ſententiâ favorabili aſſerente rem eſſe licitam, vel intellectus debet ſententiæ illi veriſimiliori aſſentire, vel ſuſpendere liberè aſſenſum.

20. Nam ut probavimus Diſſertat. præcedenti, impoſſibile eſt, quòd poſſit aſſenſum præſtare parti contradictionis ſibi minùs veriſimili. Ergo ſi tunc homo ſectando ſententiam favorabilem exequeretur rem illam, de qua ſunt opiniones, an ſit, vel non ſit prohibita, vel exequeretur poſt iudicium, quo aſſentiens ſententiæ tutiori iudicaret rem illam eſſe prohibitam, vel poſt liberam ſuſpenſionem talis iudicii; & utroque modo peccaret. De primo patet: quia peccatum eſt exequi rem, quam univerſaliter iudicas eſſe prohibitam, & malam. De ſecundo probatur: nam perinde ſe habet operari cum proxima poteſtate habendi cognitionem, ac operari cum ipſa cognitione: non enim te excuſat carentia cognitionis, quam liberè omiſiſti, ut impunè, & ſine conſcientiæ remorſu rem exequereris. Idem eſt rem exequi, quando prudentiſſimè poteras iudicare eſſe prohibitam, minimèque poteras iudicium ferre quòd non eſſet prohibita;

bita; ac ſi illam exequereris, quando iudicabas eſſe prohibitam. In huius rei confirmationem annotanda eſt doctrina S. Juſtini in Explicatione Quæſtionum Gentium reſponſ. 140. ubi docet in Scriptura ignorationem, quæ culpâ hominis ineſt, cùm potuiſſet facilè Deum nôſſe, dici aliquando ſcientiam, & cognitionem. Quod confirmat illo Joann. 7. *Et me ſcitis, & unde ſim ſcitis*, id eſt, *ſcire, & cognoſcere poteſtis, de facto enim illi ignorabant Chriſtum*. Sicut ergo perinde fuit Chriſtum negare, & perſequi, quando facilè poterant cognoſcere eſſe Chriſtum, ac ſi illum perſecuti fuiſſent, cognoſcentes eſſe Chriſtum; ita perinde eſt rem exequi, cùm prudenter judicare potes eam eſſe prohibitam, ac illam exequi, cùm iudicas eſſe prohibitam. At hoc ſecundum eſt peccatum; ergo & illud primum.

§. IV.

Quarta ratio noſtræ ſententiæ.

Quia nemo poteſt licitè in operando ſequi ſententiam minùs tutam, quando judicat eſſe falſam: poſſet autem illam tunc ſequi, ſi cuilibet licitum foret ſequi ſententiam probabilem minùs tutam, relictâ tutiore, & ſibi probabiliore; ut aſſerunt Probabiliſtæ benigni.

21. Quòd nemo poſſit ſequi ſententiam minùs tutam, ſeu faventem libertati adversùs legem, v. g. ſententiam benignam aſſerentem non eſſe uſurarium aliquem contractum, quando iudicat eſſe falſam, ſeu in ſenſu compoſito talis iudicii, eſt communior ſententia inter Authores benignos, ut latè oſtendunt P. Eſparza in Appendice art. 143. & duobus ſequentibus, & P. Antonius Terillus in tomo de Conſcientia Probabili queſt. 30. cum Breſſero, & Caſtro-Palao. Eam eſſe veriſſimam latè probabimus Diſſertatione quintâ; ubi oſtendemus, non licere viro docto operari contra ſententiam propriam magis tutam, ſequendo opinionem aliorum, quam ipſe minùs probabilem, & abſolutè falſam cenſet. Nunc breviter probatur: quia qui judicat eſſe falſam ſententiam faventem ſuæ libertati adversùs legem, iudicat eſſe contra primam regulam totius honeſtatis, nimirum contra voluntatem Dei, & legem æternam; ideò enim ſententia hominum minùs tuta, ſeu affirmans aliquam actionem non eſſe prohibitam, eſt falſa, quia approbat ut licitum, quod lex æterna, & voluntas Divina reprobat ut illicitum: ac proinde idem eſt judicare illam ſententiam eſſe falſam, ac iudicare eſſe contrariam primæ regulæ totius honeſtatis. Implicat autem ut quis licitè, & ſecurè poſſit ſequi tamquam regulam ſecundariam rectè operandi ſententiam hominum, quam iudicat eſſe falſam, & contrariam primæ regulæ totius honeſtatis; eſtque prorſus implicatorium, ut mihi liceat ſequi ſententiam, & iudicium hominum errantium contra legem Dei, quando prudenter iudico illos errare: ſolùmque tunc licitè potero ſequi homines inculpabiliter errantes contra legem Dei, quando bonâ fide, & prudenter, vel ſaltem inculpatè puto illos non errare, ſeu quando mihi perſuadeo illos verum aſſerere, dum affirmant, actionem aliquam non eſſe malam, v. g. aliquem contractum non eſſe uſurarium.

22. Probatur ſecundò: quia qui prudenter iudicat eſſe falſam ſententiam aſſerentem actionem aliquam non eſſe intrinſecè malam, & lege naturali prohibitam, v. g. aliquem contractum non eſſe uſurarium, hoc ipſo iudicat illam actionem eſſe intrinſecè malam, & lege naturali prohibitam, v. g. contractum aliquem eſſe uſurarium. Implicat autem, ut qui hoc iudicat, poſſit licitè illam actionem exercere in ſenſu compoſito illius iudicii: quia dum iudicat eſſe intrinſecè malam, & prohibitam, iudicat eſſe ab omnibus fugiendam, tamquam contrariam voluntati Dei, & legi naturali æternæ. Dum autem hoc iudicat, impoſſibile eſt, ut poſſit formare dictamen practicum, quo ſibi perſuadeat, ſibi hic, & nunc licitum eſſe exercere talem actionem: quia hæc duo iudicia ſunt

Digitized by Google

penitus incompoſſibilia: Actio A. eſt ſecundùm ſe intrinſecè mala, & lege æternâ omnibus prohibita, & conſequenter prohibita mihi; & nihilominus mihi hìc, & nunc licet eam facere. Alioqui vel iudicaret non eſſe prohibitum ſibi illud ipſum, quod iudicat omnibus ſine exceptione eſſe prohibitum; vel iudicaret non eſſe ſibi illicitum facere illud ipſum, quod iudicat eſſe ſibi lege æternâ prohibitum, v. g. ſibi illicitum non eſſe inire contractum, quem hìc, & nunc iudicat eſſe uſurarium: quæ ſunt planè implicatoria, ut in Diſſertatione citata latè oſtendam.

23. Probatur tertiò: quia authoritas Doctorum affirmantium actionem aliquam non eſſe intrinſecè malam, & lege æternâ prohibitam, v. g. aliquem contractum non eſſe uſurarium, nihil valere poteſt ad aſſecurandam conſcientiam illius, qui prudenter iudicat illos in ea aſſertione decipi; & non obſtante totâ illorum authoritate, perſiſtit prudenter & ſine ulla temeritate in ſententia ſua. Si enim authoritas illorum impetrare à me non poteſt, ut ego deponam iudicium meum, & me conformem iudicio ipſorum, eorumque ſententiæ aſſenſum prudenter præbeam; certè authoritas illorum nequit mihi ſufficere, ut illos prudenter in praxi operandi ſequar; quia non eſt mihi verè probabile iudicium hominum, quod ego prudenter iudico eſſe falſum, & ut tale prudenter improbo. Ut enim inquit Auguſtinus libro de Utilitate credendi, loquens contra Academicos: *Quis quod probat non credit? aut quomodo eſt illud, quod ſequuntur, ſi non probatur, probabile?* Unde non poſſum licitè in operando probare, quod in iudicando improbo. Sequi enim in operando homines errantes contra legem Dei, quando prudenter iudico illos errare in ſua ſententia, non poteſt eſſe niſi imprudentia magna, & temeritas.

24. Quòd autem poſſet quis licitè ſequi ſententiam minùs tutam, quando iudicat eſſe falſam, & legi Divinæ contrariam, ſi cuilibet licitum foret ſequi ſententiam probabilem minùs tutam relictâ tutiore, & ſibi probabiliore, nunc probandum eſt. Probatur autem: quia ubi operanti probabilius, & veriſimilius eſt eſſe falſam ſententiam minùs tutam faventem libertati adversùs legem, præſertim ubi authoritate, & ratione eſt illi probabilius, quia videt pro ſententia tutiore eſſe plures, & graviores Authores, & agnoſcit eorum fundamenta eſſe urgentiora; tunc prudentiſſimè ille poteſt iudicare, illam ſententiam eſſe falſam, & legi Divinæ contrariam, ac proinde illam actionem eſſe intrinſecè malam, & lege Divinâ prohibitam. Perinde autem eſt facere actionem intrinſecè malam, quando potes iudicare eam eſſe malam, ac facere, quando iudicas eſſe malam. Quamvis enim liberè poſſis ſuſpendere iudicium de malitia actionis, illa ſuſpenſio iudicii non tollet obligationem abſtinendi ab illa actione, quam prudentiſſimè poteras iudicare eſſe malam: alioqui in poteſtate ſubditi, cui data eſt facultas proxima iudicandi de malitia actionis, foret habere, vel non habere obligationem evitandi illam actionem: quia ſi iudicet eſſe malam, habet obligationem abſtinendi ab illa; & per te, ſi non iudicet actualiter de malitia actionis, non habet talem obligationem. Abſurdum autem eſt, quòd ſit in poteſtate ſubditi excutere à ſe obligationem legis ſibi impoſitæ à Deo, & ſufficienter intimatæ, dum ei dedit poteſtatem proximam prudenter iudicandi de exiſtentia legis prohibentis talem actionem, & reddentis illam illicitam: cui enim poſt diligentem veritatis inquiſitionem, veriſimilius apparet dari legem prohibentem talem actionem, lex ſufficienter intimata eſt; nec excuſari poteſt per ignorantiam, ſi agat contra illam. Non enim ignorat invincibiliter legem, qui prudenter potuit iudicare dari talem legem, & non iudicavit, quia noluit.

§. V.

Digitized by Google

§. V.

Quinta ratio noſtræ ſententiæ.

Quia abſurdum eſt, Judicem in judicando, & Medicum in applicandis medicinis obligari ad ſequendam ſententiam probabiliorem; & non obligari hominem, quando controverſia eſt, an res ſit licita necne, ad operandum ſecundùm ſententiam tutiorem, & probabiliorem.

25. ANtequam argumentum conficiam ſuppono, graviores Theologos huius ſæculi affirmare, quando opiniones verſantur circa jus, teneri Judicem in conſcientia judicare ſecundùm ſententiam probabiliorem; & ſimiliter Medicum in applicandis medicinis. Nam ubi controvertitur ad quem attineat majoratus, an ad Petrum, an ad Paulum, quamvis Judex videat ſententiam probabilem ſtare pro Paulo, ſi tamen cognoſcat ſententiam probabiliorem, & cuius fundamenta validiora ipſi apparent, ſtare pro Petro, debet ſententiam ferre ſecundùm ſententiam probabiliorem: & oppoſita ſententia damnata iam eſt ab Innocentio XI. Similiter Medicus, dum dubium occurrit, an medicamentum calidum, an frigidum ſit ægroto applicandum, quamvis ſententia ſtans pro medicamento frigido ſit probabilis, ſi tamen videat oppoſitam eſſe probabiliorem, debet illam ſequi, & medicamenta calida applicare. Ita Vazquez, Valentia, Thomas Sanchez, Azor, Layman, Becanus, Filliucius, Reginaldus, Torres, Sotus, Bañez, & alii apud Dianam 1. part. tract. 3. reſolut. 20. Item P. Henriquez de Romani Pontificis Clave lib. 4. cap. 18. num. 4. Dicaſtillo lib. 2. de Juſtitia tract. 20. diſput. 3. dub. 5. num. 94. Cardinalis de Lugo tom. 2. de Juſtitia diſput. 36. num. 92. P. Bardi de Conſcientia diſcept. 4. cap. 27. num. 10. dicens contrariam ſententiam (etiamſi circa ius tantùm opiniones verſentur) eſſe improbabilem, & falſam: ac noviſſimè P. Antonius Terillus tract. de Conſcientia Probabili quæſt. 24. Eſtque ſententia iſta communiſſima inter ipſos Probabiliſtas. Eam autem eſſe veriſſimam probabimus §. ſequenti. Nunc verò ſuppoſitâ eius veritate ex conceſſione plerorumque adverſariorum, contendo idem omnino dicendum eſſe in caſu præſentis controverſiæ, quando eſt controverſia, an res ſit prohibita, vel non ſit prohibita, an ſit Deo iniurioſa, vel non ſit iniurioſa. Abſurdum namque eſt, pro tribunalibus, in quibus agitur de rebus temporalibus honoris, vel rei familiaris, nos exigere menſuram exactiorem, & ſtrictiorem, nempe opinionem magis veriſimilem, & magis fundatam: in tribunali autem conſcientiæ, in quo agitur de æterna animæ ſalute, & de iniuriis Dei, eam menſuram exactam non exigere, ſed aliâ minùs exactâ contentos eſſe. Hoc enim perinde eſt, ac ſi quis ad menſurandum vinum, & oleum exigeret menſuram exactiſſimam, non autem pro menſurando balſamo; & pro appendendo plumbo, vel ferro exigeret ſtateram exactiſſimam, non autem pro appendendo auro.

26. Deinde argumentor: quia abſurdum eſt concedere proximo meo ius adversùm me, ne ego in rebus ſpectantibus ad eius vitam, honorem, vel rem familiarem dirigar opinione minùs probabili ipſi contraria, relictâ opinione probabiliore favente ipſi; & negare Deo ius hoc, ne ſcilicet in rebus ad eius honorem, atque ad impletionem eius præceptorum ſpectantibus, ego obligatus ſim ad operandum ſecundùm opiniones probabiliores ſtantes pro eius honore, & præcepto. Hoc reverâ nihil aliud eſt, quàm maiorem in homine ponere obligationem ad proſpiciendum lucris, & commoditatibus alterius hominis, quàm ad procurandum Divinum beneplacitum, & propulſandas Creatoris iniurias implendo voluntatem eius præceptivam. Quod ex ipſa terminorum apprehenſione apparet diſſonum rationi: quia hoc idem eſt ac ſi dicas, charitatem erga proximum ſtrictiùs obligare, quàm charitatem erga Deum. Nam charitas erga proximum me obligat ad non ſectandam opinionem minùs probabilem pro-

ximo contrariam in occurſu probabilioris ipſi favorabilis: charitas verò erga Deum iuxta hos Authores minimè obligat ad non ſectandam opinionem minùs probabilem contrariam Divino precepto, in occurſu probabilioris ſtantis pro præcepto. Siquidem docent, quamvis mihi appareat veriſimiliùs Deum graviter offendendum ex celebratione alicuius contractûs, poſſe me illum exercere, ſi datur ſententia probabilis in contrarium. Idque confirmatur præclarâ authoritate, & ratione D. Chryſoſtomi hom. 13. in cap. 7. epiſt. 2. ad Corinth. ubi hæc habet: *Non igitur multorum opiniones habeamus, ſed res ipſas inquiramus. Quomodo autem non abſurdum, propter pecunias aliis non credere, ſed ipſas numerare, & ſupputare; pro rebus autem amplioribus aliorum ſententiam ſequi ſimpliciter? Præſertim cùm habeamus omnium exactiſſimam trutinam, & gnomonem, ac regulam; Divinarum, inquam, legum aſſertionem. Ideo obſecro, & oro omnes vos, ut relinquatis, quidnam huic, vel illi videatur; deque iis ab Scripturis hæc omnia inquirite, & veras divitias diſcentes, eas ſectemur, & æterna bona aſſequamur.* Quid illuſtrius pro noſtra ſententia dici potuit? Similia habet hom. 44. in Matth. ubi ſic inquit: *Si veſtimentum empturus, unum gyras negotiatorem, & alterum, & ubi meliores veſtes inveneris, & pretio viliori, ab illo comparas; an non oportet populum circuire omnes Doctores, & inquirere ubi ſincera veritas Chriſti venumdetur, & ubi corrupta; & veriorem eligere pluſquam veſtimentum?*

27. Reſpondebunt forſan adverſarii in caſu iudicis, quando probabilius eſt maioratum, v. g. attinere ad Petrum, licet detur opinio probabilis, quòd attineat ad Paulum, tunc non dari opinionem probabilem, quòd iudex poſſit adjudicare maioratum Paulo; quia opinio illa probabilis eſt dumtaxat circa ius, non tamen circa licentiam operandi: at in noſtro caſu dari opinionem probabilem, quòd poſſit homo licitè exercere illum contractum. At contra primò; quia Authores affirmantes maioratum pertinere ad Paulum, hoc ipſo probabiliter affirmant iudicem poſſe eum ipſi adiudicare: & tamen quando hec opinio concurrit cum opinione probabiliore apud ipſum, quòd maioratus ſit Petri nequit, illum Paulo adiudicare. Ergo pariter quamvis detur ſententia probabilis, quòd ſit licitus aliquis contractus, ſi tamen apud operantem ſententia oppoſita ſit probabilior, non poterit licitè exercere contractum illum. Contra ſecundò: quia quamvis ſit probabile maioratum non attinere ad Petrum, ſed ad Paulum, nihilominus quando illa opinio concurrit in intellectu Judicis cum alia probabiliore aſſerente majoratum attinere ad Petrum, non eſt probabile per te, quod Judex poſſit ſecundùm ſententiam Paulo favorabilem operari. Ergo quamvis detur opinio probabilis favens libertati, & affirmans contractum non eſſe prohibitum, nihilominùs ſi hæc opinio objectivè concurrit in meo intellectu cum alia apud me probabiliori, quæ affirmat contractum eſſe prohibitum, & Deo injurioſum, non erit probabile, me poſſe operari ſecundùm ſententiam minùs probabilem faventem libertati relicta probabiliori ſtante pro præcepto, atque pro Deo. Quæ diſparitas hic excogitari poteſt? Planè nulla. Nam ſi in occurſu opinionis probabilioris affirmantis contrâctum eſſe prohibitum, & illicitum, poſſum ego prudenter aſſentire opinioni contrariæ minùs probabili: ſimiliter in occurſu opinionis probabilioris mihi intimantis majoratum attinere ad Petrum, potero ego prudenter aſſentire opinioni contrariæ minùs probabili mihi teſtificantis attinere ad Paulum. Si autem ſemel prudenter iudico majoratum eſſe Pauli, licitè poſſum in favorem ipſius ſententiam proferre.

28. Quod hoc argumento evinco. Quilibet Judex poteſt prudenter iudicare, ſibi licitum eſſe dare unicuique, quod prudenter iudicat eius eſſe: ſed in tali caſu ego prudenter iudico majoratum eſſe Pauli juxta principia adverſariorum. Ergo prudenter iudicare poſſum mihi licitum eſſe maioratum in tali caſu tribuere Paulo. Conſequentia eſt ma-

Digitized by Google

manifeſta. Item maior: quia manifeſtum eſt licitum eſſe, unicuique tribuere ſuum, ideſt, quod creditur, atque cognoſcitur illius eſſe; nam quamvis revera res ſit alicuius, ſi ego per errorem inculpabilem credo illius non eſſe, non poſſum licitè eam ipſi adiudicare. Sola minor poterat difficultatem ingerere: cæterùm in principiis adverſariorum, nec minor dubia eſſe poteſt. Nam ſi quando in meo intellectu concurrunt fundamenta probabiliora, quòd res ſit illicita, cum aliis minùs probabilibus, quòd ſit licita, poſſum ego prudenter iudicare rem illam eſſe licitam. Ergo ſimiliter ſi in meo intellectu concurrunt fundamenta probabiliora, quòd maioratus ſit Petri cum fundamentis minùs probabilibus, quòd ſit Pauli, potero ego prudenter iudicare maioratum eſſe Pauli. Si autem prudenter id iudico, potero verba cum iudicio conformans, maioratum per ſententiam adiudicare Paulo.

29. Nec ſatisfacit, quod communiter reſpondent adverſarii: nimirum Judicem, & Medicum propterea non poſſe operari ſecundùm ſententiam minùs probabilem, quia ſi errent, eorum error redundat in damnum tertii: at ex eo, quòd ego errem ſequendo ſententiam minùs probabilem in occurſu probabilioris, & tutioris, nullum damnum ſequitur tertio. Non, inquam, ſatisfacit hæc reſponſio. Quia ſi coram Deo reprehenſibilis non eſt, qui errat ſequendo opinionem minùs probabilem faventem libertati, nec Deus de illo poteſt iuſtè conqueri; quia hoc ipſo, quòd ſecutus eſt opinionem abſolutè probabilem, prudenter operatus eſt: & quòd contigerit opinionem illam minùs probabilem reipsâ eſſe falſam, eſt error merè materialis, quem Deus homini illi non imputat. Nec etiam litigans, nec infirmus poterunt iuſtè conqueri de Judice, & Medico operantibus ſecundùm ſententiam minùs probabilem ipſis contrariam: quia quamvis ſententia Judicis, & medicamentum Medici eis damnum attulerint; totus hic error eſt materialis reſpectu Judicis, & Medici, nec eis poteſt imputari; ex quo in operando ſecuti ſunt ſententiam abſolutè probabilem. Meritòque Petro conquerenti quod privatus ſit maioratu, eò quòd Judex in ferenda ſententiâ probabiliorem ſententiam ſecutus non ſit, reſpondere poterit Judex: Fruſtra de me conquereris; ſiquidem ſi contra te ſententiam protuli, ideo feci, quia ego prudenter iudicavi maioratum ad te non attinere. Et ſanè, durum eſt velle, ut ego magis ſim adſtrictus, & obligatus ad conſulendum bonis tuis, quàm ad conſulendum honori Creatoris; ſeu ad impediendum tuum damnum temporale, quàm ad impediendam tranſgreſſionem præcepti Divini. Cum ergo inter duas opiniones, alteram probabiliorem affirmantem contractum eſſe prohibitum, alteram minùs probabilem affirmantem non eſſe prohibitum, poſſim ego hanc ſecundam ſequi relictâ priori; etiam inter duas opiniones, alteram probabiliorem tibi faventem, alteram minùs probabilem faventem Paulo, potero me conformare cum hac ſecundâ prudenter iudicando maioratum attinere ad Paulum. Id autem ita præſtiti, nec ullam tibi injuriam feci tribuendo Paulo, quod ad ipſum attinere prudenter iudicavi.

§. VI.

Impugnatur ſententia multorum benignæ ſententiæ Defenſorum, qui ut conſequenter procederent, affirmarunt, poſſe Judicem ſequi ſententiam minùs probabilem, relictâ probabiliore circa jus.

30. Diana par.2.tract.13.reſol.3. refert pro hac ſententiâ ſexdecim authores, & part. 11. tract. 2. reſol. 60. refert quinque ſupra viginti; & multorum verba deſcribit P. Moya tract.1. qu. 7. nullum autem Doctorem Societatis pro ea refert. Ut autem oſtendimus in Introductione ad has Diſſertationes, P. Joannes Pollenter in ſuo erudito opere, in quo oſtendit ſexaginta quinque propoſitiones damnatas ab Innocentio XI. multò ante eius Decretum fuiſſe

fuiſſe communi conſenſu reiectas ab Authoribus Societatis : & nominatim contra propoſitionem adſtruentem ut probabile, quòd poſſit Judex iudicare iuxta ſententiam minùs probabilem, dat verba expreſſa quadraginta & ampliùs authorum Societatis. Authores verò citati à Diana conſequenter ad principia de uſu licito opinionis minùs probabilis relictâ probabiliore, & tutiore, optimè diſcurrunt; ut enim vidimus §. antecedenti, hoc rectè infertur ex illis principiis. Cæterùm ingens abſurditas huius conſequentis efficaciter probat falſum eſſe antecedens, unde illud legitimè deducitur.

31. Quòd autem hæc Probabiliſtarum opinio ſit abſurdiſſima, nunc probandum nobis eſt. Probatur autem primò; quia Judices facit arbitros, & dominos omnium maioratuum, prædiorum, & bonorum de quibus controvertitur, ad quem ſpectent. Quoties enim lites excitantur, & dubia ſuper jure partium, communiter inter ſe authores diviſi ſunt; & alii huic, alii alteri parti favent. Ergo ſi Judex in ferendâ ſententiâ poteſt ſequi quamcumque opinionem probabilem, poterit rem, de quâ litigatur, cui voluerit adiudicare perinde ac ſi foret ſua, & cogeretur alteri è duobus donare. Quare ubi ipſi conſtiterit dari authores graves pro utraque parte, nihil ampliùs inquirendo, ſecundùm libitum ſuum poterit rem, cui maluerit, aſſignare. Secundò, quia ex illa ſententiâ ſequitur, fruſtrà quæri à litigantibus ſapientiores, & eloquentiores advocatos, ſeu cauſarum patronos. Nam eo præcisè fine deſiderantur peritiores, ut clientum ſuorum cauſas Judicibus veriſimiliores reddant, & hac via eos flectant ad ferendam ſententiam in ipſorum favorem : hic autem finis omninò ceſſat, ſi ſemel licet Judici ſententiam pronunciare ſecundùm ſententiam ſibi minùs veriſimilem, & minùs probabilem authoritate, & ratione. Ergo illa ſententia eſt contra lumen naturæ dictans litigantibus, ut pro defenſione ſuorum iurium quærant ſapientiores cauſidicos.

32. Tertiò; quia ex illâ ſententiâ ſequitur, nec Principes teneri ad juſtitiæ adminiſtrationem eligere viros ſapientiores, & legum periτiſſimos aliis præferre, nec ipſos Judices, & Senatores obligationem habere animum applicandi ad exactam iurium utriuſque partis cognitionem, ut ſic deprehendere poſſint, ad quem litigantium reipsâ attineat fundus, maioratus, vel prædium, de quo litigatur. Nam cùm facile ſit ſcire an pro utraque parte ſit ſententia probabilis, præſertim auditis utriuſque partis advocatis; & quilibet utcumque in evolvendis titulis, & indicibus librorum verſatus, facilè poſſit deprehendere, an ſint graves Doctores pro utraque ſententia; ſanè ſi cuilibet Judici licet ſecundùm opinionem minùs probabilem ſententiam proferre, nec Principes tenebuntur ſapientiores eligere, nec ipſi Judices obligationem habebunt iura partium inter ſe conferre, & motiva rationum utriſque faventia librare, ut ſententiam proferant. Hoc autem eſt contra ipſam iudiciorum naturam, & luminis naturalis dictamen. Ex ipſa enim naturæ inſtitutione præſumitur voluntas omnium hominum, qua in mutuam obligationem conſpirarunt, ut nemini liceat ſecundùm ſententiam minùs veriſimilem ſententiam proferre. Suâ enim cuilibet homini intereſt, ut debeat Judex rem adiudicare litiganti afferenti urgentiora fundamenta ad probandum rem ad ſe attinere. Eſt etiam contra Scripturam, quæ magnam ſapientiam in iudicio requirit Pſalm. 2. *Erudimini, qui judicatis terram*. Eccli. cap. 10. *Judex ſapiens judicabit populum*.

33. Probatur quartò abſurditas illius ſententiæ; quia ex illa fit, munus iudicandi non eſſe periculoſum. Nam ubi ius eſt manifeſtum, & evidens pro una parte, neque datur opinio in contrarium, Judex non audebit ſententiam contra evidens ius proferre, ne ab omnibus ut iniquus habeatur, & à Principe vel Republicâ puniatur. Rurſus, ubi ius eſt ita notorium, lites non moventur. Ubi autem ius eſt obſcurum, &

dan-

Digitized by Google

dantur diverſæ Doctorum opiniones, per te poteſt abſque conſcientiæ ſcrupulo rem cui maluerit litigantium adiudicare. Nullum ergo erit periculum in iudicandi munere. Hoc autem eſt apertè falſum & contra Scripturam Sap. 6. *Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam judicium duriſſimum iis, qui præſunt, fiet.* Eccli. 7. *Noli quærere fieri Judex.*

34. Probatur quintò: quia illa ſententia viam aperit ut Judices muneribus corrumpantur, & pauperibus dimiſſis potentibus faveant, ut ab eis gratiam referant. Si enim tutâ conſcientiâ amicis, conſanguineis, & potentibus placere poſſunt iudicando ſecundùm ſententias minùs probabiles; omnia ſecundùm humanum affectum diſponent. Imò promptum erit ſecundùm ſententiam minùs probabilem iudicare ut ſic munera, & lucrum à litigantibus accipiant. Nam prudentes Judices ſperare poterunt, homines, quibus jura minùs faveant gratitudinem oſtenſuros ob rem litigioſam ſibi adiudicatam, quod ab iis quorum iura veriſimiliora erant, non ita facilè ſperabunt; quia illi non gratiam interpretabuntur, ſed iuſtitiam, quòd ſibi fuerit res adiudicata. Si ergo licitè poſſunt iudicare ſecundùm ſententias minùs probabiles, utilius id ipſis erit ad lucrum licitum, & conſequenter prudentiùs ita agent.

35. Probatur ſextò: quia Judex, qui ita pronuntiaret: Quamvis clarè cognoſcam ius Petri ad hunc maioratum eſſe veriſimilius, & ſolidioribus fundamentis nitens, quàm ius Pauli, nihilominùs quia ius Pauli abſolutè probabile eſt; volo maioratum Paulo adiudicare: qui ita, inquam, pronuntiaret, iniquus haberetur; & meritò Petrus ab illius ſententia tamquàm iniquâ appellaret: & iniquus Judex meritò haberetur ab omnibus, qui ſententias proferret, ſecundùm opiniones ſibi minùs veriſimiles. E contra verò integer, & incorruptus, qui ſemper ſequeretur ſententias veriſimiliores, & ſolidioribus fundamentis vallatas.

36. Probatur ſeptimò ratione à priori; quia Judices & juſtitiæ tribunalia ordinantur ad ius ſuum unicuique tribuendum. Et ideò 5. Ethic. dicitur læſos confugere ad Judicem tamquàm ad animatam juſtitiam; & cùm evidens ſit, ex duobus contendentibus de aliquo majoratu, vel de alia re, cujus dominium in ſolidum penès duos eſſe non poteſt; alterum habere ius verum, & alterum dumtaxat apparens, debet Judex diligenter inquirere apud quem ſit ius verum, expendendo diligentiſſimè, ſemotâ omni paſſione, & affectu inordinato, utriuſque partis rationes, & fundamenta, ut illi rem tribuat, ad quem ſpectat. Et ideò ut dicitur 1. Rhetoric. 15. Judex debet eſſe ſicut cognitor argenti, & auri, ut obryſum ab adulterino diſtinguat, quia nimirum debet unicè attendere; quiſnam ex litigantibus habeat ius verum, & quiſnam ius dumtaxat apparens; nulloque modo perſonas reſpicere, ut ob amicitiam, conſanguinitatem, vel aliam ipſarum qualitatem dimoveatur à veritate judicii. Et ad hoc ſignificandum pingitur juſtitia cum bilance in una manu, & cùm gladio in altera, quo ſymbolo ſignificatur Judicem juſtè iudicantem nullo affectu in alterum ex litigantibus debere inclinari, ſed ſententiam definitivam proferre pro parte, cui magis jura favent, & quæ pro ſe validiora adducit fundamenta; conſiderando perſonas illas ut æquales, nulli potiùs quam alteri favendo, perindè, ac ſi nullum litigantium cognoſceret. Ergo Judex debet quantum poteſt laborare, ut deprehendat quænam ex partibus habeat ius verum, quænam ius dumtaxat apparens; & ubi veritas clarè cognoſci non poteſt, debet rem illi parti adiudicare, pro quâ videt urgentiora eſſe fundamenta; quia vi illorum poteſt prudenter iudicare rem ad illum hominem ſpectare.

37. Quòdſi omnibus inſpectis jura utriuſque partis apparent æqualia, nec Judex cognoſcat ius unius partis præeminere alteri, in neutrius partis favorem poteſt ſententiam proferre, ne ſe exponat manifeſto periculo privandi verum dominum re ſua, & ne temerè declaret rem ad unam partem potiùs

quàm

quàm ad alteram attinere, quando nullum habet fundamentum ad hanc prælationem faciendam. Quare tunc debet declarare utriuſque ius eſſe æquale, & æquè veriſimile; ac proinde rem dividere, vel compoſitionem inter partes facere: ut oſtendit Proſper Fagnanus inſignis Juriſconſultus, & Romæ utriuſque Signaturæ Referendarius, qui tribus Pontificibus, Urbano VIII. Innocentio X, & Alexandro VII. in graviſſimis negotiis inſervivit, in illuſtri Commentario ad Caput *Ne innitaris*, n.231. 235. & 244. Et conſtat ex doctrina Patris Thomæ Sanchez l.2.de matrim. diſp.41. nu. 15. cum Cajetano, Soto, Navarro, Henriquez, & aliis.

38. Numquam enim Judex poteſt ſententiam in favorem unius partis iuſtè proferre, quin interrogatus cur ita fecerit, poſſit reddere rationem, cur potiùs uni, quàm alteri rem adjudicaverit: hanc autem reddere nequit, ubi jura creduntur omninò æqualia, & apparent æquè probabilia; quia neutra ex his partibus habet tunc jus, ut ſibi potiùs, quàm alteri res adiudicetur: cum neutra probaverit ſuum jus eſſe melius. Unde ſi tunc Judex rem alteri integrè applicet, convincetur non id feciſſe attendendo præciſè ad partium iura, ſed acceptando perſonas ob affectum inordinatum, vel paſſionem.

39. Ubi autem Judex videt meliora fundamenta ſimpliciter pro una parte, juſtè iudicabit in eius favorem; quia interrogatus cur ita fecerit, reſpondere meritò poteſt: *quia vidi huic parti aſſiſtere validiora fundamenta*. Quamvis enim contingere poſſit rem non eſſe illius, cujus fundamenta meliora apparent, nihilominus cum etiam contingere poſſit, non eſſe alterius, cujus fundamenta ſunt minùs veriſimilia; Judex habet prudens fundamentum ad judicandum de facto rem eſſe illius, cui jura magis favent, & non habet prudens fundamentum ad oppoſitum. Unde ſi contingat Judicem reipsâ falli, ſi id non proveniat ex paſſione, vel imperitiâ, & negligentia Judicis, debet litigans hoc imputare providentiæ Divinæ, & non poteſt juſtè de Judice conqueri. Quòd ſi affectus ſpecialis erga unum è litigantibus, vel negligentiâ in examinanda lite, & librandis utriuſque partis fundamentis, fuit in cauſa ut jus illius partis apparuerit Judici veriſimilius, non excuſabitur Judex ille coram Deo, ſed reus erit injuſtitiæ commiſſæ, ſi ob hanc ignorantiam culpabilem Dominum verum re ſua privavit. Et idcircò munus Judicis eſt maximè periculoſum.

40. Itaque Judex debet ſententiam proferre inſpiciendo tamquam in ſcopum in veritatem juxta id quod citra paſſionem & negligentiam culpabilem ipſi repræſentatur ut veriſimilius. Quod conſtat ex variis Scripturæ locis. Exodi 18. *Provide autem de omni plebe viros ſapientes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam*. Deut.19. *Cumque diligentiſſimè perſcrutantes invenerint falſum*, &c. Job. 24. *Cauſam, quam neſciebam diligentiſſimè inveſtigabam*: & alibi. *Væ vobis Judices. væ vobis in æternum, quia non eſt in vobis veritas*. Deut.16. *Venies ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis, qui judicabunt tibi judicii veritatem*. Ut autem inquit D.Thomas 2,2.q.67.art.2.ad primum, id ideò à Deo injunctum eſt, *ut intelligatur, quòd judicare debent Judices veritatem ſecundùm ea, quæ fuerint ſibi propoſita*.

41. Probatur octavò abſurditas oppoſitæ ſententiæ, & inconcuſſa veritas noſtræ: quia leges præſcribunt, ut Judices ſententiam proferant iuxta probabiliora. Ergo debent ſententiam proferre in favorem partis, quæ habet ius veriſimilius, magiſvè fundatum. Antecedens conſtat primò ex regula 41. iuris in 6. quæ ita habet: *Inſpiciendum in obſcuris quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit*. Secundò ex Lege *ob crimen* ff.de teſtibus, ubi hæc habentur. *Si teſtes omnes ejuſdem honeſtatis, & exiſtimationis ſint, & negotii qualitas, ac Judicis motus cum his concurrat, ſequenda ſunt omnia teſtimonia. Si verò ex his quidam eorum aliud dixerint, licet impari numero; credendum eſt quòd naturæ*

turæ negotii convenit, & quod inimicitiæ, & gratiæ ſuſpicione caret. Confirmabitque Judex motum animi ſui ex argumentis & teſtimoniis, quæ & reipsâ aptiora, & vero proximiora eſſe compererit. Non enim ad multitudinem reſpici oportet, ſed ad ſynceram teſtimoniorum fidem, & teſtimonia, quibus potiùs lux veritatis aſſiſtit. Jubentur ergo Judices judicare ſecundùm id quod probabilius, ſeu veriſimilius, & proximius vero apparuerit.

42. Legatur Tiraquellus ad leg. *Si unquam* Cod. *de revocan. donat.* ubi adducit multas leges hoc ipſum probantes; & Menochius lib. 1. de præſumpt. q. 29. & 30. ubi ex jure civili clarè demonſtrat præſumptionem minùs validam omnino tolli præſumptione validiori contraria. Ergo iuxta iura præſumptio minùs valida, quam ſecum adducit opinio minùs probabilis, omnino vincitur per præſumptionem validiorem opinionis oppoſitæ probabilioris. Ac proinde Judex debet ſententiam proferre in favorem illius partis, pro qua militat validior præſumptio veritatis. Hæc autem militat pro illa parte, quæ pro ſe habet urgentiora fundamenta, atque veriſimiliora. Quod confirmatur ex leg. *Rem novam* Cod. *de Judiciis*; ubi præſcribitur Judicibus *judicare cum veritate ſacramento præſtito.* & §. *Hodie* dicitur, *eos jurare ſe facturos quod eis viſum fuerit juſtius, & melius.* Et propterea Judices Rotæ, dum ſententias definitivas proferunt, adducunt in ipſa formula ſententiæ iura, & rationes, quibus moti ſunt ad ita iudicandum: ut nimirum omnibus conſtet, eos ſecundùm veriſimiliora ſententiam protuliſſe.

43. Probatur nonò authoritate D. Ambroſii juris peritiſſimi in Pſalm. 119. ubi inquit. *Bonus Judex nihil ex arbitrio ſuo facit, & domeſticæ propoſito voluntatis, ſed juxta leges, & jura pronuntiat; ſtatutis quoque juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati. Nihil paratum & meditatum domo defert, ſed ſicut audit ſic judicat, & ſicut ſe habet negotii natura.* Denique; quia in quæſtionibus facti omnes Doctores conveniunt in cauſis civilibus teneri Judicem ſententiam ferre in favorem partis, quæ habuerit pro ſe probabiliorem opinionem, ſeu efficaces probationes ad perſuadendum exiſtentiam facti: ut teſtatur Machado tom. 2. lib. 6. punct. 2. tract. 1. docum. 6. his verbis: *Todos los Doctores convienen, en que eſtà el Juez obligado ſin duda, a ſentenciar en las cauſas civiles por la parte que en materia del becho tuuiere mas probable opinion en ſu favor, eſto es mas efficaz probanza, con que ſe probò el becho.* Et teſtatur P. Joannes de Cardenas tom. 1. diſp. 6. nu. 85. *Omnes*, inquit, *tamquam certum ſupponunt, & meritò, in quæſtione de facto non poſſe Judicem ſequi minorem probabilitatem, ſed ſemper ſtare debere pro majori probabilitate.* Ergo ſimiliter nec in quæſtionibus juris poteſt Judex ſequi minorem probabilitatem. Probo conſequentiam; quia quod præſtant teſtes, indicia, & inſtrumenta producta ad probandum factum, præſtant teſtimonia Doctorum, eorumque fundamenta rationis ad probandum jus: & ſicut major dignitas teſtium, & majora indicia faciunt veriſimiliorem exiſtentiam facti, ita major authoritas Doctorum, & majora fundamenta rationis faciunt veriſimiliorem exiſtentiam juris ad rem, de qua litigatur. Ergo ſi in primo caſu debet Judex ſequi ſententiam veriſimiliorem, etiam in ſecundo. Conſulantur quę dicimus Diſs. 7. §. 6. ubi latè oſtendemus nullam eſſe diſparitatem inter quæſtionem facti, & quæſtionem juris.

44. Ex dictis in hoc, & in antecedenti §. conſtat veriſſimam eſſe noſtram ſententiam de uſu illicito opinionis minùs probabilis in occurſu probabilioris, & tutioris. Nam §. 5. efficaciter oſtenſum eſt, non minorem eſſe obligationem ſequendi ſententiam probabiliorem, quando agitur de injuria Dei, & Divinæ legis violatione, ac quando agitur de utilitate temporali proximi. At Judici non licet ſequi ſententiam minùs probabilem verſantem circa jus in occurſu probabilioris. Ergo nemini licet ſequi ſententiam minùs probabilem verſantem circa honeſtatem operis, & licentiam operandi in occurſu proba-

bilioris verſantis circa inhoneſtatem operis & illicentiam operandi. Minorem hanc §. hoc efficaciter probavimus & adeo certam arbitratur P. Terillus, ut q. 24. num. 38. ſic aſſerat. Hæc propoſitio: *Judici in judicando licet ſequi opinionem minùs probabilem ab ipſo pro tali evidenter cognitam, aut abſolutè creditam ut talem, non eſt probabilis.*

§. VII.

Quinta probatio noſtræ ſententiæ,

Petita ab exemplo Theologi, qui damnatus eſt ex eo quòd ſecutus ſit ſententiam minùs tutam, minuſque probabilem relictâ probabiliore & tutiore.

45. EX dictis in hac, & præcedenti Diſſertatione ſatis efficaciter probatum eſt, ut exiſtimo, peccare graviter eum, qui in materiâ gravi ſectatur in praxi ſententiam ſibi minùs probabilem faventem libertati in occurſu ſententiæ oppoſitæ, quæ & in ſe eſt, & ipſi apparet magis probabilis, vel apparere potuit, ac debuit, ſi debitè veritatem quæreret; quia non operatur cum ignorantiâ invincibili malitiæ gravis. Id autem quod tot rationibus hucuſque oſtenſum eſt, etiam poteſt comprobari exemplo notabili cujuſdam Philippi Cancellarii Pariſienſis, quem damnatum ferunt, eò quòd adhærens ſententiæ tunc quidem probabili de pluralitate beneficiorum, & nolens acquieſcere ſententiæ contrariæ probabiliori renunciando pluralitati beneficiorum in ipſo mortis articulo dixerit, ſe velle vim probabilitatis opinionum experiri, & videre, an pluralitas beneficiorum ad damnationem ſufficeret. Referunt hoc exemplum Dionyſius Carthuſianus in opuſc. de pluralitate beneficiorum, & Spondanus ad ann. 1238. Et ante illos Thomas Cantipratanus, Epiſcopus è Sacra Prædicatorum familia, Alberti Magni auditor, & D. Thomæ condiſcipulus, vir integerrimæ fidei lib. 1. de apib. cap. 19. §. 5. Ubi de prædicto Cancellario loquens, ſic ait: *Agonizantem in morte Guillelmus Pariſienſis Epiſcopus paterna ſolicitudine viſitavit, rogavitque eum, ut opinioni cederet de pluralitate beneficiorum, & omnia beneficia ſua excepto uno in manus Eccleſiæ reſignaret... Renuit ille, experiri ſe velle dicens, utrum eſſet damnabile beneficia plura tenere. Mortuus eſt ergo ſic. Poſt paucos autem dies, cum dictus Pariſienſis Epiſcopus finitis matutinis orare vellet, vidit inter ſe, & lumen quaſi umbram hominis tetram nimis. Elevata ergo manu conſignat ſe, & ſi ex parte Dei ſit, præcipit ut loquatur. Cui reſpondit apparens. Alienus à Deo ſum, ſed tamen miſerabilis factura ejus. Et Præſul: Tu quis es? Cui ille reſpondit: Ego ſum Cancellarius ille dudum miſerrimus. Rurſus Epiſcopus elato altiùs gemitu. Et quomodo, inquit, tibi eſt ſic dolenti. Malè ait: imò quàm peſſimè, quia damnatus ſum æterna morte. Et Epiſcopus: Heu, ait, chariſſime, quæ cauſa tuæ damnationis? Tres ſunt, inquit: Prima eſt, quòd recreſcentes fructus annuos contra pauperes timidè reſervavi. Secunda eſt, quòd contra ſententiam plurimorum de pluralitate beneficiorum quaſi licitè tenendorum opinionem propriam defenſavi. Et in hoc me periculo mortalis culpæ commiſi. Tertia eſt, & illa graviſſima omnium, quod abominabili carnis vitio in ſcandalum multorum multo tempore laboravi. Et ad Epiſcopum mox ſubjunxit: Eſtne inquit, finitus mundus? Epiſcopus: Miror ait, te literatiſſimum quondam virum hoc quærere, cum me adhuc vivum cernas, & omnes nos viventes adhuc mori neceſſe ſit, antequàm mundus inſtante judicio finiatur. Et ille: Non mireris, inquit, quia nec ſcientia, nec opus, nec ratio eſt apud inferos viventi. Et hæc dicens umbra ab oculis mirantis evanuit. Ipſe autem Epiſcopus (non tamen ſub perſona ſua, quaſi hæc vidiſſet) in prædicatione ſua Clericis omnibus recitavit.*

46. Dubitare non poſſumus ſententiam, quam Cancellarius ille ſecutus eſt, fuiſſe tunc temporis probabilem. Nam Angelicus Doctor, qui tunc vivebat, hanc quæſtionem proponit, an ſci-

ſcilicet licitum ſit habere plures præbendas quodl.9. art.15.& de ea loquens, inquit : *Inveniuntur de iſta quæſtione Theologi Theologis, & Juriſtæ Juriſtis contrarii*: Et quamvis ut falſam reiiciat opinionem de ſimultate præbendarum, non tamen ut improbabilem vel temerariam, ſed de ea loquitur, ut ſolet de opinionibus probabilibus. Ergo quamvis opppoſita ſententia haberetur etiam tunc ut probabilior, eſſetque communior, nihilominùs alia tunc probabilis æſtimabatur. Et tamen graviter peccavit Cancellarius ille ſecundùm eam operans. Ergo non licet ſequi ſententiam minùs probabilem in occurſu probabilioris, & tutioris.

47. Dices, hoc plus probare, quàm nos intendamus; ſiquidem ſolùm contendimus non eſſe licitum ſequi ſententiam minùs tutam, ſeu faventem libertati, quando oppoſita apparet operanti veriſimilior: & concedimus licitum eſſe ſequi ſententiam minùs tutam, dummodò ſit verè probabilis abſolutè, & operanti, poſt debitam veritatis inquiſitionem citra paſſionem & culpam appareat veriſimilior, & probabilior oppoſitâ. At quamvis opinio illa de pluralitate ſimultanea præbendarum ex eo tempore etiam cenſeretur minùs probabilis, quàm oppoſita; illi tamen Cancellario apparebat probabilior: nam propterea illi tenaciter per aſſenſum adhærebat. Ergo operatus eſt ſecundùm ſententiam, quam veram exiſtimabat, & quam videbat eſſe abſolutè probabilem, & defendi à viris doctis tam Theologis, quàm Canoniſtis.

48. Reſpondeo in primis hoc exemplum à fortiori probare noſtram ſententiam: ſi enim non licet ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam, quando quis ſcit eam reprobari à pluribus, & ſapientioribus, eſto ipſi appareat vera: à fortiori non licebit, quando etiam ipſi operanti appareat minùs veriſimilis. Deinde dico illum Cancellarium imprudentiſſimè ſe geſſiſſe; quia cum videret ſententiam illam reprobari ut falſam à ſapientioribus, ejuſque fundamenta, quibus ipſe movebatur, contemni, debebat in re tanti momenti ſuo judicio non fidere, & timere ne amor proprius, & cupiditas reddituum Eccleſiaſticorum ſe fortaſſis deciperent, repræſentando ſibi ut veriſimiliorem ſententiam, quæ ſecluſâ paſſione apparere debuit minùs veriſimilis. Quare quamvis iudicaret, licitum eſſe plures ſimul præbendas habere, tamen quia clarè cognoſcebat oppoſitum defendi communiter à pluribus pietate, & ſapientia illuſtribus, de quibus prudenter timeri non poterat paſſione, vel præcipitatione falli, debuit deponere iudicium proprium, & alieno conformari. Vnde ſequens in praxi ſententiam minùs tutam à ſe quidem exiſtimatam ut veram per errorem culpabilem, cæterùm communiter à ſapientiſſimis, & ſanctiſſimis illius ætatis Doctoribus exploſam ut falſam, ſe expoſuit periculo violandi legem Dei; magis æſtimans lucrum temporale, vel proprium dictamen, quàm æternam animæ ſalutem.

49. Quod autem diximus de operante ſecundùm ſententiam minùs tutam, quam exiſtimat veram ex paſſione, præcipitatione, vel negligentia quærendi veritatem contra communiorem Doctorum, intelligendum eſt de conſulente: qui reſolvit caſus ſecundùm ſententias laxas, minùſque probabiles, quas veras exiſtimat ex imperitiâ culpabili, vel hominibus placendi deſiderio; & quia ſine ſufficienti rerum moralium peritia, vel debito ſtudio ſe ingerit reſolutioni caſuum difficilium, & curandis animi morbis; quod non minùs abſurdum eſt, quàm ſi quis ſine peritiâ ſufficienti, & ſtudio medicinæ, munus Medici exercere præſumeret. Ut enim dicitur libro 4.Inſtitut. de lege Aquilia tit.3. Prætereà. *Imperitia quoque culpæ adnumeratur, veluti ſi Medicus ideo ſervum tuum occiderit, quia malè eum ſecuerit, & perperam ei medicamentum dederit.* Ubi Gloſſa: *Juſtiſſimè autem*, inquit, *Medico imputatur, qui quod non bene didicit, tam gravi multorum periculo profitetur, & de vita hominis tam temere ludit.* Nam, ut inquit D. Thomas q.7.de mal.ar.7. *Ignorantia illa, quâ quis*

ignorat ea, quæ tenetur ſcire, non eſt abſq; peccato: unuſquiſque autem tenetur ſcire, quæ ad ſuum officium pertinent.

§. VIII.

Sexta ratio noſtræ ſententiæ.

Ad hominem; contra plures ex Authoribus benignis. Quia ubi operanti ſententia tutior apparet abſolutè probabilior, nequit formare dictamen prudens conſcientiæ, quòd ſibi liceat operari.

50. PRobatur ſextò noſtra ſententia: quia ubi ſententia rigida, affirmans contractum aliquem eſſe prohibitum, apparet abſolutè veriſimilior operanti, quàm ſententia benigna negans eſſe prohibitum, operans poteſt prudenter iudicare contractum illum eſſe illicitum, & prohibitum: ergo poteſt prudenter iudicare contractum illum eſſe omnibus illicitum; cum idem ſit contractum eſſe illicitum omnibus, ac eſſe illicitum huic & illi, tibi & mihi: ergo poteſt prudenter iudicare ſibi hic, & nunc non eſſe licitum exercere talem contractum. Ergo in illo inſtanti nequit ſibi formare dictamen practicum conſcientiæ, quòd ſibi liceat hic, & nunc contractum illum exercere. Probatur conſequentia, quia poteſtas illa proxima, & moralis ad formandum iudicium prudens, quod ſibi hic, & nunc haud ſit licitum exercere talem contractum, æquivalet tali iudicio. At cum iudicio quo operans prudenter cenſet ſibi hic, & nunc non eſſe licitum exercere talem contractum, nequit componi dictamen practicum, quòd hic & nunc liceat operari: ergo nec poteſt componi cum tali poteſtate proxima, & morali.

51. Hujus argumenti vis magis elucebit, ſi ſupponamus veram eſſe communem ſententiam Theologorum aſſerentium ad licitè operandum neceſſarium eſſe dictamen ultimum conſcientiæ moraliter certum, & evidens, quo operans firmiter ſibi perſuadeat licitum ſibi eſſe hic, & nunc operari: quam ſententiam ipſi Probabiliſtę communiter ut veriſſimam tuentur; ut conſtabit legenti P. Matthæum de Moya in Selectis tract. 1. q. 6. num. 36. ubi ait: *Sententia aſſerens neceſſarium eſſe ad rectè operandum judicium practicum moraliter certum, eſt omnino tenenda*: & legenti P. Terillum qu. 13. ubi num. 1. inquit: *Communis ferè omnium ſententia eſt, quòd ut operatio aliqua licitè ponatur, intellectus debeat eſſe ſaltem moraliter certus, operationem illam non eſſe peccaminoſam*. Et poſtquam longum Catalogum Theologorum pro hac ſententiâ contexuit, concludit: *Omnes quod ſciam ita ſentiunt, præter Vazquez 1. 2. diſp. 62. cap. 5. num. 22. & Sanchez in Summa lib. 1. cap. 9. num.* 10. Et hic ultra Vazquez citat pro hac ſententiâ Gerſonem, Medinam, & Salas: & præter hos citat alios P. Moya tom. 1. tract. 1. q. 6. num. 35. Ego non diſputo de veritate huius ſententię communis. Solùm contendo Probabiliſtas non poſſe illud dictamen conſcientiæ certum cum ſuis principiis componere.

52. Nam implicat ut quis moraliter certus ſit ſe hic, & nunc poſſe licitè exercere talem contractum in eo ipſo inſtanti, in quo poteſt prudenter iudicare, ſe hic & nunc nòn poſſe licitè talem contractum exercere. Ergo ubi operanti apparet abſolutè, & ſimpliciter veriſimilior ſententia magis tuta affirmans aliquem contractum eſſe illicitum, nequit ille talem contractum licitè exercere ſequendo ſententiam minùs tutam ſibi minùs veriſimilem: quia ad illum contractum licitè ponendum requiritur per te dictamen practicum moraliter certum, quòd hic, & nunc liceat talem contractum exercere: hoc autem dictamen nequit formari ab eo, cui ſententia magis tuta repræſentatur ſimpliciter ut veriſimilior: quia ille, cui ea ſententia repræſentatur ut veriſimilior, manifeſtè experitur ſe vehementiùs inclinari ad aſſenſum per motiva illius ſententiæ, quàm per motiva ſententiæ oppoſitæ, exercitèque cognoſcit evidenter illam maiorem veriſimilitudinem, & apparentiam veritatis in ſententiâ rigida: ergo poteſt ſignatè, &

Digitized by Google

reflexè evidenter ſic judicare; Veriſimilius eſt talem contractum eſſe illicitum. Ergo poteſt reflexè evidenter ſic decernere: Veriſimilius eſt nemini licitum eſſe exercere talem contractum, & conſequenter non eſſe licitum hic, & nunc. At implicat, ut quis poſſit ſimul hæc duo judicia habere: Veriſimilius certò eſt, non eſſe mihi licitum exercere hic, & nunc talem contractum; Certus ſum, mihi hìc, & nunc licitum eſſe exercere talem contractum. Quia implicat, ut quis certò judicet eſſe verum id, cujus oppoſitum certò judicat eſſe veriſimilius. Sic implicat, ut ego certus ſim de poſſibilitate alicujus rei, ſi certus ſum de majori veriſimilitudine impoſſibilitatis talis rei.

§. IX.

Nequit formari dictamen certum conſcientiæ reflectendo ſupra probabilitatem ſententiæ favorabilis ex vi hujus ſyllogiſmi: Licet ſequi quamcumque Opinionem Probabilem; ſed hæc Opinio eſt Probabilis: ergo licet eam ſequi.

53. PRo formando illo dictamine recurrunt Probabiliſtæ frequenter ad varias reflexiones intellectûs; & eſt frequentiſſimum apud ipſos, hominem operantem juxta ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam prætermiſsâ probabiliore, & tutiore, non peccare, quia antecedenter ad operandum format dictamen ultimum conſcientiæ, quod ipſi appellant moraliter certum, quia formatur hoc ſyllogiſmo; Licet ſequi quamcumque opinionem probabilem; ſed hæc opinio eſt probabilis: ergo licet eam ſequi. Majorem exiſtimant evidentem, ut oſtendimus Diſſertatione præcedenti: & probant hoc ſyllogiſmo; Omnis, qui operatur prudenter non peccat; ſed omnis, qui utitur opinione probabili operatur prudenter (quia videlicet operatur nixus fundamento prudenti illius ſententiæ) ergo omnis, qui utitur opinione probabili non peccat. Ergo licet ſequi quamcumque opinionem probabilem. Minorem etiam dicunt eſſe evidentem.

54. Egregiè tamen falluntur, dum exiſtimant dictamen illud deductum tamquam concluſionem ex duplici illa præmiſſa, eſſe certum, & evidens. Nam concluſio nequit eſſe certa, niſi utraque præmiſſa ſit certa: neutra autem ex illis præmiſſis certa eſt; imò major in ſenſu ab adverſariis intento eſt falſiſſima. Suppono majorem non loqui de omni opinione probabili, complectendo etiam opinionem purè ſpeculativè probabilem, qualis eſt opinio affirmans validum eſſe baptiſmum miniſtratum in aqua è vite defluente; (nam certum eſt licitum non eſſe omnes ejuſmodi opiniones in praxim deducere) ſed loqui dumtaxat de omni opinione practicè probabili, id eſt, verſante circa praxim, affirmando aliquid eſſe licitum. Et etiam ſic intellecta major non eſt vera, & certa, ſed valdè dubia, & in ſenſu ab ipſis intento, meo judicio, apertè falſa. Illam ergo diſtinguo: licitum eſt ſequi quamcumque opinionem probabilem, ſi poſt ſufficientem veritatis inquiſitionem, citra omnem culpam, & inordinatum affectum, appareat operanti veriſimilior oppoſitâ, concedo: ſi apparet minùs veriſimilis, vel ſolùm ex negligentia culpabili, vel paſſione obcæcante, appareat veriſimilior, nego. Vel alio modo; licitum eſt ſequi quamcumque opinionem probabilem in occurſu probabilioris, & tutioris, vel in occurſu æquè veriſimilis, & tutioris, nego; aliàs, concedo majorem. Hoc probant fundamenta à nobis poſita, quæ à me extorquent aſſenſum firmum, & ſine formidine: arbitrorque ſaltem probabilia exiſtimanda ab omni viro docto ſincerè, & ſine paſſione rem conſiderante: ſufficit verò noſtram ſententiam eſſe abſolutè probabilem, ut non ſit certa major illa.

55. Quæ etiam ex alio capite falſa eſt: nam ſtat aliquam opinionem eſſe abſolutè probabilem, etſi non ſit prudenter eligibilis ab operante in aliquibus circumſtantiis; nimirum quando oppoſita ſententia tutior proponitur ipſi ut certò vera, vel ſaltem ut evidenter, & notoriè magis veriſimilis: nam licet illa opinio ſit abſolutè probabilis, & prudenter eligibilis in aliquibus circumſtantiis, non eſt

eſt tamen probabilis operanti, nec prudenter ab eo eligibilis, quando oppoſita ſententia tutior proponitur ei ut certò vera, vel ſaltem ut manifeſtè veriſimilior exceſſu quodam magno; ita ut fundamentum alterius comparativè ad fundamentum ipſius reputetur parvum, & debiliter inclinet ad aſſenſum. Imò nec eſt prudenter eligibilis ſententia minùs tuta, quando in actu primo magis apparet falſa, quàm vera; imò quando non magis apparet vera, quàm falſa; ſed omnibus inſpectis eſt æquè expoſita falſitati, ac veritati: ſolùmque erit prudenter eligibilis, quando apparet magis vera, quàm falſa. Minor etiam illius ſyllogiſmi certa non eſt, quia certus eſſe non poteſt quis de probabilitate opinionis, quin ſit certus ſe feciſſe ſufficientem diligentiam ad inquirendam veritatem; & etiam certus ſit fundamenta talis opinionis magna ſibi videri non ex paſſione, aut præcipitatione, ſed omnino inculpabiliter: vel ſi in operando gubernatur ex directione viri docti, nequit eſſe certus opinionem Parochi, vel Theologi à ſe conſulti eſſe probabilem, quin ſit certus illum eſſe virum probum, & doctum, non ſolùm in aliis materiis, ſed in iſta, de qua conſulitur; & in reſpondendo obcœcatum non fuiſſe affectu aliquo humano. Certum autem eſt, non omnes, qui utuntur opinione probabili, certos eſſe de omnibus illis circumſtantiis. Ergo falſum eſt, omnem hominem licitè operantem certum eſſe de probabilitate opinionis, quam in operando ſequitur. Syllogiſmus ergo ille nullam præmiſſam habet certam. Certa ergo eſſe non poteſt concluſio ipſius. Probationem autem majoris illius confectam illo ſyllogiſmo nullam eſse, conſtat ex Diſsertatione præcedenti cap. 3. ratione primâ, quia nititur fallaciâ, & æquivocatione, dum contendit eſse prudens reſpectu omniũ, & in omni circumſtantia fundamentum, ex eo, quòd ſit prudens reſpectu aliquorum in iis circumſtantiis, in quibus apparuit eis veriſimilius oppoſito.

56. Sed age, denuo oſtendamus, omnino implicatorium eſse, quòd quis ſit certus, ſe non peccare ſequendo opinionem minùs tutam ſibi apparentem minùs probabilem: nam hoc ipſo, quòd opinio affirmans contractum aliquem eſse prohibitum lege æternâ, mihi appareat veriſimilior ſententiâ contrariâ, mihi veriſimilius eſt contractum illum eſse contrarium legi Dei. Ergo nequeo eſse certus me non peccare in celebrando illo contractu: nam cùm peccare ſit ponere liberè actionem, vel omiſſionem contrariam legi Dei, nequeo ego eſse certus me non peccare in celebrando illo contractu, quin ſim certus, me non ponere aliquam actionem contrariam legi Dei, dum celebro illum contractum. Atqui dum mihi veriſimilius apparet celebrationem illius contractûs eſse contrariam legi, non poſsum certus eſse, me non ponere actionem aliquam contrariam legi Dei, dum celebro illum contractum: ergo dum mihi apparet veriſimilius celebrationem illius contractûs eſse contrariam legi Dei, non poſsum certus eſse, me non peccare in celebrando illo contractu. Et ſanè quis non videat hoc judicium implicatoria involvere: *Ego quidem valdè dubito, an hic contractus ſit contra legem Dei, & mihi veriſimilius apparet, eſſe reipsâ contra legem Dei: nihilominus certus ſum me reipsâ non agere contra legem Dei in ponendo illo contractu.* Vel iſtum: *Sive iſte contractus ſit reipsâ contra legem Dei, ſive non, (de quo dubius ſum, & valdè propendeo in partem affirmativam) nihilominus certus ſum me reipsâ non agere contra legem Dei in eo celebrando; quia aliqui Authores graves affirmant eum non eſſe prohibitum.* Quis, inquam, non videat, illum actum contradictoria affirmare?

57. Dices, certitudinem, & dubitationem eſse de diverſis, quia dum per dictamen practicum affirmat, ſe non agere contra legem Dei in celebratione illius contractûs, ſolùm affirmat, ſe non agere formaliter contra legem Dei; non affirmat autem ſe non agere materialiter; dum autem dubitat, an ille contractus ſit prohibitus, vel non ſit prohibitus, dubitat an reipsâ, & materialiter ſit contra legem Dei. Sed contra, cùm peccatum teſte Auguſtino ſit *dictum, factum, vel* con-

concupitum contra legem Dei, implicat ut aliquis affirmet actionem aliquam peccatum eſse, quin affirmet eſse reipsâ contra legem Dei; & è contra non eſse peccatum, quin affirmet non eſse contra legem Dei: quia cùm bonitas actionis ſumatur per conformitatem ad primam regulam nobis intimatam per dictamen conſcientiæ, & malitia actionis ſumatur per contrarietatem ad eandem primam regulam, ſeu legem æternam nobis intimatam, & applicatam per dictamen ejuſdem conſcientiæ, idem eſt, quòd quis affirmet ſuam actionem non eſse peccaminoſam, ac quòd affirmet, non eſse reipsâ contrariam Divinæ legi. Dictamen namque conſcientiæ, cùm non ſit prima regula, ſed regula ſecundaria, totam bonitatem, vel malitiam actionis affirmare debet affirmando conformitatem, vel difformitatem ad primam regulam; & carentiam malitiæ, affirmando carentiam contrarietatis. Ergo qui affirmat ſe non peccare in faciendo aliquo contractu, non præſcindit ab eo, an ille contractus habeat, vel non habeat reipsâ contrarietatem ad legem Dei, ſed potiùs affirmat non habere reipsâ contrarietatem. Ergo ſimul dubitaret, an ille contractus ſit reipsâ contra legem Dei propter occurſum utriuſque ſententiæ, & ſimul certus eſſet non eſse reipsâ contra legem Dei propter ſententiam negantem. Quod præter oppoſitionem dubii, & certitudinis, aliam involvit contradictionem. Nam ſi motiva ſententiæ negantis contractum illum eſſe licitum, quia concurrunt cum fundamentis ſententiæ affirmantis validioribus, & efficacioribus, me relinquunt magis inclinatum ad negandum eſſe licitum, quàm ad aſſerendum, quomodo illa ipſa fundamenta reflexè cognita poſſunt me certum reddere? Quid enim ad certitudinem de non peccato refert, quòd ſciam aliquos viros ſapientes judicare contractum aliquem non eſſe prohibitum, ſi ſimul ſcio alios viros ſapientiores, vel ſaltem æquè ſapientes judicare eſſe prohibitum, & horum fundamenta apud me ſunt urgentiora?

58. Quare ex illa ſententia ponente dictamen conſcientiæ ultimum certum, & evidens, fundatum in ſententia apud operantem minùs veriſimili, ſequitur duplex contradictorium; nempe operantem cum illo dictamine peccare, & non peccare. Non peccare, quia dictamen illud ſupponitur certum; peccare autem, quia actio contraria legi voluntariè poſita ab operante cum ſufficienti cognitione, quòd ſit contraria legi, non ſolùm eſt materialiter contra legem, ſed formaliter; quia malitia materialis tranſit in formalem per voluntarietatem, & libertatem operantis. Hæc autem ibi intervenit, quia operans cognoſcit exercitè, imò & ſignatè veriſimilius eſſe, quòd illa actio ſit contraria legi, quàm quòd non ſit contraria. Hæc autem cognitio ſufficit ad hoc, ut actio contraria legi imputetur operanti: non enim operatur ignorans invincibiliter illam contrarietatem, qui operatur cum illa advertentia. Quod patet à fortiori exemplo eorum, qui ponunt actionem contrariam legi per errorem vincibilem, quo firmiter ſibi perſuadent, & tamquam certum exiſtimant, ſe nihil agere contra legem, dum exercent illam actionem, ſed potiùs honeſtè operari; quales erant Judæi, & alii tyranni perſequentes Apoſtolos, qui exiſtimabant, ſe obſequium præſtare Deo in hoc opere; juxta illud Chriſti, Joan. 16. *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo.* Ideſt, ut exponit Toletus, venit hora, ut interficiamini, & ſic interficiamini, ut qui vos interfecerit, arbitraturus ſit ſe ſacrificium Deo offerre, remque ei gratiſſimam exhibere: interficiemini tamquam Deo adverſarii, & legis, atque Religionis perverſores. Et tamen, quia poterant cognoſcere perſecutionem illam eſſe iniquam, & Deo contrariam, illis ſufficienter imputabatur illa actio ad culpam graviſſimam. Ut enim inquit ibi Toletus annotat. 5. in fine: *Religio Chriſtiana tot, ac tantis eſt, & fuit ſignis, & argumentis Divinis comprobata, ut incredulos inexcuſabiles faciat; & multò minùs ipſi perſecutores excuſari poſſunt.* Si ergo ut actio realiter contraria legi imputetur

tur ad culpam ſatis eſt, quòd ejus malitia, ſeu contrarietas ad legem potuerit cognoſci: à fortiori ſatis erit, quòd actu ſit cognita per advertentiam, quâ operanti repreſentabatur ut veriſimilior, quàm carentia contrarietatis ad legem.

59. Et quamvis actio non ſit reipsâ contraria legi, eò quòd reipsâ non datur lex ipſam prohibens, ſufficit, quòd intellectus cognoſcat eſſe veriſimilius, quòd ſit contraria legi, ad hoc ut imputetur ei ad culpam; ut patet in operante cum conſcientia dubia, an actio ſit prohibita, vel non ſit prohibita. Nam quamvis reipsâ non ſit prohibita, ſi tamen ſic dubitans eam ponat, peccat ex communi conſenſu Theologorum; quia hoc ipſo contemnit legislatorem: virtualiter enim dicit: *Sive detur lex, ſive non detur lex, ſive hæc actio ſit prohibita, ſive non ſit prohibita, nihilominus volo illam ponere.* Idem autem contingit in noſtro caſu: nam ſi ab homine illo, qui cum eo dictamine reflexo exequitur actionem illam, de qua veriſimilior apud ipſum ſententia affirmat eſſe prohibitam, interrogemus, an ſciat illam actionem non eſſe reipsâ prohibitam, reſpondere debet, ſe id neſcire, ſed potiùs dubitare, an ſit reipsâ prohibita, vel non; & in hoc dubio partem affirmativam ſibi videri veriſimiliorem. Ergo ponit actionem dubitans, an ſit reipsâ prohibita, & magis inclinatus ad prohibitionem: ergo virtualiter dicit: Sive hæc actio ſit reipsâ prohibita, ſive non, nihilominus volo illam ponere. Ergo contemnit legislatorem, ejuſque prohibitionem, ac proinde peccat.

§. X.

Neque reflectendo ſupra multitudinem Doctorum, affirmantium, licitum eſſe ſequi ſententiam minus probabilem relictâ probabiliori, & tutiori, poteſt operans formare dictamen certum conſcientiæ, quod ſibi liceat exercere contractum, cujus probibitio repræſentata eſt ei ut magis veriſimilis.

60. CONcedent forſan adverſarii ad formandum illud dictamen conſcientiæ, non ſatis eſſe reflectere ſupra abſolutam probabilitatem ſententiæ benignæ, quando oppoſita repræſentatur operanti ut abſolutè veriſimilior; ſed inſuper neceſſarium eſſe reflectere ſupra ſententiam communem inter omnes ferè Theologos hujus ſæculi de uſu licito opinionis minùs probabilis in occurſu probabilioris, & tutioris: poſitâ autem hac reflexione optimè poſſe operantem formare dictamen juxta illam ſententiam; quia ſic poterit diſcurrere. Quamvis mihi veriſimilius appareat talem contractum eſſe prohibitum propter authoritatem, & rationes Doctorum hoc affirmantium; nihilominus quia abſolutè probabilis eſt ſententia oppoſita; & communior, & veriſimilior, atque probabilior ſententia affirmat, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem relictâ probabiliore, & tutiore, optimè potero formare dictamen conſcientię juxta hanc ſententiam. Nam unicuique licet ſequi ſententiam benignam, & favorabilem, quando eſt abſolutè probabilior ſententiâ oppoſitâ, præſertim ubi exceſſus probabilitatis eſt manifeſtus, & evidens; atqui talis ſententia eſt multò probabilior oppoſitâ, cùm ſit communis inter omnes ferè Doctores hujus ſæculi: ergo mihi licet illam ſequi. Ergo hìc, & nunc mihi licet exercere contractum hunc, quamvis attentis præcisè motivis, & principiis directis, veriſimilius ſit talem contractum eſſe prohibitum.

61. Infra ſolventes fundamenta adverſariorum Diſſert. 12. hoc argumentum ex profeſſo examinabimus, & fallax eſſe oſtendemus; jamque Diſſertat. 2. oſtendimus, quamvis ſit communis ſententia Theologorum hujus ſæculi, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem relictâ probabiliore, & tutiore, pleroſque tamen ex illis non loqui in ſenſu præſentis controverſiæ, quando nimirum ipſi operanti poſt diligentem veritatis indagationem ſententia tutior apparet abſolutè probabilior; ſed loqui de opinione minùs probabili ſpecificativè ſumptâ, & quatenus ſecundùm ſe communiter cenſetur minùs probabilis.

his, eorumque mentem ſolùm eſse, nos non eſse obligatos ad ſequendas ſententias, quæ communiter cenſentur probabiliores, ſed poſse ſequi ſententias minùs probabiles, dummodo nobis, poſt ſufficientem veritatis inquiſitionem citra paſſionem, & culpam, appareant veræ, quia repræſentantur nobis ut veriſimiliores. Secundò, oſtendemus Diſsertat. illâ 12. quamvis ſententia illa eſset omnium Theologorum hujus ſæculi, non propterea eſse probabiliorem noſtrâ, pro qua ſtat Divus Thomas cum Theologis antiquioribus, & pro qua ſtant multò urgentiora fundamenta rationis, quæ multis Theologis recentioribus profundiùs, & copioſiùs rem hanc inveſtigantibus, videntur concludentia; & mihi etiam talia viſa ſunt. Cùm tamen fundamenta omnia Probabiliſtarum facillimè diſsolvantur, ut dein conſtabit.

62. Nunc ad argumentum reſpondeo: Eſt planè implicatorium, mihi abſolutè veriſimiliorem apparere ſententiam rigidam, affirmantem contractum eſse malum, & prohibitum, & in ſenſu compoſito hujus apparentiæ, & majoris veriſimilitudinis, poſse nihilominus affirmare ob reflexionem aliquam, mihi licitum eſse illum contractum. Nam quòd ego reflectam ſupra ſententiam quorumcumque Theologorum affirmantium licitum eſse ſectari ſententiam minùs probabilem, relictâ probabiliore, & tutiore, non facit, quòd veriſimilius mihi appareat contractum illum non eſse malum, & prohibitum. Nam ſupponimus, intellectum meum non poſse affirmare contractum illum non eſse malum, & prohibitum, ſed manere dubium, an ſit malus, vel non ſit malus; cum majori tamen inclinatione rationis ad judicandum eſse malum. Si enim reflexio illa faciat repræſentari intellectui ut veriſimilius, quòd contractus non ſit malus, poſſitque proinde movere ad prudenter judicandum contractum non eſse malum; non negamus, quin tunc poſſit homo licitè operari ſecundùm ſententiam minùs tutam; quia tunc prudenter poteſt illi aſſentire judicando contractum illum non eſse malum. Ex hoc autem judicio optimè poteſt deducere tamquam concluſionem dictamen conſcientiæ practicum, quòd poſſit licitè illum exercere: cùm conſcientia nihil aliud ſit, quàm applicatio quædam ſcientiæ, ſeu notitiæ univerſalis ad caſum particularem. At tunc non ſumus in ſtatu quæſtionis; nam in quæſtione ſupponitur nullum motivum apparere intellectui repræſentans ipſi ut veriſimilius, quòd contractus ille non ſit malus, & prohibitus. Hoc autem ſuppoſito impoſſibile eſt, ut ob ullam reflexionem poſſit homo formare dictamen conſcientiæ, quòd ſibi liceat contractum illum exercere, de quo dubitat, an ſit malus, & prohibitus, cum impotentia ad judicandum non eſse prohibitum, & cum potentia ad judicandum eſse prohibitum. Nam ſuppoſitis quibuſcumque reflexionibus, ſi interrogetur homo ille, an contractus ille ſit bonus, an malus; reſpondere debet: Neſcio an ſit bonus, vel malus; veriſimiliuſque mihi apparet eſse malum. Et licet poſſim judicare eſse malum, nequeo tamen judicare eſse bonum, quia id mihi repræſentatur ut minùs veriſimile. Implicat autem ut homo ſic conſtitutus poſſit, ob ullum motivum affirmare illum contractum eſse ſibi licitum. Nam hic actus eſt omnino impoſſibilis: *Ego neſcio, an hic contractus ſit bonus, vel malus, ſcio tamen eſſe mihi licitum.* Ergo multò magis iſte: *Mihi veriſimilius apparet hunc contractum eſſe malum, quàm eſſe bonum; ſcio tamen eſſe mihi licicum.* Et ratio eſt, quia cùm contractum aliquem eſſe malum idem ſit, ac eſſe contra legem æternam, & eſſe bonum, ſeu licitum, idem ſit, ac non eſſe contra legem: in tantum poteſt quis ſcire aliquem contractum eſſe licitum, in quantum poteſt ſcire non eſſe contra legem. Ergo quandoquidem reflexiones, quantumvis multiplicentur in infinitum, nequeunt facere, ut is, qui dubitat, an contractus ſit prohibitus, dum dubitat, ſciat non eſſe prohibitum; ita nequeunt facere, ut dum dubitat, an ſit prohibitus, ſciat eſſe licitum. Vel ſic: Ergo quandoquidem reflexiones non deſerviunt ad ſciendum, contractum

Digitized by Google

non eſſe prohibitum, nec deſerviunt ad ſciendum eſſe licitum.

63. Confirmatur: Contradictoria implicitè diceret, qui ita pronunciaret; Ego quidem neſcio, an horologium meum artificiale in aſſignandis horis ſit conforme, vel contrarium motui ſolis; ſcio tamen eſſe bonum horologium, quia magni artifices affirmant eſſe bonum horologium. Ergo ſimiliter contradictoria implicitè affirmat, qui dicit: Ego quidem neſcio, an hic contractus ſit prohibitus, vel non ſit prohibitus; ſcio tamen eſſe mihi licitum, quia magni Doctores affirmant eſſe licitum. Sicut enim horologium eſſe bonum, idem eſt, ac eſſe conforme motui ſolis; ita actionem creaturæ eſse licitam, idem eſt, ac non eſse contrariam legi æternæ: & ſicut motus ſolis eſt prima regula, cui conformari debent motus horologii artificialis ut ſint recti, & ut horologium ſit bonum; ita lex æterna, ratioque Divina eſt prima regula, cui conformandi ſunt noſtri actus, ut ſint boni, & ut ratio humana illos dictans ſit recta. Et ſicut propterea horologium non conforme motui ſolis eſt malum, quamvis omnes artifices dicant eſse bonum; ita omnis actus contrarius legi æternæ eſt in ſe malus, & illicitus, quamvis Doctores dicant eſse licitum: ergo implicat dubitare, an ſit contrarius legi æternæ, & ſimul certò ſcire, non eſse illicitum.

64. Confirmatur, & explicatur: Doctores affirmantes licitum eſse ſequi ſententiam minùs probabilem in occurſu probabilioris, & tutioris, ac juxta eam operari, hoc ipſo affirmant opinionem illam minùs probabilem eſse rectam regulam operandi in illo occurſu. Hoc autem eſt contradictoria docere: nam hoc ipſo quòd operans dubitet, an opinio affirmans contractum eſse licitum, ſit vera, vel falſa, dubitat, an ſit bona regula, vel non ſit bona regula: nam regula ſecundaria eatenus eſt bona, quatenus conformatur primariæ: & hoc ipſo, quòd illi diſſormetur eſt mala regula, ut patet exemplo horologii; conformatur autem opinio per veritatem, quatenus affirmat non eſse prohibitum, quod reipsâ prohibitum non eſt. Ergo nequit homo ſic affirmare: Ego quidem neſcio, an ſit vera, an potiùs falſa ſententia affirmans contractum hunc non eſse prohibitum: ſeu ego neſcio, an ſit conformis, an potiùs contraria legi æternæ; ſcio tamen eſse rectam regulam operandi, quia id teſtantur mihi Doctores. Hoc enim perinde eſset ac dicere: Ego quidem neſcio, an hæc opinio ſit bona, & recta regula operandi, vel potiùs ſit mala, & diſtorta; tamen ſcio eſse rectam regulam, quia id affirmant graves Doctores. Quod tamen conſtat eſse impoſſibile. Ergo eatenus authoritas Doctorum poteſt eſse cauſa operandi honeſtè ſecundùm ſententiam minùs tutam, quatenus movere poteſt ad judicandum eam eſse veram, & conformem primæ regulæ honeſtatis, nempe rationi Divinæ, legive æternæ. Atqui nulla Doctorum authoritas, nullumque fundamentum me movere poteſt ad judicandum eſse veram ſententiam, quæ mihi apparet minùs veriſimilis, quàm ſententia contraria; cùm ſit omnino implicatorium, intellectum amplecti ut verum oppoſitum ejus, quod illi repræſentatur ut veriſimilius. Ergo nulla authoritas Doctorum poteſt eſse mihi cauſa operandi rectè ſecundùm ſententiam minùs tutam in occurſu tutioris, quando hæc mihi apparet veriſimilior.

65. Ex iis conſtat, eum, qui rem penetrat, non poſse formare dictamen, quòd ſibi liceat facere illud, de quo dubitat an ſit prohibitum, manente hoc dubio; præſertim ubi experitur majus fundamentum ad judicandum eſse prohibitum. Quòd ſi ob non penetrationem rei, propter authoritatem Doctorum affirmantium, licitum eſse ſequi opinionem minùs tutam in occurſu tutioris, & probabilioris, formem judicium, quòd liceat mihi operari; hoc judicium erit falſum, & erroneum, utpote annuncians eſse licitum, quod reverâ eſt illicitum; & ille error non me excuſabit à peccato, quia reclamat conſcientia, cui apparet veriſimilius illam operationem eſse malam, & prohibitam. Et illud judicium falſum non faciet, ne operatio

à me

à me poſita cum illo dubio, an ſit prohibita, & cum majori fundamento ad credendum eſse prohibitam, ſit peccatum: cùm illud dubium ſufficiat, ut malitia actionis ſit mihi voluntaria, ſi actio ſit reipsâ prohibita; nam ſi actio ſit reipsâ contraria legi, hoc ipſo eſt culpa in tali circumſtantia, quia tranſgreſſio legis, hoc ipſo quòd ſit voluntaria, & libera operanti, eſt peccatum. Nec enim poteſt eſse merè materialis tranſgreſſio legis illa, quam ponit liberè operans in iis circumſtantiis, in quibus poteſtatem habet ad judicandum eſse prohibitam. Si autem reipsâ ſit prohibita, erit nihilominus peccatum; quia ponere illam actionem in eo dubio, an ſit peccatum, eſt contra legem certam non ſe exponendi periculo violandi legem prohibitivam actionis.

66. Quòd error ille non me excuſet, probatur etiam à ſimili. Nam ſi ego judicem aliquem contractum eſse malum, & prohibitum, & nihilominus ob authoritatem Doctorum oppoſitæ ſententiæ formem judicium, quòd mihi liceat hìc, & nunc illum contractum exercere, ut fieri poſse contendit Vazquez; nihilominus juxta veram ſententiam, quam poſteà defendemus latè Diſsert. 5. peccabo; quia illud judicium reflexum eſt falſum: & ſicut non tollit, quòd ego agam contra conſcientiam eliciendo actum, quem judico eſse prohibitum, ita non tollit quòd peccem. Ergo pariter in noſtro caſu. Nam quamvis ego actu non judicem contractum eſse prohibitum, ſi tamen mihi repræſentatur hoc ut veriſimilius, & habeo liberam poteſtatem proximam hoc judicandi, perinde mihi imputabitur ad culpam, ac ſi actu judicâſsem eſse prohibitum.

67. Itaque me coram Deo non defendet ſententia Doctorum affirmantium, licitum eſse ſequi ſententiam minùs tutam in occurſu tutioris, & veriſimilioris: quia illa ſententia eſt falſa, & non tollit, quòd actio contraria legi mihi imputetur ad culpam; quia non tollit, quòd mihi ſit voluntaria; vel ſaltem non tollit, quòd ego voluntariè me exponam periculo agendi contra legem Dei. Quemadmodum ſi viginti Authores affirment, mihi licitum eſse operari cum dubio practico; an actio hìc, & nunc ſit licita, & ego motus illorum authoritate operer cum illo dubio practico, non proptereà excuſarer à culpa, quia voluntariè me exponerem periculo agendi rem prohibitam.

§. XI.

Impugnatur quorumdam Probabiliſtarum placitum, aſſerentium, poſſe in caſu noſtræ quæſtionis operantem formare dictamen practicum certum, quòd ſibi liceat operari, quia poteſt formare hunc ſyllogiſmum: Mihi licitum eſt facere, quod prudenter judico non eſſe prohibitum; Sed ego hìc, & nunc prudenter judico hunc contractum non eſſe prohibitum ob fundamenta ſententiæ minùs probabilis: Ergo mihi licitum eſt hìc, & nunc facere hunc contractum.

68. P. Antonius Terillus quæſt. 22. de Conſcientia, tamquam principium ſtatuit, non ſufficere ad honeſtè operandum, quòd mihi conſtet de probabilitate, imò de majori probabilitate minùs tuta: cùm hoc ſtante, omne abſolutum judicium de rei veritate ſuſpendi, & homo dubitare poſſit, an res ſit licita, necne. Si quis (inquit) in tali dubio ſectetur minùs tutam, indubitâter peccabit, non obſtante majori probabilitate partis, quam ſequitur. Ut ergo excuſetur, debet formare judicium, quo abſolutè credat opus illud eſse licitum; & ex illo, ſi formidoloſum ſit, & incertum, per novam conſiderationem in aliquo principio ſynderesis reflexo fundatam conſurgere ad certitudinem de ſua operatione. Nemo enim honeſtè operatur, niſi per judicium certum reguletur.

69. Deinde docet, poſse intellectum ex imperio voluntatis prudenter aſsentire ſententiæ minùs tutæ, quę pro priori ad omnem affectum, & aſsenſum uni parti peculiariter affixum, repræſentatur ipſi ut minùs probabilis. Ita quæſt. 9. & 10. Nam quæſt. 9. probat poſse aſſentire, & quæſt. 10. probat hoc judi-

Digitized by Google

cium eſſe prudens. His principiis innixus explicat dictamen conſcientiæ practicum moraliter certum, quod quæſt. 13. probat intervenire, quoties quis ſequitur opinionem directè minùs probabilem, ſeu quæ antecedenter apparet minùs veriſimilis, quàm ſententia oppoſita tutior. Ait enim in primis, operantem per imperium voluntatis determinare intellectum ad aſſentiendum parti minùs tutæ, quæ antecedenter apparebat minùs veriſimilis; & vi hujus imperii, & aſſensûs jam conſequenter apparere intellectui magis veriſimilem: aſſerit enim quæſt. 8. num. 25. apparentiam veriſimilitudinis conſequentem ad aſſenſum, quem intellectus uni contradictionis parti abſolutè præbuit, ſemper eſſe majorem, quàm apparentiam veritatis pro parte oppoſita. Deinde docet quæſt. 22. num. 1. hoc judicium probabile non eſſe formalem regulam proximè directivam voluntatis honeſtè operantis, ſed dumtaxat regulam remotam objectivam, quatenus eſt occaſio fundans novam conſultationem, per quam homo certificatur de honeſtate formali ſuæ operationis. Explicat autem quæſt. 21. quo pacto intellectus procedat ad formandum dictamen ultimum conſcientiæ, quando pars minùs tuta apparet vel æquè, vel minùs probabilis, ac pars tutior. Nam poſtquam voluntas imperat aſſenſum partis minùs veriſimilis, hic aſſenſus exiſtens fundat hunc ſyllogiſmum reflexum: Quidquid à quoquam prudenter judicatur non eſſe prohibitum, id hìc, & nunc eſt licitum ei; Sed ego hìc, & nunc prudenter judico hoc objectum non eſſe à Deo prohibitum: Ergo hoc objectum hìc, & nunc mihi licitum eſt. Conſequentia eſt legitima. Major eſt principium ſynderesis reflexum unicuique ex terminis notiſſimum. Minor etiam (inquit ille quæſt. 21. num. 4.) eſt evidens; quia omne judicium certò probabile eſt certò prudens: At hoc judicium eſt certò probabile, quia certò nititur motivo probabili, ut ſupponitur. Eodem modo defendit dictamen ultimum conſcientiæ certum, & moraliter evidens P. Martinus de Eparza in Appendice ad quæſt. de Uſu licito Opinionis Probabilis art. 156. ubi ſic probat, non peccare hominem ſequendo opinionem minùs tutam, & minùs probabilem: Quia nec peccat præbendo aſſenſum tali opinioni, nec in operando ſecundùm illam, poſt exhibitum aſſenſum. Non in primo, quia eligit opinari cum magno fundamento, omnibus hinc inde diligenter conſideratis, nullâque apparente ſeu authoritate, ſeu ratione, quæ manifeſtè, ſeu indubitanter prævaleat in contrarium: qui autem ſic opinatur, non opinatur incautè, inſipienter, ac ſtultè. Sed nec in ſecundo: quia nequit eſſe peccaminoſa voluntas operandi juxta opinionem ſic præconceptam, & ipſius operis approbativam; cùm neceſſe ſit ut talis evadat voluntatis actus, qualis judicatus eſt judicio immediatè præeunte, ac directivo eius.

70. Notat autem P. Terillus quæſt. 22. num. 3. eum, qui in caſu noſtræ quæſtionis, in quo pars minùs tuta apparet minùs veriſimilis, ſolùm uteretur argumentis directè probantibus, non excuſatum iri, ſi omnibus penſatis in actu ſecundo, abſolutè crederet ea eſſe minora, aut non maiora argumentis contrariis; quia ſtante tali iudicio, non poſſet formare conſcientiam, quòd opus ſit abſolutè honeſtum: *Nam qui abſolutè* (inquit) *credit aliquid eſſe licitum, eo ipſo fertur in illud, ut in partem prævalentem probabiliorem, & unicè veram. Itaque in hoc caſu dicimus, eum non aliter poſſe licitè ſectari partem minus tutam, quàm ſi ex vi motivi, quod in actu primo ante affectum uni parti alligatum vel non excedebat, vel non æquabat motivum oppoſitum, per imperium voluntatis in actu ſecundo feratur in illud, ut in motivum unicè verum, & multò prævalens motivo oppoſito.* Hæc ille.

71. Laudo doctrinam ſolidam, & veram horum Doctorum, quatenus affirmant, neminem poſſe ſectari in operando ſententiam minùs tutam, quin priùs illius veritati directum aſſenſum præbeat, abſolutèque affirmet, non eſſe prohibitum opus illud, de quo diſputatur an ſit licitum. Si enim ſententia non eſt

digna

digna approbatione intellectûs, nec digna eſse poteſt approbatione voluntatis. Nec poteſt honeſtè voluntas ſe conformare in operando cum opinione, cui intellectus nequit ſe conformare in iudicando. Cæterùm hoc mihi mirabile videtur, quod Doctores iſti ſibi perſuadeant, poſse fundari ſupra ſententiam minùs probabilem, dictamen conſcientię certum, & evidens. Ad hoc enim erat neceſsarium, quòd ipſorum ſententia de uſu licito opinionis minùs probabilis in occurſu probabilioris, & tutioris, eſset non ſolùm probabilior noſtra opinione, ſed omnino certa. Niſi enim ſit certa, nequit eſse evidens ſyllogiſmus ille formatus à Terillo. At illa certa non eſt. Unde quamvis ego cenſerem veram eſse ſententiam adverſariorum, adhuc exiſtimarem illum ſyllogiſmum non eſse evidentem; nam licet maior admittatur ut certa, nempe licitum eſse cuilibet quidquid ab eo prudenter iudicetur non eſse prohibitum; tamen minor, etſi concedatur ut probabiliter & opinativè vera, nequit concedi ut certa. Certum enim nequit eſse operanti ſe prudenter iudicare, contractum non eſse vetitum, quando in actu primo datur maius fundamentum ad iudicandum oppoſitum.

72. Abſolutè verò dico tantum abeſse, ut illa minor ſit certa, ut ſit de ſubiecto non ſupponente. Quia falſiſſimum eſt, poſse intellectum noſtrum ex imperio voluntatis prudenter aſsentiri parti ſibi minùs veriſimili. Id patet ex dictis Diſsert. 3. cap. 2. ubi probavimus abſolutè impoſſibile eſse, quòd intellectus ex duobus contradictoriis aſſentiatur illi, quod ipſi proponitur abſolutè ut minùs veriſimile. Et quamvis poſset abſolutè voluntas flectere intellectum ad aſsentiendum parti minùs tutæ, & minùs ſibi veriſimili; hoc imperium non eſset prudens, niſi prudentiâ carnis, quæ ſtultitia eſt apud Deum.

73. Quæ enim prudentia eſſe poteſt, te affirmare contractum aliquem non eſſe malum, ut ſic illum impunè exequaris, quando habes maius fundamentum ad iudicandum eſſe malum, niſi prudentia carnis prę ferentis lucrum temporale amicitiæ Divinæ? Niſi enim voluntas intenderet ad praxim deducere opinionem minùs tutam, quomodo poſſet imperare aſſenſum partis minùs veriſimilis? Aſſenſus enim partis minùs veriſimilis, non poteſt imperari à voluntate præciſè ex intentione ut intellectus aſſequatur ſuum bonum, nempe veritatem; cùm enim abſolutè veriſimilius ſit, aſſenſum partis minùs veriſimilis fore falſum, quàm fore verum, implicat ut voluntas ex intentione veritatis eligat aſſenſum opinionis minùs veriſimilis; cùm impoſſibile ſit, ut ex intentione finis oriatur electio medii, quod præcognoſcitur utilius ad impediendam, quàm ad inducendam conſecutionem finis. Ergo ſi voluntas imperat aſſenſum partis minùs veriſimilis, aliquid extra intellectum intendit ut finem, ad quod conducat ille aſſenſus; hoc autem quid aliud eſſe poteſt, quàm opus illud, quod per aſſenſum iudicatur licitum? Conſulantur quæ diximus Diſsert. præced. §. 12. & 13.

74. Deinde cum voluntas teneatur proſpicere bono intellectûs, & malum eius, quantùm poteſt, propulſare, nequit ex duobus actibus intellectûs eligere illum, in quo veriſimilius eſt reperiri malum intellectûs, nempe falſitatem, quam eius bonum, videlicet veritatem. Confirmatur: nam ut dicitur 6. Ethicor. *Verum eſt bonum intellectûs, falſum autem eſt malum*. Et ut inquit Auguſtinus in Enchirid. cap. 19. *Ipſe per ſe ipſum error aut magnum in re magna, aut parvum in re parva ſemper eſt malum. Quis enim, niſi errans, malum neget, approbare falſa pro veris, aut habere incerta pro certis, vel certa pro incertis?* Ergo intellectus quantum eſt ex ſe, tendit ad cognitionem veram tamquam in terminum, & finem. Ergo imprudenter, & infideliter agit voluntas dum ipſum determinat ad cognitionem, de quâ veriſimilius eſt, fore falſam, quàm fore veram. Sicut enim imprudens, & infidelis amicus eſſet, qui amicum tendentem ad aliquem terminum, & fugientem ab alio, cogeret ad eam tenendam viam

Digitized by Google

viam, per quam, ſi incederet, veriſimilius eſt, non perventurum ad terminum præfixum, quem intendit, ſed in terminum oppoſitum à quo refugit. Sic cum voluntas ſit conjunctiſſima intellectûs ſocia, imprudenter, & infideliter aget, ſi ipſum determinet ad aſſenſum partis minùs veriſimilis, per quem veriſimilius eſt non perventurum ad veritatem, quam intendit, ſed ad falſitatem, à quâ refugit.

75. Quapropter prudentia dictat, ut aſſentiamur parti illi, quæ factâ ſufficienti diligentiâ apparet veriſimilior: nam ſic voluntas rationem non trahit renitentem, ſed præeuntem ultrò ſequitur. Eſſetque imprudentia, ſpreto veriſimiliori, iudicare id, quod eſt falſo ſimilius, quia eſt contra naturam recedere ab ſcopo, quem intellectus anhelat, & voluntariam illi vim contra rationem facere, protrudendo illum reluctantem in errandi periculum. Unde omnia jura monent, ut in omnibus noſtris actionibus verum & rectum ſpectemus: ut conſtat ex l. 1. ff. de Juſtitia & Jure: *Veritas enim eſt quid divinum, propter quod ſapiens debet & ſua deſtruere*, juxta Ariſtot. 1. Ethic. cap. 4. Ipſamque debemus inquirere & ſequi quantum poſſumus, iuxta cap. *Conſuetudo* diſt. 8. & cap. *Nolite timere.* 11. q. 3. Unde cap. *Grave non* 35. q. 9. dicitur. *Grave non oportuit videri piiſſimis mentibus veſtris cujuſquam retractari judicium; quia veritas ſæpiùs agitata magis ſplendeſcit in luce*. Et Joannes XXII. in extravag. *Quia nonnumquam, De verbor. ſignific.* dicit: *Nos attendentes, quòd argumentis & collationibus latens veritas aperitur &c. cùm poſſit periclitari veritas, & erroribus via pandi niſi, &c.* Et cap. *Si teſtes* 4. q. 2. & 3. dicitur. *Confirmabitque Judex motum animi ſui ex argumentis, & teſtimoniis, quæ rei aptiora, & vero proximiora eſſe comperirit.*

76. Reſpondebis ex Terillo q. 10. de Probabilit. num. 13. intellectum eodem bono frui, ſive erret, ſive non erret in iudicio probabili: ſimiliter eodem ſpecie bono frui, ſi aſſentiatur motivo minùs probabili, quo frueretur, ſi aſſentiretur probabiliori. Quia finis (inquit) quo hìc & nunc frui poteſt, non eſt veritas ipſa, ſeu abſoluta correſpondentia inter obiectum, & cognitionem, ſed veritas ut cognita. Atqui veritas ut evidenter cognita, hìc & nunc, eſt impoſſibilis. Ergo finis intellectûs non eſt veritas hìc & nunc niſi ut probabiliter cognita. Atqui evidenter poſſidet hunc finem in quamcumque partem inclinetur à voluntate: Ergo voluntas prudenter determinat illum ad quamvis ex partibus oppoſitis; quia ſic certò obtinet ſuum finem. Non tamen obtinet omnem perfectionem finis, quia talis finis meliùs poſſidetur per aſſenſum motivo probabiliori præſtitum.

77. Verùm hæc reſponſio falſiſſima eſt; nam finis intellectûs cognoſcentis abſtractivè per cognitionem naturalem non eſt veritas ut cognita, ſeu ut affirmata, ſed veritas abſoluta, ſeu conformitas ſui actus cum obiecto: intendit enim elicere cognitionem conformem obiecto; ſeu ita ſe habentem in iudicando ſicut ſe habet obiectum in eſſendo; & per quam ita ſe habeat obiectum in mente, ſicut ſe habet à parte rei. Quod conſtat ex D. Thoma 2. 2. q. 60. ar. 4. ad 2. ubi cum præmiſiſſet aliud eſſe iudicare de rebus, aliud de hominibus, ſubdit. *In judicio, in quo de rebus judicamus, non attenditur bonum vel malum ex parte ipſius rei, de qua judicamus, cui nihil nocet qualitercumque judicemus de ipſa; ſed attenditur ibi ſolum bonum judicantis, ſi verè judicet, vel malum ſi falſò: quia verum eſt bonum intellectûs, falſum autem eſt malum ipſius, ut dicitur. 6. Ethi. Et ideo unuſquiſque debet niti ad hoc, ut de rebus judicet, prout ſunt.* Eſt ergo contra Philoſophum, & D. Thomam hæc doctrina Terilli, & contra communem omnium ſenſum; omnes enim reputant ut malum, decipi, & de rebus aliter quàm ſunt, iudicare. Et cùm conſtet veritatem eſſe finem intellectûs, nequit hoc verificari de veritate ut cognitâ: nam veritas ut cognita nihil aliud eſt, quam cognitio affirmans obiectum eſſe verum: hoc autem etiam affirmant cognitiones falſæ, & erroneæ, quæ propterea

terea falſæ ſunt, quia affirmant eſſe verum, quod reipsâ eſt falſum. Cognitio autem ut affirmans obiectum eſſe verum, non eſt finis intellectûs, quia ſic falſitas non eſſet malum intellectûs; quandoquidem per cognitionem falſam intellectus aſſequitur finem illum affirmandi obiectum eſſe verum. Præterea Deus poteſt eſſe author unicuique rei aſſequendi ſuum finem, poteſtque ipſam determinare ad aſſecutionem ſui finis naturalis Deus autem nequit eſse author erroris, & falſitatis. Ergo finis intellectûs nequit reperiri in cognitione erronea, & falſa. Ergo veritas illa ut cognita, nequit eſſe finis intellectûs; ſiquidem illa indifferens eſt, ut coniungatur cum abſoluta veritate, vel cum abſoluta falſitate.

78. Poſtremò argumentor contra Terillum: Per te non excuſaretur quis in ſectanda opinione minùs probabili; ſi omnibus penſatis in actu ſecundo abſolutè crederet fundamenta, ſeu argumenta illius opinionis eſſe minora, aut non maiora argumentis ſententiæ contrariæ; quia ſtante tali iudicio, non poſſet formare conſcientiam, quòd opus ſit abſolutè honeſtum.

79. Quod tamen eſt neceſſarium ad uſum licitum opinionis minùs probabilis. Atqui ille, cui ſententia magis tuta apparet abſolutè probabilior omnibus penſatis abſolutè credit argumenta opinionis minùs tutæ eſſe minora fundamentis ſententiæ tutioris; ſiquidem manifeſtè experitur, ſe minùs moveri ad præbendum aſſenſum per illa argumenta, & fundamenta, quàm per fundamenta oppoſita; & hæc ipſa experientia eſt virtualis, & exercita affirmatio minoritatis illorum fundamentorum; ac proinde poteſt pro priori ad aſſenſum cuiuſvis partis reflectere ſupra fundamenta utriuſque partis, & elicere iudicium certum, quo affirmet fundamenta ſententiæ minùs tutæ eſſe abſolutè minora. Ergo non poteſt etiam ex imperio voluntatis ferri in illa motiva ut unicè vera,' & multò prævalentia motivis oppoſitis. Ergo non poteſt etiam ex imperio voluntatis aſſentiri ſententiæ minùs probabili: quia qui tali ſententiæ aſſentitur, illam ut unicè veram amplectitur, & reiicit oppoſitam ut falſam; ac proinde iudicat fundamenta illius prævalere fundamentis oppoſitis. Implicat autem, ut intellectus iudicet eſſe maiora illa fundamenta, quæ experimentaliter cognoſcit evidenter eſſe minora, minùſque ex ſe impellentia, & de quibus abſolutè credit, & affirmat eſſe minora fundamentis oppoſitis. Vide alia contra hoc Terilli placitum Diſsert. 2. §. 3.

80. Fundamentum autem, quo ducitur hic Author, ut affirmet eſſe certam minorem illius ſyllogiſmi, facilè diſsolvitur ex dictis in hac, & præcedenti Diſsertatione: quamvis enim iudicium certò probabile ſit certò prudens; non tamen eſt certò probabile iudicium, quo quis ut veram amplecteretur ſententiam minùs tutam in occurſu probabilioris, & tutioris; ſed potiùs ſi tale iudicium ſit poſſibile, erit imprudens; quia quamvis fundamentum ſententiæ minùs tutæ ſit probabile abſolutè, & comparativè ad intellectum authorum illius ſententiæ, quibus nimirum apparuit ut veriſimilius motivo oppoſito, non tamen in caſu noſtræ Diſſertationis, & comparativè ad intellectum eorum, quibus motivum oppoſitum apparet abſolutè maius. Nam pro iis circumſtantiis, non eſt motivum illud practicè probabile, quia, ut oſtendimus, vi illius nequit prudenter homo tunc imperare aſſenſum illius partis. Et hinc manet ſolutum fundamentum Patris Eſparza: quia quamvis fundamentum ſententiæ minùs probabilis ſit magnum, & prudens reſpectu Doctorum illius ſententiæ, & ſecundùm ſe ſumptum, nimirum ſi ſeorſim inſpiciatur; non tamen in comparatione fundamenti oppoſitæ ſententiæ tutioris, apparentis cum maiore veriſimilitudine abſolutè, & ſimpliciter; tum quia ſub illa comparatione eſt exiguum, cùm exceſſus oppoſiti motivi ſit manifeſtus, & evidens operanti, ut probavimus initio huius Diſſertat. tum quia quamvis ſub illa comparatione maneret magnum,

Digitized by Google

gnum, & validè trahens ad aſſenſum, non propterea maneret probabile, ideſt potens approbari per aſſenſum prudentem: quia cum fortiùs moveat motivum oppoſitum, retundit vim motivam ipſius, & præſtat, ut non ſit prudentia, ſed temeritas aſſentiri parti minùs veriſimili, quando adeſt maius fundamentum ad iudicandum eſſe falſam, quàm ad iudicandum eſſe veram; præſertim quando pars illa eſt etiam minùs tuta, & aſſenſus illius ordinatur ad praxim, ut contingit in præſenti: quia eſt magna imprudentia, & temeritas ſectari ſententiam minùs tutam, quando quis prudenter poteſt iudicare eſſe falſam.

§. XII.

Concluditur ex modò dictis, ſolùm in noſtris principiis poſſe defendi, neceſſarium ad rectè operandum eſſe judicium practicum certum, & evidens.

81. EX dictis clarè conſtat, non poſſe defendi neceſſitatem iudicii practici certi, & evidentis ad rectè operandum in ſententiâ Probabiliſtarum aſſerentium, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs tutam in occurſu probabilioris, & tutioris. In noſtra autem ſententiâ aſſerente numquam licitum eſſe ſectari ſententiam minùs tutam, niſi ea appareat operanti abſolutè & ſimpliciter magis veriſimilis, validioribuſque fundamentis nitens, facilius erit neceſſitatem illius iudicii defendere. Nam ubi quis ſyncerè, & abſque affectu pravo adhibet ſufficientem diligentiam ad inquirendam veritatem, & ſciendum, quid Deus requirat à ſe; atque hac diligentiâ adhibitâ apparet ipſi abſolutè, & ſimpliciter, ut magis veriſimilis, ſolidioribuſque fundamentis nitens ſententia affirmans contractum aliquem eſse licitum, prudenter iudicare poteſt illum contractum eſſe licitum: prudenter enim quis iudicat eſſe verum, quod citra paſſionem, & affectum omnem pravum, ei apparet veriſimilius ſuo cõtradictorio. Atqui unicuique licitum eſt facere, quod prudenter iudicat eſſe omnibus licitum. Ergo ſuppoſito eo iudicio poteſt formare dictamen practicum omnino certum, quòd hic & nunc liceat ſibi inire illum contractum. Probatur conſequentia; quia tunc poteſt quis formare hunc ſyllogiſmum. *Unicuique licet facere, quod omnibus prudenter judicat eſſe licitum: ſed ego hìc & nunc prudenter judico talem contractum eſſe omnibus licitum* (ſiquidem ſententia hoc affirmans mihi citra omnem paſſionem res diligenter perpendenti apparet abſolutè, & ſimpliciter veriſimilior, eiuſque fundamenta præeminent fundamentis oppoſitæ) *Ergo hìc & nunc mihi licet talem contractum facere.* Et tunc concluſio videtur certa. Quia certus eſſet, ſe non peccare in iudicando eſſe licitum contractum, quando poſt diligentem veritatis indagationem citra omnem culpam apparet hoc ipſi veriſimilius. Rurſus, certus eſſet, ſe non peccare in faciendo illo contractu poſt tale iudicium.

82. Quamvis autem unicè in noſtra ſententiâ defendi valeat neceſſitas iudicii practici moraliter certi; non tamen auſim aſſerere neceſſarium eſſe ultimum iudicium omnino certum pro omni operatione honeſta. Quia quamvis qui honeſtè operatur, manifeſtè experiatur ſe vehementer moveri ad aſſerendum contractum aliquem eſſe honeſtum per fundamenta ſententiæ hoc affirmantis; nihilominùs cum ad probabilitatem opinionis non ſufficiat, quòd eius motiva appareant magna operanti (cum etiam hæreticis, & temerè iudicantibus proponantur ut magna, imò ut certa fundamenta ſuorum errorum) ſed inſuper requiratur, quòd apparentia illa magna non proveniat ex paſſione iudicantis, vel ex eius imperitia, & negligentia in inquirenda veritate; nequit quis eſſe omnino certus, quod iudicium ſuum, quo iudicat aliquem contractum eſſe licitum, ſit prudens, niſi certus ſit fundamenta illius iudicii ſibi viſa fuiſſe veriſimiliora citra omnem paſſio-

Digitized by Google

paſſionem, & poſt ſufficientem diligentiam ad inquirendam veritatem. Et niſi certus ſit, ſe ſufficienter calluiſſe oppoſitæ ſententiæ fundamenta. Aliquando enim apparent veriſimiliora fundamenta unius partis; quia alterius partis fundamenta perfunctoriè examinantur, & minimè penetrantur, quæ ſi penetrarentur, evaderent ſuperiora in vi movendi. Cùm ergo difficillimum ſit omnes has certitudines habere, & nequeat quis formare iudicium practicum certum, quin certus ſit iudicium ſpeculativum de honeſtate contractus habuiſſe omnes illas conditiones; conſequens fit, non eſſe requiſitum iudicium practicum omnino certum ad honeſtè operandum; ſed ſatis eſſe iudicium probabile fundatum in maiori veriſimilitudine fundamentorum talis ſententiæ. Et quidem ſufficere ad rectè operandum iudicium practicum probabile, ſicut ſufficit iudicium ſpeculativum probabile de honeſtate actionis in communi, ſatis ſolidè probat Pater Vazquez 1.2. diſp. 62. cap. 5. oſtendens non poſſe dari iudicium practicum certum de hac operatione in particulari, quin detur etiam iudicium certum ſpeculativum de illa operatione in ſpecie, & in communi; nec poſſe iudicium ſpeculativum eſſe dumtaxat probabile, quin iudicium practicum conſcientiæ, ſit etiam dumtaxat probabile: quia ſolùm differunt tamquam iudicium univerſale, & particulare ſub illo contentum, & in illo virtualiter incluſum. Quam ſententiam præter Sanchez ſupra citatum ſequuntur P. Salas tom. 1. in 1.2. tract. 8. diſp. 1. ſect. 4. num. 40. Valentia qu. 14. Breſſerus de Conſcientia lib. 3. cap. 5. num. 57. Boſſius 1. p. de Conſc. tract. 1. §. 17. num. 118. Merolla T. 1. diſp. 3. cap. 4. concl. 3. & Almainus, & Gerſon apud ipſos.

83. Deſervitque hæc ſententia ut humiliter de nobis ipſis ſentiamus, & ne nimiùm de noſtra iuſtitia confidamus, ſed cum Apoſtolo clamemus. *Nihil mihi conſcius ſum; ſed non in hoc iuſtificatus ſum; qui autem iudicat me, Dominus eſt.* 1. Corinth. 4. Deſervit item ut inter metum, & ſpem, noſtram ſalutem operemur, declinantes extrema & præſumptionis, & deſperationis. Nam ita de noſtra iuſtitia, & innocentia confidere, ut nihil ſuperſit timoris, præſumptio eſt: è contra verò ita de innocentiâ, vel iuſtificatione noſtra, vel peccato timere, ut ſpei locus non affulgeat, deſperatio eſt. Et ſicut, quamvis nemo certus eſſe poſsit de iuſtificatione ſua, & non peccato, ut definit Tridentinum ſeſs. 6. cap. 9. contra Sectarios, non propterea conſcientia nimis timida redditur, ita quamvis certus omnino eſse non poſſit de rectitudine, & honeſtate operationum, quas in rebus controverſis elicit, non propterea noxio terrore conſcientia torquetur. Et ſicut Synodus de perſona loquens, ait: quòd quilibet dum ſeipſum, ſuamque propriam infirmitatem & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare, & timere poteſt; ita loquendo de actu dicere poſſumus, quod quilibet dum ſeipſum, ſuamque propriam infirmitatem reſpicit, de ſui actus honeſtate formidare, ac timere poteſt; præſertim circa obiecta, de quibus eſt controverſia, an ſint licita necne. Poteſt quidem operans certus eſſe quòd actum exercuerit exiſtimans eſſe honeſtum; cæterùm non propterea certus eſſe poteſt, ſe in illo actu non peccaſſe. Nam Judæi graviſſimè deliquerunt perſequentes Apoſtolos; & tamen id præſtitere exiſtimantes ſe in eo non peccare, ſed potiùs obſequium præſtare Deo. Itaque hæc propoſitio: *Omnis qui exiſtimat, ſe in aliquo actu non peccare, non peccat*; ſolummodo eſt vera, ſi addatur; *ſi nihil prætermiſit eorum, quæ debuit.* Et quia de hoc certitudinem regulariter habere non poſſumus, præſertim in rebus controverſis an ſit peccatum, ideo certi omnino eſſe non poſſumus regulariter de honeſtate actûs in iis rebus controverſis. Sed tamen non ideo excluditur certitudo moralis, qualem ſuo loco explicabimus, & probabimus neceſſariam eſſe.

§. XIII.

Infertur ex dictis, quomodo reflexio ſupra probabilitatem opinionis minus tutæ, poſſit vel non poſſit deſervire ad formandum ultimum dictamen practicum conſcientiæ moraliter certum.

84. REflexio ſupra probabilitatem opinionis minùs tutæ, quæ communiter ab authoribus benignis cenſetur neceſſaria ad formandum ultimum dictamen practicum, quòd agens ſibi firmiter perſuadeat, ſibi hic, & nunc licitum eſſe exercere actionem, quam opinio probabilis affirmat eſſe ſecundùm ſe, & univerſaliter licitam, vel poteſt fieri ſupra opinionem probabilem propriam, ſubjectivè, & phyſicè exiſtentem in mente operantis, vel ſupra opinionem alienam, cui operans aſſenſum non præbet, ſed vel judicat eſſe falſam, vel præſcindit ab eo an ſit vera, vel falſa; & ſolùm ſcit homines probos, & ſapientes tenere illam opinionem, eamque communiter computari inter opiniones probabiles, quas authores graves propugnarunt inculpatè ut veras, ob fundamenta, quæ ipſis citra paſſionem, & culpam viſa ſunt gravia, & præponderantia fundamentis, quæ ipſis occurrerunt poſt accuratum ſtudium pro parte contraria. Eſtque res diverſiſſima, quòd quis reflectens ſupra opinionem ſuam certò probabilem, quâ prudenter iudicavit (licet cum aliqua formidine) actionem aliquam eſſe ſecundùm ſe honeſtam, vel licitam, formet dictamen, quòd ſibi hic & nunc liceat talem actionem exercere; & quòd hoc dictamen formet reflectendo ſupra opinionem alienam, quam ipſe iudicat, vel prudenter iudicare poteſt eſſe falſam, vel dubitat veranè ſit, an falſa, vel ſaltem præſcindit ab eo, quòd ſit vera, vel falſa, & ſolùm ſcit illam iudicatam fuiſſe veram ab aliis. Ex eo enim quòd quis poſſit formare dictamen conſcientiæ certum ſuper opinione propria qua ipſe probabiliter, & prudenter iudicat rem eſſe licitam; minimè ſequitur, quòd poſſit formari ſuper opinione aliena, quam ipſe iudicat, vel prudenter iudicare poteſt eſſe falſam. Nam opinionem propriam ipſe cenſet eſſe veram, ac proinde ſibi prudenter perſuadet rem eſſe ſecundùm ſe licitam; ex eo autem, quòd quis formare poſſit dictamen ultimum certum ſuper opinione, qua iudicat prudenter rem eſſe ſecũdùm ſe licitam, minimè ſequitur, quòd poſſit ſuper opinione aliena, quando iudicat, vel iudicare poteſt eſſe falſam; ac proinde iudicat, vel prudenter iudicare poteſt, rem eſſe ſecundùm ſe illicitam. Ex eo enim quòd quis certum putet ſibi licitum eſſe exercere actionem, quam prudenter opinativè iudicat eſſe ſecundùm ſe licitam, inferri non poteſt, quòd poſſit per reflexionem ſuper opinione aliorum, formare dictamen, quo certum putet, ſibi hic, & nunc licitum eſſe facere actionem, quam iudicat eſſe ſecundùm ſe illicitam.

85. Dum autem dicimus poſſe operantem formare dictamen ultimum conſcientiæ certum, reflectendo ſupra propriam opinionem; *propria opinio* non accipitur, quaſi ſit privativè opinio illius ſolius; hoc enim foret fundare ſecuritatem in iudicio privato, quo quis ex ſuo cerebro contra omnium aliorum iudicium, cenſeret rem eſſe licitam; quod eſſet valde inordinatum: ſed dicitur *propria*, quamvis ſit communis aliis, quia operans illam fecit ſuam, dum motus authoritate & rationibus authorum benignorum iudicat cum ipſis rem eſſe licitam; & ſic operatur, non præcisè, quia ſcit alios aſſerere rem eſſe licitam, ſed quia ipſe cenſet hoc eſſe verum: ac proinde operatur ex opinione ſuâ; nimirum ex opinione, quam ipſe habet, quâque ſibi perſuadet prudenter, rem eſſe licitam.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO QUINTA.

In qua conſequenter ad dicta in Diſſertatione præcedenti de modo formandi ultimum dictamen conſcientiæ, diſquiritur, an liceat viro docto operari contra ſententiam propriam magis tutam, ſequendo opinionem aliorum, quam ipſe minùs probabilem cenſet.

1. POſtquam oſtendimus nemini licitum eſſe ſequi ſententiam minùs tutam, ſive faventem libertati adversùs legem, quando omnibus inſpectis habet maius fundamentum ad iudicandum eſſe falſam, quàm ad iudicandum eſſe veram, ſeu quando in actu primo magis illi apparet falſa, quàm vera; rectus ordo poſtulat, ut examinemus, an licitum ſit ſequi ſententiam minùs tutam, quando omnibus conſideratis operans habet æquale fundamentum ad iudicandum eſſe falſam, ac ad iudicandum eſſe veram; ſeu quando in actu primo, non magis illi apparet vera, quàm falſa. Sed antequam ad hoc deveniamus, conſequenter ad dicta Diſſertatione præcedenti de modo, quo reflectendo ſupra probabilitatem opinionis minùs tutæ, poteſt operans formare ultimum dictamen practicum conſcientiæ; quòd hìc & nunc ſibi liceat ſecundùm illam operari; præſens controverſia determinari debet.

§. I.

Proponitur ſententia affirmans.

2. AFfirmant graves Theologi, aſſerentes poſſe virum doctum contra propriam opinionem, qua per principia intrinſeca cenſet aliquid eſſe in genere, & univerſaliter illicitum, operari formando per principia extrinſeca dictamen ſingulare conſcientiæ, quo iudicet ſibi licitum eſſe hìc & nunc operari. Rectè enim componitur, quòd quis per principia intrinſeca habeat aſſenſum unius partis contradictionis, & quòd per extrinſeca principia, ſeu authoritatem Doctorum, qui oppoſitam partem ſequuntur, cenſeat oppoſitum eſſe probabile. Et hoc arbitrantur ſufficere, ut retenta propria opinione, & in ſenſu compoſito illius poſſit formare ſingulare iudicium conſcientiæ, quòd ſibi liceat hìc & nunc operari. Probant autem hanc ſententiam. *Primò*: Nam hoc ipſo quòd aliqua opinio probabilis eſt, ſicut abſque ulla nota poſſumus eam ſpeculativè amplecti, & defendere, ſic etiam ſanâ conſcientiâ poſſumus ſecundùm eam operari. *Secundò*: quia ex eo quòd illa opinio eſt peritorum in arte, & probabili ratione fundata, nulla videtur reprehenſione, aut notâ dignus qui eam ſequitur in operando, aliorum in hoc ſententiæ acquieſcens. *Tertiò*: quia ſubditus etiam contra propriam opinionem parere debet Præpoſito præcipienti, ſi ſciat ipſum præcipere ſecundùm probabilem opinionem. *Quartò*: quia ſicut in rebus agendis, quæ non ſunt præceptæ, non eſt imprudentiæ ſequi conſilium aliorum peritorum contra proprium; ita etiam in rebus præceptis non erit peccatum, aut contra rationem, ſequi opinionem aliorum con-

Digitized by Google

contra propriam. *Quintò*, & ultimò: quia ſi aliquid obeſset, quo minùs contra propriam opinionem, ſequeremur opinionem aliorum, efficeretur, non poſse aliquem operari contra propriam opinionem, qua ipſe ſolus exiſtimat aliquid eſse peccatum, etiamſi cæteri omnes Doctores cenſeant oppoſitum: quod videtur incredibile. Id autem manifeſtè (inquiunt) colligitur: nam ſi quid obſtaret, id eſſet; quia contra propriam opinionem nemo poteſt ſibi formare iudicium conſcientiæ, quo licitè poſſit operari: hoc autem perinde colligitur, ſi ipſe ſolus ſequatur opinionem, qua aſſerit id eſse peccatum, ſicut ſi multi alii etiam cum ipſo idem aſsererent: quòd enim plures, aut pauciores oppoſitam ſequantur opinionem nihil refert, ut contra propriam formare quis poſſit iudicium conſcientiæ. Nam ſi oppoſita opinio probabilis eſt, utroque modo illud iudicium prudenter formari poteſt: aut ſi in uno non poteſt, nec in alio poterit. Ita P. Vazquez 1.2. diſp.62. cap.4.

3. Hanc ſententiam etiam ex ipſis Probabiliſtis, qui tenent licitum eſse ſequi opinionem probabilem relicta probabiliori & tutiori, falſam exiſtimant non pauci: inter quos P. Caſtro-Palao to.1.tract.1.diſp.2. punct.2. num.4. Vbi poſt impugnationem ſententiæ illius concludit: *Quapropter cum ſecundùm opinionem aliorum vis operari, judicium tuum probabile, ſeu probabilius de obligatione ſuſpendere debes*. Item P. Eſparza in ſua Appendice art. 143. & duobus ſequentibus. Et noviſſimè P. Terillus in tomo de Conſcientiâ quæſt. 30. ubi probat numquam licere operari contra ſententiam benignam minùs probabilem, neceſsarium eſse ſuſpendere aſsenſum circa partem illam, quæ ſecundùm probabilitatem directam apparebat probabilior; & ex imperio voluntatis aſsenſum præbere parti, quæ directè apparebat minùs probabilis. Pater Breſserus de Conſcientia lib. 4. cap.13. n.137. Averſa 1.2. diſput.14. ſect.8. con.1. & alii plures. Et ego antequam in eam abirem ſententiam, quam in toto hoc tractatu ſecutus ſum, ſemper falſam exiſtimavi, modòque exiſtimarem quamvis cenſerem licitum eſse ſequi opinionem minùs probabilem in occurſu probabilioris, & tutioris.

§. II.

Eligitur, & probatur ſententia negans.

4. SEntentiam ergo negantem veriſſimam puto, cum omnibus Theologis negantibus, licitum eſſe uſum opinionis minùs tutæ in occurſu probabilioris, & tutioris; item cum multis Probabiliſtis. Nam qui ex duabus ſententiis oppoſitis, omnibus inſpectis, & conſideratis, quæ ab authoritate, & ratione pro una, & altera parte circumferuntur, aſſenſum præbet parti rigidæ, (quæ v.g. affirmat, eum, qui eligit minùs dignum prætermiſſo digniore, debere reſtituere damnum, quod ei intulit) non poteſt in ſenſu compoſito huius aſſensûs moveri ex authoritate Doctorum oppoſitum aſserentium, ad iudicandum, ſe hic, & nunc non eſse obligatum ad reſtituendum, quamvis elegerit minùs dignum prætermiſso digniori: nihilque iam ipſum movere poteſt ad colligendum iudicium ultimum, ſeu dictamen conſcientiæ, quòd ſcilicet non ſit obligatus ad reſtituendum; quia non obſtante totâ peritiâ Doctorum illorum, ipſe iudicat ſententiam illorum eſse falſam. Unde in ordine ad formandum iudicium in univerſali de eo, quòd non detur obligatio reſtituendi, ſupponitur contempſiſse illorum authoritatem; ſiquidem non obſtante illâ authoritate, cenſet in univerſali dari obligationem reſtituendi. Ergo iam non poteſt ab illa moveri ad iudicandum, ſe hic, & nunc non teneri reſtituere. Quare, niſi depoſitâ propriâ ſententiâ, non poterit acquieſcens ſententiæ minùs probabili affirmare, ſe hic, & nunc obligatum non eſse reſtituere: quod tamen iudicium eſt neceſsarium, ut licitè poſſit operari, ut rectè docet ibi P. Vazquez cap.3. num. 11. Confirmatur: quia authoritas Doctorum

Digitized by Google

ctorum affirmantium aliquid eſse licitum,eatenus poteſt me movere ad illam ſequendam, quatenus ego ſuppono illos habere validas rationes, & ſolida fundamenta ad comprobandam ſuam ſententiam. Ideoque cæteris paribus præſumitur eſse probabilior ſententia, quæ à pluribus, & ſapientioribus defenditur; non præcisè quia ab illis defenditur, ſed quia præſumitur efficaciorem rationem pro ſe habere; cùm plures, & ſapientiores ad illam defendendam concurrerint: ut rectè probat P. Caſtro-Palao diſput. 2. de Conſcientia punct. 1. n. 8. Ergo qui cenſet fundamenta Doctorum affirmantium aliquid eſse licitum, eſse fallacia, ipſorumque ſententiam eſſe falſam, non poteſt iam ab ipſorum authoritate moveri ad affirmandum, ſibi hìc, & nunc eſse licitum operari.

5. Sed age, probemus iam ſententiam illam contradictionem involvere. Quia implicat me iudicare propter fundamenta rationis, aliquid in genere, & univerſaliter eſse illicitum, quin iudicem eſse illicitum Petro, & Joanni, & mihi; niſi in me detur aliqua ſpecialis ratio, quæ in aliis non reperitur. Cùm enim rationes communes non diſtinguantur ab individuis, idem eſt affirmare, aliquid eſse univerſaliter illicitum, ac affirmare, eſse illicitum huic, illi, & illi, &c. Ergo implicat, me abſolutè iudicare, univerſaliter illicitum eſse omittere reſtitutionem in caſu dignioris prætermiſſi, quin hoc ipſo iudicem mihi hìc, & nunc illicitum eſse illam reſtitutionem omittere, quando elegi minùs dignum prætermiſso digniore: ſiquidem nulla ratio peculiaris militat in me, quæ me eximat ab illa regula univerſali; *Qui eligit minùs dignum prætermiſſo digniore tenetur reſtituere*: ac proinde illicitum illi eſt, reſtitutionem omittere. Ergo qui iudicat univerſaliter aliquid eſse illicitum, affirmat etiam eſse illicitum ſibi hic, & nunc. Ergo implicat, quòd ob aliud motivum poſſit iudicare ſibi hic, & nunc eſse licitum. Nam hæc duo iudicia ſunt omnino oppoſita; & diverſitas motivorum contradictionem non tollit: alioqui numquam aſsenſus & diſsenſus opponerentur. Siquidem eſsentialiter nituntur motivis diverſis; cùm prorſus repugnet, ut eadem ratio, quę me movet ad aliquid affirmandum, me moveat ad negandum ſub iiſdem circumſtantiis.

6. Julius Mercorus in Baſi Theologiæ Moralis 2. part. art. 2. affirmat, poſse intellectum ſpeculativè opinari de una parte contradictionis propter fundamenta rationis, & ſimul propter authoritatem virorum ſapientium, & timoratorum opinari practicè de oppoſita; affirmando ſpeculativè aliquid eſse illicitum propter momenta rationum, quæ ſtant pro illa ſententia, & ſimul negando practicè eſse ſibi illicitum omnibus inſpectis hic, & nunc. Redditque rationem; quia intellectus, quando opinatur ſpeculativè de affirmativa, format iudicium aliquomodo præciſivum, ſcilicet attentis his ſolis rationibus, quæ ei relucent directè ſecundùm naturam propriam ſui obiecti; unde & hæc motiva appellantur intrinſeca. Quando verò conſiderat omnia motiva tam intrinſeca, quàm extrinſeca, quæ in negotio, quod occurrit utrimque ſe repræſentant, ſi motivum extrinſecum, quod eſt pro una parte, ſit validum, videlicet authoritas virorum proborum, & reflectat ſupra rationem, propter quam adhæret parti affirmativæ, eam indirectè, & arguitivè reſolvit; quia ſtante illâ authoritate, cui credit, putat ſe poſse errare in ſuo diſcurſu: & hoc modo liberatus à pondere dictæ rationis, quæ urgebat pro affirmativa, abſolutè, & omnibus penſatis adhæret negativæ. Animadvertit autem neceſsarium ad hoc eſse, quòd motivum extrinſecum ſtans pro parte negativa ſit validum, & abſolutè maioris virtutis, & efficaciæ ad movendum, quàm motivum rationis militans pro parte affirmativa. Et exiſtimat in hoc ſenſu fuiſse locutum P. Vazquez.

7. Sed contra primò: quia hæc ſolutio non poteſt accommodari caſui noſtræ quæſtionis. Supponimus enim dari duplicem ſententiam, alteram affirmantem, alteram negantem aliquid eſse illicitum. Petrus expenſis utriuſque ſen-

ten-

Digitized by Google

tentiæ fundamentis, atque conſiderans Authores qui ſtant pro una, & altera ſententia, abſolutè, & ſimpliciter iudicat rem illam eſse illicitam generaliter, & univerſaliter, quia omnibus inſpectis, fundamenta ſententiæ affirmantis fortiùs ipſum movent ad aſsenſum. In hoc caſu non ſe gerit præciſivè; non enim dicit: *Attentâ præcisè tali ratione illicitum eſt non reſtituere in caſu dignioris prætermiſſi.* Sed omnibus inſpectis, quia fundamenta rationis, quæ ſtant pro ſententia affirmante, preponderant fundamentis rationis, & authoritatis, quæ ſtant pro negante, ex vi illorum fundamentorum affirmat rem univerſaliter eſse illicitam, & virtualiter dicit: *Quamvis dentur Authores negantes rem eſſe illicitam, eorumque ſententia ſit probabilis propter ipſorum authoritatem, & propter rationes veriſimiles, quas afferunt: nihilominus ego cenſeo rem illam eſſe univerſaliter illicitam propter rationes, quas afferunt Doctores ſententiæ affirmantis, vel propter rationes, quæ mihi occurrunt; quia præponderant rationibus, & authoritati ſententiæ contrariæ: ac proinde cenſeo falſam eſſe ſententiam illorum Doctorum.* Itaque non ſe gerit præciſivè, ſed omnibus inſpectis affirmat rem eſse illicitam. Cum hoc autem non poteſt componi, quòd propter authoritatem Doctorum ſententiæ negantis affirmet ſibi non eſse illicitum hic, & nunc, quod omnibus in univerſali, & in communi cenſet illicitum.

8. Deinde Mercorus ſibi ipſi contradicit, nam in ipſius principiis non poteſt intellectus aſsentire parti minùs veriſimili, cùm tendat ſub ratione veri. Quæro ergo, an dum intellectus ſpeculativè opinatur aliquam actionem eſse illicitam in genere, repreſententur ipſi etiam fundamenta, & authoritas ſententiæ oppoſitæ, vel non. Si primum, ergo omnibus inſpectis, quæ intellectum movere poſsunt, hìc, & nunc ſententia affirmans repræſentatur ipſi ut veriſimilior: ergo non poteſt aſsentire ſententiæ neganti in illo inſtanti: quia implicat, ut in eodem inſtanti, in quo omnibus penſatis apparet illi veriſimilior ſententia affirmans, repræſentetur ipſi ut veriſimilior ſententia negans propter authoritatem ſuorum Doctorum: prout erat neceſsarium, ut illi aſsenſum præberet. Si dicatur ſecundum, nempè cùm intellectus aſsentitur ſententiæ affirmanti, non repræſentari ipſi fundamenta ſententiæ negantis: ſequitur, quòd dum poſtea accedit ad conſideranda fundamenta rationis, & authoritatis ſententiæ negantis, debeat ſuſpendere aſſenſum, quem antea præſtiterat ſententiæ affirmanti. Nam ſi ſola authoritas ſententiæ negantis fortiùs ipſum movet ad negandum, quàm rationes ſententiæ affirmantis ad affirmandum, ſequitur ex vi illius authoritatis, jam ſententiam negantem proponi ipſi ut abſolutè, & ſimpliciter veriſimiliorem ſententiâ affirmante: ergo tunc non poterit retinere aſſenſum ſententiæ affirmantis, ſed illum neceſſariò ſuſpendere debet: quia juxta Mercorum implicat, ut intellectus aſſentiatur objecto, quod abſolutè, & ſimpliciter apparet ipſi minùs veriſimile ſuo contradictorio; ut ipſe docet 2. part. art. 7.

9. Probo prætereà, illam ſententiam P. Vazquez contradictoria continere. Nam ſi Petrus propter authoritatem Doctorum ſententiæ benignæ judicat, ſe non eſſe obligatum hìc, & nunc ad reſtituendum digniori, quem prætermiſit eligens minùs dignum: ergo propter illorum authoritatem judicat etiam in univerſali non reſultare obligationem reſtitutionis ex electione minùs digni prætermiſſo digniore. Ut enim ſapienter inquit ipſe Vazquez 1. 2. diſput. 65. num. 2. *Si ob aliquam circumſtantiam in ſingulari determinato aſſenſu judicet quis hoc ſibi non eſſe malum, non poteſt in univerſum etiam idem cum eiſdem circumſtantiis non judicare; nam quì fieri poteſt, ut idem intellectus in univerſum dubitet, an aliquid ſit malum, & ſimul exiſtimet ſibi non eſſe malum?* Et ego ſubjungo: *Quì fieri poteſt, ut quis judicet in univerſum aliquid eſſe malum, & ſimul exiſtimet ſibi non eſſe malum?* Ergo ex ſententia P. Vazquez ſequitur Petrum ſimul, & ſemel affirmare, & negare, quòd reſultet obligatio reſtituendi ex electione

ne

Digitized by Google

ne minùs digni prætermiſſo digniore: affirmare quidem ob motiva, & fundamenta rationis ſententiæ affirmantis, negare verò ob authoritatem Doctorum ſententiæ negantis. Quis autem non videat, hos duos actus ſimul pugnare in eodem intellectu: *Ex electione minùs digni prætermiſſo digniore, reſultat obligatio reſtituendi: Ex electione minùs digni prætermiſſo digniore non reſultat obligatio reſtituendi?* Diverſitas enim motivorum minimè tollit contradictionem illorum actuum, quæ tota deſumitur ex objecto materiali affirmato, & negato; cùm ſicut repugnat reſultare, & non reſultare ſimul obligationem, ita repugnet conjungi affirmationem, & negationem mentalem illius reſultantiæ. Poterit quidem quis propter rationem moveri ad affirmandum, & ſimul moveri ad affirmandum propter authoritatem; ut cùm credimus ob authoritatem Dei revelantis, quæ evidenti ratione aſſequimur. At moveri per rationes unius ſententiæ ad affirmandum, & ſimul moveri per authoritatem alterius ad negandum illud ipſum, eſt prorſus implicatorium: & eſt manifeſtum, contradictionem aſſensûs, & diſſensûs non tolli per diverſitatem motivorum; quia ſupponitur motivum diſſensûs ſemper eſſe diverſum à motivo aſſensûs.

10. Ut ex alio capite oſtendam, aſſertionem adverſariorum continere virtualiter duo contradictoria, tranſcribam hæc verba P. Vazquez diſput. 62. num. 12. *Notandum eſt*, inquit, *ut aliquis rectè operetur relictâ propriâ opinione, & ſequendo alienam, debere formare ſibi judicium aliquod conſcientiæ ſingulare, quo determinato aſſenſu credat, & exiſtimet licitum eſſe ſibi in eo caſu ſequendo opinionem alienam operari; alioqui ſi hoc judicium non haberet, operaretur contra conſcientiam, quod nullâ ratione licet. Hoc autem judicium ſingulare conſcientiæ non poterit quis colligere per propria principia, ſi perſeveret in ſua opinione: quia cum univerſali opinione, qua quis credit per propria principia reſtituendum eſſe digniori, qui in electione prætermiſſus fuit, impoſſibile eſt habere judicium ſingulare per propria principia, quo credat huic digniori non eſſe reſtituendum. Supereſt igitur, ut ſi tale judicium cum contraria opinione haberi poſſit, per extrinſeca principia habendum ſit; ex eo nimirum, quòd credimus, opinionem contrariam eſſe probabilem ob authoritatem eorum, qui eam ſequuntur.*

11. Poſteà autem n. 14. affirmat, retentâ propriâ opinione ut probabiliore, & aſſenſu illius per intrinſeca principia, poſſe virum doctum per principia extrinſeca exiſtimando ſententiam contrariam eſſe probabilem, formare ſibi judicium conſcientiæ ſingulare, quo judicet, licitum eſſe ſic operari. Quod probat rationibus ſupra relatis.

12. Sed pace tanti Doctoris rogo, cur ille, qui propter fundamenta intrinſeca ſententiæ affirmantis affirmat reſtituendum eſſe digniori, non poſſit propter fundamenta intrinſeca ſententię negantis negare ſe hic, & nunc eſſe obligatum ad reſtituendum digniori prætermiſſo à ſe? poſſit autem propter fundamenta extrinſeca ſententiæ negantis, id eſt, propter authoritatem Doctorum negantium? Supponimus utramque ſententiam habere pro ſe Authores, & habere fundamenta rationis: nulla enim ſententia eſt probabilis propter authoritatem Doctorum, quin ſit probabilis propter fundamenta rationis; nam primi Authores, qui illam extrinſecè probabilem reddiderunt, utique rationabili, & gravi fundamento ducti ſunt ad eam ſententiam propugnandam, & impugnandam ſententiam affirmantem. Ergo utraque ſententia eſt probabilis abſolutè inſpecta, ob motiva intrinſeca rationis, & ob motiva extrinſeca authoritatis. Quæro igitur, cur is, qui in univerſum propter fundamenta intrinſeca affirmativæ ſententiæ, judicat reſultare obligationem reſtituendi ex electione minùs digni prætermiſſo digniore, non poſſit propter fundamenta intrinſeca probabilia ſententiæ contrariæ formare ſingulare judicium conſcientiæ, quo credat ſibi non reſultare hic, & nunc obligationem reſtituendi ex electione minùs digni à ſe facta prætermiſſo digniore?

Digitized by Google

re? Sicut enim cum probabilitate ſententiæ affirmantis, imò cum veritate, componitur, quòd ſententia negans ſit probabilis ab authoritate; ita componitur, quòd ſit probabilis à ratione. Si ergo in ſenſu compoſito aſſenſûs erga ſententiam affirmantem, poteſt ſimul habere illud judicium ſingulare ob authoritatem ſententiæ negantis, poterit etiam illud habere ob motiva intrinſeca ſententiæ negantis. Sicut enim non obſtante aſſenſu erga ſententiam affirmantem, quo judicat in univerſum reſultare obligationem reſtituendi ex electione minùs digni, poteſt judicare ſibi non reſultare talem obligationem ob motivum extrinſecum Doctorum ſententiæ contrariæ, etiam poterit judicare ob motivum intrinſecum ſententiæ contrariæ: nam ſicut reflectens ſupra ſententiam contrariam judicat illam eſſe probabilem ob authoritatem plurium Doctorum gravium, ita judicat eſſe probabilem ob fundamenta intrinſeca rationis, quibus illi Doctores moti ſunt. Ergo ex ſententia P. Vazquez ſequitur, poſſe colligi illud dictamen conſcientiæ ſingulare, non ſolùm propter motiva extrinſeca, ſed & propter intrinſeca ſententiæ negantis. Quod tamen ipſe cenſet implicatorium.

13. Reſpondebis forſan, fundamenta intrinſeca ſententiæ negantis non poſſe movere eum, qui ob motiva intrinſeca ſententię affirmantis huic aſſenſum præbet; quia dum aſſentitur propter motiva intrinſeca unius ſententiæ, contemnit motiva intrinſeca alterius, illaque parvi pendit, & tamquam fallacia reiicit: ac proinde iam non poteſt ab illis flecti, ad colligendum iudicium ſingulare conſcientiæ contra propriam opinionem. Sed contra: quia hæc ratio pariter probat, nec movere poſſe fundamenta extrinſeca ſententiæ negantis, ſeu authoritatem Doctorum eam defendentium. Nam qui aſſentitur parti affirmativæ propter motiva intrinſeca, quæ afferuntur ab Authoribus illius ſententiæ, non ſolùm contemnit, & parvi pendit motiva intrinſeca ſententiæ contrariæ, ſed etiam motiva extrinſeca: ſiquidem non obſtantibus rationibus ſententiæ negativæ, & non obſtante authoritate Doctorum, qui illam defendunt, cenſet ſententiam affirmativam eſſe veram, ac proinde eſſe falſam ſententiam negativam: ergo parvi pendit non ſolùm rationes, ſed authoritatem ſententiæ negantis. Ergo ſi ob hanc cauſam nequit moveri contra propriam ſententiam à motivis intrinſecis ſententiæ negantis, nec etiam poterit moveri ab authoritate Authorum illius. Et ratio ſupra allata ſatis oſtendit id eſſe impoſſibile. Authoritas enim Doctorum eatenus nos movere poteſt, quatenus præſumimus eos non falli in eo, quod defendunt. Ergo quando quis iudicat Doctores aliquos falli in aliqua concluſione, iam nequit moveri ab illorum authoritate ad amplectendam eorum ſententiam circa talem concluſionem: ergo qui iudicat falſam eſſe ſententiam negantem reſultare obligationem reſtituendi ex electione minùs digni prætermiſſo digniore, iam nequit moveri ab authoritate Doctorum illius ſententiæ ad iudicandum ſibi non reſultare talem obligationem ex electione minùs digni à ſe factâ.

14. Arguo prętereà contra P. Vazquez: quia ſi rectè cohæret, me affirmare univerſalem obligationem reſtituendi ob motiva intrinſeca ſententiæ affirmantis, & ſimul ob motiva extrinſeca ſententiæ negantis negare, me hìc, & nunc obligari ad reſtituendum, ſimiliter ob motiva intrinſeca unius ſententiæ potero affirmare me hìc, & nunc obligatum eſſe ad reſtituendum, & ob motiva extrinſeca alterius ſententię negare me hìc, & nunc eſſe obligatum; cùm non magis inter ſe opponantur particularis affirmativa, & particularis negativa, quàm univerſalis affirmativa, & particularis negativa. At repugnat in me coniungi ſimul hæc duo iudicia particularia: ergo & illa duo priora. Rurſus. At repugnat me rectè operari in ſenſu compoſito iudicii particularis, quo exiſtimo mihi hìc, & nunc eſſe illicitam operationem; nam hoc ipſo operor contra conſcientiam. Ergo repugnat me rectè operari in ſenſu compoſito iudicii, quo univerſaliter iudico eſſe illicitam talem operationem.

15. Dein-

Digitized by Google

15. Deinde argumentor ad hominem contra multos ex Probabiliſtis, qui ex una parte affirmant ex iudicio opinativo directo prudenti de honeſtate, vel inhoneſtate operationis reſultare dictamen practicum ultimum reflexum certum, & evidens de honeſtate, vel malitia actionis hìc,& nunc exercendæ,& ex alia parte affirmant, licitum eſſe operari contra propriam ſententiam magis tutam. Contra illos ſic argumentor: Qui iudicio opinativo prudenti directè iudicat aliquam actionem eſſe malam,& peccaminoſam univerſaliter, & in genere, v. g. pingere ſine neceſſitate in die feſto, ſic ſtatim diſcurrit reflectens ſupra illud iudicium opinativum: Vnicuique illicitum, & malum eſt exequi,quod univerſaliter, & in communi iudicat eſſe malum,niſi habeat ſpecialem rationem eximentem illum ab illa univerſali regula: At ego hìc, & nunc prudenter iudico eſſe illicitum pingere ſine neceſſitate in die feſto, & non habeo rationem ſpecialem me eximentem ab illa regula,& lege univerſali: Ergo hìc,& nunc mihi illicitum eſt pingere ſine neceſſitate in die feſto.Hanc concluſionem evidentem iudicant illi Probabiliſtę,cenſentes utramque præmiſſam eſſe certam, alteram ex terminis, alteram ex experientia, qua quis ſcit, ſe moveri ad iudicandum illud obiectum eſſe prohibitum ex fundamentis gravibus, & magnis, quibus ducti ſunt viri ſapientes. Aliunde verò hic diſcurſus naturaliter videtur reſultare ex ſyndereſi intellectûs. Quomodo ergo cum hoc componi poteſt, quòd ob authoritatem extrinſecam Doctorum contrariæ ſententiæ poſſit quis colligere iudicium ſingulare, quòd ſibi liceat hìc, & nunc pingere ſine neceſſitate in die feſto?

16. Prætereà argumentor: quia qui iudicat in univerſali illicitum eſſe pingere in die feſto ſine neceſſitate, & nihilominus pingit ſine neceſſitate in die feſto, implicat ut poſſit iuſtam habere ſuæ operationis defenſionem coram Supremo Judice: ergo peccat, & in Divino tribunali tamquam ſervus nequam confundetur, iuxta id quod docet Apoſtolus 2. Rom. v. 15. Quia contra illum *teſtimonium* reddet *conſcientia* ipſius: fecit enim quod omnibus iudicavit eſſe malum. Nec enim ſufficienter ſe excuſabit, dicens: Domine, pinxi in die feſto ſine neceſſitate, quia viri ſapientes cenſebant id non eſſe peccatum. Statim enim convincetur: Quid refert, quòd alii iudicaverint id eſſe licitum, quandoquidem tu prudenter cenſebas illos falli? non oportebat te operari ſecundùm conſcientiam alienam, ſed ſecundùm tuam; nam licet eorum conſcientia eis dictaret id eſſe licitum, tua tibi dictabat id eſſe illicitum. Ergo operatus es contra propriam conſcientiam. Quid refert, quòd viri illi ſapientes ſint, & magni? Nam tota illorum authoritas non te movit ad ſentiendum cum illis, licitum eſſe pingere in die feſto: ſiquidem non obſtante totâ hac authoritate cenſebas illos decipi, & abſolutè iudicabas rem illam eſſe univerſaliter illicitam: authoritas autem, quæ tanta non fuit, ut te moveret ad deponendum proprium iudicium, & ſentiendum, ſeu opinandum cum ipſis, tanta eſſe non poteſt, ut te excuſet: non enim ex illorum conſcientia, ſed ex tua iudicandum te eſſe ſciebas, dicente Apoſtolo: *Teſtimonium illis reddente conſcientiâ ipſorum*; non *conſcientiâ aliorum*. Quod magis urget idem Apoſtolus Rom. 14. verſ. 23. dicens: *Qui autem diſcernit, ſi manducaverit, damnatus eſt, quia non ex fide: omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Tu autem diſcreviſti,& feciſti,quod credebas eſſe peccatum, ergo juſtè damnaberis, quia non feciſti ex fide tua.

17. Denique argumentor: quia Authores aſſerentes licitum eſſe operari contra ſententiam propriam magis tutam, numquam in rebus controverſis affirmare poterunt aliquem contractum eſſe illicitum, ſi videant dari ſententiam probabilem, quòd ſit licitus. Si enim per reflexionem ſupra authoritatem Doctorum eſſet licitum operari contra opinionem propriam magis tutam, numquam Doctores poſſent abſolutè pronunciare: *Hic contractus illicitus eſt*; ſed deberent dicere: *Hic contra-*

ctus foret illicitus, ſi non daretur pro illo ſententia probabilis.

18. Non enim eſt illicitus contractus, quem ego poſſum licitè exercere quoties voluero. At hoc eſt contra praxim ſcholarum, ubi Doctores abſolutè pronunciant, contractum eſſe illicitum, quando habent fundamentum ſufficiens ad probandum id eſſe verum, & oppoſitum eſſe falſum; quamvis defendatur à gravibus Doctoribus.

19. Confirmatur: Nam Doctores iſtius ſententiæ coguntur admittere propoſitiones duriſſimas. Pone aliquem Doctorem ex iis in ſcholis docere, uſuram eſſe, accipere aliquid ultra ſortem in mutuo præcisè ratione periculi: ſanè ſi is ſimul in praxi tenet, licitum eſſe ſibi aliquid accipere in mutuo ratione periculi ob authoritatem Doctorum, qui oppoſitam ſententiam tuentur, cogetur concedere hanc conſequentiam: Accipere aliquid ultra ſortem in mutuo ratione periculi, eſt uſura; at tu potes hoc facere ſine peccato: ergo tu potes ſine peccato facere uſuram. Major eſt ipſiſſima ſententia hujus Doctoris. Minor etiam ab ipſo conceditur; ſiquidem ob authoritatem Doctorum ſententiæ contrariæ hic, & nunc formare poteſt dictamen, quòd ſibi liceat accipere aliquid ſine peccato ratione periculi. Et conſequentia eſt legitima.

20. Nec reſpondere poteſt, majorem eſse ſolùm veram ſpeculativè; quia ſententia moralis affirmans, aliquid eſſe illicitum, practica eſt, nec ponitur dumtaxat ſpeculationis gratiâ, ſed ad dirigendas operationes ordinatur. Nam ſub illa univerſali continentur propoſitiones ſingulares verſantes circa hic, & nunc. Si enim illicitum eſt univerſaliter accipere aliquid ultra ſortem ratione ſolius periculi, ergo illicitum eſt mihi, niſi in me detur aliqua ratio particularis, quæ non datur in aliis. Ergo qui concedit majorem, & non videt in ſe rationem illam ſpecialem ut eximatur, evidenter infert, mihi illicitum eſt hic, & nunc accipere aliquid ultra ſortem ratione periculi: ergo maior vera eſt etiam practicè.

§. III.

Præcluditur quædam evaſio.

21. RESpondebis: Petrum pingentem in die feſto ſine neceſſitate contra ſuam opinionem, quâ cenſet illicitum eſſe pingere ſine neceſſitate in die feſto, formare dictamen ob authoritatem Doctorum ſententię contrariæ minimè oppoſitum ſuæ opinioni; nam per illud dictamen non dicit abſolutè Petrus: Mihi licet pingere in die feſto ſine neceſſitate; ſed dicit: Actio pingendi in die feſto ſine neceſſitate, ut ſubeſt ſententiæ probabili multorum Doctorum, mihi licita eſt; ſeu, Mihi licitum eſt pingere in die feſto ſecundùm ſententiam probabilem gravium Doctorum: hoc autem dictamen practicum non opponitur opinioni, ſeu iudicio ſpeculativo, quo iudico illicitum eſſe pingere in die feſto. Verùm hæc evaſio frivola eſt. Nam ad hoc ut quis poſſit licitè pingere in die feſto, opus eſt, ut iudicet, illam actionem pingendi in die feſto, non eſſe verè, & à parte rei prohibitam à Deo; ſeu eſse abſolutè, & ſimpliciter licitam in ſe: quia Petrus illam abſolutè ponit à parte rei; & ad licitè operandum debet iudicare, licitam eſſe eo modo, quo illam ponit: nec illam ponit, ut ſubeſt opinioni illorum Doctorum dumtaxat, ſed abſolutè: non ergo ſufficit, quòd iudicet, illam eſſe licitam, prout ſubeſt opinioni illorum Doctorum, ſed abſolutè. Ratio autem videtur manifeſta; nam me iudicare aliquam actionem eſſe mihi licitam, prout ſubeſt opinioni aliorum, nihil aliud eſt, quàm me iudicare, dari graves Authores, qui affirmant, probabiliter illam actionem eſſe omnibus licitam, ac proinde mihi. Id autem non ſufficit ad honeſtè operandum; quia parùm refert, quòd alii iudicent, mihi eſse licitum operari, niſi id ipſum ego affirmem, conformans iudicium meum ſingulare cum illorum iudicio, ſeu opinione univerſali. Nam rectè componitur, quòd ego ex opinione, & iudicio meo univerſali, quo iudico

in

Digitized by Google

in univerſum eſse illicitum pingere in die feſto, inferam hanc concluſionem: Ergo mihi illicitum eſt ſic operari in die feſto ſine neceſſitate; & tamen quòd ſimul affirmem ſecundùm opinionem gravium Doctorum, mihi licitum eſse ſic operari in die feſto ſine neceſſitate. Et tamen ſtante illo dictamine particulari, quo iudico mihi illicitum eſse pingere in die feſto, impoſſibile eſt, quòd poſſim licitè pingere. Ergo non ſufficit ad licitè pingendum in die feſto, quòd ego iudicem mihi eſse licitum iuxta ſententiam gravium Doctorum. Et ratio eſt, quia ego non ſum iudicandus ex conſcientia aliorum, ſed ex mea; & parùm refert, quòd in aliorum conſcientia mihi liceat pingere in die feſto, ſi in mea conſcientia id eſt omnino illicitum.

22. Confirmatur; quia ut quis ob authoritatem Doctorum ſententiæ contrariæ poſſit ſibi formare dictamen conſcientiæ, debet cum illis ſentire quoad actionem hic, & nunc exercendam: ergo debet in eo ſenſu iudicare, ſibi licitum eſse pingere in die feſto, quo illi Doctores univerſaliter ſentiunt, omnibus id licitum eſse. At illi ſentiunt omnibus abſolutè licitum eſse pingere in die feſto ſine neceſſitate: ergo debet ille iudicare, ſibi licitum abſolutè eſse pingere in die feſto ſine neceſſitate. Et ſanè Doctores ſententiæ illius non loquuntur hoc modo: Licitum eſt omnibus pingere ſine neceſſitate in die feſto ſecundùm placitum noſtrum: nam ita ſi loquerentur, perinde eſset ac ſi dicerent; Nos affirmamus, licitum eſse omnibus pingere in die feſto: & ita nihil directè de obiecto enunciarent, ſed reflexè ſolùm de ſua cognitione. Ergo Doctores illius ſententiæ de obiecto ipſo ſecundùm ſe ſumpto, nempe de actione pingendi, affirmant, eſse abſolutè licitum. Ergo ut quis poſſit ſibi formare dictamen conſcientiæ iuxta illorum Doctorum placitum, debet ſimiliter affirmare, ſibi eſse licitam actionem pingendi ſecundùm ſe ſumptam in die feſto.

23. Vnde deducitur, qui contra propriam opinionem format ſibi dictamen ultimum iuxta placitum Doctorum ſententiæ contrariæ, verificare duo contradictoria, illaque exiſtimare eſse ſimul vera. Nam in primis iudicat, illicitum eſse omnibus pingere in die feſto ſine neceſſitate ex propria ſententia, idque exiſtimat eſse verum, alioqui non illud affirmaret. Rurſus, ex ſententia aliorum, & motus ab ipſorum authoritate iudicat ſibi non eſse illicitum pingere in die feſto, idque putat verum. Ergo putat eſse ſimul vera duo contradictoria; nempe omnibus eſse illicitam aliquam actionem, & alicui non eſse illicitam, ſeu nemini eſse licitam, & eſse licitam alicui.

§. IV.

Diſſolvuntur fundamenta ſententiæ contrariæ.

24. HInc facile eſt diſſolvere argumenta contraria propoſita num. 1. Ad primum, quòd ſcilicet, hoc ipſo, quòd aliqua opinio probabilis ſit, ſicut poſſumus eam ſine nota defendere, ita & poſſimus in conſcientiâ ſecundùm eam operari: Reſpondeo, id ſolùm probare, quòd poſſimus operari in conſcientiâ ſecundùm ſententiam illam, quando in noſtrâ conſcientiâ, non exiſtit ſubiectivè ſententia contraria; non autem quando hæc exiſtit ſubjectivè in conſcientia. Sicut enim nemo internè poteſt defendere ſententiam favorabilem libertati, quando cenſet eſſe veram oppoſitam faventem præcepto: ita nemo poteſt in conſcientiâ operari ſecundùm ſententiam favorabilem libertati, quando cenſet oppoſitam eſſe veram. Nam qui cenſet illicitum univerſaliter eſſe pingere in die feſto, & nihilominus pingit, nequit excuſari à peccato.

25. Externè quidem bene poteſt quis defendere ſine nota ſententiam probabilem, quamvis ipſe internè judicet eſſe falſam: hinc tamen non poteſt fieri argumentum ad forum conſcientiæ. Nam ſi quis exequatur id, quod internè judicat eſſe malum, reus erit coram Supremo Iudice, qui non tantùm

Digitized by Google

externam rerum faciem, ſed interiora videt.

26. Ad ſecundum, quòd ſcilicet hoc ipſo quòd opinio favorabilis ſit peritorum in arte, & probabili ratione fundata, nullâ videtur notâ dignus, qui illam ſequitur in operando: Reſpondeo, rectè quidem probare, quòd ſi ego ob authoritatem illorum Doctorum, ipſorumque fundamenta cenſeo illam opinionem eſſe veram, poſſim ſecundùm eam operari: verùm quando judico illam eſſe falſam, & quando non obſtante totâ peritiâ Doctorum, qui illam defendunt, ego cenſeo eſſe omnibus illicitum, quod ipſi licitum affirmant, nullam veriſimilitudinem habet, ſed potiùs apertam contradictionem involvit.

27. Ad tertium de ſubdito, qui tenetur obedire ſuperiori præcipienti ſecundùm ſententiam probabilem, dicendum eſt Diſſer. 14. Ex ibi probandis dico, ſubditum debere deponere proprium judicium, quo cenſebat operationem eſſe peccaminoſam, ut exequatur illam dum à ſuperiore præcipitur; quia habet prudentiſſimum fundamentum ad exiſtimandum, ſe decipi in ſuo iudicio. Peccaret autem, ſi in ſenſu compoſito iudicii, quo exiſtimat rem eſse malam, obediret ſuperiori; nam hoc ipſo ageret contra conſcientiam. Unde ex ſuppoſitione, quòd pertinaciter velit retinere opinionem propriam de malitia illius operationis, peccabit, ſive obediat, ſive non obediat: ſi obediat, quia tenetur omnis homo omittere id, quod iudicat eſse peccatum; ſi non obediat, quia ſubditus abſolutè tenetur obedire ſuperiori in omni re, in qua manifeſtè peccatum non cernitur. Nec eſt inconveniens, quòd ex ſuppoſitione voluntaria quis ſit neceſſitatus ad peccandum, ut docet D. Thomas quæſt. 17. de Veritate artic. 4. ad 8. nam ſimpliciter poteſt peccatum vitare deponendo conſcientiam erroneam. Sic is, qui per errorem iudicaret ſe obligatum eſſe ad furandum, peccaret ex hac ſuppoſitione, ſive faceret, ſive omitteret rem illam. Omittendo peccaret contra conſcientiam; faciendo peccaret contra præceptum naturale. *Nec tamen eſſet ſimpliciter perplexus*, inquit D. Thomas, *quia poſſet aliquid facere, quo poſito in peccatum non incideret, ſcilicet conſcientiam erroneam deponere; ſed eſſet perplexus ſecundùm quid, ſcilicet conſcientiâ erroneâ manente. Non eſt autem inconveniens, ut aliquo ſuppoſito, homo peccatum vitare non poſſit: ſicut ſuppoſitâ intentione inanis gloriæ, ille qui tenetur eleemoſynam dare, peccatum evitare non poteſt: ſi enim dat ex tali intentione, peccat; ſi autem non dat, tranſgreſſor eſt.*

28. Ad quartum reſpondeo: in aliis rebus agendis non eſſe imprudentiæ ſequi aliorum iudicium contra proprium; quia prudentia ipſa dictat, non eſſe prudentiam, nimis fidere propriæ prudentiæ. Unde laudabile eſt, quòd quis exequatur id, quod alii iudicant melius, & conducentius eſſe ad finem, quamvis ipſe non iudicet eſſe melius. Imò tunc prudentia ipſa dictat, quòd deponat proprium iudicium, ut ſequatur alienum; quia plus vident oculi, quàm oculus.

29. Hinc autem non poteſt fieri paritas ad caſum noſtræ quæſtionis, præſertim quando quis non ob rationes peculiares à ſe cogitatas, ſed ob rationes excogitatas, & approbatas à multis viris ſapientibus maioris, vel ſaltem non minoris authoritatis, quàm ſint Authores contrariæ ſententiæ, iudicat aliquid eſſe univerſaliter illicitum, quia id ſibi multò veriſimilius apparet. Non poteſt, inquam, fieri paritas ad noſtrum caſum; alioqui non ſolùm quis licitè poſſet operari ſecundùm ſententiam minùs tutam & minùs probabilem, quam abſolutè falſam exiſtimat, ſed id eſſet melius, & laudabilius, quàm operari ſecundùm magis tutam, & magis probabilem: quod tamen eſt evidenter falſum. Sicut ergo hoc non probat, ita nihil probat. Et ratio eſt, quia in caſu noſtræ quæſtionis ratio manifeſta dictat eſſe malum exequi id, quod quis iudicat eſse univerſaliter malum, & prohibitum. Nec prudentia foret deponere propriam ſententiam conceptam ob urgentiora fundamenta rationis, & authoritatis, ad ſectandam ſententiam aliorum minùs tutam, & minùs

Digitized by Google

minùs probabilem ab authoritate, & ratione; ſed potiùs foret inſignis imprudentia, & temeritas. Quia imprudens valdè eſt, qui habens urgentiora fundamenta authoritatis, & rationis ad iudicandum aliquid eſſe peccatum, quàm ad iudicandum eſſe licitum, præfert ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam ſententiæ magis probabili, & magis tutæ, ut impunè illam rem exequatur.

30. Ad ultimum reſpondeo, eum, qui contra communem omnium aliorum Doctorum iudicat eſſe illicitum id, quod omnes Doctores cenſent eſse licitum, prudenter poſſe deponere ſuum proprium iudicium, & credere ſe falli; quia ſic diſcurrere poteſt: Scientia mea, & ingenium meum nequeunt comparari cum ſcientia, & ingenio tot Doctorum, credibiliuſque eſt falli unum virum minùs doctum, quàm tot ſapientes, qui conveniunt in aliqua aſſertione. Hinc prudenter coniectare poteſt, eſſe fallacem rationem illam, quę ſibi urgentiſſima videtur: cùm ex propria experientia quiſque cognoſcere valeat, ſæpe apparere, & haberi ut convincentem aliquam rationem, quæ eſt merum ſophiſma. Unde plus ponderis debet habere in ipſius ęſtimatione tot Doctorum authoritas, quàm ratio quæ ei occurrit; ac proinde omnibus inſpectis, poterit illi apparere veriſimilior ſententia tot Doctorum, quàm ſua ſingularis. Quo in caſu prudenter aſſentietur ſententiæ communi depoſitâ propriâ, & ſic rectè operabitur. Quòd ſi ſupponamus eum perſeverare in ſua ſententia, & in iudicando, quòd res aliqua ſit univerſaliter illicita, non eſt incredibile, ſed veriſſimum, quòd nequeat ſequi ſententiam contrariam; quia eſt manifeſtè malum exequi id, quod iudicas univerſaliter eſſe illicitum.

31. Addo, poſſe contingere, ut debeat quis ſequi propriam opinionem tutiorem contra communem minùs tutam. Nam ut inquit ipſe P. Vazquez eâ diſput. 62. num. 12. *Si aliquis vir doctus, qui non parum in ſtudiis laboraverit, quique optimè viderit rationes contrariæ partis, eaſque omnes examinans, & expendens judicaverit contra cęteros, qui ipſum præceſſerunt, ſcriptores, ſuam opinionem probabiliorem eſſe, etiamſi illa minus tuta ſit, poterit eam amplecti, & ſecundùm illam rectè operari.* Quòd ſi in hoc caſu poteſt licitè ſequi ſententiam ſuam ſingularem, etſi minùs tutam contra communem, & tutiorem, non mirum, quòd aliquando non ſolùm poſſit, ſed debeat ſequi ſuam ſententiam ſingularem, quando illa eſt tutior, & omnibus attentè inſpectis, apparet longè probabilior, quàm ſententia communis minùs tuta. Nam ſi vir aliquis magni ingenii, & valdè in ſcholis verſatus, expendat fundamenta Doctorum aſſerentium, aliquem contractum eſse licitum, & deprehendat illa eſſe fallacia, pro ſententia autem contraria ipſe inveniat rationem validiſſimam, vi cuius credat, contractum illum eſſe illicitum; non poterit tunc ſequi ſententiam communem minùs tutam, ſed tenebitur abſtinere ab illo contractu: quia nec in ſenſu compoſito ſuæ ſententiæ poteſt formare dictamen practicum propter authoritatem contrariæ, nec poteſt prudenter deponere ſuum iudicium, ut ſequatur alienum minùs tutum, quando non habet prudens fundamentum ad iudicandum ſe falli, & non falli Authores ſententiæ communis. Si ratio, quâ ipſe movetur ad iudicandum, contractum illum eſse illicitum eſſet expenſa à Doctoribus, & ab illis fuiſſet contempta, prudenter poſſet ſuum iudicium deponere, tribuendo ſuæ ignorantiæ, quòd ſibi appareat efficax ratio, quæ contempta fuit à reliquis omnibus. At quando ratio ab ipſo excogitata nova omnino eſt, & quamvis contraria carni, & ſanguini, ei apparet efficax, non poterit prudenter illam contemnere, ut ſequatur rationes aliorum Doctorum, quas fallaces eſsę cognoſcit, vel ipſorum authoritatem, quando novit eos niti rationibus debilibus, & fallacibus.

§. V.

Digitized by Google

§. V.

Infertur ex dictis, non licere viro docto reſpondere conſulentibus ſecundùm ſententiam aliorum minùs tutam, quam ipſe falſam eſſe cenſet.

32. PRobatur illatio. Nam ſi ego expenſis utriuſque partis fundamentis, cenſeo aliquem contractum eſſe uſurarium; ſi mercator à me roget, an ſibi liceat talem contractum celebrare, non poſſum reſpondere: *Licet*: quia hoc ipſo affirmarem, eſſe abſolutè licitum, quod abſolutè cenſeo eſſe uſuram; & inducerem illum ad faciendum, quod iudico eſſe malum, & prohibitum: quæ res eſt omnino illicita. Nec ſufficit, quòd detur ſententia probabilis affirmans, illum contractum eſſe licitum; quia quamdiu illa ſententia à me non approbatur, non poſſum ſecundùm illam operari, & conſilium dare. Sententiam contrariam eſſe probabilem, probat quidem, ſuos Authores, & omnes, qui illam veram eſſe exiſtimant, poſſe ſecundùm illam operari, & conſilium dare; non autem eos, qui illam improbant, & ut falſam rejiciunt. In primis enim abſolutè affirmare exteriùs ut licitum, quod interiùs iudico eſſe abſolutè illicitum, eſt mendacium, quod eſt intrinſecè illicitum, utpote contrarium commercio, & ſocietati hominum. Deinde inducere ad faciendum, quod lege Dei eſt graviter prohibitum, eſt grave peccatum. Et quamvis ego non cognoſcam certò, & evidenter talem legem exiſtere, tamen prudenter iudico exiſtere, idque mihi perſuaſum habeo. Dum autem ita iudico, ſicut nefas mihi eſt illud exequi, ita nefas alium inducere ad exequendum. Et quamvis ego ſciam illum contractum eſſe licitum ſecundùm ſententiam aliquorum Doctorum, hoc non ſufficit, ut conſulenti reſpondeam: *Licet*. Nam illum eſſe licitum ſecundùm ſententiam aliquorum Doctorum, nihil aliud eſt, quàm dari Doctores affirmantes eſſe licitum: hoc autem non eſt idem, ac contractum eſſe licitum ſimpliciter, & abſolutè, niſi probetur eorum ſententiam eſſe veram. Conſulens verò non rogat, an licitus ſit ille contractus ſecundùm aliquorum Doctorum ſententiam, ſed an ſit abſolutè licitus. Unde reſpondere abſolutè, *Licet*; quia licet ſecundùm opinionem aliquorum Doctorum, quam cenſeo eſſe falſam, eſt illum decipere in re gravi, & inducere ad peccandum. Quia ſi ego reſponderem: *Abſolutè non licet ille contractus, quamvis dentur Doctores aliqui affirmantes licere*: tunc conſulens non celebraret contractum, niſi priùs animadverteret me malè reſpondiſſe ad quæſtionem.

33. Quare in dicto caſu, vel debeo abſolutè reſpondere, non eſſe licitum illum contractum, vel ſaltem dicere: Dantur quidem Doctores affirmantes, contractum iſtum eſſe licitum; cæterùm ego ſententiam illorum falſam eſſe exiſtimo, ac proinde tibi abſolutè reſpondere ego non poſſum, eſſe licitum iſtum contractum; quia cenſeo illicitum. Tu alios doctiores conſule: ſi illi affirmaverint eſſe licitum, & tu prudenter cenſeas, me potiùs quàm illos decipi, eorum ſententiam amplecti poteris. Quouſque autem prudenter poſſis iudicare, eſſe licitum iſtum contractum, non poteris illum in praxim deducere; dum dubius manſeris, teneberis partem ſecuriorem amplecti.

34. Vlteriùs comprobatur illatio: quia ſi liceret conſilium dare ſecundùm aliorum ſententiam minùs probabilem, quam ego falſam exiſtimo, omni homini ad me accedenti cum aliquo dubio de re apud Theologos controverſa, poſſem ad libitum eius reſpondere, ſemper eligens in conſilio dando ſententiam conſulenti favorabilem. Nam ſi ſentententia favorabilis à me reputatur vera, poſſum abs dubio ſecundùm illam ſuadere: & ſimiliter, per te poſſum, quamvis reputetur falſa, dum non ſit omnino evidens, & certum, illam eſſe falſam. Vnde niſi res ſit evidenter, & manifeſtè mala, ſemper potero reſpondere ad nutum, & guſtum interrogantis: quia ubi res non eſt manifeſtè mala, non deerunt rationes

tiones veriſimiles pro oppoſita parte, quæ illam reddant probabilem.

35. Imò ſequeretur, vanum eſſe ſtudium Theologorum in rebus moralibus. Vt quid enim laborant Theologi in probando, aliquos contractus eſſe illicitos, contra alios Theologos aſſerentes, eſſe licitos, ſi verum eſt, licitum eſſe cuique etiam contra propriam ſententiam magis tutam formare dictamen conſcientiæ iuxta ſententiam minùs tutam, & minùs probabilem? nihil enim toto illo labore obtinerent. Et ſicut ridiculus foret, qui integrum librum inſumeret probando, in Americam non eſſe navigandum ex Hiſpania niſi per 40. gradus altitudinis poli ultra æquatorem, ſi tandem concluderet, æquè ſecuram navigationem eſſe per 30. gradus altitudinis. Sic inutiliter laborant Theologi, qui integros tomos ſcribunt ad probandum, res aliquas eſſe illicitas, & ſimul cum hoc tenent, licitum cuique eſſe operari ſecundùm ſententiam oppoſitam, quam tanto conatu improbârunt.

36. Vnde à fortiori rejicienda eſt nonnullorum ſententia, qui dixerunt, Doctorem conſultum poſſe in aliquo caſu reſpondere ſecundùm ſententiam aliorum minùs tutam favorabilem conſulenti, quamvis ipſe certum exiſtimet eſſe falſam; quia cùm conſulens in re dubia ius habeat ſe conformandi opinioni, quæ ab aliquibus viris doctis defenditur, non obſtante quòd alii contradicant, & ſpeculativè ſententiam improbabilem iudicent, hoc ipſum ſuo conſulenti Doctor indicare non prohibetur.

37. Rejicienda, inquam; quia ratio, quâ nititur, eſt planè falſa, & ſupponit tamquam quid certum id, quod non ſolùm non eſt certum, ſed videtur manifeſtè falſum: nimirum, *hominem in re dubia jus habere ſe conformandi opinioni, quæ ab aliquibus viris doctis defenditur.* Nam v. g. in re dubia, an aliquis contractus ſit uſurarius necne, non ſatis eſt ad ineundum licitè eundem contractum, quòd operans ſciat, aliquos viros doctos defendere, illum contractum eſſe licitum; Si ſciat alios æquè doctos, vel doctiores, & plures numero aſſerere eſſe uſurarium, & ad hoc probandum afferre rationes, quæ ipſi videntur urgentiores. Nam tunc operans iudicat, vel ſaltem prudenter iudicare poteſt, Authores illos benignos falli, & errare contra legem Dei: eſt autem manifeſtum, quòd nemini liceat ſequi errantes contra legem Dei, quando cognoſcit illos errare; hoc enim eſt formaliter contemnere legem Dei, & agere contra conſcientiam. Quare ſententia probabilis aliena favens libertati adversùs legem, non poteſt aſſumi ut regula ſecura operandi ab iis, qui iudicant illam eſſe falſam, & legi Divinæ contrariam; neque ab iis, qui dubitant, an ſit vera, vel falſa; neque ab iis, qui præſcindunt ab eo an ſit vera, vel falſa: ſed dumtaxat ab iis, qui prudenter iudicant, eſſe veram, & legi Divinæ conformem. Qui enim vult ſequi opinionem minùs tutam faventem ſuæ libertati adversùs legem, præſcindendo ab eo, an ſit vera, vel falſa; ſeu nullâ ratione habitâ veritatis, per quam conformatur cum lege æterna; vult eam ſequi, ſive ſit conformis legi illi, ſive ſit contraria, ac proinde contemnit legem æternam: quod eſt evidenter illicitum. Quare nemo poteſt in occurſu opinionum contrariarum amplecti licitè illam, quæ favet libertati adversùs legem, niſi ſibi prudenter perſuadeat illam eſſe veram; oppoſitam autem ſtantem pro lege adversùs libertatem, eſſe falſam, & imponere homini onus, quod Deus non impoſuit. Hinc infertur, eſſe à fortiori abſurdam ſententiam, quam Gabriel à Sancto Vincentio in libro de Remediis Ignorantiæ pag. 374. refert, ac refellit: *Si vir doctus inveniat aliquam opinionem, quam putat eſſe falſam, & obſervat falſitatem, & quòd principium, cui innititur, eſt omnino falſum, inane, & vanum, adhuc tamen ille vir doctus, qui hæc cognoſcit, poteſt eam ſententiam tutâ conſcientiâ ſequi, gerendo ſe ut indoctum.* Quis non videat hanc eſſe laxitatem intolerabilem?

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO SEXTA.

In qua examinatur, an per ullam reflexionem poſſit excuſari ab omni culpa, qui ſectatur opinionem minùs tutam, ſibi minùs probabilem; præſertim quando minùs probabilis ipſi apparet tum authoritate, tum ratione.

§. I.

Quibuſdam præſuppoſitis aperitur ſenſus Quæſtionis.

1. SUpponimus non excuſari à culpa, qui ſequitur opinionem minùs tutam, ſibi minùs probabilem, quando minor illa probabilitas talis eſt, ut comparativè ad probabilitatem ſententiæ tutioris ſit evidenter minor; ita ut operans comparando probabilitatem ſententiæ minus tutæ, quam ſequitur, cùm probabilitate ſententiæ tutioris, quàm deſerit, agnoſcat illam eſſe exiguam; quia agnoſcit in ſententia tutiore fundamenta, quæ ipſi apparent evidenter majora cum exceſſu notorio, & videt pro illa ſtare Authores plures, & graviores.

2. Inquiritur ergo, an quando quis videt dari duas opiniones, alteram tutiorem, ſtantem ſcilicet pro præcepto, (ideſt, affirmantem aliquam actionem eſſe lege Divina prohibitam, in qua omittenda nullum eſt periculum violationis legis Divinæ; ſed potiùs eſt laudabile eam omittere; quia laudabile eſt, ne Deum offendas, abſtinere ab actione, de qua probabile eſt, quòd ſit prohibita) alteram ſtantem pro libertate, ſeu affirmantem actionem illam non eſſe prohibitam; in qua ſectanda poteſt eſſe periculum tranſgreſſionis, nimirum ſi contingat eſſe falſam: An ſcilicet, ſi quis videat pro parte minùs tuta eſſe plures Authores, & ſimpliciter majus pondus authoritatis, & inſuper experiatur illius partis fundamenta ſimpliciter eſse validiora, & fortiùs impellentia ad aſsenſum, quàm fundamenta partis oppoſitæ: an inquam in illis circumſtantiis ei liceat amplecti in praxi ſententiam minùs tutam, quæ ipſi in actu primo repræſentatur ſimpliciter ut minùs veriſimilis: v. g. ſi videat pro parte minùs tuta ſtare quatuor Authores graves, & pro minùs tuta ſtare tantùm tres etiam graves; & conferens utriuſque partis fundamenta, authoritatem cum authoritate, & rationem cum ratione, ſimpliciter agnoſcat majus pondus authoritatis, & rationis pro parte minùs tuta. In hac quæſtione negant omnes antiqui, qui ante finem ſæculi proximè ſuperioris, de uſu opinionum probabilium ſcripſerunt. Affirmant verò ſatis communiter moderni Probabiliſtæ; non tamen

Digitized by Google

tamen omnes, qui in hoc ſæculo docuerunt licitum eſse ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam in occurſu probabilioris, & tutioris. Ut enim latè ſeorſim oſtendi Diſsert. 2. plerique ex illis loquuntur de opinione minùs probabili ſpecificativè, & in ſe, ſeu materialiter ſumpta: non autem de minùs probabili formaliter, & relativè ad operantem accepta.

§. II.

Oſtenditur, non poſſe per ullam reflexionem excuſari à culpa formali eum, qui ſectatur ſententiam minùs tutam, quando agnoſcit in ſententia tutiori majus pondus authoritatis & rationis.

3. PONAMUS Petrum dubitare, an contractus *A.* ſit uſurarius, an licitus; & ad reſolvendum dubium evolvere Authores cum ſincero deſiderio inveniendi veritatem, & poſt diligentem, & maturam conſiderationem invenire quatuor Authores graves aſſerentes, contractum illum eſſe uſurarium, & intrinſecè illicitum, æternâque, & naturali lege prohibitum; tres verò Authores etiam graves, negantes eſse uſurarium, & affirmantes eſſe licitum, ſeu lege Divina non prohibitum. Expendit unius, & alterius partis authoritatem, & inter ſe confert; ac omnibus perpenſis, agnoſcit authoritatem illorum quatuor eſſe ſimpliciter maiorem, tum propter numerum, tum propter aliquem exceſſum in qualitate: licet agnoſcat illos alios tres eſſe ſimpliciter & abſolutè magnæ authoritatis: Expendit utriuſque partis fundamenta; & quamvis fundamenta horum trium ſecundùm ſe inſpecta appareant illi gravia; tamen conferendo illa cum fundamentis aliorum quatuor, manifeſtè experitur, ſe fortiùs impelli per illa ad iudicandum contractum illum eſſe illicitum, quàm per oppoſita ad judicandum eſſe permiſſum, & licitum; ac proinde cenſet eſſe abſolutè, & ſimpliciter magis veriſimile authoritate, & ratione, illum contractum eſſe malum, & prohibitum, quàm eſſe licitum, & permiſſum.

4. In hoc rerum occurſu dicunt Reflexiſtæ, ſeu Probabiliſtæ moderni, poſse hominem illum ſequi in praxi, tutâ conſcientiâ, & ſine ullo peccato, ſententiam illorum trium minùs tutam, & ſibi minùs probabilem authoritate, & ratione. Ego cum communi omnium Antiquorum, & cum multis Recentioribus ſententiæ illius benignæ adverſariis conſtantiſſimè aſsero, eum, qui in hoc rerum occurſu, & conflictu faceret illum contractum, per nullam reflexionem poſse excuſari a peccato. Et certus ſum, me in hoc aſserto non habere contrarios multos ex Authoribus hujus ſæculi, qui abſolutè affirmant, licitum eſse ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam in occurſu probabilioris, & tutioris. Satis enim oſtendi Diſſertatione 2. multos ex illis, non loqui de opinione minùs probabili ipſi operanti; ſed de opinione, quæ in ſe minùs probabilis eſt, eò quòd pauciores pro ſe, vel minùs graves Authores habeat; & tamen ab ipſo operante iudicatur vera, quia ejus fundamenta illi propoſita ſunt ut urgentiora poſt diligentem rei diſcuſſionem. Ac proinde illi non ſunt nobis contrarii.

5. Ut rationem conficiam, quâ fateor me convinci; ſupponamus claritatis gratiâ, illos tres Authores benignos reipsâ falli, eorumque ſententiam eſſe falſam, & contradictoriam; ſeveram illorum quatuor eſſe veram. Evidens namque eſt ex duabus ſententiis contradictoriis non poſſe utramque eſſe veram; ac proinde neceſse eſt alteram eſſe falſam: & pronius, atque frequentius eſt falli pauciores, & minùs graves, qui favent libertati, quam plures, & graviores, qui tenent ſententiam rigidam, in quam caro, & ſanguis non inclinat. Ponamus ergo, contractum illum eſſe reipsâ intrinſecè malum, & prohibitum; & me in illo rerum occurſu ſequendo ſententiam Probabiliſtarum formare dictamen ultimum conſcientiæ, quòd mihi liceat operari, diſcurrendo ſic: Quamvis ego videam

plures, & graviores Authores affirmare hunc contractum eſſe intrinſecè malum, & eorum fundamenta apud me præponderent; quia evidenter experior meum intellectum fortiùs, & validiùs per illa, quàm per oppoſita allici, & inclinari ad aſſenſum: tamen quia video graves Authores affirmare, hunc contractum non eſſe malum; & eorum fundamenta abſolutè conſiderata ſunt gravia; & ſcio multos, ſapienteſque hujus ſæculi Theologos aſſerere, me in hoc rerum occurſu non teneri ſequi ſententiam rigidam, ſed poſſe tutâ conſcientiâ ſequi benignam: ideo ob authoritatem, & rationes tot virorum ſapientium hujus ſæculi, cenſeo mihi hìc & nunc licitum eſſe facere hunc contractum. Et ſic formo ultimum dictamen conſcientiæ, quòd mihi liceat operari.

6. His præſuppoſitis, probo me peccare, quamvis mille reflexiones faciam. Et ſic argumentor: Qui deliberatè facit rem objectivè, & intrinſecè malam, & prohibitam, peccat, niſi ipſum excuſet ignorantia invincibilis; ſed ego hic, & nunc facio rem objectivè malam intrinſecè, & prohibitam, & aliunde non me excuſat ignorantia invincibilis: ergo pecco. Major eſt certa; quia ſola ignorantia invincibilis poteſt excuſare à culpa violationem, ſeu tranſgreſſionem legis, ut rectè probat P. Eſparza art. 224. ubi aſſumit tamquam principium certum Juris; quòd *tenere, maximè vero docere opinionem quamlibet falſam, ſit malum moraliter, & peccatum pœnâ dignum... niſi excuſet ignorantia invincibilis.* Et ſubjungit: *Ita omnes Doctores. Et patet quia quoad mores quælibet opinio falſa addit, vel demit legi Dei: addit ſi eſt ſtricta, & falſa: demit ſi eſt larga, & falſa. Utrumque autem eſt prohibitum lege Dei; ac proinde utrumque eſt peccatum per ſe. Idem dico quoad fidem, quia qualibet opinio, aut doctrina falſa in rebus fidei addit ſimiliter, vel demit revelatis à Deo, & revelationi Divinæ: atque utrumvis eſt ſimili ratione deordinatum, ac turpe, & injurioſum Deo, atque reprobatum ſæpius, & acriter in Sacra Scriptura.*

7. Ratio autem à priori, cur ſola ignorantia invincibilis poſſit excuſare à culpa violationem, ſeu tranſgreſſionem legis naturalis, eſt: quia omnis tranſgreſſio legis naturalis tranſit in formalem per cognitionem legis prohibentis. Implicat enim, ut ego liberè faciam actionem, quam cognoſco eſſe lege Divina prohibitam, & non committam peccatum; cum peccatum juxta definitionem Ambroſii ſit *Divinæ legis prævaricatio, & cœleſtium inobedientia mandatorum*: & juxta definitionem Auguſtini peccatum ſit *dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei*. Et licet non adſit cognitio malitiæ, ſed ignorantia; ſi tamen illa ignorantia legis Divinæ eſt affectata, vel ſaltem craſſa, & ſupina, non excuſat, ut eſt certum apud Theologos ſecundùm illud 1. ad Corinth. 14. *Si quis ignorat, ignorabitur*. Ut enim inquit Sanctus Thomas 1. 2. q. 76. art. 2. hunc locum exponens in argumento, *ſed contra: Nihil meretur pœnam, niſi peccatum*. Unde P. Valentia 1. 2. diſp. 6. qu. 6. punct. 1. dicebat. *Quod ad ignorantiam attinet, ex fide certum eſt, eam aliquo tandem modo eſſe quandoque cauſam peccati*. Quod probat ex illo Num. 15. *Si anima neſciens peccaverit, &c.* Et ex Actor. 3. & 1. ad Corinth. *Si enim cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*. Et ex illo 1. ad Timoth. 1. *Miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate*. Et P. Thomas Sanchez lib. 1. Summæ cap. 17. ajebat. *Immo eſſe aliquam ignorantiam non prorſus à culpa excuſantem, ſed illam minuentem, eſt de fide. Ratio eſt*, inquit, *quia quod ignorantiâ vincibili latet, eſt voluntarium, etſi indirectè*. Eſt ergo certa, & inconcuſſa major noſtri ſyllogiſmi, nempè, *eum, qui facit rem objectivè malam, & lege Divina prohibitam, peccare, niſi ipſum excuſet ignorantia invincibilis*. Jam probatur minor, quæ quoad primam partem non indiget probatione, quia ſupponitur, me hic & nunc facere rem objectivè malam, & prohibitam; ſiquidem ſupponimus, illam opinionem benignam eſſe reipsâ falſam, & contractum illum, quem ego

facio,

Digitized by Google

facio, eſse reipsâ in ſe intrinſecè malum, & lege Divina prohibitum. Solùm ergo indiget probatione quoad ſecundam partem; nempe quòd me non excuſet ignorantia invincibilis.

8. Jam verò minor quoad ſecundam partem probatur ſic: Ego hìc & nunc facio rem objectivè malam, & prohibitam in circumſtantiis, in quibus prudentiſſimè poſsum potentiâ antecedente proximâ, & expeditâ iudicare, illam rem eſse objectivè malam, & prohibitam: ſed qui facit rem objectivè malam, & prohibitam in circumſtantiis, in quibus habet potentiam proximam antecedentem ad iudicandum illam eſse malam, & prohibitam, non facit rem illam cum ignorantia invincibili malitiæ, ſeu non habet ignorantiam invincibilem malitiæ: ergo hìc & nunc facio rem objectivè malam, & prohibitam, & aliunde me non excuſat ignorantia invincibilis. Probatur minor: quia, ut docet D.Thomas 2. 2. q. 76. art.2. corp. *Ignorantia invincibilis dicitur, quia ſtudio ſuperari non poteſt: & propter hoc talis ignorantia cùm non ſit voluntaria, eo quòd non eſt in noſtra poteſtate eam tollere, non eſt peccatum.* Et ut docet P. Annatus ex communi ſententia Doctorum in ſuo Auguſtino à Bajanis vindicato c. 1. initio; *Aliqua neſcire neceſſariò, & abſque ulla voluntatis propriæ negligentia, eſt invincibiliter ignorare.* Unde Auguſt. lib.de Natura, & Gratia cap.67. ajebat: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; ſed quod negligis quærere, quod ignoras.* Tum ſic. Atqui in illis circumſtantiis ſine ullo ſtudio, & ſine ullo labore facillimè poſſum potentiâ proximâ antecedenti iudicare prudenter, rem illam eſse objectivè malam, & prohibitam; cùm manifeſtum ſit apud omnes, intellectum poſse prudenter aſsentiri ut veræ parti illi, quæ poſt diligentem quæſtionis diſcuſſionem illi proponitur authoritate, & ratione veriſimilior, quàm oppoſita: ergo ſi non iudico, illam eſse malam & prohibitam, eſt, quia nolo; cùm antecedenter cognoſcam veriſimilius eſse, quòd ſit mala, & prohibita, quàm quòd ſit licita: & de me verificabitur illud Pſalm. 35. *Noluit intelligere, ut bene ageret:* quia ut viam mihi aperiam faciendi illum contractum, nolo judicare eſse prohibitum, cum facillimè poſsem. Quomodo ergo verificabitur me invitum ignorare malitiam illius contractus? quomodo verificabitur, me ſtudio ſuperare non potuiſſe ignorantiam illam? Non ergo illa ignorantia eſt invincibilis, ſed omnino voluntaria, & libera, & affectata: ignorat enim malitiam, quia vult ignorare; non judicat contractum illum eſſe malum, quia non vult iudicare. Ignorantia enim non poteſt dici invincibilis, niſi vel quia abſolutè vinci non poteſt ſtudio humano: vel quia, licet poſſit abſolutè vinci, nequit niſi difficillimè, & maximo labore, ad quem ſuſcipiendum Deus non obliget. In caſu autem dicto ſine ullo labore, & difficultate, imo juxta inclinationem, & pondus illius majoris veriſimilitudinis poteſt homo facillimè iudicare, illum contractum eſſe malum, & prohibitum: nec poteſt aliter ſuſpendere aſſenſum, quàm cohibendo inclinationem, quam habet intellectus ad iudicandum eſſe verum, quòd illi apparet ſenſibiliter veriſimilius. Ergo illa ignorantia nō eſt invincibilis, ſed affectata. Ergo non excuſat.

9. Certè, ſi tunc homo iudicaret, illum contractum eſſe malum, & prohibitum, & in ſenſu compoſito hujus judicii illum faceret, abſque dubio peccaret, quia faceret rem objectivè malam, & prohibitam, cognoſcendo eſſe malam, & prohibitam; ac proinde malitia illa objectiva tranſiret in formalem, quia eſſet voluntaria, & libera. Ergo peccat, quamvis non iudicet, quia hæc iudicii ſuſpenſio eſt voluntaria, & libera; ac proinde non poteſt dici in ullo vero ſen- invincibilis, & involuntaria, & inſuperabilis ignorantia, quæ imbibitur in dictamine ultimo conſcientiæ, quod format reflectendo ſupra ſententiam Probabiliſtarum. Eſt enim illud dictamen reflexum erroneum, & vincibile, utpote quod potuit vinci per dictamen oppoſitum: potuit enim iudicare, illum contractum eſſe prohibitum: ſi autem id

judicaſſet, ſtatim ex judicio ſpeculativo probabiliore reſultaret dictamen practicum reflexum evidens, quod hic & nunc non liceret ſibi exercere illum contractum. Evidens enim eſt, eſſe mihi illicitum facere id, quod prudenter judico eſſe ſecundùm ſe malum, & prohibitum lege Divina.

10. Quod re magis pateat notandum eſt ex iis, quæ alibi dico, dubium eſſe inter Philoſophos, & Theologos, an intellectus poſſit aſſentiri illi parti contradictionis, quæ in aliquo dubio, ſeu in aliqua quæſtione repræſentatur illi, ut minùs veriſimilis, quàm oppoſita: in qua quæſtione communis ſententia noſtrorum, & communis ſententia Thomiſtarum (quam tuetur Mercorus in Baſi Theologiæ Moralis par. 2. art. 1. eam comprobans multis D. Thomæ, & Ariſtotelis teſtimoniis) tenet partem negativam; quia cùm intellectus tendat ſub ratione veri; nequit ex imperio voluntatis flecti, ut conſequenter judicet eſſe verum id, quòd antecedenter ad imperium voluntatis apparebat illi minùs veriſimile, ſeu magis falſi ſimile. Quam ſententiam ego veriſſimam exiſtimo: mihi enim hìc actus videtur omnino impoſſibilis: *Mihi veriſimilius apparet, eſſe hominem, quàm equum illud animal, quod video ſe procul movere; quia indicia, quæ ſuadent eſſe hominem ſunt validiora, quàm quæ ſuadent eſſe equum; & nihilominùs judico illud animal eſſe equum, & non eſſe hominem*. Idque ab experientia probat Cardinalis Pallavicinus, quia nemo in ſe experitur hunc actum: *Ego credo hoc; ſed video contrarium eſſe probabilius, & veriſimilius*. Præterea quamvis ille actus eſſet phyſicè poſſibilis, non caret imprudentiâ, & temeritate, quòd quis habens majus fundamentum authoritatis, & rationis ad iudicandum aliquem contractum eſſe malum, & prohibitum, nihilominùs vellet judicare eſſe licitum; & qui ita iudicaret, convinceretur, neque authoritate, neque ratione inductus fuiſſe ad ita judicandum; quandoquidem majorem authoritatem, & rationem habeat ad judicandum oppoſitum; ſed inductus fuiſſe ex aliqua commoditate, vel motivo ſpectante ad carnem, & ſanguinem, ut ita aperiret ſibi viam ad ſequendam ſententiam ſuæ libertati faventem contra præceptum.

11. Suppoſita hac doctrinâ, in caſu noſtræ quæſtionis, poſſum prudentiſſimè judicare, contractum illum eſſe malum, & prohibitum, & non poſſum etiam in ſenſu diviſo judicare eſſe licitum; quia ad hoc iudicandum, non habeo ſufficiens motivum, vel ſaltem non poſsum iudicare prudenter. Quomodo autem verificari poteſt, quòd ego faciam rem in ſe obiectivè malam, & prohibitam cum ignorantia invincibili malitiæ, ſi faciam in circumſtantiis, in quibus poſsum potentiâ antecedenti iudicare eſse obiectivè malam, & prohibitam, & è contra non poſsum iudicare eſse licitam, & permiſsam? Ergo certum eſt me non operari rem malam, & prohibitam cum ignorantia invincibili. Ergo certum eſt, me non operari cum ignorantia excuſante à culpa; quia ſola ignorantia invincibilis, & involuntaria operanti poteſt excuſare à culpa formali actionem in ſe contrariam Divinæ legi. Deinde quamvis intellectus ex imperio voluntatis poſset aſsentiri parti ſibi minùs veriſimili, quæ favet libertati, aſsenſus iſte potiùs tribuendus eſſet imperio voluntatis, quàm ponderi authoritatis, & rationis: ex adverſo, quãdo aſsentitur parti rigidæ, quæ repugnat ſuæ libertati, quia in illa agnoſcit majus pondus authoritatis, & rationis, non ducitur affectione voluntatis, ſed ponderi rationis, & authoritatis voluntariè, & laudabiliter cedit. Quomodo autem dicatur laborare ignorantià invincibili malitiæ, qui ex imperio, & affectione voluntatis iudicat non eſse malam actionem, quam deberet cenſere malam, & prohibitam, ſi vellet ad momenta authoritatis, & rationis attẽdere?

12. Quod confirmo: quia ut fatetur ipſe Terillus, ſententiæ, quam impugnamus, præcipuus aſsertor, & tamquam principium ſupponit in ſuo opere de regula morum q. 39. num. 20. *Certum eſt, quod detur obligatio aut tutiora*

ſequen-

ſequendi, aut ad ipſam veritatem, quantùm humano modo poſſumus enitendi. Sed qui ſectatur partem minùs tutam, ſibi minùs veriſimilem, quando agnoſcit majus pondus authoritatis, & rationis in parte tutiore, non conatur quantùm poteſt ad veritatem, nec ſequitur tutiora: ergo peccat.

13. Idque ampliùs confirmo, & urgeo: quia ut docet Adrianus in 4. quæſt. 5. de Confeſs. dub. 7. *Ignorantia non eſt invincibilis, niſi homo faciat quod in ſe eſt, ut veritatem, quàm proximè attingat: nec quidquam ita ſtudioſitati contrarium eſt, quàm ultro à veritate deviare*. Atqui habens majus fundamentum authoritatis, & rationis ad iudicandum rem eſſe ſecundùm ſe malam, & prohibitam, & conſequenter ſibi non licere hic & nunc illam exequi, quam ad iudicandum oppoſitum; nihilominùs iudicat ſive directè, ſive reflexè, ſibi hìc, & nunc licitum eſſe operari; non facit, quod in ſe eſt, ut proximè attingat veritatem, ſed ultro à veritate deviat. Ergo non laborat ignorantiâ invincibili de malitia actionis malæ, quam exercet: ergo malitia illius actionis imputatur ipſi: quia dictamen illud reflexum eſt error omnino voluntarius. Siquidem ſi feciſſet quod in ſe eſt, ut proximè attingeret veritatem, cederet ponderi majori authoritatis, & rationis inclinati ad iudicandum, illam actionem eſſe malam, & prohibitam; & iudicaſſet reipsâ illam actionem ſecundùm ſe eſſe malam, & prohibitam. Ex quo iudicio directo ſpeculativo reſultaret dictamen practictum ultimum evidens, quod hìc & nunc ſibi non liceret exercere illam actionem: evidens enim eſt nemini licitum eſſe hìc & nunc exercere actionem, quam ſecundùm ſe iudicat, dumq; iudicat, eſſe malam ac vetitam: quia operari contra conſcientiam ſemper eſt malum, ſive conſcientia ſit recta, & vera, ſive ſit diſtorta, & erronea; licet operari iuxta conſcientiam non ſemper ſit honeſtum, ſed ſæpè ſit malum, & peccatum: nempè quando conſcientia eſt error culpabilis. Sic qui perſequebantur Apoſtolos, exiſtimantes ſe obſequium præſtare Deo, in illa perſecutione Apoſtolorum peccabant, quia exiſtimatio illa erat in illis error culpabilis. Unde D. Thomas 1.2. q.19. art.6. ad 1. Meritò docet, quòd, eſto operari contra conſcientiam ſemper ſit malum, non tamen ſemper ſit bonum operari juxta conſcientiam: quod certiſſimum eſt, quando conſcientia errat errore culpabili, & vincibili. Quare ſi conſcientia illa erronea ſit invincibilis, & inculpabilis; omnino excuſat à culpa actionem, quæ per illam conſcientiam erroneam contra legem naturalem fit; ſi verò ſit vincibilis, & culpabilis, minuit quidem culpam, non tamen tollit: Et ut loquuntur Theologi, excuſat *à tanto, non à toto*. Talis fuit culpa Sauli ex falſo zelo, & culpabili perſequentis Apoſtolos; & talis fuit culpa crucifigentium Chriſtum; quæ abſque dubio multò minor fuit, quàm ſi operati fuiſſent agnoſcentes, Chriſtum fuiſſe Meſſiam in lege promiſſum: illaque ignorantia culpabilis causâ fuit, cur intervenerint in morte Salvatoris. *Si enim cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*. Et quia culpa ex illa ignorantia commiſſâ ab Apoſtolo, multò minor fuit, quàm ſi fuiſſet commiſſa ex malitia, faciliùs veniam impetravit; & ideo ajebat: *Miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci*.

14. Ex dictis colligitur, eum, qui ſequitur opinionem minùs tutam reipsâ falſam, quæ ipſi repræſentata fuerat ut minùs probabilis authoritate, & ratione, non habere ignorantiam excuſantem à culpa actionem, quæ contra legem fit, per dictamen reflexum conceptum ob authoritatem, & rationes eorum, qui docuerunt, hunc modum agendi eſſe licitum. Quamvis autem contingat opinionem illam eſſe reipsâ veram, peccabit illam ſequendo, quia ſe liberè expoſuit periculo violandi legem, quando prudenter iudicare potuit talem legem dari: fuit quippe merè caſuale reſpectu illius, veritatem iudicaſſe. Non enim prudenter ſe gerit qui habens majus fundamentum authoritatis, & rationis ad iudicandum aliquem

quem contractum eſſe prohibitum; nihilominùs ob fundamenta minùs veriſimilia vult iudicare non eſſe prohibitum.

15. Quapropter ut monet Auguſtinus lib. 22. de Civitate cap. 23. Vigilare, & excubare debemus, *ne opinio veriſimilis fallat, ne decipiat ſermo verſutus, ne ſe tenebræ alicujus erroris offundant, ne quod bonum eſt, malum, aut quod malum eſt, bonum eſſe credatur; ne ab iis, quæ agenda ſunt, metus revocet; ne in ea, quæ agenda non ſunt, cupido præcipitet, &c.* Ad id nos hortatur Apoſtolus. Rom. 12. v. 2. dum ait: *Nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in novitate ſenſus veſtri, ut probetis, quæ ſit voluntas Dei.* Rationem cur excubare, & invigilare debeamus, ne opinio veriſimilis fallat, & ne ſeſe tenebræ alicujus erroris offundant, reddit idem Auguſtinus ſerm. 12. de temp. *Voluntatis*, inquit, *propenſio authoritatem vitiis quærit, & quod malum eſt, bonum, aut bono proximum eſſe ſuadet.*

16. Ac proinde non video, quam excuſationem poſſit habere apud Deum, qui habens majus fundamentum authoritatis, & rationis ad iudicandum aliquem contractum eſſe ſecundùm ſe malum, & prohibitum, quàm ad iudicandum oppoſitum; nihilominùs non vult iudicare eſſe prohibitum; ſed ut ſibi viam aperiat faciendi rem illam, ad reflexiones recurrit. Ut enim inquit Chryſoſtomus hom. 44. in Matth. *Si veſtimenta empturus gyras unum negotiatorem, & alterum, ut ubi meliores veſtes inveneris, & pretio viliori, ab illo compares: quomodo non oportet populum circuire Doctores, & inquirere, ubi ſincera veritas Chriſti vendatur, & ubi corrupta; & omnium confeſſiones cognoſcere, & veriorem eligere pluſquam veſtimentum.* Et ideo in cap. 7. Epiſt. 2. ad Corint. homil. 13. in fin. idem Sanctus Doctor ſic hortatur: *Ne igitur multorum opiniones habeamus, ſed res ipſas inquiramus. Quomodo autem non abſurdum propter pecunias aliis non credere, & ipſas numerare, & ſupputare; pro rebus autem amplioribus aliorum ſententiam ſequi ſimpliciter, præſertim cùm habeamus omnium exactiſſimam trutinam, & gnomonem ac regulam, divinarum, inquam, legum aſſertionem. Ideo obſecro, & oro omnes vos, ut relinquatis quidnam huic, vel illi videatur, deque his à ſcripturis hæc omnia inquirite: & veras divitias diſcentes eas ſectemur; ut æterna bona aſſequamur.* Unuſquiſque ergo, quoties occurrit dubium, an aliquid ſit Divina lege prohibitum, necne, debet diligenter inquirere veritatem: & quamvis illam evidenter aſſequi non poſſit; ſi tamen per argumenta authoritatis, & rationis urgentiora deprehenderit, veriſimilius eſſe, quòd res illa ſit prohibita, debet ab illa abſtinere; quia tunc prudenter iudicare poteſt rem illam eſſe prohibitam: cum magna audacia, & contemptus Dei ſit, exercere actionem, quando firmo iudicio, licet non evidenti iudicare poteſt eſſe prohibitam, & non poteſt iudicare eſſe licitam. Si enim imprudens, & temerarius eſt mercator, qui in dubio an lucraturus ſit vendendo merces, format dictamen, quòd ſibi expediat vendere, quando habet maius fundamentum iudicandi ſe illis non lucraturum, ſed perditurum, quàm iudicandi oppoſitum: item ſi temerarius eſt infirmus, qui format dictamen ſumendi medicinam, quando majus fundamentum habet ad iudicandum nocituram, quàm profuturam, à fortiori imprudens eſt homo, qui in dubio, an actio ſit prohibita, nec ne; format dictamen, quòd ſibi liceat illam exercere, & hoc dictamine ſeductus, illam exercet.

17. Eſtque doctrina illa Probabiliſtarum recentium contra axioma illud juris in cap. *Iuvenis de Sponſalibus*. Ubi dicitur: *In iis, quæ dubia ſunt, quod certius eſt, tenere debemus*. Evidens autem eſt, eſſe dubium, an ſit res licita, vel non, quando ſunt urgentiora fundamenta ad iudicandum rem eſſe malam, & prohibitam, quàm ad iudicandum oppoſitum. Quare ſi tunc prudenter procedere velimus, vel debemus ſuſpendere aſſenſum circa utramque partem; & ſic manebit res omnino dubia formaliter; vel ſi alterutram partem volumus

per

Digitized by Google

per aſſenſum ſequi, debemus ſequi veriſimiliorem; iudicando non eſſe malam, & prohibitam: & ſic non operabimur contra conſcientiam. Neque fieri poteſt, ut per aſſenſum internum veram iudicemus partem nobis minùs veriſimilem. Unde ſi operemur tunc, vel operabimur contra conſcientiam reprobantem illam actionem ut malam; vel in dubio formali an res ſit prohibita, necne: & operari in hoc dubio, eligendo partem minùs tutam, eſt contemnere Legislatorem, & opere ipſo dicere; *Sive res iſta ſit reipsâ prohibita, ſive non; volo illam exequi: & nihil curo, an ſit reipsâ contra legem; eo quòd multi Authores moderni mihi dicant, licitum eſſe in hoc rerum conflictu operari.*

18. Quare quoties dantur opiniones oppoſitæ de licito, & illicito, toties quis tenetur abſtinere ab actione, quoties vel manet anceps, & dubius propter æqualia fundamenta utriuſque partis; vel habet maius fundamentum ad iudicandum, rem ſecundùm ſe eſse malam, & prohibitam: nec poteſt licitè ſequi partem minùs tutam, niſi pro illa videat ſimpliciter, & ſenſibiliter maius fundamentum; ita ut vi illius reſolvat dubium, & formet iudicium firmum directum, quòd res illa non ſit ſecundùm ſe mala, & prohibita. Debemus enim, quantùm poſſumus, eniti ad veritatem, ut nec onus imponamus hominibus, quod Deus illis non impoſuit; nec illos velimus eximere ab onere, quod Deus reipsâ eis impoſuit. Ut enim ſapienter ſcribit Gerſon par. 2. de regulis moralibus, tit. de Superbia: *Ambulandum eſt in virtutis doctrina viâ regiâ; ut nec ſtrictius fiat Dei mandatum, nec latius, quàm quod ipſe mandaverat.* Et ut ideo rectè monebat Lactantius lib. 2. Inſtitut. cap. 13. *Ne trahamur authoritate cujuſquam, ſed veritati potiùs faveamus, & accedamus.* Et propterea Auguſtinus orabat ad Deum, & clamabat: *Interfice in me quidquid eſt contrarium veritati.* Et tract. 26. in Joan. *Quid fortius*, inquit, *deſiderat anima, quàm veritatem?*

§. III.

Præcluditur evaſio contendens, eum, qui ſectatur opinionem minùs tutam ſibi minùs probabilem, habere ignorantiam excuſantem à culpa; quia licet poſſet judicare rem eſſe malam & prohibitam, & operando cum hoc judicio peccaret; non tenebatur tamen hoc judicare: Unde licet non habeat ignorantiam invincibilem malitiæ, habeat tamen ignorantiam probabilem vi cujus excuſetur.

19. EVaſio poteſt fundari in doctrina D. Thom. quodlib. 8. art. 15. ubi ſtatuit hoc principium: *Ea ignorantia eſt inculpabilis, quæ verſatur circa id, quod quis ſcire non poteſt, vel ſcire non tenetur.* Et quæſt. 17. de verit. ar. 3. ad 4. hæc habet. *Tunc conſcientia erronea non ſufficit ad abſolvendum, quando in ipſo errore peccat, ut quando errat circa ea, quæ ſcire tenetur. Quando autem error eſt circa ea, quæ quis non tenetur ſcire, ex ſua conſcientia abſolvitur.*

20. Hinc P. Vazquez 1. 2. diſp. 117. num. 2. agens de ignorantia antecedente ad omnem voluntatem. *Hæc* (inquit) *dicitur invincibilis; vocatur etiam probabilis: invincibilis quidem, quando nullâ diligentiâ humanâ impediri potuit; probabilis verò, quia licet potuerit vinci, non tamen debuit; eo quòd probabili ratione ſic judicatum fuerit, ultra quod nullus debet inquirere.*

21. Hinc argues: In caſu poſito, quamvis quis habeat majus fundamentum authoritatis, & rationis ad iudicandum rem eſse ſecundùm ſe malam, & prohibitam; & vi hujus fundamenti poſſit potentiâ antecedente ſic iudicare, tamen cum videat dari ſententiam probabilem de oppoſito, non tenetur illud judicium formare; ſed poteſt ſuſpendere judicium de malitia actionis: ergo illa ignorantia malitiæ, licet ſit vincibilis, non debuit vinci: ergo eſt ignorantia probabilis.

22. Verùm hoc effugium facilè præcluditur: ad ſummum enim probat, non peccare tunc hominem in ſuſpendendo iudi-

Digitized by Google

iudicio de malitia actionis; non probat autem, quòd non peccet in facienda actione ex ſe mala, & prohibita, quando habet maius fundamentum ad iudicandum, illam actionem eſse malam, & prohibitam; quamvis ipſe voluntariè ſuſpendat iudicium actuale, & formale de malitia. Quia ut alicui imputetur ad culpam actio, quam facit contra legem, ſatis eſt, quòd vel formaliter, vel æquivalenter cognoſcat malitiam: cognoſcit autem æquivalenter, quando prudenter poteſt iudicare, rem eſse ſecundùm ſe malam, & prohibitam, licet pro libitu ſuo ſuſpendat iudicium. Deus etenim æternâ ſuâ lege prohibens aliquam actionem omnibus hominibus, omnes obligat, ut ab illa abſtineant, quando ſufficienter intellexerint illam prohibitionem: ſufficienter autem hoc intelligunt, quando prohibitio apparet illis authoritate, & ratione valde veriſimilis; ita ut prudenter poſſint iudicare, extare talem legem ob fundamenta authoritatis, & rationis, clarè præponderantia fundamentis contrariis. Nec enim ut lex obliget ſingulos, requirit cognitionem evidentem in ſingulis. Sic enim incideremus in laxitatem pernicioſam Caramuelis, aſserentis, ſufficere non certitudinem legis, ut quis deobligetur ab eius obſervatione: & incideremus in propoſitionem tertiam damnatam ab Innocentio XI. de uſu licito cuiuslibet probabilitatis quantumvis exiguæ: non enim eſt certum, & evidens, quòd actio ſit licita, quando datur opinio aliqua ſaltem exiguè probabilis, quòd ſit licita. Certitudo quippe, & evidẽtia unius partis reddit improbabilem omnino partem oppoſitam. Ratio autem cur ſufficiat, quòd ſit alicui valdè veriſimile, quòd actio à ſe exercenda ſit in ſe mala, & quòd hoc illi repræſentetur in actu primo ut veriſimilius oppoſito, ad hoc, ut teneatur ab illa abſtinere, eſt, quia Deus imponens legem illam, & permittens, ut dentur opiniones contrariæ Doctorum circa illam, velle non potuit, ut ad obligationem requireretur cognitio certa, & evidens. Cùm enim hæc evidentia in rebus obſcuris, & utrimque opinabilibus ſit naturaliter impoſſibilis, obligaret Deus ad impoſſibile, ſi requireret cognitionem evidentem. Vt ergo obliget, ſatis eſt, quòd obliget ad inquirendam veritatem, & ad abſtinendum ab illa actione, ſaltem quando apparuerit veriſimilius, illam eſſe prohibitam, quàm non eſſe.

23. Dixi *ad ſummum*: quia dici poteſt, ac debet, legem ipſam naturalem obligantem ad abſtinendum à contractu aliquo, obligare ad iudicandum, illum eſſe malum, quando in actu primo apparent fundamenta ad ita iudicandum ſufficientia; prout apparent, quando pars illa repræſentatur ut veriſimilior ſenſibiliter, & clarè. Unde licet tunc non neceſſitetur ex meritis obiecti, quia non eſt evidens, obligatur tamen ex vi legis prohibentis contractum. Vt enim optimè inquit P. Suarez tom. 5. in 3. part. diſput. 4. ſect. 9. num. 15. *In debito faciendi, intrinſecè includitur obligatio debitum ſciendi; quia nullus poteſt ſuas obligationes implere, niſi ipſas cognoſcat. Quilibet autem homo ſcire tenetur illa præcepta, quibus obligatur, ſive illa obligatio naſcatur ex generali conditione hominis Chriſtiani, aut Religioſi, ſive ex peculiari officio, quod profitetur, ut Medici, Parochi, &c. ſive ex quocumque alio capite.* Item ut Gerſon in Regulis Moralibus, quæ habentur initio ſecundi tomi operum ipſius regul. 1. in principio, exponens verba illa; *Ea, quæ tibi præcepit Deus, cogita ſemper*; ait: *Quilibet obligatur ſcire illud, abſque cujus notitia non poteſt evitare peccatum.* Vel dici poteſt, quòd quamvis intellectus poſſet flecti à voluntate ad aſſentiendum parti minùs veriſimili; tamen lex ipſa naturalis prohibens contractum, obligat ad non diſſentiendum eius exiſtentiæ, quando illa apparet veriſimilior, quàm non exiſtentia: ac proinde tunc manet homo obligatus, vel ad iudicandum dari legem prohibentem contractum illum, vel ad ſuſpendendum iudicium; in utroque autem caſu tenetur homo abſtinere ab illo contractu: quia utrumque eſt malum, & agere contractum, quando iudicas eſſe malum, ac prohibitum; & agere quando

Digitized by Google

do dubitas, an ſit malus, neque potes licitè iudicare non eſſe malum.

§. IV.

Solvitur objectio; cujus occaſione oſtenditur, in hac quæſtione non debere ſupponi partem minùs veriſimilem, & minùs tutam manere abſolutè probabilem reſpectu operantis, & ſic eſſe abſolutè tutam.

24. AT dices, hominem non peccare contra legem in illo eventu; quia hoc ipſo, quo ſciat dari opinionem probabilem de eo, quòd res illa non ſit illicita, poteſt iudicare prudenter, illam rem non eſſe ſecundùm ſe malam. Supponitur autem dari opinionem abſolutè probabilem, licèt ſit minùs probabilis: ſi porro eſt abſolutè probabilis, eſt abſolutè prudens, id eſt innixa fundamento gravi, & prudenti: ergo poteſt quis illi prudenter abſolutè aſſentiri, licet minùs prudenter, quàm ſi aſſentiretur alteri; differunt enim ſolùm ſecundùm magis, & minùs. Vnde ſicut utraque eſt abſolutè probabilis, ita etiam utraque nititur fundamento prudenti, licet fundamentum unius, ſit prudentius alterius fundamento. Reſpondeo, totum hoc reſponſum niti æquivocatione, & inde ſumi occaſionem deceptionis, quòd opinio probabilis concipiatur ut aliquid omnino abſolutum, quod ſecundùm ſe ſit grave, & prudens reſpectu omnium: cùm tamen hoc ſit falſiſſimum. Nam hoc, quod eſt fundamentum opinionis probabilis eſſe grave, & prudens, eſt aliquid reſpectivum ad intellectum; ſed dumtaxat illorum Authorum, qui poſt diligentem quæſtionis diſcuſſionem prudenter iudicârunt, illam partem contradictionis eſse veram: ac proinde hoc, quod eſt fundamentum in rebus obſcuris, ac probabilibus eſse grave, & magnum, & ſufficiens ad exprimendum, vel extorquendum prudentem aſsenſum, non eſt eſse grave, & magnum reſpectu omnium, ſed dumtaxat reſpectu aliquorum; eorum ſcilicet, quibus repræſentatum eſt ut ſenſibiliter veriſimilius, & fortius fundamento oppoſito. Nullum enim eſt fundamentum inter merè probabilia, quod reſpectu omnium appareat ſic validum: ſiquidem quod uni videtur efficax, alteri apparet inefficax; quod uni apparet convincens, alteri apparet debile; & hinc oritur tanta opinandi diverſitas. Itaque eſse magnum, & grave abſolutè reſpectu omnium, eſt privilegium fundamenti evidentis, quod omnes convincit.

25. Vnde dum in hac quæſtione interrogatur, an liceat ſequi ſententiam minùs tutam ei, cui ſententia tutior repræſentatur ut ſenſibiliter veriſimilior, non debet ſupponi, ſententiam minùs tutam manere hic, & nunc practicè probabilem reſpectu illius: quia ſi hoc ſupponeretur, hoc ipſo ſupponeretur manere approbabilem ab ipſo per prudentem aſſenſum; nihil enim eſt verè probabile alicui practicè, niſi illud, quod ei proponitur cum tali veriſimilitudine, ut ei poſſit præbere prudentem aſsenſum: nullus autem poteſt per prudentem aſſenſum approbare ut verum illud, cuius contradictorium proponitur ipſi ut ſenſibiliter veriſimilius. Hinc repugnat, eſse mihi practicè probabilem opinionem illam, quæ mihi proponitur ut magis falſiſimilis, quàm veriſimilis. Nec in rerum natura extaret opinio aliqua probabilis, ſi omnibus Authoribus eius fundamenta apparuiſsent minùs veriſimilia, quàm oppoſitæ: nullus enim Author defendit aliquam opinionem ut veram, niſi quia eius fundamenta apud ipſum præponderant fundamentis contrariæ. Sicut ergo non daretur eiuſmodi opinio probabilis, ſi nulli Authori apparuiſsent eius fundamenta urgentiora fundamentis partis oppoſitæ; ita non eſt mihi probabilis illa opinio practicè, ſi mihi non appareant eius fundamenta urgentiora fundamentis partis oppoſitæ. Ergo quoties fundamenta opinionis minùs tutæ repræſentantur mihi ut ſimpliciter, & abſolutè minùs veriſimilia fundamentis partis oppoſitæ, illa non eſt mihi practicè probabilis; ſolùmque poſsum reflexè affirmare verè, illam eſse

probabilem in ſe, id eſt, habere talia fundamenta, ob quæ aliqui viri ſapientes poſt maturam rei diſcuſſionem, illam cenſuerunt veram, ita ut poſteà producta non ſit aliqua demonſtratio moralis, vel aliquod decretum Eccleſiæ, vi cuius deturbata ſit à poſſeſſione probabilitatis in qua fuit, nec eandem Authores cenſurent ut improbabilem. Et quamvis ego poſſim verè affirmare, illam opinionem non eſse mihi probabilem, non tamen poſsum verè affirmare, non eſse probabilem aliis; quia non poſsum verè affirmare, eius fundamenta habitura apud omnes illud momentum, & pondus, quod habent apud me: imò cùm videam ab aliis probari, poſsum prudenter iudicare, apud alios eſse verè probabile, quod apud me probabile non eſt. Vnde eademmet opinio relatè ad diverſos homines erit probabilis, & improbabilis; ſicut certum eſt, multas opiniones, quæ unis probantur, non probari aliis.

26. In hac ergo quæſtione ſolùm debet ſupponi, aliquos Authores prudenter veram reputâſse opinionem illam minùs tutam, & hucuſque non eſse inventam demonſtrationem contra illam, nec prodiiſse decretum Eccleſiæ illam prohibens; mihi verò eius fundamenta apparere minùs veriſimilia fundamentis partis oppoſitæ. Hoc autem non eſt ſupponere, quòd illa hic, & nunc ſit practicè probabilis reſpectu mei, & quòd ego poſſim prudenter illi aſsentiri: ſed potiùs noſtrum fundamentum evincit, me poſitivè imprudenter acturum, ſi illam ſequerer. Sicut Superior de re magni momenti conſultans cum ſeptem viris, ſi videret quatuor graviores ſtare pro una parte, & alios tres pro aliâ, & agnoſceret fundamenta allata ab illis quatuor eſse urgentiora, quàm quæ allata ſunt ab illis tribus, non ſolùm ageret minùs prudenter adhærendo illis tribus, ſed ageret poſitivè imprudenter, & meritò imputarentur illi omnia damna conſecuta ex eo, quòd adhæſerit parti minoris authoritatis, & minùs ſolida fundamenta habentis.

27. Quare in dicto caſu non poteſt homo prudenter iudicâre, rem illam non eſſe prohibitam. Hinc vel debet iudicare eſſe prohibitam, vel ſuſpendere utriuſque partis aſſenſum: & quodcumque ex iis duobus faciat, peccabit, faciendo rem illam in ſe objectivè malam; quia vel faciet rem malam, judicando eſſe malam, vel faciet rem in ſe malam, dubitando verè, & propriè an ſit mala, vel non; & utrumque eſt malum: quia evidenter eſt peccatum, facere rem malam, dum judicas eſſe malam: vel facere rem malam, dum prudenter dubitas, an ſit mala, vel non. Vnde nemo poteſt à peccato liberari in conflictu opinionis minùs tutæ, & tutioris, niſi reſolvat dubium, firmiter judicando opinativè prudenter, rem illam non eſſe prohibitam: quod præſtare non poteſt, niſi per maturam rei diſcuſſionem, ex ſincero veritatis amore ſuſceptam, pars minùs tuta appareat illi ſenſibiliter veriſimilior. Si enim poſt illam diſcuſſionem pars minùs tuta apparet ſenſibiliter minùs veriſimilis, nequit illi prudenter aſſentiri; ſi autem apparet æquè, aut ferè æquè probabilis, neutri parti poteſt aſſenſum præbere firmum, & decretorium; ſed manebit anceps, & fluctuans, ut breviter oſtendi, obiterque ſuperiùs, atque ex profeſſo diffuſiùs demonſtraturus ſum Diſſertatione ſeptimâ. Quòd ſi tunc intellectus poſſit trahi ad aſſenſum per imperium voluntatis, conſcientia tunc formata eſſet affectata: ac proinde ſi ſententiam minùs tutam ſectaretur, peccaret; quia ex ignorantia affectata faceret rem ſecundùm ſe malam, & prohibitam, ſi illa ſententia reipsâ eſt falſa; vel ſe exponeret periculo id faciendi, ſi contingat eſſe veram. Exiſtimo tamen, abſolutè contingere numquam poſſe interiùs in mente, ut ſtante æquali pondere motivorum pro utraque parte contradictionis, intellectus ex imperio voluntatis flectatur ad judicandum partem illam benignam, in quam ejus affectus inclinat, eſſe veram: & quamvis homo dicat, ſe liberè, & voluntariè aſſentiri parti benignæ, quam ſequitur in praxi, & ita forſan credat, reipsâ tamen fallitur; quia impoſſibile eſt, ut ſtante æqua-

Digitized by Google

æqualitate motivorum pro utraque parte contradictionis, intellectus judicet, unam præ alia eſſe veram. Ergo in praxi poterit ſe ita gerere,ac ſi judicaret partem illam benignam eſſe veram; internè tamen judicare hoc non poterit: quia motiva contradictoria æqualia mutuò ſe elidunt, & intellectus inter illa conſtitutus fluctuat, & manet neceſſariò dubius, & anceps, perinde ac ſi pro neutra parte occurreret motivum aſſentiendi; ſicut ſtatera manet neceſſariò in æquilibrio, quando æqualia pondera in alterutro ejus brachio appenduntur; non minùs, quàm ubi nihil apponitur in neutra parte. Quare intellectus non poteſt ſubdi voluntati in aſſentiendo, ſed ſolùm in apprehendendo, & cogitando; ac proinde licet voluntas ex affectu ad partem benignam poſſit applicare mentem ad inveniendas probationes pro illa parte, & avertere à parte contraria, & ſic efficere, ut pars benigna appareat veriſimilior in actu primo; ex ſuppoſitione tamen, quòd pro utraque parte invenerit argumenta æqualia,& rationes æquali pondere moventes, impoſſibile eſt, ut ſuo imperio poſſit flectere intellectum, ut partem benignam judicet eſſe veram, & partem oppoſitam eſse falſam. Hic enim actus eſt impoſſibilis intellectui: *Utraque pars contradictionis eſt mibi æquè veriſimilis, & non habeo majus fundamentum ad judicandum, partem benignam eſſe veram,quàm ad judicandum eſſè falſam; & tamen conſeo illam eſſe veram,& non falſam,ac oppoſitam eſſe falſam, & non veram.* Eſt enim intellectus potentia neceſſaria, & in ſuis aſſenſibus tendit ſub ratione veri: unde ſicut non poteſt aſſentiri, ubi nulla apparet veriſimilitudo; ita non poteſt aſſentiri,quando tanta apparet falſiſimilitudo,ac veriſimilitudo.

28. Si autem utraque pars contradictionis in actu primo appareat ferè æqualis, & exceſſus veriſimilitudinis in una parte præ alia ſit exiguus,& dubius, non poterit intellectus elicere aſſenſum firmum, & determinatum erga illam partem; ſed ſolùm ſuſpicionem quamdam, quæ propriè dubium non tollat. Quare ut tutò poſſit ſequi ſententiam minùs tutam, debet illa pars in actu primo apparere ſenſibiliter, & clarè veriſimilior; quia tunc decretoriè poteſt ferre ſententiam, quòd res illa non ſit prohibita,& repellere tamquam ſcrupulum omnem formidinem partis oppoſitæ. Quæ omnia ampliùs conſtabunt ex dicendis paragraphis ſequentibus.

§. V.

Oſtenditur in particulari, nullam reflexionem poſſe efficere, ut licitum ſit ſequi opinionem minùs tutam,quam quis cognoſcit eſſe directè minùs probabilem authoritate, & ratione.

29. P. Antonius Terillus quæſt.2. de Regula Morum num. 17. & 25. fatetur, neminem poſſè ſequi ſententiam minùs tutam faventem libertati ſuæ contra præceptum, quando agnoſcit,illam eſſe directè minùs probabilem, niſi recurrendo ad principia reflexa, videlicet ad poſſeſſionem libertatis, ad ignorantiam probabilem, & ad non-promulgationem legis. Vt enim ipſe ait eo num. 17. Etſi operans agnoſcat, objectum illius opinionis faventis libertati eſſe directè minùs probabile, & hic ſiſtendo nequeat illud licitè eligere, & exequi (quia nequit attentis præcisè principiis directis formare judicium, quòd illud objectum ſit licitum,cùm ſub illis principiis appareat potiùs illicitum, quàm licitum) nihilominus comparando objectum illud directè minùs probabile cum omnibus circumſtantiis, quæ cum illa probabilitate connexionem habent, puta cum poſſeſſione libertatis, cum ignorantia, & non-promulgatione legis, infert, objectum illud,quod opinio directè minùs probabilis ponebat ut licitum, & opinio directè magis probabilis ponebat ut illicitum, verè eſſe licitum omnibus inſpectis; ſeu attentis non ſolùm principiis directis, ſed etiam reflexis. Hanc doctrinam breviter rejicio, aſſeroque, hominem qui agnoſcat opinionem faventem ſuæ libertati eſſe minùs probabilem oppoſitâ, quia videt pro

illa ſtare pauciores, vel minùs graves Authores, & experitur ipſorum fundamenta eſse minùs urgentia, quàm fundamenta ſententiæ oppoſitæ; non poſse reflectendo ſupra ſuam libertatem, vel ſupra ignorantiam, & non-promulgationem legis prudenter iudicare, illud objectum omnibus inſpectis eſse licitum.

§. VI.

Nulla reflexio ex aſſignatis à Terillo ſufficit, ut quis licitè amplectatur opinionem minus tutam, ſibique minùs veriſimilem.

30. NEc ſufficit ulla reflexio ex aſſignatis à Terillo, ad excuſandum à culpa eum, qui faceret rem objectivè in ſe malam, & prohibitam, ſequens opinionem minùs tutam, & ſibi minùs probabilem: quia quantumvis mille reflexiones faciat, ſi interrogetur, ſciatne, an ſit reipsà honeſtus ille contractus, quem facit, confiſus illis reflexionibus; an potiùs ſit in ſe Divina lege prohibitus? quamvis diſrumpatur, ſi velit verum fateri, debet palam reſpondere. Ego neſcio an reipsà iſte contractus ſit ex ſe licitus, an è contra ſit divina lege in ſe prohibitus: habeo tamen majus fundamentum cenſendi, eſſe in ſe prohibitum, quàm cenſendi oppoſitum; quia video plures, & graviores Authores affirmantes, eſſe malum, & prohibitum; ac eorum fundamenta mihi apparent urgentiora fundamentis ſententiæ benignæ affirmantis eſſe licitum. Quo ſuppoſito, omne iudicium reflexum ab ipſo formatum, vi cujus judicat illum contractum eſſe ſibi licitum, eſt inſufficiens ad ipſum excuſandum à culpa; quia operatur rem in ſe intrinſecè malam, & prohibitam ut ſupponimus (ſupponimus enim eſſe falſam opinionem benignam affirmantem, illum contractum eſſe licitum ex ſe) atque operatur reclamante conſcientia. Siquidem operatur rem malam in circumſtantiis, in quibus poteſt potentiâ proximâ antecedente iudicare, rem illam eſſe in ſe malam ob fundamenta ſententiæ rigidioris, quæ authoritate, & ratione illi apparet veriſimilior. Qui autem ſic operatur, operatur malum, voluntariè claudens oculos ad non videndam malitiam, ſeu ad non ferendum iudicium prudens de malitia actionis, quam facit: qui autem ſic operatur, peccat; quia reflexiones, quas facit, ſunt falſæ, falsòque enuntiant, ipſum non peccare.

§. VII.

Non ſufficit reflexio ſupra poſſeſſionem libertatis propriæ.

31. IN primis enim dum reflectit ſupra libertatem ſuam, falsò iudicabit poſſeſſionem ſuæ libertatis ſufficere, ne obligetur ad abſtinendum à contractu, quem ſententia tutior, & ipſi probabilior affirmat eſſe in ſe intrinſecè malum, & prohibitum. Illud enim axioma: *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis*, ſolùm habet locum in materia iuſtitiæ, nimirum quando duæ partes litigantes de jure, & juſto titulo ad dominium alicujus rei, allegant rationes æquales præſcindendo à poſſeſſione; & aliundè una ex illis ultra has rationes allegat pro ſe poſſeſſionem continuatam illius rei; quæ poſſeſſio facit ut jus ejus ſit melioris conditionis. At quando dubitatur, an contractus aliquis ſit in ſe intrinſecè malus, ac prohibitus, nulla ſupponitur in voluntate libertas ad illum faciendum impunè, & ſine peccato; ſed hoc ipſo dubitatur, an poſſit fieri ſine peccato: & numquam in favorem libertatis poterit proferri ſententia, niſi per argumenta urgentiora fundamentis partis contrariæ probetur, illam rem non eſſe prohibitam in ſe. Unde ut quis licitè poſſit facere rem, de qua dubitatur, an ſit in ſe mala, & prohibita, nec ne, debet priùs poſt diligentem veritatis inquiſitionem ſine paſſione ſuſceptam invenire fundamenta clarè, & diſtinctè præeminentia, & veriſimiliora fundamentis ſententiæ contrariæ,

Digitized by Google

riæ; vi quorum formet iudicium directum firmum, & determinatum, quò prudenter iudicet, rem illam non eſſe prohibitam: ſeu quo reſolvat illud dubium, & ſibi perſuadeat prudenter, rem illam non eſse prohibitam. Si enim operetur, neq; prius formet hoc judicium, eò quod appareant ipſi vel urgentiora, vel ſaltem æquè urgentia fundamenta ad iudicandum rem eſse malam, & prohibitam; operabitur iudicans pro priori rem eſſe malam; vel operabitur dubitans an ſit mala: & utrumque eſt agere contra conſcientiam. Eſt enim evidenter illicitus uterque hic actus: *Ego iudico hunc contractum eſſe in ſe malum, & prohibitum; & tamen volo illum facere. Et ego dubito, utrùm hic contractus in ſe ſit malus, & prohibitus; & tamen volo illum facere.* Si autem poſt ſinceram, & diligentem veritatis inquiſitionem, citra omnem culpam, apparet ipſi ſenſibiliter veriſimilius, rem illam non eſſe prohibitam, prudenter reſolvit dubium, formatque iudicium determinatum firmum, quo iudicat rem non eſse malam, & prohibitam; & non operatur cum dubio de peccato. Quamvis enim hoc iudicium non ſit evidens, & reflectens intellectus ſupra ipſum poſſit dicere, poſſibile eſse, quod ſit falſum; tamen de facto ſibi perſuadet non eſse falſum, & vi illius poteſt manere ſecurus in conſcientia. Et hæc ſenſibiliter maior probabilitas, eſt quædam certitudo moralis, & ſufficit ad excuſandum à culpa: quia in rebus dubiis, quas Deus voluit manere ſub controverſia, & in quibus non poſsumus aſsequi evidentiam, ſufficit, quòd per argumenta valdè veriſimilia, & urgentiora oppoſitis, nobis perſuadeamus, rem non eſse prohibitam; ut rectè docet P. Suarez lib. 6. de legib. cap. 8. num. 6. his verbis: *Iudicium probabile in rebus moralibus ſufficit ad prudenter operandum; præſertim ubi regula certa applicari non poteſt: quia alius modus operandi eſt ultra hominum conditionem, & prudentiam; cùm omnis cognitio humana coniecturalis ſit, præſertim in rebus agendis.* Idem docet Tom. 4. in 3. part. diſp. 6. ſect. 6. num. 5. Rectèque docent D. Antoninus 1. part. tit. 3. cap. 10. §. 10. & cum eo Navarrus de Pœnit. diſt. 5. num. 38. non operari cum dubio, an res ſit mala, illum, qui operatur formato priùs judicio determinato prudenter, quòd res non ſit prohibita: ut alibi latè explico.

§. VIII.

Non ſufficit reflexio ſupra non-promulgationem Legis.

32. DEinde homo ille, cui conſtat, ſententiam minùs tutam niti motivo, quod ipſi apparet minùs veriſimile, non poteſt ad ſe eximendum ab obligatione abſtinendi à contractu, recurrere ad non-promulgationem legis prohibentis contractum. Eſt enim apertè falſum, quòd non ſit ſufficienter promulgata lex prohibitiva contractûs illi, qui poſt ſufficientem veveritatis inquiſitionem invenit maius fundamentum authoritatis, & rationis ad iudicandum dari talem legem, quàm ad iudicandum oppoſitum. Cùm enim Deus voluerit, ut lex illa non ſit patens & clara, ſed ut maneret ſub opinionibus, fruſtra illam impoſuiſset, ſi non voluiſset obligare illos, qui poſt diligentem veritatis inquiſitionem iudicant, veriſimilius eſse, quòd detur talis lex; quia inveniunt maius fundamentum authoritatis, & rationis ad iudicandum dari talem legem: ſtante enim hac maiori veriſimilitudine, prudenter poſsunt iudicare, dari talem legem; & non poſſunt prudenter iudicare oppoſitum. Duriſſimum autem eſt iudicare, quòd non ſit ſufficienter promulgata, & intimata lex homini potenti prudenter iudicare dari talem legem, & non potenti iudicare oppoſitum. Quare illa ratio de non-promulgatione legis ſufficiente, ad ſummum poſset habere locum, quando poſt factam ſufficientem diligentiam ad ſciendum, an detur lex, occurrunt rationes omnino æquales pro una, & altera parte, & homo non poteſt dubium illud reſolvere: tunc enim ignorantia de exiſtentia legis videtur

eſſe

Digitized by Google

eſse involuntaria, & invincibilis; ac proinde excuſans: nam poſtquam quis adhibuit ſufficientem diligentiam ad expellendam dubitationem, & eam non potuit expellere, ignorat, ſibi eſſe præceptum poſitum, & ita ignorat, ut non potuerit ignorantiam depellere; ergo invincibiliter ignorat; non videtur ergo tunc obligari tali præcepto. At quando facta ſufficiente diligentia ad inveniendam veritatem, invenit maius fundamentum authoritatis, & rationis ad iudicandum extare legem, quam ad iudicandum oppoſitum; prudenter poteſt judicare, dari legem prohibentem; nec poteſt iudicare oppoſitum: ergo tunc reſpectu ipſius lex eſt ſufficienter promulgata. Dixi *ad ſummum*: abſolutè enim jam probatum eſt, tunc partem tutiorem eligi debere.

33. Adde in ſimilibus quæſtionibus, dum dubitatur, an aliquis contractus ſit, v.g. uſurarius, ſupponi tamquam quid certum, dari legem prohibitivam uſurarum, & ſolùm dubitari, an talis ſpecie contractus comprehendatur ſub illa lege: ubi autem conſtat de exiſtentia legis, & operans habet maius fundamentum authoritatis, & rationis ad iudicandum talem ſpeciem contractûs eſſe comprehenſam ſub lege prohibitiva uſurarum, nequit excuſari coram Deo à culpa, dicendo, quod lex uſurarum non ſit ipſi ſufficienter intimata, ut vi illius teneatur abſtinere à contractu illo. Eſt enim hoc iudicium falſum. Lex enim certa obligat ad abſtinendum ab executione rei, de qua prudenter iudicari poteſt comprehendi ſub illa lege.

34. Hinc ſolvendum eſt argumentum illud Probabiliſtarum, quod proponit Terillus par. 1. de regula morum quæſt. 2. num. 45. & latiùs quæſt. 23. de conſcientia probabili num. 14. his terminis. *Nulla lex obligat, niſi ſufficienter promulgetur. At quoties adſunt rationes probabiliter ſuadentes, partem minùs tutam eſſe licitam, lex præcipiens partem tutiorem non eſt ſufficienter promulgata. Ergo illa lex neminem obligat, quamdiu certò probabile eſt, partem minùs tutam non eſſe prohibitam*. Solvendum inquam, eſt illud argumentum, negando minorem. Et in primis hoc argumento probaretur me non teneri ad obſervandam legem per hoc præciſè, quod ſciam dari Authores graves affirmantes non dari talem legem, quorum ſententia reputatur communiter probabilis; quamvis ego iudicem illorum ſententiam eſse falſam. Quòd enim ego iudicem eſse falſam, non facit, ut neſciam illam eſse in ſe abſolutè probabilem: imò quamvis illius fundamentum mihi appareret leve; hoc enim non tollit, quòd ego ſciam illud fundamentum Viris gravibus & ſapientibus viſum eſse grave, & validum; proinde in ſe abſolutè probabile. At certum eſt, quòd quoties ego iudico, eſse falſam ſententiam negantem exiſtentiam, vel obligationem legis, & conſequenter eſse veram ſententiam oppoſitam affirmantem talem obligationem; toties tenear obſervare legem. Qui enim prudenter iudicat, dari obligationem abſtinendi ab aliqua actione, peccat, ſi in ſenſu compoſito talis judicii exerceat eam actionem.

35. Rurſus, hoc argumento probaretur, eum, qui certò ſcit inter Theologos diſputari, an talis, vel talis contractus ſit licitus, & circa hoc dari ſententias Theologorum oppoſitas, hoc ipſo ſine ulteriori indagatione poſse formare dictamen verum, quòd ſibi, & omnibus liceat ejuſmodi contractum facere: quia hoc ipſo ſciret legem prohibitivam contractûs non eſse ſufficienter promulgatam, ac proinde non obligare: imò non dari legem prohibitivam talis contractûs: ſiquidem lex non ſufficienter promulgata, non eſt lex, nec habet vim obligandi. Unde fruſtra laborarent Theologi, qui ſcientes dari opinionem probabilem faventem libertati, nihilominùs contenderent illum contractum eſse malum: illi enim probare non poſsunt, non extare ejuſmodi opinionem, cum id ſit evidenter falſum, & ipſi, dum illam opinionem impugnant, manifeſtè ſupponunt talem dari.

36. Tertiò hoc argumentum eſt contra communem omnium apprehenſionem, & ſenſum. Nam ipſi Probabiliſtæ,

Digitized by Google

liſtæ, qui dicunt, licitum eſse ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam, in occurſu probabilioris, & tutioris, manifeſtè ſupponunt, eum, qui ſequitur opinionem illam minùs tutam, reipsâ violare legem, & materialiter peccare, ſi lex reipsâ detur, & falſa ſit opinio illa minùs tutâ; illam tamen violationem legis ipſi non imputari, ac proinde non peccare formaliter: ergo ſupponunt dari talem legem, & habere vim obligandi in actu primo. Nam ubi lex non eſt lata, vel ſufficienter non eſt promulgata, nequit dari violatio legis etiam materialis. Quare in rebus moralibus controverſis, in quibus ſupponitur dari opiniones contrarias Doctorum, jam ex illa ſuppoſitione conſtaret, legem non eſse latam, aut promulgatam: ergo ridiculum omninò foret in ejuſmodi quæſtionibus dicere, hoc, aut illud eſse peccatum: cùm manifeſtum omnibus ſit, contra leges non ſufficienter promulgatas nullum dari peccatum.

37. Quartò: hoc argumentum ad ſummum poſſet habere locum in lege humana. Nam poteſt Legiſlator humanus v. g. Rex, vel Summus Pontifex legem concipere, & habere voluntatem illam promulgandi, & obligandi ſubditos ſuos, & poſteà mutare conſilium, & ſuperſedere ab illius promulgatione: quo in caſu lex non datur, nec poteſt dari violatio etiam materialis illius. At implicat, ut Deus legem concipiat, & ferat, quin habeat voluntatem efficacem ſufficienter illam promulgandi; & cùm ſit omnipotens, & infinitè ſapiens, atque immutabilis, nequit à voluntate efficaci ſemel concepta deſiſtere; ergo implicat, ut Deus legem condat, & ſtatuat, & illa ex defectu ſufficientis promulgationis deſinat obligare. Dum enim legem ſtatuit, vult efficaciter illam legem habere vim per ſe obligandi omnes ſubditos, ac proinde vult efficaciter illam legem ſufficienter promulgari; cùm implicet legem non ſufficienter promulgatam habere vim obligandi. Quare conficitur hoc argumentum: Vel Deus legem condens, & ſtatuens, præcisè voluit legem facere, & non voluit illam ſatis promulgare (& hoc implicat; quia ſic fruſtra legem feciſset: finis enim condendi legem eſt, obligare ſubditos ad aliquid faciendum, vel omittendum; & cùm ſufficiens promulgatio ſit eſsentialiter requiſita ad obligandum, fruſtra feciſset legem, ſi noluiſset legem ſufficienter promulgari) vel Deus legem condens, & ſtatuens, voluit illam ſufficienter promulgare, & non potuit: & hoc repugnat, cùm ſit omnipotens. Ergo repugnat legem naturalem, vel divinam à Deo condi, & non ſufficienter promulgari. Ergo eſt apertè falſum aſserere, legem non eſſe ſufficienter promulgatam per hoc, quòd aliqui Authores graves affirment non dari talem legem, eorumque opinio communiter cenſeatur probabilis.

§. IX.

Non ſufficit reflexio ſupra ignorantiam Legis.

38. Denique homo ille non poteſt ſe excuſare recurrendo ad ignorantiam legis. Ut enim lex obliget, non requiritur, ut evidenter quis judicare poſſit, talem legem dari, & ſub ſe comprehendere actionem, de qua dubitatur, an ſit licita; ſufficit, quòd prudenter judicare poſſit, dari talem legem, & ſub ſe comprehendere actionem illam, eò quòd pro hac parte inveniat majus fundamentum authoritatis, & rationis, quàm pro oppoſita: alioqui dicere debemus, nullum hominem obligari ad abſtinendum à re, de qua inter Theologos graves diſputatur, an ſit licita, necne. Nam hoc ipſo, quòd diſputetur, non eſt certa, & evidens exiſtentia legis prohibentis illam ſpeciem contractûs.

39. Quare non video, quo pacto ille, qui per principia directa habet majus fundamentum authoritatis, & rationis ad iudicandum, aliquem contractum eſſe in ſe malum, & prohibitum, quàm ad iudicandum oppoſitum; poſſit aſſumere ſibi opinionem minùs tutam ſibi minùs probabilem, tamquam regulam obiectivam ad formandum iudicium

dicium conſcientiæ rectum, & prudens, quo iudicet, illum contractum eſſe licitum. Nec enim poteſt formare iudicium rectum, & prudens, quo iudicet, illum contractum in ſe, & ex parte obiecti non eſſe prohibitum: cum habeat maius fundamentum authoritatis, & rationis ad iudicandum illum contractum eſſe in ſe prohibitum; & aliunde ſit evidens, principia illa reflexa efficere non poſſe, ut contractus ille non ſit reipſa in ſe obiectivè malus,& prohibitus, ſi reipſa datur in Deo lex prohibens illum: nam contractum aliquem eſſe in ſe, & ex parte obiecti prohibitum, nihil aliud eſt, quàm dari in Deo legem prohibitivam contractûs illius. Evidens etiam eſt principia illa reflexa non poſſe efficere, ne detur in Deo lex illa directè prohibens illum contractum. Rurſus, non poteſt formare iudicium rectum,& prudens,quo iudicet illum contractum eſſe licitum, & ſe non peccare contrahendo; niſi poſſit prudenter iudicare illum contractum non eſſe in ſe malum, & prohibitum. Sicut enim idem eſt, eſſe malum, ac eſſe contrarium legi divinæ; ita idem eſt iudicare non eſſe malum, ac iudicare non eſſe contrarium legi Divinæ. Unde nemo poteſt eſſe certus, quod non peccet faciendo aliquem contractum, niſi ſit certus, quod faciendo illum contractum non agat contra legem Dei. In illis autem circumſtantiis non poteſt prudenter iudicare illum contractum non eſſe in ſe malum, & prohibitum;quando quidem habet maius fundamentum authoritatis, & rationis ad iudicandum eſſe malum, & prohibitum in ſe, quàm ad iudicandum oppoſitum. Ergò impoſſibile eſt, ut quando opinio minùs tuta proponitur alicui ut minùs veriſimilis, quàm opinio tutior, poſſit per reflexionem facere iudicium prudens, quòd ſit licitus ſibi contractus, de quo eſt ſibi veriſimilius, quòd ſit in ſe lege divina prohibitus, quàm oppoſitum:& multò minus,quòd poſſit per principia reflexa formare iudicium certum, & evidens, quòd ſibi liceat hic, & nunc facere illum contractum.

§. X.

Oſtenditur non poſſe ſupra opinionem minùs tutam, quæ operanti repræſentatur minùs veriſimilis, fundari dictamen practicum conſcientiæ certum, quòd liceat operari.

40. Eſt enim hic actus omnino implicatorius: *Ego quidem habeo maius fundamentum authoritatis, & rationis ad iudicandum, hunc contractum eſſe in ſe malum, & lege æterna prohibitum velut uſurarium, quàm ad iudicandum non eſſe malum, ſed honeſtum, vel ſaltem lege divina permiſſum: & nihilominùs, quia video dari Authores graves affirmantes illum contractum non eſſe prohibitum, & eorum fundamenta in ſe ſunt gravia, licèt minùs urgentia, quàm fundamenta contraria, certus ſum, me hic & nunc non peccaturum faciendo illum contractum.* Nam ita diſcurrens, certus eſſe nequit, ſe reipſa non acturum contra legem Dei, faciendo illum contractum. Siquidem certus eſſe non poteſt, quòd non detur talis lex: cum habeat fundamenta prudentiſſima credendi exiſtentiam eiuſdem legis; nec certus poteſt eſſe, quòd licet reipſa agat contra legem, tamen non ſit peccaturus; quia certus eſſe non poteſt, illam tranſgreſſionem fore purè materialem, & ſibi non imputandam: tranſgreſſio enim materialis tranſit in formalem, hoc ipſo quòd fiat ab homine non laborante ignorantiâ invincibili malitiæ. Ille autem homo non laborat hac ignorantiâ malitiæ, quia habet in illo inſtanti prudentiſſimum fundamentum ad iudicandum, illum contractum eſſe ſecundùm ſe malum, & prohibitum, ob fundamenta opinionis tutioris, quæ authoritate, & ratione ipſi apparet veriſimilior. Nec enim facit cum ignorantia invincibili rem obiectivè malam, & vetitam, qui facit in circumſtantiis, in quibus prudentiſſimè potuit iudicare, eſſe in ſe malam, & prohibitam. Ergo non poteſt formare dictamen conſcientiæ ultimum

cer-

Digitized by Google

certum, & evidens, ut vult Terillus, quòd ſibi liceat hic, & nunc operari. Quare licet exiſtimet certum eſſe, ſe non peccare, fallax tamen eſt illud iudicium, & minimè ſufficiens ad excuſandum à culpa: quia falsò ſibi perſuadet ſe non peccare, dùm agit rem obiectivè malam, & prohibitam in circumſtantiis, in quibus poteſt potentiâ antecedente prudentiſſimè iudicare, eſſe malam, & prohibitam.

41. Patetque, illud dictamen, quod ipſe putat certum & evidens, eſſe fallax: alioqui poſſet hic actus eſſe evidens: *Ego quidem neſcio, an contractus, quem facio ſit reipſa in ſe malus, & prohibitus, ſed potiùs veriſimilius cenſeo, eſſe in ſe malum, & probibitum ob fundamenta ſententiæ tutioris, quæ mihi apparent veriſimiliora: Et tamen certus ſum, me non peccare faciendo illum contractum; quia graviſſimi Authores hujus ſæculi iudicant licitum eſſe ſequi ſententiam minùs tutam, quando in ſe eſt certò probabilis, quamvis oppoſita ſententia tutior ſit in ſe, & operanti appareat probabilior.* (quia adeſt probabilis ignorantia legis, vel poſſeſſio pro libertate, quæ prævaleat contra legem) *Ac proinde, ſive agam reipſa contra legem divinam, ſive non agam; volo facere iſtum contractum; & certus ſum me non peccaturum, nec mibi imputandam tranſgreſſionem legis.* Quis non videat hunc actum contradictoria virtualiter affirmare? Ex una parte contemnit legem, qui ita ſtatuit, dùm determinat agere, ſive detur lex, ſive non detur, nihili faciens, quòd lex reipsâ violetur; quod eſt clarè contemnere legem, & legislatorem. Ex alia parte velut certum affirmat, ſe non peccare faciendo illum contractum.

42. Unde deducimus contra Terillum, ſententiam minùs tutam reflexè cognitam ab operante, ut minùs probabilem, non poſſe eſſe regulam obiectivam rectè operandi. Nec enim eſt regula primaria: cùm munus regulæ primariæ conveniat ſoli legi æternæ, Divinæque voluntati: nec eſt regula ſecundaria mihi manifeſtans, & applicans regulam primariam; quia opinio ſolùm objectivè probabilis per aſſenſum directum eidem præſtitum ab aliis, non fit propria ipſius operantis: & ideò reſpectu illius nequit eſſe regula ſecundaria illi applicans primariam; nempe voluntatem divinam: cum opinio minùs tuta, dum apparet operanti minùs veriſimilis, & reflexè ab illo judicatur minùs probabilis, nequeat ab eo acceptari ut vera per aſſenſum prudentem, & verè probabilem: ac proindè nequit fieri propria ipſius operantis. Unde tunc ſolùm opinio aliorum affirmantium aliquem contractum eſſe licitum, & lege divina permiſſum, poteſt eſſe reſpectu mei regula ſecundaria operandi, quando illa opinio reflexè à me cognita, poteſt deſervire ad hoc, ut ego prudenter judicem, illum contractum non eſſe reipſa in ſe prohibitum. Ad hoc autem nequit deſervire, niſi à me iudicetur vera. à me autem nequit iudicari vera, dum reflexè affirmo illam eſſe minùs probabilem, & experior ejus fundamenta minùs me impellere ad ſui aſſenſum, quàm fundamenta ſententiæ contrariæ.

§. XI.

Detegitur ampliùs origo deceptionis Terilli, qui putat illud obiectum eſſe certò probabile omnibus, & omnibus licitum, quod multi docti, & pii prudenter, & maturè ſine paſſione judicant eſſe probabile.

43. DEceptio Terilli inde trahit originem, quia conſiderat quoddam motivum probabile abſolutum, quod ſit regula ſufficiens reſpectu omnium; cum tamen probabile motivum ſit conceptus reſpectivus relatè ad judicium illorum hominum ſapientum, qui propter illud motivum poſt maturam rei deliberationem citra omnem paſſionem judicarunt rem eſſe ſecundùm ſe licitam. Id patet ex iis, quæ tradit Terillus q. 5. de conſc. prob. à n. 31. dicens: illud obiectum *eſſe certò proba-*

 bile

Digitized by Google

bile, *&* omnibus licitum, *quod multi pii*, *& docti prudenter*, *& maturè*, *& non ex aliqua paſſione judicant eſſe probabile*. Nam qui ita judicat, evidenter per experientiam reflexam videt motivum ſui aſſensûs, & eius pondus; ideoque non poteſt de probabilitate dubitare, nec falli. Hinc infert, uno ſic iudicante obiectum aliquod eſſe probabile, non poſſe alterum niſi ex ignorantia, vel paſſione iudicare idem obiectum eſſe improbabile.

44. Sed fallitur. Ponamus enim Petrum, & Paulum eſſe doctos, & pios; neutrumque iudicare ex paſſione, præcipitatione, vel ignorantia reprehenſibili; & Petrum ſic iudicare obiectum A. non eſſe prohibitum, habereque reflexam evidentiam de obiecti A. ſuique iudicii probabilitate: & Paulum prudenter iudicare, Petrum habere illud iudicium cum reflexa illa evidentia; imò Paulum habere etiam reflexam evidentiam de hujus ſui judicii probabilitate. Adhuc dico, totum hoc non ſufficere, ut Paulus licitè amplectatur obiectum A. eſſe licitum: quia ſicut ſtat optimè, objectum illud poſt maturam conſiderationem apparuiſſe Petro clarè veriſimilius ſuo contradictorio; & non ſic apparuiſſe Paulo; ita ſtat optimè, quòd Paulus judicet, iudicium Petri de honeſtate obiecti eſſe certò probabile, & prudens, licet ipſe nequeat habere tale iudicium certò prudens de honeſtate illius obiecti; eo quòd ipſi non appareat veriſimilius ſuo contradictorio, ſed falſiſimilius. Quare Paulus reflexè ſolùm poterit verè iudicare illud obiectum eſſe certò probabile Petro, cui ſic apparuit citra omnem paſſionem; & fore certò probabile omnibus, in quorum intellectu habuerit eundem ſtatum, quem habet in intellectu Petri: non poteſt tamen judicare, illud obiectum eſſe practicè probabile omnibus; imò veriſſimè poteſt aſſerere, non eſſe ſibi practicè probabile: quia evidenter experitur, apparere ſibi honeſtatem obiecti iſtius magis falſiſimilem, quàm eius contrarium. Ut ergo prudenter Paulo videri poteſt falſum, quod à Petro prudenter verum cenſetur (id certè accidit Sanctis Doctoribus, dum in eadem quæſtione ſententias tenent è diametro oppoſitas) ita optimè componitur, quòd Petrus prudenter affirmet obiectum A. eſſe probabile, & Paulus prudenter iudicet eſſe improbabile. Sicut autem, Petrum affirmare eſſe probabile, non eſt idem, ac affirmare eſſe probabile omnibus; ſed eſſe probabile ſibi, & omnibus, quibus eius veritas in actu primo apparuerit cum ea verſimilitudine, quâ ſibi apparuit: ita Paulum affirmare, illud obiectum eſſe improbabile, non eſt affirmare eſſe improbabile omnibus, ſed ſibi dumtaxat, & omnibus iis, quibus apparuerit cum ea falſiſimilitudine. Certum eſt P. Vazquez ſæpè appellare frivola fundamenta opinionum aliorum Authorum, quæ inter opiniones probabiles communiter numerantur; nec deſinunt eſſe probabiles, & prudenter aſſertæ à ſuis Authoribus ex eo, quòd eorum fundamenta frivola apparuerint: P. Vazquez autem, dum cenſet eſſe frivola fundanenta alicuius opinionis aſſertæ ab Authoribus gravibus, & ſapientibus, cenſet talem opinionem eſſe improbabilem. Ergo poteſt unus Author meritò appellare improbabilem opinionem aliquam; quam alii probabilem meritò appellant. Et ratio eſt, quia fundamenta quæ uni poſt maturam rei diſcuſſionem apparent valde veriſimilia, alii apparent parum veriſimilia, & levia.

45. In uno tamen ſenſu poteſt eſſe verum, quod aſſerit P. Terillus illa q. 5. de conſcientia probabili; nimirum impoſſibile eſſe ut Petrus prudenter iudicet obiectum A. eſſe probabile, & ſimul Paulus prudenter judicet eſſe improbabile: nam ad hoc ut propoſitio affirmatiua ſit vera, ſatis eſt, quod obiectum A. poſt maturam conſiderationem citra paſſionem, & culpam apparet Petro clarè veriſimilius ſuo cōtradictorio. Nam ſuppoſitâ hac apparentiâ, poteſt judicio opinativo prudenti iudicare eſſe verum, & reflectens ſupra hoc ſuum iudicium, affirmare per iudicium ſibi cer-

Digitized by Google

certum, illud ſuum iudicium directum eſſe probabile; quia ad hoc affirmandum ſufficit, quòd illud iudicium ſit prudenter ab ipſo conceptum: quia evidens eſt eſſe verè probabile iudicium de honeſtate obiecti, quod poſt diligentem veritatis inquiſitionem innocenter concipitur ob motiva præeminentia motivis partis oppoſitæ. Unde ad affirmandum aliquam opinionem eſſe probabilem, ſufficit, quòd illa ſit certò probabilis apud alios Authores, qui illam prudenter approbarunt ut veram. At propoſitio affirmans obiectum A. eſſe improbabile, ad ſui veritatem amplius videtur exigere; nimirum, quòd illud obiectum apud nullum virum ſapientem poſſit impetrare prudentem aſſenſum. Unde Paulus ſciens illud obiectum à viris probis, & ſapientibus fuiſſe approbatum per prudentem aſſenſum, nequit verè affirmare obiectum A. eſſe improbabile abſolutè; ſed ſolùm verè affirmare poterit, eſſe improbabile ſibi.

46. In eo autem egregiè fallitur Terillus, dùm q. 2. de Regula morum expreſſè affirmat, & tamquam aſſertionem fundamentalem ſtatuit; licitum cuicumque eſſe ſequi opinionem quamlibet practicè probabilem, ſeu affirmantem aliquid eſſe licitum, ſi verè talis ſit; id eſt, ſi verè ſit practicè probabilis. Nam opinionem aliquam eſſe verè practicè probabilem, idem eſt, ac dari viros probos, & ſapientes, qui poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra culpam, & paſſionem affirmarunt, aliquem contractum v. g. eſſe licitum. Quare ſi mihi conſtaret Petrum eſſe virum probum, & ſapientem, & ſcirem ipſum diligenter examinaſſe quæſtionem illam, & poſt eius diſcuſſionem innocenter iudicaſſe illum contractum eſſe licitum; mihi ſanè conſtaret, dari opinionem probabilem de eo, quòd contractus ille ſit licitus; & mihi conſtaret, illam opinionem eſſe practicè probabilem, quia illa verſatur circà praxim, adeoque Petrum potuiſſe ſecundùm illam operari: quia unicuique licitum eſt facere illud, quod poſt diligentem veritatis inquiſitionem ſine temeritate, & præcipitatione ob motiva urgentia & ſibi veriſimiliora oppoſitis, prudentèr judicat eſſe ſecundùm ſe licitum. Totum autem hoc non ſufficit ut ego poſſim ſequi licitè illam opinionem; quia cum toto hoc componitur quòd fundamenta illius opinionis appareant mihi fallacia, & debilia, & clarè minùs veriſimilia oppoſitis. Ex hac autem ſuppoſitione ego non poſſum licitè ſequi illam opinionem; nec illa eſt mihi practicè probabilis: quia non poſſum illam approbare per aſſenſum prudentem. Non eſt autem mihi probabilis opinio minùs tuta in ordine ad operandum quæ non eſt probabilis in ordine ad aſſentiendum: nequeo enim licitè exequi actionem, de qua non poſſum prudenter judicare eſſe licitam.

47. Jam ergo patet, eſſe fallax fundamentum Terilli, & radicem æquivocationum eſſe, quod opinionem practicè probabilem concipiat Terillus tamquam regulam quamdam abſolutam, quæ ſit regula recta, non ſolùm reſpectu ejus, in quo ſubiectivè exiſtit, ſed reſpectu omnium aliorum, in quorum intellectu ſolùm exiſtat obiectivè; non ſolùm reſpectu eius cui eius fundamenta appareant valde urgentia, & prævalentia oppoſitis; ſed etiam reſpectu eius, cui eius fundamenta appareant parum urgentia, & clarè minùs veriſimilia oppoſitis: ac proinde opinionem practicè probabilem (quæ ſolùm eſt regula reſpectiva reſpectu aliquorum, nimirum ſuorum Authorum, & eorum omnium, in quorum intellectu habuerit eundem ſtatum, quem habuit in mente ſuorum Authorum) concipit, ut regulam abſolutam, quæ ſit recta reſpectu omnium.

48. Sicut ex eo, quòd opinio affirmans aliquem contractum eſſe licitum probetur aliquibus, non ſequitur probari omnibus; & ſicut ex eo, quòd per prudentem aſſenſum poſſit probari ab aliquibus, non ſequitur poſſe probari ab omnibus; & ſicut ex eo, quòd ejus fundamenta appareant urgentia, & prudentia apud aliquos, non ſequitur

Digitized by Google

apparitura urgentiora, & prævalentia apud omnes: Ita ex eo, quòd opinio aliqua ſit practicè probabilis, argui non poteſt, quòd liceat unicuique ſecundùm illam operari; ſed ſolùm ſequitur, quòd liceat operari ſecundùm illam iis, quibus fuerit practicè probabilis. Nemini autem apparet practicè probabilis, niſi iis, qui illam probare poſſunt per prudentem aſſenſum: hoc porro præſtare non poſſunt, quibus ejus fundamenta apparent minùs veriſimilia oppoſitis, ſeu magis falſiſimilia, quàm veriſimilia. Ergo ex eo, quòd opinio aliqua, ſit practicè probabilis, non ſequitur, quòd unicuique licitum ſit ſecundùm illam operari; ſicut ex eo, quòd ſit practicè probabilis alicui, non ſequitur eſſe practicè probabilem omnibus.

49. Hinc magis detegitur falſitas doctrinæ Terilli; quia ex illa ſequitur omnibus, & ſingulis licitum eſſe ſequi ſententiam unius Doctoris gravis contra communem aliorum; ſtat enim, unum Authorem gravem poſt diligentem veritatis inquiſitionem ex amore veritatis ſuſceptam prudenter, & ſine præcipitatione ob fundamenta ſibi veriſimiliora iudicare, aliquem contractum eſſe licitum; & poſtea ſupervenire Doctores, qui nova detegentes fundamenta conveniant in impugnandâ illa doctrina ut falsâ. In hoc caſu illa opinio illius Doctoris fuit probabilis, & illi licuit ſecundùm illam operari; & tamen mihi non licebit ſecundùm illam operari, ſi fundamenta ſententiæ communis mihi appareant urgentiora. Ratio eſt, quia licet illa opinio ſit practicè probabilis in ſe, & prout eſt ſubjectivè in mente ſui Authoris: tamen non eſt practicè probabilis reſpectu mei. Ergo ut ego poſſim ſequi ſententiam minùs tutam, non ſufficit, quòd illa ſit in ſe practicè probabilis; ſed requiritur, ut ſit practicè probabilis reſpectu mei. At reſpectu mei practicè probabilis non eſt, ſi ejus fundamenta apparent mihi ſimpliciter minùs veriſimilia oppoſitis: quia hoc ipſo non poteſt ſententia illa approbari à me, ut vera, per aſſenſum certò prudentem. Imò non ſufficit, quòd illa mihi appareant æquè veriſimilia: nam ob fundamenta, quæ omnibus conſideratis, non ſunt mihi magis veriſimilia, quàm falſiſimilia, non poſſum ego iudicare iudicio opinativo prudenti, rem eſſe licitam; ſed omnibus inſpectis debeo manere anceps, & dubius, fluctuans inter duas partes contradictionis mihi æquè veriſimiles.

50. Nec Terillus debet ſupponere opinionem illam mihi minùs veriſimilem, manere reſpectu mei abſolutè certò probabilem practicè: quia hoc ipſo ſupponeret certum eſſe, quòd poſſit intellectus prudenter aſſentiri parti ſibi minùs veriſimili; quod eſt manifeſtè falſum. Quamvis enim aliqui affirment, poſſe intellectum prudenter aſſentiri parti ſibi minùs veriſimili, dummodò exceſſus veriſimilitudinis alterius partis non ſit manifeſtus, & evidens: communis tamen ſententia inter noſtros, & Thomiſtas hoc negat; ac proinde illud ad ſummum erit probabile, non tamen certum. Sôlùm ergo debet ſupponi eſſe in ſe abſolutè probabilem ex communi aliorum exiſtimatione, & mihi apparere minùs veriſimilem. Hinc infero, illam propoſitionem Terilli: *Unicuique licitum eſt ſequi opinionem quamcumque practicè probabilem*, diſtinguendam eſſe: Si ſupponatur eſſe ſubjectivè in mente operantis; concedo: Si ſupponatur eſſe ſolùm objectivè in mente ipſius, & ſubjectivè in mente aliorum; ſubdiſtinguo eam propoſitionem: ſi ejus fundamenta appareant veriſimiliora oppoſitis poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra omnem paſſionem, & culpam, concedo: aliter nego. Explico. Si ſupponatur Petrum, v. g. habere in mente ſua opinionem certò probabilem de eo, quòd aliquis contractus ſit licitus; ego verum cenſeo, licitum illi eſſe eam opinionem ſequi. Cæterùm non poteſt hoc ſupponi, quin ſupponatur ipſum feciſſe omnem diligentiam, quàm tenebatur

batur

Digitized by Google

batur adhibere ad inquirendam veritatem; & poſt hanc inquiſitionem apparuiſſe ipſi citra omnem paſſionem, & culpam clarè, & ſenſibiliter veriſimiliorem illam partem, quàm oppoſitam: in re enim controverſa nequit eſſe certò prudens iudicium de veritate unius partis, niſi concipiatur ob motiva clarè veriſimiliora oppoſitis. Si enim exceſſus ſit dubius, moraliter utraque pars apparet æquè veriſimilis, & non erit certò prudens judicium de veritate unius partis, potiùs, quàm alterius. Si omnes iſtæ conditiones concurrunt, judicium conceptum erit certò probabile, & ſi contingat eſſe falſum, erit error inculpabilis: & violatio legis facta ex hoc errore non imputabitur. Si aliqua ex illis conditionibus deſit, error erit culpabilis, & non excuſabit omnino à culpa actionem, quæ fit per illam contra legem.

Digitized by Google

DISSERTATIO SEPTIMA.

In qua diſquiritur, an liceat ſequi Opinionem Probabilem faventem libertati, in occurſu opinionis æquè probabilis ſtantis pro præcepto?

1. Quæſtio procedit, quando omnibus inſpectis, fundamenta utriuſque partis ęqualis ponderis ſunt apud eum, qui operatus eſt, ſive momenta rationis, ſive pondus authoritatis inſpicias. Affirmant à fortiori hac in quæſtione quotquot in Diſsertatione quarta arbitrantur, licitum eſse ſequi opinionem minùs probabilem, relictâ probabiliore, & tutiore.

§. I.

Statuitur pars negativa.

2. Quamvis ex ſententia affirmante in hac quæſtione non ſequantur abſurda illa, quæ probavimus deduci ex ſententia affirmante, licitum eſse ſequi opinionem minùs probabilem in occurſu probabilioris, & ſimul tutioris; tamen eam falſam eſse cenſeo, & negativam veram, & omnino tenendam. Et ut eam ſolidè probem, priùs oſtendam, intellectum illum, apud quem concurrunt fundamenta duarum opinionum oppoſitarum cum æquali vi, & pondere movendi, neutri eorum poſse aſsenſum præſtare, ſed neceſsariò manere ancipitem, & dubium, ſuſpendendo alterutrius partis firmum, & determinatum judicium. Poſtmodum inde deducam, ex hoc dubio ſpeculativo neceſsariò reſultare dubium practicum circa operationem hic, & nunc exercendam; ac proinde tutiorem partem eſse eligendam ab operante, ut à peccato ſit immunis.

§. II.

Oſtenditur authoritate, intellectum neceſſariò manere dubium in occurſu opinionum contrariarum æquè probabilium apud ipſum.

3. Apud *ipſum*, inquam, quia licet opiniones contrariæ communiter reputentur æquè probabiles; ſi tamen altera eorum appareat mihi veriſimilior, optimè potero ei aſsentire. Probatur primò noſtra hæc concluſio authoritate, & ratione Divi Thomæ, qui deſcribens ſtatum intellectûs dubitantis, ſic ait quæſt. 14. de Veritate art. 1. corp. *Quandoque intellectus noſter non inclinatur magis ad unum, quàm ad aliud, vel propter defectum moventium, ſicut in illis problematibus, de quibus rationes non habemus, vel propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem; & iſta eſt dubitantis diſpoſitio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis.*

4. Et idęo Sylveſter verbo *Dubium* ad mentem Angelici præceptoris rem hanc definiens, *Dubium*, inquit, *ſecundùm Philoſophum, & D. Thomam eſt contrariarum rationum æqualitas.* Idem ſentit Tabiena verbo *Dubitatio*, & Durandus in 3. diſt. 17. quæſt. 2. in fine. Id ipſum ex mente ejuſdem Doctoris docet S. Antoninus 1. part. Sum. tit. 3. cap. 10. §. 10. regula 6. *Ille* (inquit) *qui agit ſcienter id, de quo dubitat eſſe mortale, permanente dubitatione mortaliter peccat, etiamſi illud in ſe non eſſet peccatum mortale, ſumendo propriè, & ſtrictè dubitationem, prout rationes ſunt æquè ponderantes*

ad

Digitized by Google

ad utramque partem, nec magis declinat quis ad unam partem, quàm ad aliam.

5. Et P. Vazquez 1. 2. diſp. 62. num. 9. notat, tunc aliquem eſſe dubium inter utramque partem; & opinionem, quoties in neutra illarum cognoſcit ullo modo majorem convenientiam prædicati, & ſubjecti. Et P. Suarez tom. 5. in 3. part. diſput. 40. ſect. 5. num. 2. *Dubium* (inquit) *proprium eſt, quando poſt ſufficientem inquiſitionem intellectus anceps, & quaſi ſuſpenſus manet.* Item P. Thomas Sanchez lib. 1. ſum. cap. 10. num. 3. ubi ait, intellectum practicè dubitare, quando rationibus utrimque repræſentatis, eſt pendulus, nec judicat, an ſit licitum, necne. Præterea Corduba lib. 2. quæſt. 3. & Adrianus Quodlib. 2. in 3. punct. dicunt, tunc aliquem manere dubium, quando ſunt rationes æquè probabiles pro utraque parte.

6. Quòd autem hoc etiam docuerit Ariſtoteles, ut ajebat Sylveſter, conſtat ex 3. Metaph. cap. 1. ubi Philoſophus intellectum, dum anceps, & dubius eſt, comparat homini vinculis ligato, qui idcirco progredi non poteſt: *In quantum enim dubitat* (inquit) *in tantum ſimiliter ligatis eſt paſſus. Impoſſibile enim utriſque procedere ad quod eſt ante.* Quem textum ſic ibi Divus Thomas exponit; *Dubitatio autem de aliqua re hoc modo ſe habet ad mentem, ſicut vinculum corporale ad corpus, & eundem effectum demonſtrat. In quantum enim aliquis dubitat, in tantum patitur aliquid ſimile iis, qui ſunt ſtrictè ligati: ſicut enim ille, qui habet pedes ligatos, non poteſt in anteriora procedere ſecundùm viam corporalem, ita ille, qui dubitat, quaſi habens mentem ligatam, non poteſt ad anteriora procedere ſecundùm viam ſpeculationis.* Sicut ergo homo ligatus, non poteſt ad anteriora procedere, dum ligatus eſt, & niſi vincula diſſolvantur, fixus ibi manebit: ita intellectus noſter, qui ob æqualitatem motivorum hinc inde impellentium ligatus eſt, ne ad aſſenſum progrediatur, anceps hærebit illic, donec ſuperveniat aliqua nova ratio, vel motivum, quod ſuadeat veritatem, quam unicè intellectus quærit, in una parte contradictionis potiùs, quàm in alia reſidere. Iſtud enim motivum novum eſt, veluti ſpiritualis gladius vincula diſrumpens, & intellectum relinquens cum potentia proxima ad aſſentiendum illi parti; licet quia evidens non eſt, non trahat neceſſariò illum ad aſſentiendum; ſed opus ſit imperio voluntatis, quæ ubi adeſt ratio veriſimiliter ſuadens veritatem eſſe potiùs in hac parte contradictionis, quàm in oppoſita, poteſt imperio ſuo intellectum determinare ad aſsentiendum parti veriſimiliori.

7. Quod etiam tradidit Divus Thomas loco citato ex quæſt. 14. de Veritate; poſtquam enim dixerat, intellectum manere dubium, dum datur æqualitas rationum pro utraque parte contradictionis, & iſtam eſse dubitantis diſpoſitionem, qui fluctuat inter partes contradictionis, immediatè ſubjunxit: *Quandoq; intellectus inclinatur magis ad unum, quàm ad alterum,* (ſcilicet quia apparet ratio aliqua eam partem reddens veriſimiliorem) *ſed tamen illud inclinans non ſufficienter movet intellectum ad hoc, quòd determinet ipſum ad unam partium totaliter* (quia nempe non eſt motivum evidens, rapiens ad aſſenſum independenter ab imperio voluntatis) *unde accipit quidem unam partem* (puta accedente imperio voluntatis) *tamen ſemper dubitat de oppoſita; & hæc eſt diſpoſitio opinantis, qui accipit unam partem contradictionis cum formidine alterius.* Et hæc eſt communis ſententia Thomiſtarum, quam tenet Mercorus in Baſi Theologiæ Moralis part. 2. art. 3. Jacobus à S. Dominico in Compendiario Theologiæ Moralis Explicatione lib. 1. cap. 9. Vincentius Baronius, Joannes Baptiſta Gonet, Vincentius Contenſon, & alii. Probatur idipſum authoritate, & ratione Doctoris ſubtilis Scoti quæſt. 2. Prologi, ubi ita habet: *Multa in actibus humanis ſunt dubia, an ſint peccata mortalia, etiam ſuppoſitis omnibus doctrinis Expoſitorum; tamen non eſt dubia via ſalutis, quia à talibus, tamquam periculoſis habet homo ſibi cavere.* Ergo juxta Scotum, nemini licet ſequi ſententiam minùs tutam, quando ſententia tutior apparet ipſi

æquè

Digitized by Google

æquè veriſimilis; quia tunc dubium operanti eſt, an res ſit reipsâ prohibita.

8. Probatur denique hæc veritas authoritate juris civilis in leg. *Si ita fuerit legatum.* ff. *De rebus dubiis*, ubi hæc proponitur ſpecies: Sempronius reliquit legatum amico ſuo; reperiuntur poſteà duo amici Sempronii cum æquali amicitiæ jure: Quæritur, cuinam debeatur legatum. Reſponſum fuit, rem eſſe dubiam, & præ omnimoda ambiguitate legatum vitiari.

§. III.

Eadem veritas oſtenditur ratione.

9. NOn poſſe intellectum noſtrum aſſentire uni parti potiùs, quàm alteri, cùm utraque in actu primo apparet æquè veriſimilis, & rationes utrimque militantes equalem habent vim movendi, probatur; quia cùm intellectus noſter tendat ſub ratione veri, implicat, ut ſententiam ferat pro una parte contradictionis, affirmando, illam potiùs eſſe veram, quàm oppoſitam, quin appareat aliqua ratio preponderans pro illa parte. Si enim rationes ſunt omnino æquales in vi movendi, idque intellectus experimentaliter cognoſcit, poteſt ſupra illa motiva reflectens ſic enunciare: *Æquè veriſimilis mihi videtur una pars, ac alia.* Hoc poſito, ne accedēte quidem imperio voluntatis, valet aſſentiri uni potiùs, quàm alteri; quia intellectus aſſentiens uni parti contradictionis, ſicut judicat illam eſse veram, ita judicat oppoſitam eſſe falſam., & ſicut judicat motivum illius partis eſſe verax, ita judicat motivum oppoſitæ partis eſſe fallax, & ideo illud præfert iſti. Implicat autem, ut intellectus ſimul judicet motivum A. eſſe æquè veriſimile ac motivum B. & nihilominus motivum A. eſſe fallax, & motivum B. eſse verax.

10. Confirmatur: quia voluntas non poteſt in intellectum exercere hoc imperium: *Quamvis nulla ratio tibi ſuppetat ad affirmandum, hunc contractum eſſe uſurarium, potiùs quàm ad negandum eſſe uſurarium, nihilominus volo, ut affirmes potiùs, quàm neges.* Sicut enim ubi apparet objectum eſse falſum, nequit imperare, ut judicet eſse verum, quia hoc imperium eſt contra rationem intellectûs, non potentis aſsentire objecto, niſi ſub ratione veri, ſeu quia apparet verum: ſimiliter ubi non magis apparet eſse verum, quàm falſum, non poteſt imperare, ut judicet potiùs eſse verum, quàm falſum. Et ratio eſt; quia intellectus naturaliter refugit deceptionem, & errorem, & amat veritatem, & in eam tamquam in centrum naturali quaſi impetu fertur. Quare ubi tantum habet fundamentum ad cenſendum eſse aliquid falſum, quàm ad cenſendum eſse verum, non poteſt determinatè judicare objectū illud eſse verum, ne decipiatur.

11. Dices: pro unaquaque parte adeſse motivum ſufficiens; & quamvis ante imperium voluntatis ſit intellectus anceps, & in æquilibrio propter æqualitatem moventium, tamen accedente imperio poſse erumpere in aſsenſum unius partis determinatè; quia motivum de ſe ſufficiens ad conciliandum aſſenſum, non amittit vim motivam ex eo, quòd concurrat cum motivo ad oppoſitum. Ac proinde cùm vi motivi ſuadentis contractum aliquem eſse licitum, ſufficienter appareat ejus honeſtas, poteſt voluntas imperare intellectui, ut vi illius judicet, licitum eſse illum contractum, non obſtante motivo equali oppoſito, vi cujus ſufficienter apparet turpitudo talis contractûs.

12. Reſpondeo: vim unius motivi elidi, & omnino impediri per vim æqualem motivi oppoſiti, ſeu ad oppoſitum; ſicut pondus unius libræ de ſe ſufficiens ad deprimendum dexterum bilancis brachium, impeditur ratione ponderis æqualis impellentis ad oppoſitum; & ita manet bilanx in æquilibrio. Quantùm enim motivum unius partis inclinat ad aſsentiendum, tantùm retrahit ab aſsenſu motivum oppoſitum. Unde motivum illud non dicitur ſufficiens ad conciliandum aſsenſum per ordinem ad quemcumque rerum occurſum, ſed ſolùm eſt ſufficiens ſub conditione, quòd non concurrat cum motivo æqualiter, vel fortiùs trahente ad oppoſitum. Et quamvis non amittat vim intrin-

trinſecam movendi ex eo, quòd concurrat cum motivo oppoſito, non ſequitur, quòd tunc poſſit exprimere aſſenſum, ſeu perſuadere; nimirum quia ex ſe numquam habuit vim ad exprimendum aſſenſum ſub tali circumſtantia. Quod clarè cernitur; nam ex eo, quòd concurrat motivum de ſe ſufficiens ad conciliandum aſſenſum cum cognitione evidenti de falſitate obiecti, non propterea amittit vim intrinſecam movendi ad aſſenſum illius obiecti, & tamen tunc non poteſt movere ad aſſenſum; cum implicet intellectum aſſentire alicui obiecto, cujus falſitas evidenter innoteſcit. Sicut ergo adverſarii neceſſariò fateri debent, motiva opinionis probabilis ſolùm habere vim conciliandi aſſenſum reſpectu intellectûs non cognoſcentis manifeſtè eius falſitatem; ita dicimus non habere vim conciliandi aſſenſum niſi reſpectu intellectûs non habentis æquale, vel maius fundamentum ad oppoſitum. Dum enim habet æquale fundamentum ad oppoſitum, obiectum illud non magis apparet ipſi verum, quàm falſum; ſed vi unius motivi apparet verum, & vi alterius apparet falſum. Unde tunc non poteſt ferri per aſſenſum in ipſum: quia quantùm veritas apparens invitat, tantùm retrahit falſitas apparens. Et cùm non minùs refugiat falſum, quàm amet verum, nequit in illo occurſu coniungi per aſſenſum cum obiecto; ne conjungatur cum falſitate, dum quærit veritatem: nec voluntas poteſt ipſum cogere, ut uniatur cum obiecto per aſſenſum, quando non maior affulget ſpes inveniendi veritatem, quàm falſitatem.

13. Quod alio explicatur exemplo. Quamvis homo vires habeat ſufficientes ad trahendum pondus aliquod poſt ſe versùs orientem; ſi tamen ſimul alius homo æqualium virium, pondus illud dimovere conetur versùs occidentem, & uterque æqualem impulſum imprimat; non poterunt unius vires pondus illud dimovere è loco; quia per impetum contrarium retunduntur. Sic ergo in noſtro eventu, quamvis motivum unum alliciat ex ſe intellectum ad unam partem contradictionis; ſi tamen alterum æquali vi impellat ad oppoſitam, immotus manere debet, & ligatus. Et implicat, ut rationes illæ, quæ ipſum ligant, & ſuſpenſum tenent, eundem exſolvant, quin eis aliquid ſuperaddatur. Qui enim dubius eſt, an aliquid ſit licitum, propter rationes dubitandi æquè moventes in unam, ac in alteram partem, ſolvere hoc dubium non poteſt præciſè per rationes, quæ ipſum dubitare faciebant, & tamdiu debet manere dubius, quamdiu non occurrit aliqua nova ratio, vel motivum movens magis ad unam partem, quàm ad aliam, & prævalens adversùs aliam. Nec dubium rationale ſolvi poteſt, niſi per rationem; quia ſicut rationes ligant intellectum, ita ratio illum exolvere debet. Et quamvis affectus, & inclinatio voluntatis ad unam partem contradictionis potiùs quàm ad aliam multùm deſerviat, ut illa pars repræſentetur ut veriſimilior, quia applicat intellectum ad quærendas rationes pro illa parte, & removet à parte contraria: tamen ubi utraque pars repræſentatur ut æquè veriſimilis, non poteſt ex hac ſuppoſitione voluntas determinare intellectum ad amplectendam unam præ aliâ per aſſenſum: quia cùm ille tendat ſub ratione veri, id eſt aſſentiat obiecto, quia apparet verum, non poteſt aſſentire, ubi obiectum non magis apparet verum quàm falſum, ut contingit in caſu propoſito. Id quotidiana experientia teſtatur. Dum enim Magiſtri expendentes momenta ſententiarum, ut inter illas eligant, experiuntur æqualem efficaciam in fundamentis oppoſitis, nullam illarum præferunt alteri, donec nova lux ſuperveniat, quâ unius partis fundamenta appareant eis debiliora, & faciliùs ſolubilia. Et numquam quis amplectitur intellectu, & defendit unam ſententiam præ alia, niſi quia eius fundamenta ipſi apparent magis veriſimilia, & videntur urgentiora.

14. Confirmatur. Implicat ut quis oculis luſtrans aliquem colorem verè, & ſeriò pronunciet. *Hic color non magis eſt ſimilis albo, quàm nigro*; & nihilominus in eodem inſtanti affirmet; *Hic color albus eſt, non niger*. Ergo etiam repugnat; ut quis ſeriò enunciet: *Hæc opinio non*

magis eſt ſimilis vero, quàm falſo: ſeu; *Hæc opinio non magis mihi proponitur ut vera, quàm ut falſa*: & nihilominus in eodem inſtanti pro poſteriori ſeriò enunciet: *Hæc opinio vera eſt, non falſa*. Quod ſanè contingere poteſt, ſi ſtantibus motivis omnino æqualibus ex parte intellectûs pro utrâque parte contradictionis, poſſet ex imperio voluntatis aſſentire alicui determinatè.

§. IV.

Redditur diſparitas inter intellectum, & voluntatem.

15. ADverſarii maximè fidunt paritati voluntatis, quæ poteſt eligere inter duo obiecta oppoſita omnino æqualia in vi movendi, & amplecti in actu ſecundo unum potiùs quàm aliud, licet ex parte actûs primi non ſit inęqualitas in vi movendi: quamvis enim unum obiectum non moveat ipſam magis quàm oppoſitum; ipſa tamen pro ſua libertate ſe poteſt flectere ad unum obiectum præ alio: quia in utroque datur ſufficiens motivum: ergo pariter poteſt flectere intellectum ad unam partem contradictionis præ alia; quamvis motivum unius ex parte actûs primi non præponderet alteri; quia utrumque eſt ſufficiens. Confirmatur: ſicut voluntas ſe habet ad bonum, ita intellectus ſe habet ad verum: ſed voluntas poteſt eligere inter bona æqualia oppoſita: ergo & intellectus inter probabilia æqualia oppoſita.

16. Reſpondeo tamen, maximam eſſe inter utrumque diſparitatem. Nam voluntas invenit ſuam rationem formalem in utroque extremo, nempe bonitatem, ſub cuius ratione tendit, & quam in omni actu ſuo quærit. Etſi enim bona ſint inter ſe oppoſita, quia unum eſt bonum honeſtum, & alterum eſt bonum delectabile; in utroque tamen invenit ſuam rationem formalem. Obiectum enim formale illius eſt bonum abſtrahens ab honeſto, delectabili, & utili; & tria hæc bonorum genera ſub ſe complectens: unde poteſt pro libitu ſuo amplecti bonum honeſtum, illudque præferre bono delectabili, quamvis hoc in actu primo non minùs illam pelliciat ad ſui amorem, quàm bonum honeſtum; vel contra, præferre delectabili honeſto. At intellectus non invenit ſuam rationem formalem in utroque extremo contradictionis; ſed potiùs evidenter cognoſcit illam reperiri in altero dumtaxat; quia evidenter cognoſcit ex duabus contradictoriis alteram eſſe falſam, ſi altera ſit vera: unde dum non adeſt fundamentum aliquod ad cenſendum veritatem eſſe potiùs in parte affirmativa, quàm in negativa, non poteſt amplecti per aſſenſum partem affirmativam, potiùs quàm negativam. Quia ergo veritas nequit reperiri in utroque extremo contradictionis, & bonitas in utroque extremo reperitur (nam unum extremum eſſe verum, idem eſt, ac alterum eſſe falſum; & unum extremum eſſe bonum, non eſt idem, ac alterum eſſe malum malitiâ oppoſitâ bonitati, quam voluntas reſpicit ut rationem formalem) ideo voluntas poteſt eligere inter duo bona oppoſita omnino æqualia in vi movendi; non poteſt tamen intellectus eligere inter duo obiecta omnino oppoſita, ſi ſint æqualia in vi movendi.

17. Paritas ergo voluntatis ſolùm concludit, quòd, ſi proponantur intellectui duo obiecta diſparata, quæ ſimul poſſunt eſſe vera, itaut unum eſſe verum, evidenter non arguat, alterum eſſe falſum; poterit intellectus ex imperio voluntatis aſſentiri huic vel illi; quia tunc eligeret inter duo vera, ſicut voluntas inter duo bona. Rurſus ſi duo obiecta inter ſe oppoſita ita offerrentur voluntati, ut unum eſſe bonum aliquo genere bonitatis, evidenter argueret alterum eſſe deſtitutum omni genere bonitatis; ac proinde eſſe malum ſimpliciter malitiâ excludente bonitatem honeſtam, delectabilem, & utilem; tunc ſi obiecta illa proponerentur voluntati cum æquali vi, deberet manere ſuſpenſa: quia cognoſceret evidenter, bonitatem, quam reſpicit ut rationem formalem, reperiri in uno dumtaxat extremo, & in altero reperiri malitiam, quam refugit; & cùm ignoraret in quonam determinatè exi-

ſtat

Digitized by Google

ſtat bonitas, & in quo determinatè exiſtat malitia, deberet ab utroque abſtinere, neutrum eligendo, donec appareret veriſimiliter, bonitatem eſſe in tali extremo determinatè, & in altero determinatè malitiam.

18. Vides ergo palmarem differentiam inter voluntatem tendentem ſub ratione boni, & impotentem amare aliquod objectum, niſi quia apparet bonum aliquo genere bonitatis; & intellectum tendentem ſub ratione veri, atque ideo impotentem aſſentire alicui objecto, niſi quia apparet verum. Nam quando duæ opiniones contrariæ proponuntur intellectui cum æquali veriſimilitudine, tunc opinio affirmans non magis proponitur ut vera, quàm ut falſa; nec item opinio negans. Vnde neutri poteſt aſsētiri. At ubi duo oppoſita proponuntur voluntati cum æquali vi movendi, quodlibet proponitur ut determinatè bonum aliquo genere bonitatis; ac ideo ut capax terminandi amorem.

19. Hinc ad confirmationem conceſſis præmiſſis, neganda eſt conſequentia: ex eo enim, quòd intellectus ſe habeat ad verum, ſicut voluntas ſe habet ad bonum, & voluntas poſſit eligere inter bona oppoſita æqualia, inferendum erat, poſse quoque intellectum eligere inter duo vera oppoſita æqualia: non infertur autem, poſse eligere inter probabilia oppoſita; quia illi termini non ſunt appoſiti in præmiſſis. Si autem in concluſione inferas: ergo poterit quoque intellectus eligere inter duo vera oppoſita ſimilia; negandum eſt ſuppoſitum conſequentis: nam verum non opponitur vero, ſicut bonum opponitur bono, nempe bonum honeſtum bono delectabili. Paritas ergo inter utramque potentiam ſolùm conſiſtit in eo, quòd ſicut voluntas non poteſt amare, niſi objectum, quod proponitur ipſi ut bonum; ita intellectus nequit aſsentire niſi objecto, quod ipſi proponitur ut verum. Hinc autem potiùs infertur, quòd, ubi proponuntur duo probabilia oppoſita cum æquali apparentia veritatis, neutri poſſit aſsentire; quia neutrum apparet potiùs verum, quàm falſum.

§. V.

Evertitur fundamentum quorumdam Authorum aſſerentium, in quæſtione Facti motiva æqualia pro utraque parte, relinquere rem dubiam, non tamen in quæſtione Juris.

21. PAter Joannes de Cardenas tom. 1. ſuæ Criſis Theologicæ diſput. 6. cap. 6. art. 1. latè, & efficaciter probat in quæſtione de facto, in qua nimirum inquiritur de exiſtentia alicujus facti, ſi adſint motiva æqualia pro utraque parte, quæſtionem manere omnino dubiam, & Judicem non poſse judicium ferre de exiſtentia facti, ut ſic ſententiam ferat. Nam dum habet pro utraque parte affirmativa, & negativa delicti æquale pondus authoritatis teſtium, dubius omnino hæret, nec poteſt ſine temeritate alteri parti aſſentiri.

22. Probat autem ex variis juribus cauſam manere ſub dubio, ubi hinc inde probationes ſunt omnino æquales in numero, & qualitate teſtium. Nobis ſufficiat textus in cap. *Ex literis*, de Probationibus, ibi: *Quòd ſi ambarum partium teſtes ſunt æquè idonei, poſſeſſoris teſtes præferentur; cùm promptiora ſint jura ad abſolvendum, quàm ad condemnandum.* Vbi Gloſsa: *Quod hic dicitur, & in ſimilibus, locum habet in dubiis, & obſcuris.* Patet ergo rem eſſe dubiam, ubi teſtes Facti ſunt æqualis authoritatis. Et ideo Curtius Senenſis conſ. 24. & Bartolus in leg. 1. ff. *Uti poſſid.* apud Tuſcum, conc. 798. ajunt: Quando probationes ſunt pares, favetur reo, quia in dubio pro reo pronunciandum. Faciunt ergo probationes pares dubium ex Juriſconſultorum conſenſu. Vnde idem Tuſcus litt. P. concluſ. 766. num. 33. tamquam principium juris ponit, quòd probatio dicitur dubia, quando ſunt teſtes contrarii pro actore, & reo æquales numero, & qualitate. Et ut ait Gloſsa in 2. Decret. cap. *Licet cauſam*, ubi nullus oſtendit titulum, vel uterque, & probatione ſunt omnino æquales, nec apparet

quis ad judicium provocatur, ſorte dirimatur. Manifeſtum ergo eſt, ex utroque jure pares omnino probationes rem relinquere dubiam in quæſtione facti.

23. Hinc arguo, probationes omnino æquales pro utraque parte in quæſtione juris, rem etiam relinquere dubiam; quia ſicut unius teſtis affirmantis exiſtentiam facti, authoritas impeditur, ne in Judice inducat fidem, & aſſenſum delicti, per depoſitionem alterius teſtis paris omnino authoritatis, negantis exiſtentiam talis delicti: ita in quæſtione juris, in qua diſputatur, an res ſit licita, vel illicita, vel an jus majoratûs attineat ad Petrum, an ad ejus contrarium, authoritas, & ratio quatuor Doctorum affirmantium impeditur per authoritatem, & rationem omnino parem quatuor Doctorum negantium, ne aſſenſum perſuadeat Judici pro una parte. Quod enim præſtat authoritas teſtium, ut Judex credat delictum eſſe patratum in quæſtione facti, præſtant authoritas, & rationes Doctorum in quæſtione juris, ut operans credat rem ſibi licere, & Judex determinet, ad quem litigantium res pertineat, v. g. majoratus. Quia ſicut Judex in quæſtione facti movetur ab authoritate teſtium ad credendum, delictum eſſe commiſſum; ita movetur ab authoritate, & fundamentis Doctorum, ad credendum, jus majoratûs attinere ad hanc partem potiùs, quàm ad illam: & operans movetur ab authoritate, & rationibus Doctorum ad judicandum, talem, vel talem contractum eſſe licitum. Ergo par omnino ratio eſt in utraque quæſtione, & utrobique æqualitas fundamentorum rem omnino dubiam relinquit.

24. Reſpondet hic Author ibi art. 2. num 99. in quæſtione facti, in qua concluſio probatur ab experientia, non teneri ſe majorem diſparitatem dare, quàm ipſam experientiam. *Cùm ergo experiamur* (inquit) *in quæſtione de facto hærere dubium intellectum, quoties pro utraque parte videt fundamenta æquè probabilia, idque non experiamur in quæſtione juris, in qua intellectus plerumque uni parti aſſentitur, quamvis rationes ſibi proponantur utrimque probabiles; inde ſufficiens deſumo diſparitatis argumentum.*

25. Sed quis non videat hujus reſponſionis inſufficientiam? Nullam hic Author dat diſparitatem; quia dabilis non eſt inter has duas quæſtiones juris, & facti. Nec ego video, quid referat quæſtionem eſſe de jure, vel de facto, ad hoc, ut æqualitas probationum dubium inducat in una, & non in alia. Ponamus, ruſticum ſcire cupientem, an aliquis contractus ſit uſurarius, interrogare duos Theologos paris omnino æſtimationis, & authoritatis apud ipſum, & unum ei reſpondere, illum contractum eſſe uſurarium, & peccaminoſum; alterum verò, eſſe omnino licitum. Sanè audito utriuſque reſponſo, ille ruſticus manebit omnino dubius; non minùs, quàm Judex, qui deſiderans certam notitiam acquirere de exiſtentia alicujus homicidii, interrogat duos teſtes paris omnino authoritatis, quorum alter jurat, ſe heri horâ duodecimâ vidiſſe Petrum committentem illud homicidium; alter verò iurat, ſe heri horâ duodecimâ vidiſſe Petrum in loco valdè diſtanti à loco homicidii. Et tamen prima quæſtio eſt de iure, ſecunda eſt de facto. Ergo nulla diſparitas datur inter unam, & aliam quæſtionem. Nec negabile eſt, ruſticum manſurum dubium in prima quæſtione, non minùs, quàm Judicem in ſecunda.

26. Nec recurſus ille ad experientiam quidquam probat. Dubium in quæſtione de facto ad oculum cernitur, quoties probationes ſunt omnino æquales; quia ibi tota probatio deſumitur ab authoritate teſtium, quæ nota eſt, & ſub experientiam cadens. Dubium verò in quæſtione juris etiam manifeſta experientia teſtatur. Nam quoties Magiſtri in ſcholis inter ſententias oppoſitas eligunt, experiuntur, ſe tamdiu manere ancipites, & dubios inter illas, quoties earum fundamenta apparent eis æquè veriſimilia, & numquam uni præ alia aſſenſum præſtant, niſi quia eius fundamenta eis apparent urgentiora, & dete-

detegunt debilitatem fundamentorum oppoſitæ ſententiæ, eiſque reſpondere nôrunt: quamdiu enim pro utraque parte occurrunt argumenta, quibus reſpondere neſciunt, tamdiu manent dubii, & fluctuat eorum intellectus huc illuc, donec inveniat rationem ad diſſolvenda alterius partis fundamenta. Id etiam quotidie experiuntur Judices, dum audiunt Advocatos proponentes ſuorum clientum iura: ſi enim eorum fundamenta æquè veriſimilia appareant, remittitur lis, ut in ſuperiori Senatorum tribunali decidatur, vel novi adiunguntur Senatores, ut penitus res inſpiciatur.

27. Et hanc ipſam experientiam fateri debet hic Author: ſiquidem eâ diſp. 6. num. 59. ita de ſeipſo loquitur: *Legi olim argumenta, quibus Ludovicus Legionenſis vir doctiſſimus probat, Chriſtum cœnam celebrâſſe in prima veſpera lunæ decimæ quartæ, & putabam ea rem concludere: ideo aſſentiebar ejus doctrinæ. Legi deinde argumenta, quibus P. Vazquez tom. 3. in 3. part. diſput. 172. cap. 3. probat, Chriſtum celebraſſe non in prima, ſed in ſecunda veſpera decimæ quartæ lunæ, & depoſui aſſenſum pro prima veſpera; nec potui tam citò pervenire ad aſſenſum pro ſecunda veſpera; ſed inter graviſſima utriuſque egregii commilitonis argumenta dubius hæſi. Quod, exiſtimo, accidit multis viris doctis.* Hæc ille. Ex quibus deducitur, ſicut in quæſtione facti æqualitas teſtium facit Judicem dubitare; ita in quacumque alia queſtione argumenta utriuſque partis, ſi appareant æquè valida, neceſsariò relinquere intellectum dubium, nullamque eſſe ſolidam diſparitatem inter quæſtionem iuris, & quæſtionem facti: in nulla enim ex eis intellectus aſſentitur uni parti potiùs, quàm alteri, qui in illa proponatur ei ut veriſimilior.

28. Sed iterum ad experientiam nos provocat hic Author diſp. 15. num. 288. *Videmus enim* (inquit) *Theologos omnes libratis utriuſque partis contradictoriæ rationibus in materia morali topica, adhærere uni parti ob rationes iſtius, non obſtantibus rationibus oppoſitæ. Inde clarè inferimus, rationes utriuſque partis inter ſe libratas, non producere neceſſariò dubium, quandoquidem Theologi non dubitant, ſed unam partem reſolvunt. Quod è contrario videmus accidere in Judice in quæſtione facti, qui neceſſariò hæret dubius propter teſtimonium paris, aut ſupparis authoritatis.* Verùm hæc experientia nihili eſt: nam quamvis Theologi libratis utriuſque ſententiæ fundamentis, unam partem determinatè ſequantur, id ideo accidit, quia fundamenta unius partis apparent ipſis veriſimiliora, & ſolidiora, quàm fundamenta oppoſitę partis: & nullus eſt, cui ſua opinio non appareat veriſimilior, quàm oppoſita. Nec ulla eſt experientia, quâ conſtet aliquem Doctorem amplecti unam ſententiam ut veram, & alteram reſpuere ut falſam, quamvis utraque ipſi apparuerit æquè veriſimilis. Sed omnino eſt experientia contraria: multi enim initio dubitant, quia fundamenta utriuſque partis eis apparent æqualia; & poſteà unam partem præferunt alii, quia re profundiùs diſcuſsâ, fundamenta oppoſitæ partis eis videntur minùs urgentia. In quæſtione facti, ubi pares ſunt teſtium probationes, & ſolùm attenditur authoritas dicentium, non poteſt omnimoda æqualitas negari, quia ipſis quaſi oculis cernitur: & propterea ſemper ibi reſultat dubium, quia qualis communiter apud illos apparet authoritas teſtiùm, talis proponitur Judici. At in aliis quæſtionibus, ubi varia expenduntur fundamenta rationum, quamvis ſententiæ communiter reputentur æqualis probabilitatis, non propterea relinquunt ſemper intellectum dubium, quia apud operantem ſæpe apparent ut inæqualia, quæ communiter reputantur æqualia; ſicut ſæpe fundamenta ſententiæ reipsâ minùs probabilis apparent aliquibus veriſimiliora, quàm fundamenta ſententiæ oppoſitæ maiore probabilitate gaudentis: & ſic ſententia reipsâ minùs probabilis, eſt reſpectu operantis probabilior. Nec ex eo, quòd ſecundùm illam operetur, ſequitur, quòd adhæreat ſententiæ minùs probabili in occurſu probabilioris: quia oppoſita non eſt apud

ipſum

ipſum probabilior, ſed minùs probabilis. Si verò ponantur ſententiæ æquè probabiles apud ipſum operantem, impoſſibile eſt, ipſum non manere dubium: ſicut manet dubius Judex in quæſtione facti, quia probationes, quæ communiter reputantur æquales, apud ipſum etiam æquales ſunt.

§. VI.

Impugnatur peculiare placitum Patris Martini de Eſparza, aſſerentis, motiva æqualia cauſare dubium, ſi ſint ſimilia; ſecus ſi ſint diſſimilia.

29. SI Probabiliſtæ ſuam ſententiam defenderent cum iis limitationibus, quas hic Author maturo judicio adhibet, ad eum ſtatum numquam Theologia Moralis pervenisset, in quem immoderata aliquorum Probabiliſtarum laxitas eam traxit. Multa quippe docet in ſua Appendice ad quæſtionem de Uſu licito Opinionis Probabilis, in quibus longè diſcedit à communiori via recentium Probabiliſtarum, & non parum noſtræ ſententiæ accedit. Primò igitur referam principia illa, in quibus nobiſcum ſentit, ut deveniam ad impugnationem eius partis, in qua à nobis diſcedit, & Probabilioriſtas inſectatur. Primò igitur ſupponit art. 112. nemini licere ſequi opinionem probabilem faventem libertati in occurſu probabilioris ſtantis pro præcepto, quando exceſſus iſte probabilitatis eſt manifeſtus, & evidens; quia hoc ipſo opinio illa benigna non eſt probabilis apud eum, cui oppoſita repræſentatur ut manifeſtè probabilior.

30. Rurſus art. 123. affirmat, probationes, & argumenta partium invicem adverſantium elidere ſe invicem, ſi ſint omnino ſimilia, & æqualia inter ſe. Et conſequenter art. 129. ait, quando intellectus prævenitur motivis omnino ſimilibus, & æqualibus, impoſſibile omnino eſſe, ut opinetur in alterutram partem, utque vel aſſentiat, vel diſſentiat; ac proinde motiva talia conſtituere intellectum in eodem indeterminabilis ſuſpenſionis ſtatu, in quo foret, ſi nullum prorſus in alterutram partem appareret motivum. Redditque rationem, quia quoties intellectus vi alicuius motivi aſſentitur alicui parti contradictionis, præfert motivum aſſentiendi motivo diſſentiendi, ac proinde motivum aſſentiendi ſecundùm aliquam rationem motivam, excedit motivum diſſentiendi; quod tamen apparet impoſſibile, ubi motiva ſunt prorſus ſimilia, & æqualia. Nam in omnino ſimilibus (inquit) & æqualibus omnia ſunt idem præter individuationem, quæ nullâ prorſus vi movendi prædita eſt præcisè ratione ſui; cùm nulla prorſus ſit perfectio formaliter ratione ſui, ſed ſolùm pura limitatio, & coarctatio perfectionis ſpecificæ; atque vis movendi intellectum ſit perfectio aliqua, utpote activa eatenus aliquomodo.

31. Tertiò artic. 140. probat, neminem poſſe uti aliquâ opinione, ſi ei non poſſit aſſentiri, eamque tamquam veram amplecti; ac proinde libertatem opinandi circa partem minùs probabilem eſſe omnino neceſſariam pro uſu licito opinionis minùs probabilis. Deinde art. 142. & 143. efficaciter impugnat Caramuelem, & alios Reflexiſtas, qui dicunt, eum, qui opinatur aliquam operationem eſſe peccaminoſam, quam alii graves, & laudati Authores cenſent non eſſe peccaminoſam, poſſe conſiderare, dum accedit ad operandum, probabile eſſe ſaltem ab extrinſeco propter authoritatem eorum Doctorum, talem operationem poſſe executioni mandare abſque ullo peccato, ac proinde acturum ſe eſſe prudenter, ſi eam opinionem exequatur. Impugnat, inquam, oſtendendo, opinionem reflexam nihil conferre ad cohoneſtandam actionem, niſi variet opinionem directam.

32. Denique artic. 150. impugnat, plures Probabiliſtas, qui per diſtinctionem cognitionis ſpeculativæ, & practicæ univerſalis, & particularis, ſeu ut alii loquuntur, ſpeculativè practicæ, & practicè practicæ, explicare conantur, eum, qui opinatur aliquem contractum eſſe

pec-

Digitized by Google

peccaminoſum in abſtracto, ſeu ſub terminis univerſalibus, vel de hoc dubius eſt, poſſe nihilominus concipere dictamen practicum, quo iudicet, licitum eſſe ſibi hic, & nunc eo contractu uti: rectèque probat, non poſſe dictamen practicum diſcordare ab ſpeculativo.

33. In iis omnibus longè diſtat à communiori ſententia inter Probabiliſtas, quos defendendos ſuſcipit; & valdè appropinquat principiis Antiprobabiliſtarum, quos aggreditur. Et hæc omnia principia mihi veriſſima ſunt. Nunc deveniamus ad punctum, in quo mihi impugnandus eſt ſapientiſſimus iſte Author, & meus olim Salmanticæ in Theologia præceptor.

34. Igitur hic Author art. 123. affirmat, quando probationes, & argumenta ſunt invicem diſſimilia, & diverſæ rationis, atque exceſſus unius partis ſupra aliam non eſt manifeſtus, poſſe intellectum ex imperio voluntatis aſſentiri utrilibet ex duabus contradictoriis, illamque tutò ſequi; quod non poſſit, ubi motiva utriuſque partis ſunt omnino ſimilia, & æqualia. Quod explicat artic. 129. quia quando motiva ſunt diſſimilia ſeu diverſæ hinc, & inde ſpeciei, & exceſſus ſimpliciter alterutrius ſupra alterum eſt immanifeſtus, ac anceps; *Ex eo apparet*, ait, *neutrum elidi totaliter, & omnimodè ab altero; quia videlicet utrumlibet ex hujuſmodi motivis præcellit alteri quoad perfectionem differentialem, ac propriam ſuæ ſpeciei, & ſimul ſuperatur ab eodem altero quoad perfectionem differentialem ac propriam ipſius alterius. Quodlibet enim habens in ſe aliquid perfectionis, quod deeſt in altero, eatenùs excellit, & hoc alterum eademtenus excellitur. Cùm ergo utrumlibet ex motivis ſpecie diverſis habeat in ſe perfectionem ſuam ſpecialem, qua caret motivum oppoſitum, conſtat utrumlibet eorum præcellere alteri ſecundùm aliquid, & viciſſim ſuperari ab eodem altero ſecundùm aliquid. Utrumlibet igitur ex motivis invicem oppoſitis, & diſſidentibus inter ſe ſpecie, elidit alterum, & eliditur viciſſim ab altero ſecundùm quid; & quando neutrius exceſſus ſimpliciter, & abſolutè ſupra alterum eſt manifeſtus, ac evidens; atque omnino certus, neutrum elidit alterum, aut eliditur ab altero ſimpliciter ac totaliter; ſicut accidit in motivis omnino ſimilibus, ſimulque omnino æqualibus.* Hæc ille ibi. Unde colligit motiva illa invicem diſſimilia, & inæqualia ſine manifeſto exceſſu unius ſupra alterum, eſſe magna, & ita ſe habere, ut opiniones contrariæ illis ſubnixæ ſint probabiles non ſolùm abſolutè & ſeorſim ſumptæ, ſed comparativè, & dum ſimul concurrunt: quia quælibet earum nititur fundamento abſolutè, & comparativè magno; quia cùm unum non elidatur ſimpliciter ab altero, manet magnum reſpectu alterius. Hinc poterit intellectus ex imperio voluntatis opinari de quacumque parte contradictionis; quia quælibet eſt probabilis non ſolùm abſolutè, ſed etiam comparativè, & in occurſu alterius. Probatque concluſionem art. 114. quia voluntas poteſt ſeipſam immediatè determinare per ſuam liberam electionem ad utrumlibet ex motivis invicem oppoſitis, & inter ſe inæqualibus; dummodò utrumvis excedat aliud ſecundùm quid. Ergo eadem voluntas poterit mediatè determinare intellectum per ſuum imperium ad utrumlibet ex motivis oppoſitis ſimiliter, & inæqualibus. Ita Eſparza: qui & latè explicat eam paritatem.

35. Sed contra hanc doctrinam inſurgo primò; quia ſecundùm D. Thomam quæſt. 14. de verit. art. 1. in intellectu noſtro datur propriè dubium, quando concurrunt motiva æqualia, ut ſupra vidimus, & hic author admittit, art. 133. Et hoc non procedit dumtaxat, quando motiva ſunt omnino ſimilia, & paria. Nam numquam contingit fundamenta ad probandas concluſiones contradictoriè oppoſitas eſſe ejuſdem ſpeciei, niſi ad ſummum quando tota probatio ſumitur ab authoritate, ut contingit in quæſtionibus facti, ubi adſunt teſtes æqualis authoritatis, & numeri pro utraque parte; ibi enim probationes videntur omnino ſimiles, & æquales. At dum probatio ſumitur à ratione, fieri nequit, ut fundamenta pro-

Digitized by Google

probantia concluſiones oppoſitas, ſint ejuſdem ſpeciei: quomodo enim ratio omnino ſimilis rationi ſuadenti aſſenſum, poterit ad diſſenſum movere? Divus autem Thomas præcipuè loquitur, quando occurrunt fundamenta æqualia rationis pro utraque parte. Cùm ergo authoritate, & ratione probatum fuerit, intellectum poſſe, & ſolere manere dubium non ſolùm in quæſtione facti, ubi motiva utriuſque partis ſunt ſimilia, & æqualia; ſed etiam in quæſtione juris, quæ rationibus comprobatur; conſtat falſum, & contrarium Divo Thomæ eſſe, quòd hic Author contendit, dumtaxat contingere dubitationem intellectui, quando pulſatur motivis omnino ſimilibus, & æqualibus in utramque contradictionis partem.

36. Inſurgo ſecundò; quia etiam in quæſtione facti motiva ad utramque contradictionis partem æqualia, non ſunt omnino ſimilia, & ejuſdem ſpeciei: nam quando Judex manet omnino dubius, quia ſi duo Teſtes exiſtentiam facti affirmant, duo omnino ſimiles quoad authoritatem negant: tunc quamvis Teſtes ſunt omnino ſimiles; non tamen eſt omnino ſimile motivum aſsentiendi motivo diſsentiendi: nam motivum diſsentiendi non eſt ſola authoritas Teſtium, ſed authoritas conjuncta cum aſsertione negativa facti; & motivum aſsentiendi eſt authoritas Teſtium conjuncta cum aſsertione affirmativa facti. Aſsertio autem affirmativa & negativa ſpecie differunt. Ergo motiva illa etſi ſint æqualia quoad vim movendi, non tamen ſunt omnino ſimilia.

37. Omnimoda illa æqualitas, & ſimilitudo motivorum habet dumtaxat locum in voluntate, quando proponuntur ei duo bona æqualia, & ſimilia cum incapacitate ut utrumque ſimul eligat, v. g. quando homini famelico proponuntur duo panes omnino ſimiles in diverſis partibus, & ſecundùm æqualem diſtantiam. Qui eſt caſus propoſitus à D. Thoma 1.2. quæſt. 13. art. 6. in 2. argumento. Non habet autem locum in intellectu, quando proponuntur ei motiva ad aſsentiendum, & diſsentiendum omnino æqualia in vi movendi: illa enim numquàm poſsunt eſse omnibus ſimilia, ut modo probatum eſt. Perperam ergo illa doctrina de motivis voluntatis omnino ſimilibus, & æqualibus, transfertur ad intellectum in noſtro caſu; qui eſt valdè diverſus. Nam quando voluntati, ſeu appetitui proponuntur duo cibi omnino ſimiles in partibus diverſis cum æquali diſtantiâ, non proponuntur motiva ad amandum, & odio habendum, ſed præcisè ad amandum; nam uterque panis invitat ad amorem, neuter ad odium: in noſtro autem caſu proponuntur motiva ad aſsentiendum, & diſsentiendum, qui actus comparantur amori, & odio. Imò hinc arguo. Implicat voluntatem pulſari in actu primo ad amandum, & odio habendum per motiva omnino æqualia, & ſimilia; ſiquidem repugnat ut ratio invitans ad odium ſit omnino eadem cum ratione invitante ad amorem. Ergo ſimiliter implicat, intellectum in actu primo impelli ad aſsentiendum, & diſsentiendum per motiva omnino ſimilia.

38. Contra tertiò: quia negari non poteſt, poſse concurrere in intellectu motiva rationis ad aſſenſum, & diſſenſum omnino æqualia in vi, & efficacia movendi ad actus ſibi proportionatos, quamvis inter ſe ſint diſſimilia, & diverſæ ſpeciei: ſicut in voluntate poſſunt concurrere motiva ad amorem, & odiũ planè æqualia. In illo autem eventu implicat intellectum poſſe etiam ex imperio voluntatis elicere aſſenſum, vel diſſenſum: quia neutra pars contradictionis apparet potiùs vera, quàm falſa; ſed in quacumque æqualiter apparet veritas ac falſitas: nam vi unius motivi apparet veritas, & vi alterius apparet falſitas. Implicat autem intellectum noſtrum per aſſenſum uniri objecto, in quo non minùs apparet falſitas, quàm veritas. Unde tunc unum motivum elidit aliud; non minùs quàm in quæſtione facti teſtimonium duorum hominum negantium exiſtentiam facti elidit teſtimonium aliorum duorum paris

ris authoritatis illam affirmantium. Ideo enim in quæſtione facti illa motiva mutuò ſe elidunt, quia tendunt ad oppoſita, & habent æqualem vim movendi. Id autem etiam reperitur in quæſtione juris. Quòd autem motiva ſint magis inter ſe diſſimilia in quæſtione juris, nihil refert, quia illa diſſimilitudo de materiali ſe habet: hic enim dumtaxat attenditur efficacia movendi; ſolùmque ſe habet de formali, quòd motivum faciat veriſimilem opinionem. Quòd ſi motiva repræſentant opiniones ut æquè veriſimiles intellectui, tota illorum diſſimilitudo eſt materialis, & in genere entis: & quòd unum excedat aliud quoad ſuam differentiam ſpecificam, nihil refert; quia hoc non eſt excedere quoad vim reddendi magis veriſimilem opinionem illam quam oppoſitam. Ergo vera eſt noſtra ſententia, nempe intellectum noſtrum non poſſe aſſentire opinioni ſtanti pro libertate in occurſu opinionis omnino equalis ſtantis pro præcepto. Nam ubi opiniones contrariæ proponuntur intellectui, ut æquè veriſimiles, neceſse eſt intellectum manere ſuſpenſum in quæſtione facti, ubi probationes ſunt æquales pro utraque parte; quia tunc tam veriſimilis ei apparet innocentia rei, quàm culpa ipſi imputata.

39. Tota ergo illa doctrina adverſariorum de motivis diſſimilibus, nihil conducit ad evacuandam prǽſentem difficultatem: ſive enim ſint ejuſdem, ſive diverſæ ſpeciei motiva, quæ ſuadent concluſiones oppoſitas, ſemper relinquere debent intellectum dubium, ſi æqualiter movent; id eſt, ſi ſunt æqualia in vi faciendi veriſimilem concluſionem, quam ſuadent. Jamque ſupra oſtendimus, manifeſtam eſse differentiam inter intellectum, & voluntatem: nec ex eo quòd poſſit voluntas eligere inter bona oppoſita, v. g. inter honeſtum, & delectabile ſenſui, ullo modo conſequi, quòd poſſit intellectus eligere inter opiniones oppoſitas, ſi ei repræſententur cum æquali veriſimilitudine.

40. Doctrina illa, & differentia aſſignata inter motiva æqualia ſolo numero differentia, & motiva æqualia ſpecie diverſa (puta quòd ubi ea ſolo numero differunt, non poſſit unum alteri præferri à potentia, poſſit verò ubi differunt ſpecie) ad ſummum ſolùm habet locum in voluntate, quæ non videtur poſse amare hoc objectum potiùs quàm illud ſibi propoſitum, niſi quia hoc objectum habet aliquam rationem boni, quam non habet objectum aliud; ſeu quia proponitur aliqua ratio boni in uno objecto, quæ non proponitur in alio. Quod non habet locum in bonis æqualibus ſolo numero differentibus; cùm nulla ratio boni appareat in uno, quæ non appareat ſimiliter in altero: habet autem locum in bonis æqualibus differentibus ſpecie, ideſt in bonis æqualiter moventibus, & diverſis ſpecie. Quamvis enim bona illa æqualiter moveant; ſi tamen ſunt diverſa, poteſt voluntas dare rationem cur amet unum potiùs, quàm aliud; nimirum, quia unum habet aliquam bonitatem, qua caret aliud. Ponamus verbi gratiâ voluntatem æqualiter attrahi in actu primo propoſitione boni delectabilis, ac propoſitione boni honeſti oppoſiti: poteſt nihilominùs eligere potiùs delectabile, quàm honeſtum; quia videt in illo aliquam rationem boni, quam non videt in honeſto: & interrogata, cur eligat potiùs delectabile, quàm honeſtum, reſpondebit; quia delectabile potiùs quàm honeſtum eſt conforme inclinationi appetitûs ſenſitivi.

41. At hæc ratio non militat in motivis intellectûs æqualiter impellentibus ad aſsenſum, & diſsenſum. Nam cum non moveat alterum ad aſsenſum, niſi quatenus detegit convenientiam prædicati cum ſubjecto; nec alterum ad diſſenſum, niſi quatenus detegit carentiam talis convenientiæ: ſanè ſi ſunt omnino æqualia, quoad vim, & efficaciam detegendi illam convenientiam, & carentiam convenientiæ, non poteſt intellectus unum præferre alteri, quamvis ſint valdè diverſa. Nam ſi præferret, non poſſet aſſignare aliquod *cur* obiectivum, ſeu rationem obiectivam hujus prælationis: interrogatus enim, cur

T po-

potiùs aſſenſum præſtitiſti, quàm diſſenſum illi obiecto? non poteſt reſpondere, quia apparuit mihi potiùs verum, quàm falſum; ſeu quia magis mihi propoſita eſt convenientia prædicati cum ſubiecto, quàm carentia talis convenientiæ: ſiquidem ſupponimus æqualiter utrumque fuiſſe propoſitum; cum ſupponamus utrumque æqualiter movere. Si autem hoc non poteſt reſpondere, nullam rationem reddere valet obiectivam. Nam quòd motivum aſſenſûs differat ſpecie à motivo diſſenſûs, non poteſt eſſe ratio obiectiva: ſiquidem intellectus non aſſentitur illi differentiæ motivi, ſed obiecto materiali: ad quod non magis movet illa differentia, quàm retrahat oppoſita.

§. VII.

Evertitur fundamentum aliorum, qui etiam in quæſtione Facti affirmant poſſe intellectum aſſentire ex imperio voluntatis uni parti potiùs quàm alteri, quamvis utraque proponatur ei ut æquè veriſimilis.

42. Alii Probabiliſtæ Recentes (& in iis Tamburinus lib. 1. in Decalog. cap. 3. §. 3. num. 11.) eodem modo diſcurrunt in quæſtione facti, ac in quæſtione juris; & meritò cenſent eandem eſſe cauſam affirmandi, vel negandi, quando concluſiones oppoſitæ verſantur circa quæſtionem facti, & ſola authoritate teſtium comprobantur, ac quando verſantur circa quæſtionem iuris, & comprobantur, vel rationibus, vel authoritate Doctorum, vel utriſque ſimul. Dicunt ergo, quando duo viri graves paris omnino authoritatis teſtantur res contrarias, & unus affirmat, & alius negat rem eandem, poſſe nos prudenter cuilibet eorum credere, quia uterque manet fide dignus: cùm eſſe fide dignum conſiſtat in prærogativis ſapientiæ, & virtutis, quas nullus deperdit propter alterius conditionem, ſeu teſtificationem. Quis enim (ajunt) niſi abſurdiſſimè dicat, opinionem D. Auguſtini non manere prudenter credibilem propter eius authoritatem, ex eo quòd oppoſitum ſentiat D. Ambroſius, aut D. Hieronymus? Verùm modus iſte diſcurrendi pugnat cum utroque Jure tam civili, quàm canonico, & cum manifeſtâ experientiâ, & cum ratione. De ratione iam diximus in probatione noſtræ concluſionis: quia implicat me credere alicui, ubi eius teſtimonium æqualiter mihi apparet falſum, ac verum; ut contingit quando concurrit in meo intellectu cum teſtimonio oppoſito alterius viri paris authoritatis. Nam teſtimonium affirmantis apparet veriſimiliter verum propter ſapientiam, & virtutem affirmantis; & apparet æquè veriſimiliter falſum propter ſapientiam, & virtutem æqualem negantis. Pugnat cum Jure; ut conſtat ex ſecundo Libro Decretalium toto Titulo de Probationibus, & ex teſtibus citatis ex Jure Civili. §. 5. Vt enim inquit P. Eſparza in Appendice art. 124. noti iuris eſt, probationes eiuſdem hinc inde rationis, atque inter ſe prorſus æquales, pro nihilo reputari, nullamque ex vi illarum ſententiam proferri poſſe. Ponamus in queſtione facti examinari ut teſtes duos viros maximæ authoritatis, v. g. duos graviſſimos Senatores; & alterum affirmare, alterum verò negare exiſtentiam facti: Hoc in caſu non minùs Judex debet manere dubius, quàm ubi examinatis teſtibus è plebe, quatuor affirmant, & totidem paris authoritatis negant. Cum ergo manifeſtum ſit in Jure, probationes omnino pares pro utraque parte rem relinquere dubiam, negari non poteſt manere dubiam, quando viri graviſſimi in teſtificando opponuntur. Quamvis enim quilibet ſit digniſſimus fide, quando ſeorſim à contradictione alterius rem affirmat; non tamen eſt dignus fide, quando oppoſitum teſtatur vir æqualis authoritatis: quia ſicut dignus non eſt, ut ego credam, alterum virum æqualis authoritatis errare, ita dignus non eſt, ut ego illi fidem præſtem in illis circumſtantiis; nam illi,

Digitized by Google

li fidem præſtare, eſt credere alterum errare, vel ignorantiâ, vel malitiâ.

43. Dico ergo, in illo eventu, in quo viri eiuſdem authoritatis ſibi invicem contradicunt, & alter affirmat, alter negat, non eſſe utrumque fide dignum; ac proinde neutrum eſſe fide dignum in ordine ad rem illam. Quod probo: quamvis is, qui mihi rem teſtatur, ſit vir maximis prærogativis ſapientiæ, ac ſanctitatis inſignitus; ſi tamen evidenter ego cognoſco illum decipi, non eſt dignus fide apud me quoad rem hanc, non obſtantibus illis prærogativis: hæc enim, ut moveant, exigunt tamquam conditionem, quòd in intellectu audientis non adſit notitia evidens de eo, quòd ille in hoc dicto decipiatur. Ergo quamvis viri illi duo ſint maximæ authoritatis, nihilominùs non eſt uterque dignus fide apud me quoad dictum illud, in quo ſibi invicem contradicunt, non obſtantibus prarogativis ſcientiæ, & ſanctitatis: iſta enim, ut reddant hominem dignum fide quoad aliquod dictum, exigunt tamquam conditionem, quòd vir alius eiuſdem authoritatis non dicat oppoſitum. Probo conſequentiam: nam ego evidenter cognoſco alterum ex illis duobus viris errare, & falſum dicere, ſive ex ignorantiâ, ſive ex malitiâ. Ergo apud me non eſt uterque ſimul dignus fide quoad illud dictum, in quo ſibi contradicunt, aliàs æquè fide digni. Sicut enim non eſt Petrus apud me fide dignus in eo dicto, in quo ego evidenter cognoſco eum aut fallere, aut falli; ita non ſunt apud me digni fide ſimul Petrus, & Paulus in eo dicto, in quo evidenter ſcio alterum ex illis aut fallere, aut falli: quale eſt dictum, in quo ſibi invicem contrariantur.

44. Confirmo: hæc propoſitio eſt evidens: Ex his duobus, qui mihi contradictoria affirmant, evidens eſt aliquem fallere, aut falli: ergò non eſt apud me uterque ſimul dignus fide (ſimultate dignitatum, non dignitate ſimultatis aſſenſûs, & diſſenſûs) Ergo non eſt in mea poteſtate eligere inter utrumque, ut huic, vel illi credam prudenter: hæc enim electio ſupponit unum, & alterum eſſe dignum fide ſimul, ſimultate dignitatum in actu primo. Probo primam conſequentiam: nam ſi evidens eſt mihi, alterum ex illis fallere, aut falli, non poſſum ego dicere: Petrus in hoc dicto eſt dignus fide, & etiam Paulus eſt dignus fide in eodem dicto. Dum enim iudico Petrum eſſe dignum fide in aliquo dicto, iudico Petrum in eo dicto, ſive aſſertione nec fallere, nec falli; dignitas enim fidei conſiſtit in ſanctitate, qua non decipiat, & in ſcientia, qua non decipiatur. Et in eo caſu non poſſum ego ſic pronunciare: In hoc dicto nec Petrus fallit, aut fallitur, nec Paulus fallit, aut fallitur. Nam eſt mihi evidens, alterum è duobus fallere, aut falli. Ergo in eo caſu non poſſum ego ſic pronunciare. Petrus in hoc dicto eſt dignus fide, & Paulus etiam eſt dignus fide. Ergo non eſt in mea poteſtate eligere quem maluero, ut ei prudenter credam: nam qui prudenter eligit credere Petro, ſupponit, Petrum nec fallere, nec falli in eo dicto. Et quia ipſa electio libera ſupponit poteſtatem eligendi Paulum, ſupponit quoque, nec Paulum fallere, aut falli in eo dicto. Sed impoſſibile eſt hoc utrumque ſupponere: ſiquidem evidens eſt alterum ex illis in eo dicto fallere, aut falli. Sunt enim contradictoriæ iſtæ duæ propoſitiones: *Nec Petrus nec Paulus fallit, aut fallitur. Petrus, vel Paulus fallit, aut fallitur.*

45. Ne autem adverſarii obtendere poſſint, fallacem eſſe hunc arguendi modum; adverte hanc propoſitionem: *Aliquis è duobus*, vel *alter è duobus narrantibus contradictoria fallit, aut fallitur*, non facere ſuppoſitionem confuſam, & vagam, ſicut facit iſta: Aliquis è duobus oculis, vel, alter è duobus oculis requiritur ad videndum; ſed facere ſuppoſitionem determinatam, ſicut facit iſta: Aliqua ex propoſitionibus contradictoriis eſt determinatè falſa. Etenim in ſuppoſitione confuſâ non valet conſequentia à negatione unius extre-

Digitized by Google

mi ad affirmationem alterius; & ideò non valet: *Sed non requiritur oculus ſiniſter; ergo requiritur dexter*. At in ſuppoſitione determinata rectè valet. Quare conceſſo ſemel, quòd Petrus, vel Paulus, qui narrant contradictoria, fallit, aut fallitur, optimè valet: Sed Petrus nec fallit, nec fallitur; ergo Paulus vel fallitur, vel fallit. Hinc autem deducitur, quòd ſicut dum ego cognoſco Petrum fallere, aut falli in eo quod narrat, non eſt Petrus dignus fide apud me: ita dùm ego cognoſco Petrum, vel Paulum, qui mihi narrant contradictoria, fallere, aut falli, non eſt uterque dignus fide apud me. Et cùm ille ſolus ſit mihi dignus fide, qui apud me nec fallit, nec fallitur, ſeu quem iudico nec fallere, nec falli, cùmque ignorem quinam ex illis duobus contradictoria teſtantibus, nec fallat, nec fallatur, neuter ex illis eſt apud me dignus fide. Vnde aſſenſum ſeu iudicium ſuſpendere debeo, neutri fidem præſtando.

46. Quod ſic denuo explico, & confirmo. Vt ego ſim proximè expeditus ad credendum prudenter viro gravi aliquid narranti, non ſufficit me ſcire illum eſſe virum gravem; ſed inſuper requiritur, ut ego non cognoſcam certò illum decipi. Ergo ut ego ſim expeditus ad credendum Petro, vel Paulo, non ſufficit me ſcire utrumque eſſe virum gravem; ſed inſuper neceſſe eſt, ut ego certò non cognoſcam alterum ex illis decipi. At ubi contraria mihi narrant, certus ſum alterum illorum decipi; ergo tunc non ſum expeditus ad credendum uni, vel alteri; ergo neutri tunc poſſum credere; ſed debeo iudicium ſuſpendere.

47. Nec eſt abſurdum, ſed veriſſimum, opinionem D. Auguſtini non eſſe dignam aſſenſu apud eum, qui ſcit D. Hieronymum aſſerere oppoſitum; ſi utriuſque authoritas ſit omnino æqualis apud ipſum: nam ex illis duobus ſanctiſſimis, & ſapientiſſimis Doctoribus contrariè ſentientibus manifeſtum eſt alterum decipi in aſſertione, in quâ oppoſiti ſunt, & unum dumtaxat verum attigiſſe: unde in eo occurſu rerum tantum fundamentum habet quis, ut cenſeat opinionem Auguſtini eſſe falſam, quantum ut cenſeat eſſe veram. Nam authoritas Hieronymi negantis eſt fundamentum ad exiſtimandum, decipi Auguſtinum affirmantem; & authoritas ipſius Auguſtini affirmantis, eſt fundamentum ad exiſtimandum, verum dicere: & cum utriuſque authoritas quoad illud dictum ſupponatur omnino æqualis, hinc eſt quòd tantum fundamentum habeat quis tunc ad exiſtimandum eſſe falſam, ac ad exiſtimandum eſſe veram. Et idem eſt de opinione Hieronymi. Non poteſt autem quis prudenter aſſentire (imò nec imprudenter) alicui opinioni, ubi non maius fundamentum habet ad exiſtimandum eſſe veram, quàm ad exiſtimandum eſſe falſam. Ergo in illo eventu neutri poteſt prudenter aſſentire: & conſequenter neutra eſt credibilis apud eum, qui cognoſcit eos ſibi contradicere, & tanti æſtimat unum, quanti alterum.

48. Nec iniuria eſt Auguſtini, quòd nequeat quis in eo occurſu ejus opinionem amplecti: ſed potiùs reverentia erga Hieronymum poſtulat, ne quis aſſentiatur Auguſtino ei contradicenti; & reverentia erga Auguſtinum poſtulat, ne aſſentiatur Hieronymo oppoſitum opinanti: & reverentia erga utrumque poſtulat, ut omnino ſuſpendat aſſenſum. Si enim quis amplectatur opinionem Auguſtini, iudicat opinionem Hieronymi eſſe falſam, illiuſque authoritatem quoad hanc aſſertionem contemnit: è contra verò, ſi adhæreat opinioni Hieronymi, contemnit authoritatem Auguſtini: dum autem ſuſpendit iudicium, utrumque æqualiter reveretur.

49. Hinc eo in eventu dicere deberet: Authoritas Auguſtini apud me tanta eſt, ut ipſa ſola mihi perſuaderet aſſenſum, quamvis rationes eius ignorarem; cæterùm ubi in meo intellectu concurrit cum authoritate Hieronymi, non poſſum ei aſſentiri; non quia non ma-

magni faciam tanti Doctoris authoritatem, ſed quia æqualiter æſtimo authoritatem Hieronymi oppoſitum aſſerentis. Unde cum evidenter ſciam alterum ex illis decipi, dum non habeo aliquod fundamentum ad exiſtimandum potiùs decipi Hieronymum, quàm Auguſtinum, non poſſum Auguſtino credere: & dum non habeo aliquod fundamentum ad exiſtimandum potiùs decipi Auguſtinum, non poſſum credere Hieronymo; atque ita meus intellectus fluctuat inter authoritatem tantorum Doctorum oppoſita aſſerentium, dubiuſque manet.

50. Ex dictis infero, dum in meo intellectu concurrunt duæ opiniones contrariæ Doctorum æquè mihi veriſimiles, neutram pro tunc eſſe apud me dignam fide, ſeu aſſenſu: cùm enim mihi evidens ſit, alteram illarum eſſe falſam, nec potior ſit præſumptio pro una, quàm pro altera parte, nulla eſt ratio prudens cur uni potiùs, quàm alteri fides adhibeatur; ac proinde debeo circa utramque aſſenſum ſuſpendere.

§. VIII.

Concluditur ex dictis, non eſſe licitum ſequi opinionem probabilem in occurſu opinionis æquè probabilis, & ſimul tutioris.

51. Huculque probavimus intellectum non poſſe aſſentire opinioni benignæ in occurſu opinionis æquè probabilis ſtantis pro præcepto, quando nimirum eidem proponitur, ut æquè veriſimilis utraque opinio contraria; ſed neceſſariò manere ſuſpenſum, ac dubium. Nunc probandum reſtat, tunc non poſſe nos ſequi opinionem faventem libertati, ſed eligendam eſſe oppoſitam; eo quòd in dubiis tutior pars eſt eligenda.

52. Probatur autem aſſumptum primò: quia nemo poteſt in praxim deducere opinionem contrariam Dei præcepto, niſi eidem poſſit aſſentire. Nam cùm opinio hominum non ſit prima regula noſtrarum operationum, eatenus opinio affirmans aliquid eſſe licitum, poteſt eſſe regula rectè operandi, quatenus poteſt nos manuducere ad cognoſcendum, illam actionem non eſſe contrariam legi æternæ, quæ eſt prima regula noſtrarum operationum. Opinio autem, cui aliquis aſſentiri non poteſt, nequit ipſum manuducere ad ita cognoſcendum, ut patet: ergo opinio affirmans aliquid eſſe licitum, nequit eſſe alicui regula rectè operandi, quando eidem non poteſt aſſentire. At nequit ei aſſentire aliquis, quando in ipſius intellectu concurrit cum opinione æquè probabili ſtante pro præcepto. Ergo tunc nequit eſſe ipſi regula rectè operandi, ſeu operandi licitè, & abſque peccato.

53. Confirmatur: quia nemo poteſt eligere opinionem contrariam Dei præcepto probabiliter propoſito, niſi iudicet, licitum eſſe ſibi eligere talem actionem: nam *Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt*, ut inquit Apoſtolus Rom. 8. Quo loco Sancti Patres communiter per Fidem intelligunt dictamen conſcientiæ, & cum eis Innocentius in caput ultimum de præſcriptionibus, & Gratianus 28. q. 1. cap. *Omnes* de pœnit. At qui nequit aſſentire opinioni benignæ affirmanti aliquid eſſe licitum, ut certè non poteſt ille, cui opinio contraria proponitur cum æquali vi, nequit formare illud dictamen, quòd ſibi liceat talem actionem exercere; ergo qui nequit aſſentire opinioni benignæ aſſerenti aliquid eſſe licitum, nequit illam in praxim deducere.

54. Probatur aſſumptum ſecundò. Nam cum opinio hominum non ſit prima regula rectè operandi, ſolùm poteſt eſſe regula ſecundaria, & applicativa regulæ primariæ, ut conſtat ex communi hominum conſenſu, & docet D. Thomas 1. 2. q. 19. art. 4. At opinio favens libertati dùm concurrit in eodem intellectu cum opinione æquali ſtante pro præcepto, nequit eſſe talis regula ſecundaria, rectè, ſeu licitè operandi. Ergo nemo poteſt tunc eam ſequi, nec illam aſſumere ut regulam rectè operandi. Probo minorem: nam opinio favens

vens

vens libertati, in eo occurſu apparet ipſi operanti prorſus indifferens ad veritatem, & falſitatem, nec magis ſe habet ad verum, quàm falſum: cùm ipſi operanti evidens ſit, ſe in illo conflictu, & concurſu opinionum contrariarum æquè veriſimilium, non habere maius fundamentum ad aſſerendum eam opinionem eſſe veram, quàm ad aſſerendum eſſe falſam; cum utraque repræſentetur ipſi ut æquè veriſimilis. At opinio, quæ repræſentatur alicui ut indifferens ad veritatem, & falſitatem, nequit, dum ita repræſentatur, eſſe ipſi regula ſecundaria rectè operandi. Nam regula ſecundaria eatenus eſt recta regula, quatenus ſubiicitur, & ſubordinatur regulæ primariæ, eique conformatur; ut ex ſe eſt manifeſtum, & explicatur exemplo horologii artificialis. Nam quia horologium artificiale eſt regula ſecundaria, eatenus horologium artificiale eſt bonum horologium, bonaque regula metiendi, & deſignandi horas, quatenus conformatur horologio ſolari. Opinio autem favens libertati, dum apparet ipſi operanti, ut indifferens ad veritatem, & falſitatem, non apparet ut ſubiecta, & conformis regulæ primariæ, ſeu legi æternæ; ſed ut indifferens ad conformitatem, & difformitatem: nam opinio per veritatem conformatur legi æternæ, & per falſitatem eidem contrariatur, eſtque ipſi difformis: ſi enim eſt falſa opinio affirmans aliquid eſſe licitum, hoc ipſo eſt contraria legi æternæ, quia proponit ut licitum, quod lex æterna, & dictamen Divinum proponit ut illicitum, & malum. Dum autem opinio favens libertati proponitur operanti ut indifferens ad conformitatem, & contrarietatem cum primâ regulâ noſtrarum operationum, proponitur ut non bona regula. Sicut enim horologium, quod eſt indifferens ut conformetur, vel contrarietur horologio ſolari, & reſpectu cuius eſt merè caſuale quòd conformetur, non eſt bonum horologium: ita opinio, quæ in conceptu operantis eſt indifferens ad conformitatem, vel contrarietatem cum prima regula, & cui eſt merè caſuale in conceptu operantis quòd conformetur, non eſt bona regula reſpectu operantis. Quare uſque dum operans ſibi perſuadeat illam opinionem eſſe veram, nequit reſpectu ipſius eſſe bona, vel ſaltem uſque dum cognoſcat magis ſe habere ad verum quàm ad falſum; modo nimirum proportionato, ut ei poſſit prudenter aſſentire.

55. Tota hæc doctrina, & ratio deſumpta eſt ex D. Thoma 1. 2. q. 19. ar. 4. in corp. ubi ait: *Quòd ratio humana ſit regula voluntatis humanæ, ex qua eius bonitas menſuretur, habet ex lege æternâ, quæ eſt ratio Divina: unde Pſalmo 4. dicitur*; Multi dicunt, quis oſtendet nobis bona? ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine; *quaſi diceret: lumen rationis, quod in nobis eſt, in tantùm poteſt nobis oſtendere bona, & noſtram voluntatem regulare, in quantùm eſt lumen vultus tui, id eſt à vultu tuo derivatum.*

56. Hinc denuo ſic argumentor: ratio humana, ſeu opinio hominum in tantùm poteſt noſtram voluntatem regulare, in quantùm eſt lumen vultus Dei, ſeu derivatum à vultu Dei, id eſt à ratione Divina. At ratio humana non derivatur à ratione Divina, dum eſt erronea, & falſa; quia cum ratio Divina ſit eſſentialitèr vera, ratio humana illam ut exemplar reſpicere omnino non poteſt, niſi ſit vera: Deus enim author errorum non eſt, nec poteſt vultus Dei tenebras errorum in intellectum creatum effundere, ſed ſolùm radios veritatis infundere. Ergo ratio humana, dum eſt erronea, & falſa, non poteſt noſtram voluntatem regulare: ergo ut aliqua opinio poſſit aſſumi velut regula operandi, debet apud ipſum operantem, ſeu in æſtimatione operantis eſſe vera. Ergo opinio, quæ apud operantem eſt indifferens ad verum, & falſum, nequit apud ipſum eſſe recta regula operandi.

Digitized by Google

§. IX.

Probatur ulteriùs noſtra concluſio, quia in dubiis tutior pars eſt eligenda: *oſtenditurque, hanc regulam Juris non eſſe dumtaxat conſiliativam, ſed præceptivam.*

57. PRobatur præterea noſtra ſententia: nam iuxta regulam Juris traditam in cap. *Ad audientiam*, & cap. *Significaſti*, de homicidio, & cap. *Juvenis*, de ſponſalibus, *In dubiis tutior pars eſt eligenda*. At quando opinio favens libertati concurrit cum opinione æquè apud ipſum probabili pro præcepto, reſultat propriè dubium, quia intellectus tunc neceſſariò ſuſpendit aſſenſum; in quâ ſuſpenſione propriè conſiſtit dubitatio: ergo tunc tutior pars eſt eligenda, nempe abſtinendi ab illa actione de qua dubitatur, an ſit peccatum: dicitur enim pars tutior illa, quam ſi ſequaris, nullum committes peccatum, nec illius committendi periculo te expones. Ergo non licet tunc operari, ſequendo opinionem minùs tutam, quæ affirmat, illam actionem eſſe licitam.

58. Sed quia aliqui Doctores affirmant, illam regulam eſſe conſiliativam, non præceptivam; alii verò dicunt, non eſſe intelligendam niſi pro caſibus particularibus contentis in illis capitibus Juris, in quibus ea regula traditur: nunc oſtendendum eſt firmâ ratione, illam regulam eſſe præceptivam, & univerſalem pro omni dubio reſultante ex rationibus, & opinionibus contrariis, quarum altera affirmat, rem eſſe prohibitam, & malam; altera affirmat, eſſe licitam. Probatur autem primò: quia qui operatur ſtante illo dubio, operatur ſine dictamine conſcientiæ, quòd hìc, & nunc ſibi liceat operari; quia implicat, illum eſſe dubium, an actio ſit, vel non ſit licita, atque ſuſpendere aſſenſum circa utramque partem, & tamen iudicare, ſibi eſſe licitum hìc, & nunc illam actionem exercere. At *omne quod non eſt ex fide*, ideſt ex dictamine conſcientiæ, *peccatum eſt*, ut tradunt Patres ad illa Apoſtoli verba Rom. 8. Ergo qui operatur cum illo dubio, peccat.

59. Probatur ſecundò; quia qui operatur cum illo dubio, peccat contra legem amicitiæ cum Deo, & contra legem ſervitutis, & ſubjectionis ad Deum, ut ſupremum Dominum, & Legiſlatorem; hæc enim lex poſtulat, ut abſtineamus non ſolùm ab illis actionibus, quibus certò ſcimus, Amicum, Dominum, vel Legiſlatorem eſſe offendendum, ſed etiam ab illis, quibus dubitamus, an ſit offendendus. Non enim eſt bonus amicus, bonus ſervus, vel bonus ſubditus, qui operatur illud, de quo dubitat, an amicus, an dominus, vel an ſuperior ſit offendendus. Probatur tertiò: quia qui operatur in illo dubio, agit contra ſynderesim, & iudicium evidens rationis, dictans, quòd nemo debeat ſe exponere periculo peccandi: nam, *qui amat periculum, peribit in illo*, Eccleſ. 3. Denique à priori ratio eſt: quia qui in illo dubio operatur, contemnit Deum, eiuſque legem; virtualiter enim dicit: *Sive detur præceptum divinum hanc actionem prohibens, ſive non detur, volo illam exequi.*

60. Hinc D. Thomas quodlib. 8. art. 13. ait: *Quòd is, qui ex contrarietate opinionum in quamdam dubietatem inducitur, & manente tali dubietate plures præbendas habet, periculoſe committit, & procul dubio peccat; utpote magis amans beneficium temporale, quàm propriam ſalutem.* Unde eſt principium fixum in Theologia Morali, peccatum eſse operari cum dubio practico, an ſit peccatum operari: ut teſtatur Adrianus quodlib. 2. artic. 1. in 3. ratione dubitandi, dicens: *Regula Magiſtralis eſt: Quicumque agit id, de quo dubitat, an ſit mortale, peccat mortaliter, diſcrimini ſe exponens.* Teſtatur idem P. Vazquez 1. 2. diſput. 64. cap. 1. & Salas tract. 8. diſput. unic. ſect. 16. num. 143. alios referens. *Nec de hac re* (inquit P. Valentia tom. 2. diſput. 2. quæſt. 14. punct. 4.) *eſt ulla controverſia apud Theologos.* Hæc veritas adeò conſpicua eſt, ut Philoſophi Gentiles eam aſsecuti ſint; unde Tullius lib. 1. offic. ſic ait: *Quocirca bene præcipiunt, qui vetant, quidquam agere, quod dubites*

æquum

Digitized by Google

æquum ſit, an iniquum. Quod adeo verum eſt, ut S. Auguſtinus lib. 1. de Baptiſmo cap. 3. hanc regulam generalem tradat; *In cauſa ſalutis hoc ipſo quis peccat, quòd certis incerta præponat.* Et in libro contra Donatiſtas cap. 5. *Efficere id, quod incertum eſt, an ſit peccatum, certum peccatum eſt.*

§. X.

Oſtenditur, in præſenti materia, ex dubio ſpeculativo, ſeu univerſali, neceſſariò reſultare dubium practicum circa actionem particularem hìc, & nunc exercendam.

61. SEd quia regula illa intelligitur de dubio practico circa actionem hic, & nunc exercendam, & aliqui exiſtimant, ex dubio ſpeculativo, ſeu in univerſali, non reſultare neceſſariò dubium practicum, ſeu in particulari; nunc oſtendendum eſt, neceſſariam omnino eſſe hanc reſultantiam, ſeu dimanationem judicii practici ab ſpeculativo. Nam cùm rationes univerſales non diſtinguantur à ſingularibus, idem eſt dubitare, an aliquis contractus in genere ſit malus, & peccaminoſus, ac dubitare, an hic, & ille contractus particularis participans illam rationem ſpecificam, ſit peccaminoſus: v.g. idem eſt dubitare, an ſit peccatum uſuræ accipere aliquid in mutuo, ultra ſortem ratione periculi recuperandi ſortem, & an ſit peccatum hic, & ille contractus, in quo paciſcitur cum mutuatario mutuans de lucro aliquo ratione periculi. Et idem eſt dubitare, an ſit peccatum pingere in die feſto ſine neceſſitate, ac dubitare, an ſit peccatum, Petrum, vel Paulum, vel Joannem pingere ſine neceſſitate in die feſto. Ergo implicat, aliquem eſſe dubium ſpeculativè, & in univerſali, an ſit peccaminoſus aliquis contractus, quin ſit dubius, an ſit peccaminoſus contractus à ſe hic, & nunc celebrandus, ſi ille contineatur ſub illa ratione communi, vel niſi adſit aliqua circumſtantia hunc contractum eximens, & extrahens ab illa ratione ſpecifica in communi. Vt enim ſapienter inquit P. Vazquez 1. 2. diſput. 62. num. 22. *Qua ratione poteſt quis dubitare, an aliquid liceat in univerſum, & certus eſſe abſque formidine illud ſibi licere; non ſubſiſtente aliqua peculiari ratione, potius pro ſe, quàm pro aliis?* Quod etiam rectè probat Corduba lib. 3. ſuarum Quæſtionum queſt. 8. & P. Thomas Sanchez lib. 1. Sum. cap. 9. num. 3. ait, ſe latè probaviſse lib. 2. de Matrim. diſput. 41. ex ſcientia, vel dubio ſpeculativis oriri ſimilem ſcientiam, & iudicium practica; nec iudicia hæc poſse licitè diſcordare, niſi aliqua ratio ſpecialis ſufficienti adhibitâ diligentiâ ad veritatem aſsequendam, iudicium practicum ab ſpeculativo variare cogat, iudicando hìc, & nunc licitum, quod in communi iudicatur illicitum, aut de eo dubitatur.

62. Quod rurſus probo: Implicat, iudicium practicum diſcordare ab ſpeculativo: ergo implicat, diſcordare dubium practicum ab ſpeculativo. Conſequentia conſtat; quia non minùs repugnat, aliquem eſse dubium, an ſibi aliquid liceat, & ſimul eſse certum, quòd liceat, quàm iudicare, ſibi non eſse licitum, & ſimul eſse certum, quòd liceat. Et ſanè Doctores, ut modò vidimus ex P. Thoma Sanchez, eodem modo loquuntur de dubio, ac de iudicio ſpeculativis, ea comparando cum dubio, ac iudicio practicis. Probatur ergo antecedens: nam qui opinatur illicitum eſse pingere in die feſto abſque neceſſitate, virtualiter affirmat, eſse illicitum Petro, Joanni, & ſibi ipſi pingere abſque neceſſitate in die feſto. Ergo implicat, ut in eodem inſtanti pro poſteriori iudicet licitum eſse ſibi pingere in hoc die feſto, & hìc, & nunc, abſque neceſſitate. Nam hæc duo iudicia contradictoriè opponuntur, & iudicia contradictoriè oppoſita nequeunt componi in eodem intellectu: ſicut enim implicat, rem ſimul eſse, & non eſse; ita repugnat, quòd intellectus iudicans rem eſse, ſimul iudicet non eſse. Nec ſufficiet reſpondere, iudicium illud particulare aſſirmans, eſſe licitum pingere hic, & nunc in die feſto abſque neceſſitate, niti diverſo moti-

vo

Digitized by Google

vo ab eo, quo nititur iudicium univerſale negativum, ac proinde non opponi. Non, inquam, ſufficit. Nam ab omnibus tamquam manifeſtum ſupponitur, motivum aſsentiendi, & diſsentiendi eſse diverſa, cùm non poſſit eadem ratio movere eundem intellectum ad affirmandum, & ſimul negandum; & tamen omnes ſupponunt, aſsenſum, & diſsenſum circa idem non poſse componi in eodem intellectu pro eodem inſtanti: Ergo diverſitas motivorum non ſufficit ad delendam contradictionem. Quare niſi adſit aliqua ratio particularis, probans, hanc rationem in particulari non contineri ſub illa ratione ſpecifica, quæ in communi iudicata eſt illicita, impoſſibile eſt, ut iudicium particulare circa hanc actionem diſcordet à iudicio ſpeculativo, eandem actionem attingente ſub ratione communi. Si autem illa ratio particularis adeſſet, tunc nulla eſſet contradictio; nam iudicium illud univerſale non attingeret tamquam obiectum materiale hanc actionem particularem tali circumſtantiâ veſtitam; quia ſolum affirmaret, eſse illicitam in genere omnem actionem carentem illâ circumſtantiâ. Sic cum iudicio univerſali, quòd illicitum eſt, comedere carnes in die Veneris, rectè componitur iudicium particulare, quòd liceat Petro ægrotanti. Nam Petrus, ut ægrotans, non continetur in illo iudicio univerſali, utpote quod ſolùm reſpicit perſonas habentes bonam valetudinem. Ac proinde iudicium particulare, affirmans, comeſtionem eſse hìc, & nunc licitam Petro, non eſt obiectum, de quo dabatur dubium.

§. XI.

Præcluditur effugium quorumdam Probabiliſtarum, aſſerentium, in eo caſu, in quo concurrunt opiniones æquè probabiles pro libertate, & pro lege, dari æquivalenter ignorantiam invincibilem legis; ac proinde licitum eſſe operari.

63. PAter Matthæus de Moya in ſuis ſelectis tract. 1. quæſt. 6. §. 5. num. 13. fatetur, dubitantem ſpeculativè, an actio aliqua ſit illicita, per ſe loquendo, debere dubitare practicè, niſi circumſtantia aliqua, vel motivum ſuperaddatur, ob quæ à iudicio ſpeculativo diſcordare poſſimus. Cæterùm, ait, in caſu poſito, in quo intellectus ob motiva æqualia opinionum contrariarum, (quarum altera affirmat talem contractum eſse licitum, & altera negat) adeſse rationem ſpecialem, ut intellectus poſſit formare dictamen practicum moraliter certum, quòd hìc, & nunc licet operari. Rationem autem hanc, ait, petendam eſſe ex duplici principio: altero, quòd *in dubiis melior ſit conditio poſſidentis* (de quo nos ſeorſim poſtea agemus) altero, *quòd ignorantia, quæ factâ ſufficienti diligentiâ vinci non poteſt, æquivalet ignorantiæ invincibili. Dubium autem* (inquit ille quæſt. 5. num. 19.) *quod factâ ſufficienti diligentiâ vinci non poteſt, ignorantiam invincibilem conſtituit: Ergo qui poſt ſufficientem diligentiam ad inquirendam veritatem de exiſtentia præcepti naturalis, vel divini, vel humani, dubius adhuc manet, nequit operando delinquere; quia ignorantiam invincibilem excuſare à peccato, fide ſanctum eſt.* Id eſt, ex principiis fidei colligitur.

64. Verùm hoc fundamentum, pace huius Authoris, ſolidum non eſt; utpote vel nimium, vel nihil probans. Si enim aliquid probat, ſimiliter probaret, non peccaturum hominem illum, qui ex conflictu opinionum contrariarum dubius eſt, an ſit peccatum pingere ſine neceſſitate die feſto, & nihilominus actionem pingendi exercet in die feſto ſine neceſſitate, non formato priùs dictamine reflexo, quòd ſibi hic, & nunc liceat pingere. Quod conſequens ſanè abſurdiſſimum eſt, & contra omnes Theologos; ut enim inquit P. Vazquez 1. 2. diſput. 64. cap. 1. *Nemo dubitat, peccare eum, qui operatur, non habens firmum, & determinatum judicium conſcientiæ, quo judicet, non eſſe peccatum id, quod facit; ſed potiùs dubitans, an ſit peccatum, illud nihilominus operatur.* Sequelam probo: per te dubium, quod factâ ſufficienti diligentiâ vinci non poteſt, ignorantiam invincibilem conſtituit: ergo qui factâ ſufficienti

cienti diligentiâ ad inquirendam veritatem de exiſtentia præcepti non pingendi die feſto ſine neceſſitate, dubius adhuc manet propter occurſum opinionum contrariarum æquè ſibi probabilium, habet ignorantiam invincibilem talis præcepti: ergo non peccabit, quamvis immediatè poſt illam dubitationem non interpoſito dictamine reflexo, prodeat in actionem pingendi. Nam operari immediatè poſt ignorantiam invincibilem de malitia operationis, eſt operari ſine peccato. Et ſanè quando adeſt principium excuſans actionem à culpa, quò magis coniungitur actio cum illo principio excuſante, magis removetur à ratione culpæ. Ergo ſi illa dubitatio eſt ignorantia invincibilis, quò intimiùs, & immediatiùs coniungetur operatio cum illa ignorantia, eò longiùs diſtabit à ratione culpæ. Ergo non erit peccaminoſa actio pingendi, quamvis ponatur immediatè poſt illam dubitationem.

65. Confirmatur: evidens eſt illam dubitationem non neceſſitare intellectum, ut pro poſteriori formet dictamen illud reflexum de eo, quòd liceat hìc, & nunc pingere: alioqui poſt illam dubitationem non poſset homo pingendo peccare; atque adeo ipſa neceſſitaret hominem ad non peccandum in pingendo. Siquidem ex ſuppoſitione dictaminis reflexi moraliter certi, quòd liceat hic, & nunc pingere, impoſſibile eſt, ut homo pingendo peccet; cùm tamen evidens ſit, poſse hominem poſt illam dubitationem peccare pingendo. Demus ergo, hominem poſt illam dubitationem ſuſpendere dictamen illud reflexum, quòd liceat hìc, & nunc pingere, & nihilominus ſe exercere in pingendo. Tunc arguo: Operari cum ignorantia invincibili præcepti, prohibentis operationem non eſt peccatum; ſed per te illa dubitatio eſt ignorantia invincibilis præcepti: ergo operari cum illa dubitatione non eſt peccatum. Ergo illud fundamentum nimium probat, ac proinde nihil: fallax ergo eſt.

66. Fallacia autem conſiſtit in eo, quòd ad actionem transfert excuſationem, quæ ſolùm habet locum reſpectu defectûs ſcientiæ. Aliud enim eſt, mihi non imputari ad culpam defectum ſcientiæ, notificantis mihi exiſtentiam præcepti, poſtquam factâ ſufficienti diligentiâ ad inquirendam veritatem, non potui aſsequi cognitionem perſuadentem illam exiſtentiam; aliud, non imputari ad culpam operationem ſubſecutam ad illam dubitationem. Nam quamvis ego non ſim reprehenſibilis, eò quòd non habeo ſcientiam de exiſtentia præcepti, ſi factâ ſufficienti diligentiâ ad illam inquirendam, maneo prudenter dubius propter urgentes rationes, quę hinc inde occurrunt; tamen maximè ſum reprehenſibilis, ſi poſt illam dubitationem nihilominus prodeo in actionem, de qua ob urgentiſſimas rationes dubitabam, an eſset peccaminoſa. Quia licet exiſtentia præcepti non pingendi ſit dubia, nihilominus dum ita operor poſt illud dubium, ago contra præceptum certò exiſtens, nempe contra præceptum naturale, non ſe exponendi periculo violandi legem Dei; & contra præceptum eligendi in dubiis tutiorem partem. Satiſque ingens fallacia eſt, confundere dubitationem prudentem de malitia actionis, cum ignorantia invincibili talis malitiæ. Ille enim operatur aliquam actionem reipsâ malam cum ignorantia invincibili malitiæ ipſius, cui inculpabiliter non venit in mentem, an illa actio ſit mala; vel ſaltem cui nulla umquam occurrit prudens dubitandi ratio, an ſit mala. At non dicitur agere cum ignorantia invincibili malitiæ, qui agit, prudenter dubitando, an ſit malum id, quod operatur. Nam hæc ignorantia inculpabilis idem eſt, ac inadvertentia, vel oblivio inculpabilis de malitia actionis: ut videre eſt apud P. Azor tom. 1. lib. 1. cap. 16. quæſt. 3. & apud P. Thomam Sanchez lib. 1. Sum. cap. 16. num. 8. & P. Suarez tom. 5. diſput. 4. ſect. 8. num. 5. ubi ait, ignorantiam diſtingui in actualem, & habitualem: *Illa eſt*, inquit, *quando quis nihil omnino audivit de præcepto; hæc verò, quando quis jam novit præceptum, & ejus memoriam habitu retinet, tamen hic & nunc ad illud non advertit: quæ propriè dicitur inconſideratio, ſeu naturalis oblivio.*

Digitized by Google

vio. Et ignorantiam utramque docet diſtingui in voluntariam, & involuntariam, ſeu vincibilem, & invincibilem. Solùm itaque dicitur ille operari cum ignorantia invincibili malitiæ operis, qui operatur ſine advertentia, vel ſcrupulo, quòd actio ſit mala; & ſine principio ad acquirendam talem advertentiam.

67. Demum hoc, & ſimilia effugia præcluduntur ex dictis §. 10. Nam cùm hæc actio pingendi, hìc, & nunc à me exercenda in die feſto ſine neceſſitate, contineatur ſub ratione illa communi, de qua dubito; neo illud principium, *quòd ignorantia, quæ factâ diligentiâ vinci non poteſt, invincibilis eſt*, illam extrahat ab eo, quòd contineatur ſub illa ratione communi, tamquam ſingulare ſub univerſali; ſequitur, eum, qui dubitat, an ſit peccatum pingere in die feſto ſine neceſſitate, neceſſariò dubitare de hac actione in particulari, dum illi in mentem venit, ſeu memoriæ occurrit. Nam illud principium non eſt ſpecialis ratio extrahens hanc individuam actionem à ratione communi, de qua eſt dubium; ac proinde non poteſt impedire reſultantiam dubii practici à dubio ſpeculativo. Ergo ille pingeret cum dubio practico, an hìc, & nunc peccet pingendo. At implicat, cum hoc dubio practico coniungere ex aliis principiis dictamen certum, quòd illa actio ſit licita: cùm impoſſibile ſit, me eſſe dubium, an hæc actio ſit illicita, & ſimul eſſe certum, quòd non ſit illicita. Quod ex alio etiam capite oſtenditur repugnare. Nam cùm evidens ſit, peccare eum, qui operatur dubitans, an exiſtat præceptum, prohibens actionem à ſe hìc, & nunc exercendam; in illo eventu operans haberet dictamen reflexum certum, quòd peccet hìc, & nunc pingendo, conceptum ex vi præcepti naturalis, non ſe exponendi periculo violandi præceptum: & ſimul iuxta adverſarios haberet dictamen reflexum, conceptum ex vi alterius principii, quòd non peccet hìc, & nunc. Quæ ſunt omnino repugnantia. Ergo fictitium eſt illud iudicium reflexum, ad quod confugiunt adverſarii.

§. XII.

Præcluditur aliud effugium Probabiliſtarum, *contendentium, non obſtante illo dubio, reſultante ex conflictu opinionum æquè probabilium pro lege, & pro libertate, poſſe formari dictamen practicum, diſcordans à dubio ſpeculativo, ex vi illius principii, quòd* In dubiis melior eſt conditio poſſidentis; *oſtenditurque, illud ſolùm tenere in materia Juſtitiæ.*

68. HOc eſt alterum principium, vi cuius aiebat P. Moya poſse diſcordare iudicium practicum à iudicio ſpeculativo; quia in dubio melior ſit conditio poſſidentis, non ſolùm in materia iuſtitiæ, ſed etiam in materia aliarum virtutum; ita ut ratione poſſeſſionis libertatis licitum ſit, practicè deponere dubium. Verùm præter nuper dicta impugnatur hoc effugium: quia illud axioma, *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis*, ſolùm eſse verum in materia iuſtitiæ, veriſſimum eſt: ut tradunt ultra triginta Doctores apud P. Thomam Sanchez lib. 1. Sum. cap. 10. num. 10. Inter quos ſunt Azor tom. 1. lib. 2. cap. 18. quæſt. 4. & cap. 19. quæſt. 10. & lib. 11. cap. 15. quæſt. 2. P. Vazquez 1. 2. quæſt. 19. art. 6. diſput. 65. cap. 3. ubi ait, abſque controverſia eſse debere, quoties dubitatur, utrum ſit lex aliqua, an non, & ſolùm agitur de periculo peccandi, eligendam eſse partem tutiorem, in qua peccatum eſse non poſſit. Et addit, nullum hactenus ſe ex Doctoribus Scholaſticis inveniſse, qui oppoſitum aſſerat: additque, etiam quando dubium eſt, utrùm votum fuerit emiſſum, an non, eligendam eſſe partem tutiorem, in qua peccatum eſſe non poſſit. Ibique n. 10. probat, eſſe eamdem rationem de dubio juris (videlicet cum dubitatur, utrùm ſit lex aliqua lata, vel non) & in dubio facti (verbi causâ, utrùm quis commiſerit homicidium, cui annexa eſt in jure irregularitas) ac in utroque dubio eligendam eſſe partem tutiorem, ne fortè fiat illud, quod

revera malum, & peccatum eſt. Nam hoc ipſo quòd Petrus dubitet prudenter an commiſerit homicidium, dubitat an detur lex, quâ obligetur, ut non accedat ad miniſterium altaris: ac proinde in hoc dubio debet abſtinere à miniſterio altaris; ut conſtat ex cap. *Juvenis* de Sponſalibus, & cap. *Significaſti* de Homicidio. Redditque rationem Pontifex, *Cùm in dubiis tutior pars ſit eligenda*, Quam regulam non ſtatuit, ſed ſupponit tamquam lumine naturæ notam. Eamdem ſententiam tuentur Navarrus in cap. *Si quis* de Pœnit. diſt. 7. à nu. 35. uſque ad 42. & in Sum. cap. 27. nu. 279. & Covarruvias in Clementin. *Si furioſus* de homicidio. Contrariam autem partem, nempe illud axioma, *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis*, intelligendum etiam eſſe in materia aliarum virtutum docent multi cum P. Suarez to. 5. in 3. par. diſp. 40. ſec. 5. num. 15. & cum Sanchez lib. 1. Sum. cap. 10. n. 11.

69. Probatur autem noſtra ſententia; quia ſi illud axioma, *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis*, haberet locum in aliis materiis præter materiam juſtitiæ, in omni dubio liceret eligere partem minùs tutam propter maius jus, quòd haberet ille, qui dubitat; eò quod poſſideret ſuam libertatem. Unde dubius de homicidio, non deberet ſe gerere, ut irregularem; quia melior eſſet conditio ſuæ libertatis. Hoc autem eſt apertè falſum: habemus enim expreſſam Pontificis definitionem in cap. *Ad audientiam*, & cap. *Significaſti*, 1. & 2. de Homic. & cap. *Juvenis* de Sponſ. quòd in dubio homicidii debet quis abſtinere à miniſterio altaris, propter dubium irregularitatis. Ratio autem, quam ibi reddit Pontifex, communis eſt omni dubio, in quo ex altera parte imminet periculum tranſgrediendi legem; nempe in dubiis tutiorem partem eſſe eligendam. Nam ratio propter quam in dubio homicidii debeat quis ſe gerere ut irregularem, eſt, quia cùm homicidæ impoſitum ſit præceptum ab Eccleſia, non accedendi ad miniſteria altaris, hoc ipſo quòd quis dubitat, an commiſerit homicidium, dubitat, an ſit peccatum accedere ad miniſterium altaris: & ideo ne exponatur periculo peccandi, debet ab illo miniſterio abſtinere. Hæc autem ratio communis eſt omni etiam dubio juris; quando nimirum dubitatur, an ſit, vel non ſit lex obligans; ſeu an ſit, vel non ſit peccatum talis actio. Quod autem aliqui reſpondent, in dubio de homicidio tutiorem partem eſſe eligendam, quia ita ſtatuit Pontifex, nec eſſe extendendam hanc obligationem ad alios caſus non expreſſos in jure, manifeſtè falſum eſt; inquit P. Vazquez 1. 2. diſp. 65. num. 9. Nam Pontifex in illis textibus non præcipit noviter, ut tutior pars eligatur; ſed potiùs ſupponens regulam illam tamquam veram, nempe *In dubiis tutiorem partem eſſe eligendam*, colligit ex ea, in eo caſu cenſendum eſſe irregularem eum, qui dubitat an occiderit. Quare falſum eſt, illam regulam eſſe ſolùm conſilium; ſi enim ita res ſe haberet, malè Pontifex inde colligeret, cenſendum eſſe irregularem. Continet ergo præceptum rigoroſum juris naturalis, ne videlicet quis ſe exponat periculo agendi contra legem Dei; ut probant, quæ ſupra adduximus.

70. Probatur ſecundò, titulum poſſeſſionis libertatis non eſſe ſufficientem ad deponendum practicè, & circa actionem hic, & nunc exercendam, dubium ſpeculativum, quod verſatur circa rationem communem. Nam, ut ſupra oſtendimus, ex dubio ſpeculativo neceſſariò reſultat dubium practicum, niſi in hac actione in particulari adſit aliqua ratio ſpecialis, propter quam aliter ſentiendum ſit de ipſa, quàm de aliis. At titulus libertatis non eſt ratio ſpecialis ad hanc actionem, ſed communis reliquis omnibus; ergo titulus libertatis non ſufficit ad deponendum dubium. Confirmatur: nam in ipſo dubio ſpeculativo involvitur titulus ille libertatis: dubitatur enim, an homo non obſtante titulo ſuæ libertatis, teneatur abſtinere à tali, vel tali actione, tali, vel tali contractu. At titulus imbibitus in ipſo dubio, & quo non obſtante datur dubium, nequit eſſe ſufficiens ad deponendum dubium. Nam ſi ſuffi-

cere t

Digitized by Google

ceret ad deponendum dubium circa hanc actionem particularem, ſufficeret circa omnem ſimilem; ac proinde ſufficeret ad deponendum dubium ipſum ſpeculativum, & in communi. Dum ergo ſupponitur manere dubium ſpeculativum in communi, non obſtante titulo libertatis, implicat tolli dubium practicum, & in particulari, ratione tituli libertatis.

71. Ut autem conſtet non bene argui à poſſeſſione in materia juſtitiæ ad poſſeſſionem in materia aliarum virtutum, examinanda eſt ratio, cur melior ſit conditio poſſidentis in materia juſtitiæ. Ponamus caſum. Contendunt Petrus, & Paulus de majoratu apud Judices; unuſquiſque allegat rationes magni momenti ad probandum, jus maioratûs ad ſe pertinere: expenduntur rationes, & pares reputantur: Petrus autem ultra rationes allegat pro ſe poſſeſſionem majoratûs. Tunc Judices debent in ipſius favorem ſententiam proferre. Ratio autem eſt, quia poſſeſſio auget jus, & eſt motivum ſufficiens, ut cenſeatur res potiùs ad Petrum pertinere, quàm ad Paulum: quia cùm jura ipſa difficillima cognitu ſint, ut finirentur lites, & ſumptus impedirentur, homines ipſi ductu luminis naturalis inter ſe convenêre, pactumque fecere, ut ubi jura paria ſunt, & non poteſt veritas deprehendi, res illi deferatur, qui cùm ſit æqualis jure, eſt potior poſſeſſione. Hoc enim inſtitutum omni homini utile eſt. Quia niſi poſſeſſio augeret titulum *ſuitatis*, ſeu titulum cenſendi rem eſſe ſuam poſſidentis; nemo ſecurus eſſet in rerum ſuarum pacifica poſſeſſione. Itaque propterea in pari cauſa quoad jus melior eſt conditio poſſidentis, quia illa conditio poſſidendi multùm juvat, ut Judex, & ipſe poſſeſſor judicent rem eſſe poſſidentis.

72. Hæc autem ratio non militat in materiâ aliarum virtutum. Nam quando eſt dubium prudens propter rationes graves utrimque æqualiter moventes, an ſit, vel non ſit lex prohibens aliquam actionem: poſſeſſio libertatis non eſt titulus ad cenſendum, non eſſe latam illam legem; quia cùm homo ratione ſuæ libertatis eſſentialiter ſit ſubditus Deo, nequit titulus libertatis quidquam conducere ad judicandum non extare legem prohibentem illam actionem. Quare titulus libertatis non deſervit, ad reſolvendum dubium, an res ſit, vel non ſit prohibita, ſit, vel non ſit mala: titulus autem poſſeſſionis rei facit ad reſolvendum dubium illud, cujus ſit, vel ad quem pertineat majoratus, v.g.

73. Quod clariùs & hinc patet: nam in materia juſtitiæ, ut ſit melior conditio poſſidentis, debet poſſeſſio eſſe certa, & explorata. Si enim dubitaretur de jure ad rem, & militarent æquales rationes pro Petro, ac pro Paulo, & inſuper poſſeſſio eſſet dubia, deberet res dividi inter litigantes, nec poſſet in integrum alteri partium adjudicari, ut docet Leſſius lib.2.cap.6. dubit.3. nu.10. *Si dubium* (inquit.) *verſetur inter duos, quorum neuter bona fide poſſidebat, res eſt dividenda; quia par eſt jus utriuſque, nec ulla eſt ratio, cur alteri potiùs, quàm alteri adjudicetur*. Quod idem docet Cardinalis de Lugo t.1. de Juſt. & Jur. diſp.7. ſec.3. num.21. ubi docet; *Quando jus inter litigantes eſt dubium, & poſſeſſio item dubia, rem eſſe dividendam inter utrumque, magis vel minùs, pro ratione majoris dubii*. Idem docet latè Tamburin. lib.1. in Decal. cap.3. §.4. citans Salas, Villalobos, Coninck, Sanchez, Caſtro-Palaum, & Layman. Dum ergo adverſarii dicunt in dubio juris, an ſit, vel non ſit præceptum prohibens actionem, meliorem eſſe conditionem hominis poſſidentis ſuam libertatem; ac proinde ratione illius poſſe deponere practicè dubium, formando dictamen, quòd in tali dubio ſibi liceat operari; inquiro, de qua libertate loquantur, an de libertate phyſica, an de libertate morali ad faciendam rem illam impunè, & ſine peccato. Si primum: illa libertas non ſufficit; nam hominem eſſe liberum, non eſt fundamentum ad præſumendum non eſſe ei prohibitum talem, vel talem contractum; cùm libertas creaturæ nō tollatur per hoc, quòd ſub-

datur

Digitized by Google

datur præceptis Creatoris. Si alterum, illa libertas non eſt certa, ſed dubia; idem enim eſt dubitare, an actio aliqua ſit peccaminoſa, vel prohibita, ac dubitare, an homo habeat libertatem ad faciendam illam actionem impunè, & ſine peccato. Ut autem poſſeſſio libertatis deſerviret ad deponendum dubium, ſicut deſervit poſſeſſio fundi, vel majoratûs in materia juſtitiæ, deberet poſſeſſio libertatis eſſe certa, ſicut debet eſſe certa poſſeſſio in materia iuſtitiæ. Idque clariùs cernitur, quando dubitatur, an res aliqua ſit prohibita iure naturali, v.g. an aliquis contractus ſit uſurarius, vel ſimoniacus; numquam enim homo habuit libertatem ad faciendum licitè contractum illum, de quo prudenter dubitatur, an ſit intrinſecè malus; cùm rem intrinſecè malam impoſſibile ſit licitè exercere, ſeclusâ ignorantiâ invincibili.

§. XIII.

Quid dicendum in dubio Voti?

74. CVm votum ſit lex quædam particularis, quam homo ſibi imponit; dum homo prudenter dubitat ob rationes graves hinc inde occurrentes, an emiſerit votum; hoc ipſo dubitat, an rem illam poſſit exequi ſine peccato: v.g. dum dubitat de voto caſtitatis, dubitat an ſibi ſit peccatum nubere. Ergo cùm regula illa, *In dubiis tutior pars eſt eligenda*, univerſalis ſit, ut ſupra probavimus, dicendum ex dictis eſt, in illo dubio tutiorem partem eſſe eligendam, nec poſſe dubium practicè deponi ratione tituli poſſeſſionis libertatis, niſi adſit aliud fundamentum ad prudenter iudicandum, votum non fuiſſe emiſſum. Idque acriter, & nervosè defendit P. Vazquez 1. 2. diſp. 65. cap. 2. dicens num. 8. abſque controverſia eſſe debere propter eandem rationem; quâ univerſaliter cenſet, in dubio iuris, quando dubitatur, an detur, vel non detur præceptum reddens rem illicitam, tutiorem partem eſſe eligendam. Præterea format validum argumentum à paritate. Nam ſi poſſet quis in dubio de emiſſione voti non ſervare votum, poſſet ſimiliter in dubio de contracto matrimonio legitimo petere debitum, v.g. dum poſt contractum matrimonium bona fide, incœpit coniux prudenter dubitare, an intervenerit impedimentum aliquod dirimens. Conſequens autem eſt abſurdum; nam in cap. *Dominus, de ſecundis nuptiis*, & in cap. *Inquiſitionis, de ſententia excommunicationis*, definit Pontifex, quoties aliquis coniux dubitat non leviter, ſed diſcretè, & prudenter de morte prioris coniugis, aut de alio ſimili impedimento, quo matrimonium fieret nullum, debere reddere debitum coniugale alteri coniugi petenti bona fide, ſed non item poſſe illud exigere: cuius legis ſummam æquitatem explicat optimè idem Vazquez ibi diſp. 66. cap. 4. à num. 21. Jam probatur ſequela. Nam ideo in dubio matrimonii, non poteſt petere debitum coniux a conſorte, ne ſe exponat periculo faciendi, quod vetitum eſt, ſeu agendi contra legem certam de non accedendo ad non ſuam; nam hoc ipſo, quòd dubitat, an matrimonium fuerit validum, dubitat, an hæc fœmina ſit non ſua. Similis autem omnino ratio militat in dubio voti; nam cum detur certa lex de non violando voto, hoc ipſo quòd dubitat, an emiſerit votum, dubitat, an faciendo rem, ad quam non faciendam ſe obſtrinxit voto, violet eam legem; ac proinde in hoc dubio tenetur obſervare votum, ne ſe exponat periculo tranſgrediendi legem illam.

75. Quamvis autem hæc ita ſe habeant, tamen ſæpe in dubio voti non erit obligatio adimplendi votum; quia poterit aliunde dari fundamentum ad deponendum dubium. Si quis enim experientiam habet de ſe ipſo, quòd non facilè obliviſcatur rerum, quas maturo conſilio, & plena conſideratione fecit, hoc ipſo quo dubitet de emiſſione voti, poteſt formare hunc diſcurſum: Si ego emiſiſſem votum, meminiſſem modò me id emiſiſſe, ſicut reminiſci ſoleo aliarum rerum, quas maturè deliberavi: at non memini: ergo non feci. Et ſic deponi-

ponitur dubium. Dicimus itaque, quando concurrunt opiniones æquè probabiles apud operantem, quæ hoc ipſo illum relinquunt dubium, non poſſe amplecti benignam faventem libertati, niſi adſit aliquod motivum, vi cuius prudenter præſumere valeat, benignam eſſe veram, eique aſſenſum directè præſtet; & ſic deponat dubium ſpeculativum, quod conceperat propter æqualia utriuſque partis motiva. Manente autem illo dubio ſpeculativo per nullas reflexiones poteſt formare dictamen conſcientiæ, quòd ſibi liceat talem operationem exercere, de quâ habet dubium in communi, ſeu ſub ratione communi eam confundente cum reliquis ſimilibus actionibus. Dum enim manet ſic ſpeculativè dubius, neſcit an detur, vel non detur v.g. lex prohibens pingere in die feſto: dum autem in hoc ſtatu eſt, nequit formare dictamen certum, quòd ſibi liceat pingere hic, & nunc in die feſto ſine neceſſitate. Ac proinde, quouſque ut verum ſibi perſuadeat per aſſenſum opinativum directum, illam legem non extare, & ſic dubium deponat, nequit formare dictamen illud reflexum certum.

76. Sed obiicies contra reſolutionem modò datam in dubio voti: Homo poſſidebat libertatem ſibi à Deo conceſſam ad contrahendum impunè, & ſine culpâ matrimonium: ergo quouſque in tribunali eius conſcientiæ probetur eum emiſiſſe votum, non manet obligatus. At dum extat dubium de emiſſione voti, eius emiſſio non probatur: ergo in illo dubio non manet obligatus. Et idem argumentum efficitur, quando dubium eſt de exiſtentiâ legis humanæ prohibentis rem, ad quam exercendam impunè, & ſine peccato homo habuit aliquando ius, nempe ante exiſtentiam talis legis. Vtrobique enim videtur urgere paritas deſumpta à poſſeſſione in materia juſtitiæ. Quamvis hæc ſit via veriſimilior ad negandam obligationem voti, & legis humanæ in dubio, tamen reſpondeo, à poſſeſſione in materia juſtitiæ, numquam bene argui ad votum, & legem humanam. Ratio eſt, quia poſſeſſio rei conſervatur ſimul cum dubio iuris; dum enim duo litigant ſuper maioratu, & uterque allegat pro ſe fundamenta æquè veriſimilia, vi quorum pares ſunt in iure, conſervatur poſſeſſio certa apud alterum: quæ poſſeſſio facit ut poſſidens prævaleat adversûs alterum. At in caſu voti, & ſimilium, licet ante ipſius emiſſionem homo haberet ius ad contrahendum matrimonium impunè, & ſine peccato; tamen poſtquam prudenter incipit dubitari de voto, incipit quoque dubitari de iure, & libertate ad contrahendum matrimonium. Numquam enim homo habuit ius ad contrahendum matrimonium poſt emiſſum votum. Ac proinde libertas illa non poteſt eſſe ſufficiens ad tollendam obligationem voti, quando de illa dubitatur. Quamvis autem quis ob rationem nuper allatam poſſet tueri in dubio voti, & præcepti humani non dari obligationem obſervandi præceptum & adimplendi votum, non poſſet ſimilis ratio ad dubium iuris naturalis, & præcepti Divini transferri: numquam enim habuit homo indubitatam libertatem ad exercendam impunè, & ſine peccato actionem illam, de quâ prudenter dubitatur, an ſit intrinſecè illicita, & iure naturali prohibita. Ac proinde ibi non adeſt titulus eximendi ſe ab illa obligatione.

§. XIV.

Impugnatur aliorum reſponſio, aſſerentium, in dubio reſultante ex opinionibus contrariis æquè moventibus, non eſſe ſufficienter propoſitam legem probibitivam actionis.

77. GRaviſſimi Theologi cenſent, quando ex occurſu opinionum, ſeu rationum æqualium pro lege, & contra legem, manet intellectus dubius, nec poteſt ferre iudicium, an lex exiſtat; tunc non poſſe formari dictamen practicum, quòd lex hic & nunc non obliget; quia nemo obligatur lege

lege niſi ſit illi ſufficienter propoſita: ſed qui poſt factam ſufficientem diligentiam ad cognoſcendum, an ſit talis lex, non potuit id aſſequi, non habet talem legem ſufficienter propoſitam: ergo licet generaliter, ſeu ſpeculativè maneat dubius, an talis lex lata ſit, in particulari eſt certus, ſe non obligari tali lege. Nam lex non obligat perſonam, ſeu non ligat illam, donec ei in particulari ſit ſufficienter propoſita; niſi per eam ſtet, quominùs proponatur. Hæc eſt via omnium probabiliſſima inter Doctores oppoſitæ partis ad defendendum, in dubio proveniente ex occurſu opinionum æquè probabilium, neminem obligari.

78. Recentiores aliqui Probabiliſtarum acerrimi impugnatores, citant Probabiliſtas ſuppreſſo nomine, tamquam aſſerentes in occurſu opinionum æquè probabilium pro lege & libertate, non eſſe obligationem ſequendi partem tutiorem, quia non eſt ſufficienter promulgata lex, quando dubitatur de eius exiſtentiâ propter rationes æquè probabiles utrimque occurrentes. Et hoc ſuppoſito invehuntur in hanc ſententiam, multa inde abſurda inferentes. Sequeretur, aiunt, primò, eum qui in illo dubio operaretur, ne materialiter quidem violaturum legem; quia lex non ſatis promulgata perinde ſe habet, ac ſi lex non eſſet: hoc autem eſt contra Probabiliſtas, qui dicunt, ſi fortè contingat rem eſſe prohibitam, ſolùm materialiter agere contra legem, qui poſt illud dubium ſpeculativum, format dictamen practicum, quòd ſibi licet operari, eò quòd lex ſatis promulgata non ſit. Sequeretur ſecundò, partem tutiorem non ſolùm non eſſe de præcepto, ſed nec de conſilio, ut patet in legibus humanis non promulgatis: cùm tamen ipſi aſſerant eſſe de conſilio, partem tutiorem ſequi.

79. Hæc & alia abſurda inferunt ex illa ſuppoſitione. Verùm ego attentè legi authores huius reſponſionis, qui tantùm dicunt legem in eo caſu non eſſe ſufficienter propoſitam ipſi operanti. Aliud autem eſt, non eſſe ſufficienter propoſitam alicui, vel aliquibus; aliud, non eſſe abſolutè ſufficienter promulgatam. Nam ut lex ſufficienter ſit promulgata, non requiritur quòd ad omnium ſingularium notitiam pervenerit. Et quamvis non eſſet ſufficienter promulgata, ſi omnes de eius exiſtentia dubitarent; erit tamen, quamvis dubitent aliqui.

80. Ideoque ſapienter P. Valentia tom. 2. diſp. 7. punct. 5. pro tollenda æquivocatione notat, dupliciter intelligi poſſe, legem obligare: primò, ut ipſam obligare idem ſit, ac ipſam ſufficienter ſanciri, & velut regulam quamdam ſolemniter exponi; atque adeo habere eiuſmodi vim, ut qui contra eam fecerint, poſtquam ad eorum notitiam quovis modo venerit, iure cenſeantur eam prævaricati: quod eſt legē obligare quaſi in actu primo, ſeu habere vim obligativam. Secundò, ut legem obligare, ſit ipſam actu hominem ligare, & quaſi conſtringere; ita ut, ſi contra illam faciat, vere ſit illius prævaricator, & reus: ita ut nec per ignorantiam excuſari meritò queat. Quod accidit poſtquam lex pervenit ad alicuius notitiam, vel certè ita iam divulgata eſt, ut quis conſideratâ circumſtantiâ perſonæ, & occaſione, quam habet cognoſcendi legem, poſſit ex certa intentione, morali modo pervenire ad legis notitiam. Quod eſt legem obligare in actu ſecundo. Huculque Valentia. Probabiliſtæ ergo ſolùm dicunt eo in caſu legem non obligare in actu ſecundo, eò quòd non ſit ſufficienter applicata. Non negant autem legem illam habere vim obligandi in actu primo, ſi ſit promulgata in ſenſu nuper ſtabilito à P. Valentia in prima acceptione.

81. Omiſſis ergo iis impugnationibus, quæ falſa ſuppoſitione laborant, aliter nobis oppugnandi ſunt, huius effugii authores, in quos acriter invehitur P. Vazquez 1.2. diſp. 65. & 66. latè probans in omni dubio iuris, & facti, tutiorem partem eſſe eligendam; ita ut hoc non ſit ſolum conſilium, ſed rigoroſum præceptum. Argumentor ergo primò: nam ex illa doctrinâ ſequitur, non peccatu-

Digitized by Google

catum illum, qui conſtitutus in illo dubio, an ſit peccatum pingere in die feſto ſine neceſſitate, propter motiva utriuſque opinionis æqualiter probabilia apud ipſum, immediatè poſt hoc dubium pingeret, non formato priùs dictamine aliquo reflexo quo ſibi liceat operari: nam ſi in illo dubio lex non pingendi non eſt ipſi ſufficienter propoſita, nec ipſum obligat: ergo pingendo non facit contra obligationem, ac proinde non peccat. Hoc autem eſt manifeſtè abſurdum. Ut enim inquit P. Vazquez ea diſp. 65. num. 1. & fatentur adverſarii; quemadmodum apud omnes extra controverſiam eſt, peccare eum, qui contra iudicium conſcientiæ ſingulare aliquid operatur: ita etiam nemo dubitat, peccare eum, qui operatur non habens firmum, ac determinatum conſcientiæ iudicium, quo iudicet non eſſe malum, ac peccatum id, quod facit: ſed potiùs dubitans, an ſit peccatum, nihilominus illud operatur.

82. Reſpondebis forſan ex P. Terillo tract. de Conſc. probabili q. 23. num. 31. eum qui in eo dubio pingeret, peccaturum; non quidem contra legem non pingendi (hæc enim dubia ſupponitur; lex autem dubia non obligat, quia non tam eſt lex obligans, quàm dubium legis obligantis) ſed contra legem reflexam certam de non operando in dubio legis non depoſito. Itaque operans in dubio non depoſito, peccat (inquit Terillus) quia contemnit periculum cui ſe committit; ideoque lex quando repræſentatur ſub dubio, aliquo modo inducit obligationem, non quidem per modum legis, ſeu imperii arctantis, & regulæ dirigentis ſubditos; ſed ſolùm tamquam circumſtantia afficiens obiectum illudque conſtituens dignum prohibitione reflexa. Porro hæc duo ita ad invicem comparantur, ut unum eorum tolli non poſſit, quin alterum tollatur. Unde quoties actualis dubitatio prudenter tollitur, lex illa reflexa, & conſequenter omnis lex obligans ceſſat. At eo ipſo, quòd poſt omnem diligentiam adhibitam lex quæſita non invenitur exiſtere, per hoc ipſum dicta dubitatio ceſſat: quia habetur prudens præſumptio, ſeu iudicium, quòd nulla eiuſmodi lex exiſtat, & conſequenter omnis obligatio tollitur.

83. At hæc reſponſio vim noſtri argumenti non enervat, ſed potiùs probat peccare eum, qui in eo inſtanti, in quo dubitat, an detur lex prohibens exercitium pingendi, nihilominus pingit; quia dubitatio illa de lege, etſi non inducat obligationem per modum imperii arctantis, & regulæ dirigentis, inducit tamen per modum circumſtantiæ afficientis obiectum, illudque conſtituentis dignum prohibitione reflexâ. Ergo implicat dari illam dubitationem legis, quin detur lex reflexa abſolutè obligans ad non pingendum eum illo dubio. Ergo qui illo modo dubius eſt, nequit in illo inſtanti formare dictamen reflexum certum, quòd ſibi liceat hìc & nunc pingere; quia hoc dictamen, ſi daretur, ſupponeret non dari eiuſmodi legem reflexam abſolutè obligantem; & aliunde ſupponeret dari: quæ ſunt contradictoria. Supponeret non dari; quia per te eſt verum, imò certum; & nequit eſſe verum, ſi datur illa lex reflexa reddens illicitum exercitium pingendi, ut patet. Supponeret autem dari; quia ſupponeret illam dubitationem, an detur lex directa non pingendi in die feſto ſine neceſſitate; illa autem dubitatio per te affert ſecum neceſſariò illam legem reflexam, tamquam circumſtantia obiectiva cum eâ connexa.

84. Itaque reſponſio Terilli ad ſummum probat, poſſe deponi dubium de exiſtentia legis, formando hunc diſcurſum: Si lex aliqua actionem hanc prohiberet, illa poſt debitam diligentiam patuiſſet: at poſt omnem induſtriam non patet; quia res ſemper manet incerta: ergo nulla lex prohibet hanc actionem. Sicut ſupra dicebamus poſſe tolli, & reſolvi dubium de emiſſione voti per ipſammet dubitationem præcedentem, formando diſcurſum iſtum: Si ego emiſiſſem votum, modò meminiſſem id me emiſiſſe: at non memini, ſed dubius ſum: ergo non emiſi. Verùm hoc non eſt contra nos, qui non negamus, poſſe

X poſt

Digitized by Google

poſt dubium de exiſtentia legis, formari præſumptionem prudentem de non-exiſtentia eius. Certum namque eſt, ſi deponatur omnino dubium antea conceptum, & quis formet iudicium prudens de non exiſtentia legis, quòd poſſit iam licitè operari. Non eſt iſte caſus noſtræ quæſtionis. Caſus noſter eſt, an ſtante illo dubio quaſi ſpeculativo de exiſtentia legis poſſimus formare dictamen practicum, quòd hic & nunc licet operari. Affirmant graves Doctores, inter quos P. Thomas Sanchez in ſum. lib. 1. cap. 10. num. 32. ubi inquit: *Nemo obligatur lege, niſi illi ſit ſufficienter propoſita. At quando poſt ſufficientem diligentiam manet quis dubius an ſit lex, & præceptum, non ſunt illi ſufficienter propoſita. Ergo etſi in genere, & ſpeculativè manet dubius, an ſit lex, & præceptum, eſt in particulari, ſeu practicè certus, ſe non obligari præcepto*. Nos verò hæc negamus cum P. Vazquez 1. 2. diſp. 65. num. 2. ubi cum Corduba ait, neminem poſſe habere ſingulare iudicium conſcientiæ rectum cum aſſenſu determinato, ſi dubitet in univerſum, utrùm illud quod vult facere, ſit malum, an non. Quòd ſi ob aliquam circumſtantiam in ſingulari determinato aſſenſu iudicet quis hoc ſibi non eſſe malum, non poteſt in univerſum, etiam cum eiſdem circumſtantiis non iudicare. Itaque ex dubio ſpeculativo, & in communi, neceſſariò reſultat dubium practicum, & in particulari: & dictamen practicum tollens dubium practicum, & in particulari, neceſſariò tollit etiam dubium ſpeculativum, & in communi. Quia implicat me dubitare, an aliquid accipere ultra ſortem ratione lucri ceſſantis ſit uſura, & tamen ſimul eſſe certum non eſſe uſuram, me hic, & nunc accipere aliquid ultra ſortem ratione lucri ceſſantis; ut ſupra probavi.

85. Dixi, *ad ſummum*. Quia difficile eſt, quòd certus quis ſit, ſe feciſſe omnem diligentiam debitam ad inquirendam exiſtentiam legis. Rurſus, quamvis certus foret de diligentiâ adhibitâ, incertus adhuc poſſet eſſe, an ſufficiens diligentia illa ſic afferat ſecum notitiam legis, ſi talis lex exiſtit, ut poſſit inde arguere legem non exiſtere hoc ipſo, quòd poſt diligentem inquiſitionem non eſt inventa. Quamvis autem in aliquo raro caſu poſſit quis prudenter formare iudicium prudens de non-exiſtentia legis, hoc ipſo quòd illam diligenter quæſivit, & non invenit: communiter tamen nequeunt omnes, qui prudenter dubitant de exiſtentia legis, deponere illud dubium, formando ea ratione iudicium illud. Ergo tunc peccabunt, ſi ſtante eo dubio operentur. Ergo qui poſt ſufficientem diligentiam manet dubius de lege, habet legem ſufficienter propoſitam, ut peccet operando illud, quòd lex illa dubia prohibet.

86. Argumentor ſecundò: quia ſi lex non eſt ſufficienter propoſita, quando intellectus eſt dubius, an detur, vel non detur, & an actio ſit illicita, vel non ſit illicita; ergo nec erit ſufficienter propoſita, quando eſt dubius, an detur, vel non detur lex circa actionem hic & nunc exercendam, ſeu an hæc actio hic & nunc exercenda, ſit peccaminoſa; nam ſi dubitatio impedit ſufficientem propoſitionem legis, maior dubitatio magis impediet: maior eſt autem dubitatio practica circa actionem hic & nunc à me exercendam, quàm dubitatio quaſi ſpeculativa circa actionem in communi, & univerſaliter ſumptam. Ergo non peccabit homo, quamvis operetur cum dubio practico, an actio hic & nunc à ſe exercenda, ſit peccaminoſa; ſiquidem nequit peccare ubi citra ſuam culpam non habet legem ſibi ſufficienter propoſitam. Hoc autem conſequens eſt manifeſtè abſurdum: quia ut inquit P. Thomas Sanchez lib. 1. Sum. cap. 10. num 2. certum eſt apud omnes exigi ad licitam operationem, ne intellectus ſit practicè dubius. Ergo abſurdum eſt antecedens unde illud conſequens deducitur; nempe legem non eſſe ſufficienter propoſitam prout oportet ad peccandum, quando datur dubium an exiſtat, vel non exiſtat lex, & an actio ſit, vel non ſit prohibita.

87. Dicendum itaque eſt, ſufficienter propoſitam eſſe legem prohibitivam ali-

alicujus actionis, quando viri ſapientes cenſent gravi cum fundamento, talem legem exiſtere, adſuntque motiva gravia ad ita iudicandum; quamvis ea motiva non poſſint hic & nunc extorquere aſſenſum, vel perſuadere; eò quòd concurrant cum motivis partis oppoſitæ, æquè moventibus ad diſſenſum de exiſtentia talis legis. Etenim operari cum illo dubio, non eſt operari cum ignorantia invincibili legis; ut ſupra oſtendimus. Quamvis enim ad hoc, ut lex virtutem obligandi obtineat, quod eſt proprium legis, oportet, quòd applicetur hominibus, qui ſecundùm eam regulari debent (ut loquitur D. Thomas 1.2.quæſt.90.ar.4.in corp.) talis applicatio fit per hoc, quòd in eorum notitiam deducitur, ut ibidem ſubdit. Sufficienter autem pervenit lex in notitiam hominis, quando ipſe ſcit multos viros ſapientes teſtificari, quòd detur talis lex, quamvis alii id negent, & propter concurſum utriuſque opinionis ipſe prudenter dubitat. Itaque prudens dubium de exiſtentia legis, æquivalet iudicio opinativo in ordine ad reddendam illicitam actionem tranſgreſſivam legis. Nec enim illa actio, quæ fit cum prudenti illo dubio, appellari poteſt tranſgreſſio ſolùm materialis, qualis eſt illa, quæ fit cum ignorantia invincibili legis. Atque adeo uſque dum deponatur illud dubium per iudicium prudens, quòd ſit falſa opinio affirmans exiſtentiam legis, & vera ſit opinio negans, manebit homo obligatus obſervare legem. Quod iudicium nequit habere operans, niſi appareat illi, ut veriſimilior non-exiſtentia legis, fortioraque ei adſint fundamenta ad negandam, quàm ad affirmandam exiſtentiam legis. Quare lex ipſa prohibens uſuram, v.g. obligat ad abſtinendum à contractu, de quo prudenter dubitas, an ſit uſurarius; ſicut obligat ad abſtinendum ab illo, quando quis iudicat eſſe uſurarium.

§. XV.

Solvuntur fundamenta alia aſſerentium in occurſu opinionum æquè probabilium pro lege, & contra legem, licitum eſſe cuiquam eligere, quam maluerit. Ubi oſtenditur, quòd licet tunc poſſet intellectus ex imperio voluntatis aſſentire parti benignæ ut veræ, ille aſſenſus non ſufficeret ad eam licitè ſectandam.

88. PAter Terillus quæſt. 21. de Conſcientia probabili n. 4. probat, licitum eſſe ſequi quamcumque ex partibus contradictionis æquè probabilibus, hoc argumento. Intellectus prudenter flecti poteſt ad aſſentiendum cuivis ex partibus contradictionis in actu primo æquè probabilibus. Hoc poſito ſic arguit. Par probabilitas partis minùs tutæ, fundat poſſibilitatem aſſenſûs prudenter terminati ad partem minùs tutam: ergo fundat certitudinem de honeſtate electionis ad eandem partem terminatæ. Probat hanc conſequentiam; quia ſi voluntas imperet dictum aſſenſum, hic aſſenſus exiſtens fundabit hunc ſyllogiſmum reflexum: *Quidquid à quoquam prudenter judicatur, non eſſe probibitum, id hic & nunc ei licitum eſt: ſed ego hic & nunc prudenter judico hoc objectum non eſſe à Deo probibitum: ergo hoc objectum hic & nunc mihi licitum eſt.* Reſpondeo me facilè conceſſurum reliqua, ſi iſte author oſtenderet, poſſe voluntatem prudenter flectere intellectum, ut ex duabus opinionibus contrariis ipſi propoſitis cum æquali vi movendi, aſſentiatur parti benignæ, aſſerenti licitam eſſe actionem. Id autem licet multis conetur oſtendere quæſt.8.& 10. deſumpto argumento à paritate voluntatis potentis ſe immediatè flectere ad eligendum inter objecta omnino æqualia in vi movendi, unum potiùs quam aliud; numquam tamen perſuadebit nobis: qui ſupra ſatis oſtendimus palmarem, & manifeſtam differentiam inter voluntatem, atque intellectum; efficaciterque probavimus impoſſibile omnino eſſe, ut intel-

lectus aſſentiatur etiam ex imperio voluntatis uni parti contradictionis potiùs quàm alteri, ſi utraque in actu primo repræſentatur ut æquè veriſimilis: quia tunc quælibet æquè apparet falſa, ac vera. Implicat autem, ut intellectus, qui tendit ſub ratione veri, amplectatur per aſſenſum eam partem, in qua ipſi non apparet magis veritas, quàm falſitas.

89. Rurſus: quamvis voluntas poſſet ita flectere intellectum; prudens non eſſet ejuſmodi imperium. Quia voluntatem flectere intellectum ad iudicandum rem non eſſe ſibi illicitam, ut ita eam poſſit impunè exequi, eſt voluntariè ſe exponere periculo agendi contra legem Dei: nam dum videt opinionem rigidam eſſe æquè probabilem, ac opinionem benignam, videt opinionem benignam eſſe non minùs expoſitam falſitati, quàm veritati; ac proinde videt valdè probabile, & contingens eſſe, ut qui illam ſectantur, amplectantur ut licitum, quod reipsà eſt prohibitum. Quocirca nequit eſſe prudentia, illam partem præferre alteri, quando non adeſt ſpeciale fundamentum obiectivum ad præſumendum, veritatem eſſe potiùs penes partem benignam, quàm penes oppoſitam.

90. Quod ita declaro. Adverſarii fatentur intellectum antecedenter ad imperium voluntatis eſſe dubium, & ſuſpenſum, quando motiva hinc, & inde impellentia ſunt omnino æqualia in vi movendi, & omnino fluctuare inter duas partes contradictionis, neſcientem, an res illa ſit illicita, an licita. Sicut ergo dum intellectus eſt ſub hoc dubio, imprudenter ageret voluntas, ſi ad praxim deduceret partem minùs tutam imperando potentiis exterioribus, ut illam rem executioni mandarent, de quâ intellectus dubitat, an bona, an mala ſit: ita quando intellectus eſt ex ſe, & ex parte ſua anceps, imprudenter illum voluntas extrahit ab illo dubio, eum neceſſitando ad opinandum de parte minùs tuta, ut ita ſine dictamine conſcientiæ, reprobante ut malam actionem conformem carni, & ſanguini, illam executionem mandet.

91. Præterea impugnatur: quia ut homo licitè operetur, requiritur, quòd habeat firmum iudicium, quòd ſibi licet operari; hoc autem firmum iudicium nequit habere, quando rationes partis oppoſitæ ſunt æqualis ponderis. Quare licet poſſet aſſentire ex imperio voluntatis, aſſenſus ille eſſet nimis debilis, & parum firmus, & magis ſuſpicio quædam, quàm verum & determinatum iudicium, quale requiritur ad ſecuritatem conſcientiæ; ad quam opus eſt, ut ita quis iudicet aliquid eſſe ſibi licitum, ut contemnat fundamenta partis oppoſite, velut minùs veriſimilia notabiliter, ne alioqui maneat prudenter anxius de oppoſito. Rationem hanc deſumpſi ex P. Sanchez lib. 1. Sum. cap. 10. num. 4. ubi cum P. Vazquez 1. 2. diſp. 67. cap. 2. num. 7. & Corduba in ſuo Quæſtionario lib. 3. quæſt. 5. paulò poſt principium, docet non ſolùm eſſe peccatum operari cum conſcientia dubia, quæ tunc datur, quando ob rationes utrimque concurrentes intellectus neutrius partis aſſenſum habet, ſed etiam quando tenui aſſenſu rem licitam eſſe iudicat. Ratio eſt (inquit) quia quando aſſenſus eſt ita tenuis ob vehementes rationes ferè pares, eam eſſe illicitam perſuadentes, vix poteſt ille percipi; ſed erit ſola quædam inclinatio, & propenſio in alteram partem, quam ſolam eſſe ſuſpicionem, diximus in præcedentibus. Et ita voluntas abſque determinato aſſenſu iudicii operabitur, ac proinde culpæ admittendæ periculo exponetur. Unde Sylveſter definiens: *Dubium* (inquit) *ſecundùm Philoſophum, & mentem D. Thomæ eſt contrariarum rationum æqualitas: unde propriè homo dubitat de aliquo, vel circa aliquid, quando habet rationes ad utramque partem æqualiter, aut quaſi æqualiter moventes; ita quod non inclinatur magis ad hoc, quàm ad illud notabiliter.*

92. Atque ad hominem contra Terillum oſtenditur, non poſſe formari ab operante iudicium verè probabile & prudens de honeſtate obiecti, quando in actu primo adeſt ratio æquè valida in con-

Digitized by Google

contrarium, ut enim ipſe definit q. 1. de Regula morum num. 7. *Ut opinio ſit verè probabilis, primum omnium requiritur, ut nitatur fundamento fide digno, ideſt tali, quod aptum eſt ad aſſenſum ab homine perito & probo irreprehenſibiliter iudicante impetrandum.* Additque hoc *motivum* debere eſſe *grave & magnum*; *magnitudinem verò huius motivi ſumi debere non ſolum abſolutè quatenus vehementer impellit ſecundùm ſe, ſed etiam relativè ad omnia in contrarium allata, adeo ut etiam in contradictione illorum vehementer alliciat ad aſſenſum; idque præcisè vi ſuæ magnitudinis tam abſolutæ, quàm comparativæ, & non ex affectu ac propenſione eius, cui proponitur.* Fieri namque non poteſt, ut irreprehenſibiliter ex magnitudine motivi iudicet homo contractum, v. g. eſſe honeſtum, quando habet æquale motivum ad iudicandum eſſe turpem. Idque rurſus colligo ex iis; quæ ipſe Terillus docet tom. de Conſc. quæſt. 2. n. 26. ubi ait: *perinde eſſe iudicare aliquid eſſe certò probabile, ac abſolute iudicare illud eſſe verum; quia certa probabilitas* (inquit) *fundat iudicium probabile, quòd res ſit vera: neque enim plus requiritur ad probabiliter iudicandum de veritate, quàm certa probabilitas de veritate ejuſdem.* Hoc namque verificari nequit, niſi certa probabilitas unius partis contradictionis dicat tantam veriſimilitudinem illius partis, ut abſorbeat veriſimilitudinem partis oppoſitæ. Quod habere non poteſt, quando pro parte oppoſita occurrit æqualis veriſimilitudo. Ad iudicium ergo certò probabile de honeſtate actûs requiritur, quòd nitatur motivo urgentiori, & gratiori, quàm ſit partis oppoſitæ.

93. Rationes, quas Terillus habet q. 8. ex imperio voluntatis in intellectum ſolutæ ſunt §. 2. & 3. inter probandam noſtram ſententiam. Vna ſupereſt hic diluenda, qua cum Stephano Spinula quaſi à priori rem probare contendit. Vbicumque datur naturalis inclinatio alicuius potentiæ ad aliquem terminum terminus ille poſſibilis eſt, quia naturalis inclinatio nec fruſtra eſt, nec fertur ad impoſſibilia: ſed intellectus ſtante motivo probabili ex una parte, vi motivi oppoſiti diſſimilis, & æqualis, urgetur, trahitur, & inclinatur ad aſſenſum præſtandum parti oppoſitæ: ergo aſſenſus illius partis eſt poſſibilis, etiam ſtante motivo æquali in oppoſitum. Reſpondeo, ex eo quòd detur inclinatio naturalis alicuius potentiæ ad aliquem terminum, rectè inferri illum terminum eſſe abſolutè poſſibilem illi potentiæ; non inferri autem, quòd ſit poſſibilis in ſenſu compoſito alicuius impedimenti. Sicut inclinatio ponderis exiſtens in uno brachio bilancis ad deſcenſum, probat quidem illum deſcenſum eſſe abſolutè poſſibilem; non probat autem quod ſit poſſibilis in ſenſu compoſito ponderis æqualis exiſtentis in altero bilancis brachio. Ergo ex eo quòd intellectus pulſetur motivo de ſe inclinante ad aſſentiendum parti benignæ, probatur quidem bene, illum aſſenſum eſſe abſolutè poſſibilem, non tamen evincitur, quòd ſit poſſibilis in ſenſu compoſito motivi æqualiter inclinantis ad oppoſitum. Nec intellectus ut affectus motivo A. inclinatur naturaliter ad aſſenſum ut componendum cum motivo B. æqualiter trahente ad diſſenſum, ſed ſolùm ad aſſenſum ſecundùm ſe. Et dum eſt præventus æquali motivo ad oppoſita, non magis inclinatur ad unam partem, quàm ad aliam; quia quantùm unum motivum inclinat, tantùm retrahit aliud. Hinc utrumque eſt impedimentum alterius: & neutrum in ſenſu compoſito alterius habet poteſtatem ad perſuadendum aſſenſum; quia in ratione potentis abſolutè perſuadere aſſenſum illius partis conſtituitur per carentiam motivi æqualiter moventis ad oppoſitum.

§. XVI.

Reiicitur alia reſponſio, nempe quòd in dubio negativo tutior pars ſit eligenda; non autem in dubio poſitivo: quando ſcilicet eſt utrimque opinio probabilis.

94. PAter Joannes de Cardenas to. 1. tr. 1. diſp. 10. n. 50. affirmat, eſſe intrinſecè improbabilem noſtram ſenten-

ten-

Digitized by Google

tentiam aſſerentem, non licere ſequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam in occurſu probabilioris, & tutioris: quia illa ſententia ab intrinſeco improbabilis eſt, quæ mera nititur æquivocatione; talis autem eſt noſtra ſententia; totum enim fundamentum, quo nititur, eſt, quia in dubio tutior pars eſt eligenda. At iſta (inquit nu. 52.) eſt manifeſta æquivocatio, quia confundit motivum probabile cum dubio, quaſi idem ſit in præſenti rem eſſe merè probabilem, & eſſe dubiam. Hæc ille.

95. Verùm, niſi ego multùm fallor, fundamentum iſtud dum nobis æquivocationem affigere contendit, totum inſigni æquivocatione laborat, ac proinde debile eſt. Verum quidem eſt, unum è præcipuis fundamentis, quo nitimur, eſſe, quia hoc ipſo, quòd opinio minùs tuta, & minùs probabilis favens libertati concurrat in intellectu eodem cum opinione oppoſita magis probabili ſtante pro præcepto, nequit intellectus aſſentire illi, ac proinde debet manere ſuſpenſus, ac dubius circa ipſius veritatem: idemque eſt, ſi opinio contraria ſit omnino æquè probabilis apud eundem intellectum; quia etiam tunc debet manere dubius, ut ſupra efficaciter oſtendimus. Si autem intellectus manet dubius, an aliqua actio ſit licita, vel non ſit licita per ſuſpenſionem aſſensûs circa utramque partem, certum eſt apud omnes, quòd in hoc dubio tutior pars eſt eligenda ex præcepto; quia eſt primum principium in Theologia Morali, peccare eum, qui dum dubius eſt, an aliqua actio ſit peccatum, illam nihilominus exequitur, ut ſupra demonſtratum eſt. Hoc autem non eſt confundere motivum probabile cum dubio, ſeu cum dubitatione.

96. Non enim aſserimus, idem eſſe motivum probabile, ac dubitationem; ſed dicimus, dubitationem moralem, ac prudentem reſultare ex eo, quòd unum motivum probabile inclinans ad unam partem contradictionis, concurrat cum motivo æquè probabili inclinante ad oppoſitum. Imò dubium, ut definit Sylveſter verbo *dubium*, ſecundùm Philoſophum, & D. Thomam, eſt *contrariarum rationum æqualitas*, ut vidimus §. 2. quod iſte Author negare non poteſt, quandoquidem diſput. 6. cap. 5. num. 51. hanc propoſitionem ſtatuit: *Dicendum itaque eſt* (inquit) *inter rationes utrimque probabiles, ſcilicet propoſitas pro duabus partibus contradictionis, verſari dubium.* In quo ergo, queſo, eſt æquivocatio noſtra? An in eo, quòd dicamus, rem eſſe merè probabilem probabilitate concurrente cum æquali probabilitate pro oppoſita parte, vel cum maiori, idem eſse, ac eam eſſe dubiam? At hæc eſt ipſa dubii moralis definitio. Dicimus ergo, rem eſse merè dubiam apud aliquem, quando pro parte oppoſita dantur æqualia, vel maiora, & veriſimiliora fundamenta: quia nequit intellectus affirmare ut verum id, quod abſolutè non apparet ipſi magis ut verum, quàm ut falſum: & multò minùs id, quod ei magis apparet in actu primo falſum.

§. XVII.

Oſtenditur, non rectè à multis explicari Dubium morale negativum.

97. DIcet forſan, regulam illam, *in dubio tutior pars eſt eligenda*, intelligendum eſse de dubio negativo, non de poſitivo; nos autem æquivocationem pati, quia utrumque dubium confundimus. Dubium (inquit iſte Author diſp. 6. num. 15. & ſic etiam explicat Tambur. lib. 1. in Decal. cap. 3. §. 1. num. 5.) dividitur à Theologis in poſitivum, & negativum. Dubium negativum eſt, quo quis dubitat nullâ occurrente ratione pro alterutra parte contradictionis: dubium poſitivum eſt, quo quis dubitat occurrentibus rationibus pro utraque, vel pro altera parte contradictionis: quando autem occurrunt rationes probabiles pro utraque parte, poterit quis, quam maluerit licitè amplecti. Verùm iam pridem, nempe an. 1662. in tract. de Pœnitentia diſput. 8. dum diſquirerem, an peccata dubia ſint materia neceſsaria confeſſionis, obſervavi, hanc eſse ineptam explicationem

nem

Digitized by Google

nem dubii negativi. Nam ubi pro neutra parte contradictionis occurrit ratio ulla movens ad eius aſſenſum, non datur dubium morale, utpote quòd ſine ratione utrimque impellente intellectum, conſtare non poteſt, ſed illud eſt mera neſcientia, & ignorantia: ego enim modò non dubito, an aſtra ſint paria, nec an Turca ſaltet, vel dormiat; quia pro neutra parte occurrit mihi ratio; ſed penitus neſcio, atque ignoro. Et interrogatus, ſintne aſtra paria? reſpondere debeo: *neſcio*; & ineptè reſponderem, *dubito*. Quia ſi ita reſponderem, ſtatim poſſet aliquis interrogare, Quam rationem dubitandi habes? cui interrogationi nihil poſsem ego reſpondere. Dubium ergo non dicitur negativum per excluſionem rationum poſitivarum moventium in actu primo hinc inde; ſed per negationem aſsensûs circa utramque partem contradictionis: datur enim dubium morale, & prudens dumtaxat, quando pro utraque parte contradictionis occurrunt rationes æquales, inter quas fluctuat intellectus, & manet anceps, quia non apparet magis veriſimilis una pars, quàm alia, ut vidimus §. 2. & 3. Nec dubium poſitivum dicitur tale per denominationem à rationibus probabilibus, quæ occurrunt pro utraque parte: ſic enim omne dubium negativum morale, & prudens, erit ſimul dubium poſitivum, & coincident in unum utrumque diviſionis extremum. Non ergo patimur æquivocationem, dum confundimus dubium negativum morale, cum dubio proveniente ex motivis probabilibus æqualibus occurrentibus ſimul eidem intellectui. Siquidem in hoc conſiſtit dubium morale, quando pro utraque parte contradictionis occurrunt rationes æquales, vel ferè æquales. Sed potiùs adverſarii æquivocationem patiuntur, dum appellant dubium poſitivum illud, quod reipsâ eſt negativum.

98. Nec magis aptè alii dubium negativum diſcernunt à poſitivo, dum dicunt, dubium negativum eſse, quod verſatur inter rationes leves; poſitivum verò, quod verſatur inter rationes probabiles. Nam ratio levis non eſt ſufficiens viro prudenti, & ſapienti ad dubitandum. Nec enim D. Thomas, vel alius vir magnus induceretur in dubitationem, an aliqua actio ſit peccaminoſa propter aliquam rationem levem; ſed hanc omnino contemneret, & pro nullâ haberet. Nec quòd utrimque ſint rationes probabiles, & graves, tollit rationem dubii negativi, ſed potiùs cauſat; quia occurſus ille rationum oppoſitarum facit intellectum fluctuare, & manere in ancipiti. Rationem aliquam eſse probabilem probat quidem, intellectum vi illius poſse moveri ad opinandum circa illam partem, illique aſsentiendum, ſi ſeorſim occurrat: non probat autem, ſi occurrat cum ratione oppoſita æqualis ponderis, ut ſupra ſatis oſtendimus. Nec demum aptè dicitur dubium poſitivum, quando pro una parte contradictionis occurrit ratio probabilis, & pro alia non occurrit ratio ulla; quia hoc non tam eſt dubium, quàm moralis quædam ſecuritas. Nam ſi occurrit ratio gravis ad probandum, aliquid eſse licitum, & nihil occurrit in contrarium, poſt ſufficientem diligentiam adhibitam ad inquirendam veritatem, certum moraliter erit, me poſse licitè exequi illam actionem. Si autem occurrit ad probandum, aliquid eſse peccatum, & nihil occurrit in contrarium, tunc evidens eſt, peccaturum hominem, qui contemneret illam rationem: ſi enim peccatum eſt operari, quando intellectus dubitat, an aliquid ſit peccatum propter rationes æqualiter hinc inde moventes, manente illo dubio, à fortiori erit peccatum operari, quando adeſt ratio ſuadens, actionem eſse peccaminoſam, & nulla adeſt in contrarium.

99. Quare ego non video, quomodo dubium morale aptè dividi poſſit in negativum, & poſitivum: niſi dicamus, dubium poſitivum conſiſtere in aſsenſu opinativo unius partis, cum formidine partis oppoſitæ; quod tamen impropriè dubium eſt. Nam qui probabiliter iudicat, aliquam actionem eſse licitam, quia

hæc

Digitized by Google

hæc pars veriſimilior ipſi apparuit, quàm oppoſita, non dubitat propriè, an ſit illicita illa actio, quamvis habeat aliquam formidinem de malitia illius. Ut enim inquit P. Suarez tom. 5. in 3. part. diſput. 40. ſect. 5. num. 2. *Aliud eſt dubitare, aliud aſſentire cum formidine: Dubium enim proprium eſt, quando poſt diligentem inquiſitionem intellectus anceps, & quaſi ſuſpenſus manet. Aſſenſus autem, licet ſit cum formidine, eſt tamen determinatus ad alteram partem, atque ita tollit dubium, & præbet ſaltem opinionem.* Hæc ille. Hinc operans cum hoc aſſenſu non peccabit. Quod optimè explicuit D. Antoninus 1. part. Sum. tit. 3. cap. 10. §. 10. regulâ 6. his verbis: *Ille, qui agit ſcienter id, de quo dubitat eſſe mortale, permanente dubitatione mortaliter peccat, etiamſi illud in ſe non eſſet mortale, ſumendo propriè, & ſtrictè dubitationem, videlicet prout rationes ſunt æquè ponderantes ad utramque partem, nec magis declinat quis ad unam partem, quàm ad aliam: ſed ſi dubitet leviter quis per modum ſcrupuli, ſicut dubitat, vel formidat, habens opinionem de aliquo, quia ita inhæret ipſi ſententiæ, quòd tamen formidat de oppoſito; ſic agendo contra tale dubium, non peccatur, dum adhæret opinioni alicujus Doctoris, & habet rationes probabiles pro ipſa magis, quàm pro oppoſita opinione, etiamſi ipſa opinio quam tenet, non eſſet vera.*

§. XVIII.

Solvitur fundamentum aliorum, contendentium, utramque partem contradictionis poſſe eſſe ſimul probabilem eidem intellectui.

100. Pater Terillus quæſt. 5. n. 16. aſſerit, utramque contradictionis partem poſſe eſſe ſimul probabilem eidem intellectui. Nam motivum aliquod eſſe probabile nihil aliud eſt, quàm obiectivè exiſtere in intellectu, & illum ſollicitare ad aſſenſum, modò motivum illud ſit aptum ad movendum hominem peritum, & probum prudenter iudicantem, ad aſſenſum ſui. At huiuſmodi motiva utrique parti contradictionis faventia, ſæpe ſimul exiſtunt in eodem intellectu; v.g. vir doctus ſimul cognoſcit motiva omnia pro utraque parte contradictionis; quæ de facto talia ſunt, ut impellant plures viros doctos, & peritos ad aſſenſum ſui, ut evenit in omni fermè ſententia celebriore, quæ ſicut plurimos habet fautores, ita plurimos etiam adverſarios patitur. Ergo ſimul utraque pars contradictionis poteſt eſſe probabilis eidem intellectui.

101. Verùm pace eruditi, & ingenioſi Scriptoris, hoc fundamentum nullum eſt. Etſi enim poſſint ſimul mihi occurrere, & repræſentari fundamenta illa, quę viros prudentes diſtraxerunt in oppoſitas ſententias, dum tamen mihi ęquè veriſimilia apparent, meumque intellectum æqualiter ſollicitant unumquodque ad aſſenſum ſui, non habent in meo intellectu eum ſtatum, quem habuerunt in intellectu ſuorum Authorum; id eſt, neutrum illorum repræſentatur mihi eo modo, quo repræſentatum fuit viro docto, qui ex vi illius ſuam ſententiam propugnavit, illique motivo aſſenſum prudentem præſtitit: unde numquam inde inferri poteſt, quòd poſſim ego alterutri prudenter aſſentiri eo caſu, in quo concurrit cum alio æqualiter movente ad oppoſitum. Nam motivum A. quod impulit D. Thomam v. g. ad ſententiam affirmantem, repræſentatum illi eſt ut veriſimilius, quàm motivum B. quod impulit D. Bonaventuram ad ſententiam negantem; propterea enim tanta cum reſolutione ſecutus eſt D. Thomas partem affirmantem præ negante. Rurſus motivum B. quod impulit D. Bonaventuram in ſententiam negantem, repræſentatum ei fuit ut veriſimilius motivo A. & idcirco adhæſit parti neganti, eam amplectendo ut veram, & reſpuendo oppoſitam ut falſam. Quare argumentum ſolùm concludit, quodcumque illorum motivorum eſſe probabile ſecundùm ſe, & in ordine ad eventum, in quo ſeorſim occurrat intellectui,

ctui,

Digitized by Google

ctui, vel in ordine ad eventum, in quo repræſentetur ut veriſimilius motivo oppoſito; non autem in ordine ad eventum, in quo concurrat cum oppoſito æqualiter movente; nullum enim virum prudentem umquam movit iu ſimili occurſu, imò nec movere potuit.

102. Quod clariùs cernetur repetendo argumentum ſupra à nobis formatum ad probandum, in quæſtione facti probationes æquales oppoſitas rem relinquere ita dubiam. Nam ſi tres iurent, ſe vidiſſe Petrum Romæ tali tempore, & alii tres paris authoritatis iurent illum eo tempore ſecum fuiſſe Pariſiis, res dubia manebit. Et quamvis utraque pars poſſit eſſe ſeorſim probabilis, non poteſt ſimul, reſpectu eiuſdem intellectûs; nam motivum unum elidit aliud. Ergo pariter, ſi quatuor Doctores affirmant, aliquem contractum eſſe licitum, & alii quatuor paris apud me authoritatis negant eſse licitum: item ſi fundamentum A. ſuadeat eſſe licitum, & fundamentum B. paris apud me roboris neget eſſe licitum; debeo manere dubius, & neutra pars mihi erit probabilis, quia neutram per aſſenſum approbare poſſum.

103. Reſpondet Terillus ibi num. 21. nullam partem contradictionis intellectui, utraque motiva perpendenti, eſſe poſſe probabilem in caſu antecedentis, niſi numerus, & gravitas teſtium uni parti faventium multùm excedat authoritatem teſtium alteri parti faventium. *Ratio* (inquit) *eſt manifeſta; quia evidens eſt, alteram partem teſtium mentiri, cùm loquantur de rebus à ſe viſis, ſibique contradicant. Ergo evidens eſt, alteram partem omni ratione deſtitui, ad aſſerendum quod dicunt. Porro dum non conſtat, quæ pars ratione deſtituatur, nec potior præſumptio ſit pro una, quàm pro altera parte, nulla eſt ratio prudens, cur uni potiùs, quàm alteri fides adhibeatur. Atque hinc diſparitas pro aliis materiis deſumitur, in quibus nihil evidenter ſciri poteſt, ſed ſolùm per conjecturas, & motiva fallibilia. In his enim ſæpe certum eſt, neutram partem Authorum loqui contra ſuam mentem; ſed evidens datur præſumptio, quòd utraque pars magnis rationibus mota interiùs judicet, quod exteriùs affirmat. Rurſus, apud doctos hoc ipſum experientiâ conſtat: nam in multis ita adhæreo meæ opinioni, ut videam, illam non eſſe neceſſariò veram, & alteram magnis etiam rationibus inniti, ideoque clarè perſpicio, utramque illam opinionem & eſſe, & mihi probabilem apparere.* Hucuſque Terillus.

104. Verùm diſparitas hæc ſolida non eſt: ſicut enim ubi mihi evidens eſt, alterum è duobus contraria narrantibus ut à ſe viſa, mentiri; ita mihi evidens eſt, alterum è duobus Doctoribus contraria aſſerentibus decipi (ſuppono enim ut certum, utrumque exteriùs aſſerere, quod interiùs ſentit.) Authoritas autem non minùs tollitur per deceptionem, quàm per mendacium: ſicut enim dignus fide non eſt apud me ille, quem ſcio mentiri in eo, quod affirmat, ita dignus fide non eſt apud me ille, quem ſcio decipi in eo, quod aſſerit. Ergo ſicut in primo caſu teſtium contraria affirmantium ut viſa, non eſt utraque pars ſimul mihi probabilis, quia evidens mihi eſt, alteram partem teſtium mentiri, nec poſſum aſſentiri uni potiùs, quàm alteri, quando ſunt paris authoritatis, quia non datur præſumptio pro una potiùs, quàm pro alia: ita in poſteriori caſu Doctorum contraria affirmantium per coniecturas ſibi probabiles, non erit utraque pars mihi ſimul probabilis, quia evidens mihi eſt, alteram factionem illorum Doctorum decipi; nec potero aſſentire uni potiùs, quàm alteri, quando Doctores ſunt apud me paris authoritatis; quia non datur præſumptio pro una potiùs, quàm pro alia. Quare licet ego evidenter ſciam, utriuſque partis Doctores magnis rationibus niti; quia tamen ſcio, rationes alterius partis eſſe ſolùm magnas apparenter, & reipsâ fallaces, neutram partem poſſum eligere, dum non habeo præſumptionem ad iudicandum, hanc partem potiùs, quàm illam niti rationibus veracibus. Diſpari-

Digitized by Google

ritas ergo data eſt omnino inſufficiens, & ratio à Terillo propoſita eſt utrobique probans.

105. At replicabis ex eodem Terillo eâ quæſt. 5. num. 17. Secundùm definitionem Ariſtotelis aſſerentis; *Probabile eſt, quod plerumque contingit*, motivum probabile rectè definitur: Rationabilis apparentia veritatis de ſe quidem fallibilis, ſed tanta tamen, ut omnes illi æquales in unum collectæ ſæpiùs coniungantur cum veritate, quàm cum falſitate, ut ipſe explicuerat quæſt. 2. num. 13. At utraque pars contradictionis, prout ſimul apparet eidem intellectui, poteſt fulciri tantâ apparentiâ veritatis, ut omnes illi æquales, ſeu æquè ſollicitantes, intellectum ad aſsenſum, ſæpiùs connectantur cum veritate, quàm cum falſitate. Ergo utraque pars contradictionis poteſt eſſe ſimul probabilis eidem intellectui.

106. Reſpondeo, hoc dumtaxat probare, intellectum noſtrum poſſe ſimul iudicare, utrumque motivum eſſe probabile, comparatum cum collectione ſibi ſimilium (quia quælibet collectio motivorum ſimilium continere poterit plura motiva connexa cum veritate, quàm cum falſitate) non tamen probare, quòd utrumque motivum æquale ſit probabile huic intellectui, reſpectu huius obiecti determinatè hic, & nunc. Nam evidens eſt intellectui, unum ex illis motivis comparatum cum hoc obiecto coniungi cum falſitate, & alterum dumtaxat cum veritate. Hinc cùm intellectus non habeat præſumptionem ad exiſtimandum, quodnam ex illis coniungatur hic, & nunc cum veritate, neutri poteſt aſſentire: ac proinde neutrum poteſt approbare per aſsenſum: ergo neutrum eſt probabile in ordine ad actum hic, & nunc perſuadendum circa hoc obiectum. Quare admiſſis præmiſſis diſtinguo conſequens. Ergo utraque pars contradictionis poteſt eſſe ſimul probabilis eidem intellectui, ſi quælibet comparetur cum collectione motivorum ſibi ſimilium, concedo conſequentiam; ſi comparetur cum actu eliciendo hic, & nunc circa hoc determinatum obiectum, nego. Vel aliter diſtinguo: utraque pars eſt ſimul probabilis, ſi motiva ad affirmandum, hoc obiectum eſſe licitum, comparentur cum motivis æqualibus ad affirmandum, eſſe licita alia obiecta; & motiva ad negandum, hoc obiectum eſse licitum, comparentur cum motivis æqualibus, ſeu æquè ſollicitantibus ad negandum, alia obiecta eſse licita; concedo conſequentiam: ſi motiva ad affirmandum, hoc obiectum eſſe licitum, comparentur cum motivis æqualibus ad negandum, nego conſequentiam. Et ſanè cùm probabilitas nihil aliud ſit, quàm tam magna veriſimilitudo, & apparentia veritatis, ut vir prudens ab illa poſſit moveri ad ferendum iudicium de veritate, implicat, ut una pars contradictionis maneat abſolutè probabilis reſpectu intellectûs, quando omnibus inſpectis non magis apparet vera, quàm falſa. Hinc Academici, qui per probabile ſua negotia, ſuaſque actiones gubernabant, illud ſolùm probabile appellabant, quod habebat inſignem apparentiam veritatis. Unde Cicero lib. 1. de natura Deor. dicebat; *Multa ſunt probabilia, quæ quamquam non percipiantur, tamen quia viſum habent quemdam inſignem, & illuſtrem, his ſapientis vita regitur*. Et in Lucullo: *Quidquid acciderit ſpecie probabile, ſi nihil ſe offeret, quod ſit probabilitati illi contrarium, utetur eo ſapiens; ac ſic omnis ratio vitæ gubernabitur.*

107. Ergo quoties aliquid ſpecie probabile, & veriſimile occurrit in eodem intellectu cum ſuo contradictorio, habente æqualem apparentiam veritatis, non eſt abſolutè probabile reſpectu illius intellectûs; quia non poteſt illud probare ut verum, quando habet æquale fundamentum, ad reprobandum ut falſum.

108. Quare illud ſolùm eſt reſpectu alicuius certò probabile, *quod fundat judicium probabile, quòd res ſit vera*, ut inquit P. Terillus quæſt. 2. de Conſc. prob. num. 26. Hoc autem iudicium fundare non poteſt, niſi manifeſtè præemineat

ſuo

ſuo contradictorio quoad veriſimilitudinem.

109. Quæ diximus confirmantur authoritate, & ratione Cardinalis Pallavicini lib. 3. de Fide cap. 4. num. 114. ubi ita ſcribit: *Uni, & eidem intellectui non poteſt in eodem inſtanti videri probabilis utraque pars contradictionis: probabile namque ab Ariſtotele definitur. Quod plerumque contingit; non poteſt autem dari, aut credi mutuus exceſſus inter duo in frequentiâ contingendi. Quare ſi omnibus penſatis altera pars mihi apparet probabilis, altera tunc reſpectu mei intellectûs non poteſt eſſe probabilis: & ſi rationes apparent hinc inde æquales, utraque ſe habet perinde ac res omnino dubia. Dubium enim eſt, poſito toto complexo rationum hinc inde, an contingat una pars contradictionis, an alia; non minùs ac dubium eſt, an ſydera paria ſint, an diſparia.* Hactenus Pallavicinus.

Digitized by Google

DISSERTATIO OCTAVA.

Quæ eſt antecedentium ſcopus. Ubi oſtenditur, nemini licitum eſſe, ſequi ſententiam faventem libertati adversùs legem, quin poſt diligentem veritatis inquiſitionem, citra paſſionem, & culpam appareat ipſi in actu primo, vel unicè veriſimilis, vel clarè, & ſenſibiliter veriſimilior oppoſitâ, ſtante pro lege adversùs libertatem; & idcirco ab illo judicetur vera judicio abſolutè non fluctuante.

1. POſtquam in præcedentibus Diſſertationibus oſtendimus, neminem poſſe licitè ſequi ſententiam faventem libertati adversùs legem, quando poſt diligentem veritatis inquiſitionem illi apparet in actu primo magis falſa, quàm vera; ſeu quando invenit majus fundamentum ad affirmandum eſſe falſam, quàm ad affirmandum eſſe veram: item poſtquam oſtendimus, nec poſſe eam licitè ſequi, quando illi non magis apparet vera, quàm falſa; ſeu quando non invenit majus fundamenm ad affirmandum eſſe veram, quàm ad affirmandum eſſe falſam; quia fundamenta utriuſque partis apparent illi omnino æqualia in vi movendi: Reſtat, ut oſtendamus, neminem poſſe licitè ſequi ſententiam faventem libertati adversùs legem, quin poſt diligentem veritatis inquiſitionem illi appareat ſenſibiliter, & clarè magis vera, quàm falſa.

CAPUT I.

Introductio Diſſertationis; ubi ex D. Thoma obiter explicatur, quando judicium formatum ab operante contineat conſcientiam erroneam culpabilem, quando inculpabilem.

2. UT opinio affirmans aliquid eſſe licitum, ſit probabilis, non ſufficit, quòd utcumque appareat veriſimilis operanti, ejuſque fundamentum ipſi videatur grave, & magnum. Nam hæreticis ſua dogmata apparent non ſolùm veriſimilia, ſed veriſimiliora veritatibus Catholicis oppoſitis, imò ſæpe ob ipſorum voluntariam cœcitatem apparent certa; eorum tamen judicium non eſt opinio probabilis, ſed damnabilis error. Similiter, qui temerè judicant, moventur fundamentis, quæ ſi ſine paſſione ab homine prudenti expendantur, judicantur levia, ipſis tamen temerè judicantibus apparent magna, ut latè expoſui Diſſertatione tertiâ cap. 2. §. 3. Requiritur ergo, ut appareat poſt diligentem veritatis inquiſitionem. Idque fatetur P. Antonius Terillus, qui inter Authores benignos (ſeu defenſores ſententiæ benignæ affirmantis, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam in occurſu probabilioris, & tutioris) copioſiùs, & ſubtiliùs ſcri-

Digitized by Google

ſcripſit. Nam in tomo de Regula Morum quæſt. 25. num. 19. explicans ſententiam Probabiliſtarum, *Benigna*, inquit ille *ſententia non omnem veri apparentiam admittit eſſe probabilem; ſed eam ſolam, quæ in rebus verè incertis poſt diligentem veritatis indagationem, ob ſuam magnitudinem meretur aſſenſum, eumque à peritis, ut peritos decet, judicantibus, impetrare poteſt.*

3. Quare in primis non ſufficit ad opinionem probabilem, quòd eius fundamenta appareant magna, & veriſimiliora; ſi hæc apparentia occurrat ante adhibitam diligentiam ſufficientem ad inquirendam veritatem. Judicium enim formatum ante hanc diligentiam adhibitam erit præceps, & non prudenter conceptum: unde quamvis contingat illud eſſe verum, non continebit opinionem probabilem; quia quod aſſequatur veritatem erit merè fortuitum, & caſuale reſpectu operantis. Vt ergo iudicium opinativum dicatur verè probabile, debet eſſe conceptum poſt diligentem veritatis inquiſitionem ob motivum grave, & dignum, ut vir prudens ob illud moveri poſſit ad iudicandum rem ita eſſe.

4. Præterea conſultò dixi, ad ſectandam licitè opinionem faventem libertati requiri, ut illa citra paſſionem, & culpam appareat veriſimilior oppoſitâ. Si enim hæc apparentia major veritatis oriatur ex paſſione & culpa, non ſufficit, ut iudicium inde formatum ſit opinio probabilis; ſed, ſi ſit falſa talis opinio, erit conſcientia erronea, quæ non excuſat à culpa actionem, quæ ex illa fit contra legem. Vt enim inquit S. Thom. quæſt. 17. de Veritate art. 3. ad 4. *Tunc conſcientia errans non ſufficit ad abſolvendum, quando in ipſo errore peccat; ut cum errat circa ea, quæ ſcire tenetur. Si autem eſſet error circa ea, quæ ſcire non tenetur, ex conſcientia ſua abſolvitur.* Et ut idem Sanctus Doctor docet quodlib. 8. art. 15. *Error conſcientiæ habet quandoque vim abſolvendi, ſive excuſandi; quando ſcilicet procedit ex ignorantia ejus, quòd quis ſcire non poteſt, vel ſcire non tenetur.*

5. Hoc pacto peccabant, qui perſequebantur Apoſtolos, quamvis id facerent exiſtimantes, ſe obſequium præſtare Deo: quia licet operantes ex illo errore non peccarent contra conſcientiam; peccabant tamen contra legem naturalem non perſequendi innocentes: qui enim per errorem voluntarium & culpabilem eorum, quæ ſcire tenetur, agit contra legem naturalem, peccat contra legem, licet operetur iuxta conſcientiam. Et ideo Sanctus Thomas 1.2. quæſt. 19. ar. 6. in argumento *ſed contra*, eodem argumento probat, voluntatem concordantem rationi erranti poſſe eſſe malam: *Nam voluntas*, inquit, *occidentium Apoſtolos erat mala, ſed tamen concordabat rationi erranti ipſorum, ſecundùm illud.* Joan. 6. *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo. Ergo voluntas concordans rationi erranti poteſt eſſe mala.* Et propterea quodlib. 8. ar. 13. in corpore, inquit, *Duobus modis aliquis ad peccatum obligatur. Uno modo faciendo contra legem: alio modo faciendo contra conſcientiam.* Vt autem ſubjungit ibi Sanctus Doctor. *Illud quod agitur contra legem, ſemper eſt malum; nec excuſatur per hoc, quod eſt ſecundùm conſcientiam.*

6. Loquitur enim D. Thomas de lege, quam homo poteſt, ac debet ſcire; & quam non niſi culpabiliter ignorat. Si enim ſuâ culpâ quis ignorat legem Decalogi, & hinc oritur, quòd formet conſcientiam erroneam culpabilem, qua iudicet ſe obligatum eſſe ad furandum, ut ſuccurrat indigenti, peccabit furando; quamvis operetur iuxta conſcientiam dictantem ipſum eſſe obligatum furari. Quia agit contra legem non furandi, quam tenetur ſcire; & ex ſuppoſitione illius conſcientiæ erroneæ eſt neceſſitatus ad peccandum. Quia vel furatur, vel non furatur: ſi non furatur, peccat; quia agit contra conſcientiam: agere autem contra conſcientiam ſemper eſt malum, ſive conſcientia ſit recta, ſive ſit erronea, ſive culpabilis, ſive inculpabilis; ut docent omnes Theologi cum D. Thoma 1.2. quæſt. 19. ar. 5. quia teſte Apoſtolo Rom. 14. *Omne*

quod

Digitized by Google

quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Ideſt, omne, quod eſt contra conſcientiam, peccatum eſt, ut exponit S. Thomas eo art. 5. Seu *omne, quod non concordat conſcientiæ iudicio, peccatum eſt*; ut exponunt Origenes, Ambroſius, Chryſoſtomus, Theophylactus, Oecumenius, Theodoretus, & Anſelmus apud Vazquez 1.2. diſp. 60. num. 8. qui ibidem diſp. 59. num. 6. diſertè pronuntiat: *Catholica igitur ſententia eſt, eſſe peccatum operari contra conſcientiam erroneam in quacumque materia.* Et P. Thomas Sanchez lib. 1. Summæ cap. 11. num. 12. hanc ſtatuit concluſionem: *Quando conſcientia erronea eſt vincibilis, ſeu culpabilis, & dictat aliquid eſſe ſub præcepto, quod quidem peccatũ erat; ut ſi dicat teneri quemquam furari ut pauperi ſubveniat; peccati reus erit, ſive furetur, ſive non furetur: furando quidem, contra præceptum non furandi, à cujus tranſgreſſione ignorantia illa culpabilis excuſare nequit: non furando autem, quia contra conſcientiæ erroneæ dictamen agit. Et ita docent D. Thomas, Medina, Vazquez, Valentia, Corduba, Azor, Salas, & omnes.* Hucuſque Sanchez. Ergo juxta communem, & certam Theologorum ſententiam peccatum eſt, operari contra dictamen conſcientiæ erroneæ, ſive illa ſit invincibilis, & inculpabilis, ſive vincibilis, & culpabilis.

7. Nec eſt inconveniens, quòd ſuppoſitâ conſcientiâ erroneâ culpabili, ſit homo neceſſitatus ad peccandum; quia hanc neceſſitatem Deus non cauſat, ſed homo contra Dei voluntatem ſe coniicit in illam; & poteſt, ſi faciat quod eſt in ſe, deponere illum errorem: & ut inquit D. Thomas 1. 2. q. 19. ar. 6. ad 3. *Suppoſito errore rationis vel conſcientiæ, qui procedit ex ignorantia non excuſante, neceſſe eſt, quòd ſequatur malum in voluntate: nec tamen eſt homo perplexus, quia poteſt ab errore recedere; cùm ignorantia ſit vincibilis, & voluntaria.*

8. Similia habet quæſt. 17. de verit. art. 4. ad octavum, ubi dicit, quòd *Ille qui habet conſcientiam faciendi fornicationem* (id eſt, qui per errorem putat ſe obligatum ad fornicandum) *non eſt ſimpliciter perplexus* (ideſt neceſſitatus) *quia poteſt aliquid facere, quo facto non incidet in peccatum, ſcilicet conſcientiam erroneam deponere; ſed perplexus ſecundùm quid, ſcilicet conſcientia erronea manente.* Et ibidem ad 6. ſupponit, quòd quoties conſcientia culpabiliter errat circa ius naturale, *in ratione naturali ſit, unde procedi poſſit ad contrarium eius, quod erronea conſcientia dictat*; licet *actu ratio naturalis non dictet contrarium. Si enim dictaret contrarium, non erraret conſcientia.*

9. Dum autem D. Thomas univerſaliter affirmat, illud quod agitur contra legem, ſemper eſſe malum, nec excuſari per hoc, quod ſit ſecundùm conſcientiam; vel loquitur de lege quoad decem illa præcepta Decalogi, quæ omnes tenentur ſcire, vel ſi loquatur de lege naturali univerſaliter etiam quoad concluſiones remotas; ſupponit in illis verbis S. Doctor, omnes obligatos eſſe ad ſciendam legem naturalem attinentem ad unumquemque, non ſolùm quoad univerſalia iuris præcepta, ſeu quoad illa prima quaſi principia, & quoad concluſiones immediatas, quæ ex illis principiis ſequuntur; ſed etiam quoad concluſiones remotas: ac proinde ſupponit, non dari ignorantiam invincibilem iuris naturalis attinentis ad unumquemque. Itaque ſi Sanctus Thomas loquatur de omni actione contrariâ legi naturali etiam quoad concluſiones remotas, ſupponit ibi S. Doctor, non dari ignorantiam invincibilem legis naturalis, etiam quoad concluſiones valde remotas à primis principiis; ſed omnem eiuſmodi ignorantiam eſſe voluntariam operanti, & procedere à culpâ perſonali ipſius, ac proinde non excuſare. Vt enim inquit S. Doctor lect. 7. in cap. 1. Epiſt. ad Rom. *Tunc ignorantia culpam excuſat, cum ſic præcedit culpam, quòd non cauſetur ex culpâ: ſi autem ignorantia cauſetur ex culpâ* (nimirum perſonali & propriâ) *non excuſat culpam ſubſequentem.* Evidens namque eſt, ignorantiam invincibilem, quæ non eſt voluntaria operanti, excuſare à culpâ in principiis D. Thomæ actionem, quæ ex

illa

Digitized by Google

illâ ignorantiâ fit contra legem. Ut enim inquit S. Doctor 1.2. q. 74. ar. 3. *Si verò ſit talis ignorantia, quæ omnino ſit involuntaria, ſive quia eſt invincibilis, ſive quia eſt eius, quod ſcire non tenetur; talis ignorantia omnino excuſat à peccato*.

10. Quòd autem in eo loco D. Thomas loquatur univerſaliter de ignorantia totius iuris naturalis attinentis ad unumquemque, etiam quoad concluſiones remotas à primis principiis, contendunt nonnulli recentes Thomiſtæ, licet alii communiter oppoſitum ſentiant, præſertim verò Vincentius Contenſon: ſuamque ſententiam confirmant ex quodlib. 3. ar 10. ubi S. Doctor hanc ſtatuit concluſionem: *In iis, quæ pertinent ad fidem & bonos mores, nullus excuſatur, ſi ſequatur opinionem erroneam alicuius Magiſtri: in talibus enim ignorantia non excuſat*. Iuxta quam doctrinam, qui ſequitur opinionem falſam circa ius naturale, peccat; quia qui agit aliquid contra legem naturalem peccat; quamvis deceptus illa opinione iudicet, illud non eſſe contra legem Dei: quia *illud, quod agitur contra legem, ſemper eſt malum; nec excuſatur per hoc, quòd eſt ſecundùm conſcientiam*. Nimirum quia illa conſcientia erronea eſt vincibilis.

11. Quæ doctrina mihi videtur difficilis. Certum etenim eſt, ſapientiſſimos Doctores, & Sanctos ſine culpâ tradere doctrinas oppoſitas circa ius naturale; quia ubi diſputatur, an aliquid ſit lege naturali prohibitum, ſolent Doctores Sancti, & pii abire in ſententias oppoſitas; & evidens eſt, alteram ex illis eſſe falſam. Ergo certum eſt, Doctores Sanctos, & ſapientes aliquando tradere innocenter & ſine peccato doctrinas falſas circa ius naturale. Si autem illi in tradendis his doctrinis non peccarunt; cur peccare debet ille, qui illas ſequitur, motus authoritate & rationibus illorum Doctorum? Si enim illi in docendo non tenentur ſemper docere doctrinas veras, ſed ſolùm tenentur inquirere veritatem diligenter, & tradere vel doctrinam veram, vel veriſimiliorem, quam ipſi veram exiſtimant, quamvis reipsâ ſit falſa: ſimiliter non tenebuntur fideles ſemper ſequi doctrinas veras in iis rebus, quæ inter Doctores Catholicos diſputantur; ſed vel veras, vel veriſimiliores, quamvis reipſa ſint falſæ. Ergo ſicut poteſt contingere, ut Doctor ſapiens, & Sanctus diligenter inquirat veritatem in quæſtione controverſa circa ius naturale, & nihilominùs fallatur, doceatque eſſe licitum, quod reipsâ eſt illicitum; ita poterit contingere, ut operans inquirat diligenter, an ſit licita talis actio, & poſt hanc diligentiam innocenter & ſine peccato iudicet eſſe licitam: ſed ex ſua conſcientiâ abſolvetur.

12. Ego in mea aſſertione in præſenti nec affirmo, nec nego poſſe dari ignorantiam invincibilem iuris naturalis quoad concluſiones remotas à primis principiis. Solùm hic ſtatuo, quod iudico neceſſarium, ut licitè poſſit quis ſequi opinionem faventem libertati contra præceptum; nempe quòd illa poſt accuratam veritatis inquiſitionem appareat in actu primo inculpatè veriſimilior, quàm oppoſita: & quòd ob hanc maiorem veriſimilitudinem illi directè aſſenſum abſolutum præbeat, iudicando illam eſſe veram, & oppoſitam eſſe falſam. Si ſit vera ſententia Recentium illorum Theologorum, fieri non poterit, ut is, qui vult operari, faciat totam diligentiam, quam tenetur adhibere ad inquirendam veritatem, & ut poſt illam adhibitam appareat ipſi ſenſibiliter veriſimilior opinio favens libertati, quin talis opinio ſit vera. Si autem illa ſententia ſit falſa (ſicut illam falſam eſſe iudicavi tom. 4. diſp. 6. ſec. ultima num. 127. agens de ignorantia invincibili iuris naturalis) poteſt opinio favens libertati apparere illi veriſimilior, & innocenter ab ipſo iudicari vera, quamvis reipsâ ſit falſa. Et tunc, ſi ex illa opinione conſcientiam formet, & operetur, habebit ignorantiam probabilem excuſantem à culpâ: & licet reipsâ operetur contra legem, illa tranſgreſſio non imputabitur ipſi; ſed erit tranſgreſſio purè materialis. Et hanc partem ut probabiliorem, & abſolutè veram, infra ſtatuam Diſſertat. 10.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

Statuuntur duo principia, ex quibus manifeſtè colligitur veritas noſtræ aſſertionis.

13. PRincipia ſunt iſta. Primum eſt, quòd nemo poteſt licitè ſequi ſententiam minùs tutam faventem ſuæ libertati adversùs legem, niſi priùs ſibi inculpatè perſuadeat illam eſſe veram, & legi Divinæ conformem; oppoſitam verò ſtantem pro lege adversùs libertatem eſſe falſam, & imponere homini onus, quod Deus illi non impoſuit: id eſt, quin prius iudicio abſolutè vel omnino moraliter certo, vel ſaltem opinativo prudenter iudicet, illam ſententiam eſſe veram; ac proindè actionem, de qua ſunt opiniones cotrariæ, an ſit honeſta, vel non, eſſe reipſa honeſtam vel poſitivè, vel ſaltem negative, id eſt non malam. Secundum principium eſt; quòd nemo poteſt prudenter ſibi perſuadere, ſententiam faventem ſuæ libertati eſſe veram; ſeu illi ut veræ aſſentire prudenter; quin poſt ſufficientem veritatis inquiſitionem inveniat maius ſimpliciter fundamentum ad hoc iudicandum, quàm ad iudicandum oppoſitum.

§. I.

Statuitur primum principium: quòd videlicet nemo poſſit licitè ſequi ſententiam minùs tutam, ſeu faventem libertati adversùs legem, quin priùs judicet eſſe veram.

14. HOc principium defenditur ut veriſſimum à pluribus ex authoribus benignis maioris nominis, & inter eos præcipuè à P. Eſparza, & à P. Terillo. Ab Eſparza quidem in Appendice ad quæſtionem de uſu licito opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ ar. 140. ubi rationem reddit: *Quia nemo* (inquit) *poteſt uti opinione, quam non habet: unde ut quis utatur opinione aſſerente aliquid eſſe licitum, eamque in praxi ſequatur, debet priùs illam facere ſuam per aſſenſum.* A Terillo autem tom. de Conſc. prob. q. 22. n. 1. ubi tamquam principium ſtatuit, ad recte operandum non ſufficere, quòd quis ſciat ſententiam benignam eſſe probabilem, imò probabiliorem oppoſitâ. *Nam ſtante toto illo*, inquit, *omne abſolutum iudicium de rei veritate ſuſpendi, & homo dubitare poteſt, an res ſit licita, nec ne? Jam ſi quis in tali dubio ſectetur minùs tutam, indubitanter peccabit, non obſtante maiori probabilitate partis, quam ſequitur: ut ergo excuſetur, debet formare iudicium, quo abſolutè credat, opus illud eſſe licitum.* Idque ut principium ſtatuit Doctor Navarrus in Manuali cap. 27. Miſcella 6. quæ opinio deligenda n. 288. iis verbis: *Judex, Conſultor, aut agens, qui in re dubia judicaturus, conſulturus, aut facturus eſt aliquid, antequam id faciat, debet, ut non peccet, expellere ex animo illam dubietatem, & credere, aut certè opinari, opinionem dicto modo electam eſſe veram, & ſecundùm eam debere in eo caſu judicare: quia ſi priuſquam id faceret, & dubius judicaret, conſuleret, aut faceret, peccaret contraveniendo conſcientiæ dubiæ.*

15. Et hanc ſententiam tamquam ſibi certam latiſſimè & validiſſimè probat P. Andreas Junius §. ſequenti laudandus, in tomo de Conſcientiâ. In hoc namque opere ſect. 3. quæ eſt de Conſcientiâ probabili à cap. 2. latiſſimè probat, ad rectè operandum non ſufficere probabilitatem aëream, ideſt non exiſtentem ſubiectivè & phyſicè, ſed tantùm obiectivè, & intentionaliter in mente operantis: ſeu non ſufficere, quòd quis ſciat dari opinionem, quòd res ſit licita; ſed requiri, ut talem opinionem habeat. Et quidem P. Eſparza in Appendice art. 143. & 186. cenſet, ab Adriano planè demonſtratum, ad ſequendam partem minùs tutam, numquam ſufficere reflexum iudicium probabilitatis quantæcumque: quia voluntas appetit obiectum ſecundùm ſe; non ut præcisè determinatum ab alienâ cognitione, præſertim ſibi falſa: & actus voluntatis ſpe-

Digitized by Google

ſpecificatur moraliter ab obiecto, ut propoſito applicatoque, non per cognitionem alienam, ſed per propriam, eamque directam, non reflexam: quæ niſi putet, obiectum eſſe licitum, nulla reflexione excuſabitur operans. Eamdem ſententiam latiſſimè probat P. Ludovicus Scildere noſtræ Societatis, in opere de Principiis Conſcientiæ formandæ tract. 2. à num. 25. citans pro ea S. Antoninum, Adrianum, Cordubam, Richardum Hallum, Sylveſtrum, Antonium Perez Benedictinum, Sotum, Comitolum, Tabienam, Candidum Philalethum, Caſtro-Palaum, & Buſæum.

16. Deinde ipſe P. Terillus de Conſc. Prob. q. 22. n. 40. & alibi fatetur, pro hac ſententia ſtare omnes antiquos Theologos; quia illi ad uſum partis minùs tutæ duas conditiones poſtulabant: una eſt, eam eſſe probabiliorem; altera eſt, eam iudicari veram; quas nos etiam poſtulamus. Pro hac ſententiâ ſtat etiam manifeſtè Eximius Doctor Suarez diſp. 40. de Cenſuris ſect. 5. num. 12. ubi affirmat, dubium ſpeculativum circa legem, aut irregularitatem, an ſit, necne, ſemper, dum non diſcutitur, inferre dubium practicum: iſtud autem numquam tolli, non ſublato priùs dubio ſpeculativo. Evidens autem eſt, dubium ſpeculativum non tolli, niſi per iudicium directum. Et lib. 6. de Legibus cap. 8. nu. 6. ubi ait, ſubditum probabiliter iudicantem contra opinionem Prælati, rem preceptam eſſe illicitam; debere ſuum iudicium deponere: *Ut eſt*, inquit, *communis doctrina, & in praxi neceſſaria*: ac deinde ſubdit, *requiri iudicium oppoſitum*.

17. Eandem ſententiam docet Pater Salmeron in illud Pauli Rom. 14. *Omne autem, quod non eſt ex fide, peccatum eſt*. Item P. Valentia tom. 3. diſp. 51. punct. 4. §. *altero modo*: ubi hæc habet: *Poteſt quis putare aliquam opinionem eſſe probabiliorem, alteram minùs probabilem; ita ut ſimul (quod plerumque accidit) determinatè ſentiat, probabiliorem eſſe quoque veram, & minùs probabilem falſam: & tunc quamdiu quis in tali exiſtimatione, judicioque perdurat, non poteſt aut in agendo, aut in conſulendo, ſequi opinionem minùs apud ſe probabilem, & falſam; ſed debet ſequi, quam veram & probabiliorem putat*. Ratio huius eſt clariſſima. Nam qui cenſet, hoc eſſe probabilius, & verum in materiâ morali; cenſet, hoc eſſe faciendum: & ita ipſe non poteſt licitè, durante tali opinione, contrarium facere, aut ſuadere: quia nemo licitè facit, aut ſuadet, quod judicat, omnibus penſatis, non eſſe faciendum. Eandem tenent apud Terillum qu. 22. de Conſc. Prob. num. 12. Philippus Faber, & Navarrus apud eundem ibidem num. 41. Et Caietanus ab eo citatus num. 70. & Joannes Nider citatus num. 101. Item Gerſon, & Altiſſiodorenſis citati num. 118. Eandem ſolidè probat Caſtro-Palao diſp. 2. de Conſcient. cap. 2. num. 4. referens P. Thomam Sanchez lib. 1. in Decalag. cap. 9. num. 42. licet ſui immemorem. Eandem tuetur P. Bardi diſceptat. 4. de Conſcient. cap. 27. num. 20. licet alibi contrariam teneat. Et quidem P. Andreas Junius tom. de conſcient. ſect. 3. cap. 2. poſtquam pro hac ſententiâ innumeros authores retulit, ſect. 3. cap. 2. num. 12. ſic inquit: *Ergo non alii mihi contradicunt, quàm qui vel adverſantur ſibi, vel cenſent licere etiam poſitivè ſequi alienam opinionem contrà propriam practicam perſeverantem. Illi autem pauciſſimi ſunt, quibus pro me oppono reliquos omnes*.

18. Probatur autem hæc ſententia: quia ut inquit D. Thomas 2. 2. q. 17. ar. 2. *Homo in iis, quæ ad propriam perſonam pertinent, debet formare conſcientiam ex propriâ ſcientiâ*: ergo non ex aliena quatenùs aliena. Ergo ut quis ex opinione affirmante licitum eſſe aliquem contractum, poſſit ſibi elicere dictamen practicum, quòd hic & nunc liceat ſibi eum contractum exercere, debet illam opinionem facere ſuam per aſſenſum. Quod à priori demùm ſuadeo: Quia cum opinio hominum non ſit prima regula noſtrorum actuum; ſed ſolùm regula ſecundaria manifeſtans, & applicans nobis regulam primariam, nempe legem æternam, rationemque Divinam; & cùm regula ſecundaria eatenus ſit bona

regula, quatenus conformatur primariæ; ſanè ut quis ampleſtatur opinionem faventem libertati, ut rectam regulam, debet judicare illam eſſe veram: (quia ſolùm per veritatem conformatur legi æternæ; quatenus ſcilicet affirmat eſſe licitum id, quod lex æterna admittit ut licitum.) Nam ſi judicat eſſe falſam, judicat eſſe pravam & diſtortam regulam, ſeu contrariam primæ regulæ: ſi dubitat, an ſit vera, vel falſa; dubitat an ſit prava, vel recta regula: ergo ut judicet eſſe rectam regulam, debet judicare eſſe veram. Non poteſt autem eam licitè in praxi ſequi, niſi ex perſuaſione quòd ſit recta regula: ergo non poteſt eam in praxi ſequi, niſi ſibi perſuadeat per judicium opinativum, illam eſſe veram.

§. II.

Statuitur ſecundum principium; quod ſcilicet nemo poſſit prudenter aſſentire ſententiæ minùs tutæ, ut veræ, quin poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra paſſionem & culpam, illi antecedenter appareat magis veriſimilis, quàm oppoſita.

19. HOc principium ſtatuimus Diſſert. 3. Nunc aliqua addenda. Id oſtenditur, quia naturæ lumen, & ſapientum conſenſus, cum Ariſtotele, ac D.Thoma nos edocet, eam eſſe prudentiæ legem, ut in rebus non certis prius deliberemus, quàm judicemus; priùs judicemus, quàm agamus. Conſultamus enim, ut prudenter judicemus; non tam voluntatis impetu, quàm rationis ductu: ſeu ut veritatem certò, vel ſaltem quàm proximè attingagamus. Deinde maturè judicamus, ut prudenter cordatè & rationabiliter agamus. Ergo palmariæ legi prudentiæ omnino contrarium eſt, verum judicare id quod magis falſum, quàm verum videtur. Si ſecùs, quorſum deliberamus? quorſum prudentes, & peritos conſulimus? Confirmatur: quia id, quod magis falſum quàm verum apparet, eſt principium deviationis, & viæ erroneæ: ergo omnium virtutum leges, & præcepta ſuo jure à nobis exigunt ne veram judicemus partem minùs tutam, quando habemus maius fundamentum ad judicandum eſse falſam: cùm iuſtis legibus omnino debitum ſit, ne in earum fraudem deviationem voluntariam aſsumamus. Ecquis Prælatus boni conſuleret, ſua præcepta, & ordinationes ita à ſubditis tractari? Quis Dominus à Servis? Quis Pater à Filiis? *Nonne hoc eſt* (inquit Fagnanus in tractatu de probabilitate ad caput *Ne innitaris* n. 270.) *formare conſcientiam contra conſcientiam, & opinari non ſecundùm apparentiam rei; ſed fingere verum ex noſtro arbitrio?*

20. Probatur deinde, eſse imprudentem aſsenſum partis minùs tutæ, & ſimul minùs veriſimilis: nam, ut probat egregiè P. Andreas Junius noſtræ Societatis Primarius olim in Provincia Toletana Theologiæ Profeſsor, vir præſtantis ingenii (ut manifeſtat Tomus de Providentia & Prædeſtinatione in lucem ab eo editus) in opere manuſcripto de conſcientiâ, quod prælo paratum reliquit in Collegio Imperiali Matritenſi, (ubi obiit Ann. 1679.) ſect. 1. cap. 5. & 6. ſect. 3. cap. 16. Ille aſsenſus imprudens eſt, qui adverſatur naturæ rationali, rationi rectæ, definitioni & legi prudentiæ, imò, & aliarum virtutum legibus: at talis eſt aſsenſus exhibitus parti minùs tutæ & ſimul minùs veriſimili: ergo &c. Probatur minor; quia, ut inquit Ariſtoteles 1. Metaph. cap. 1. *Omnes homines naturaliter deſiderant ſcire*; & ut S. Auguſtinus Tract. 26. in Joannem ait: *Quid fortiùs deſiderat anima, quàm veritatem?* Unde iuxtà eundem Philoſophum 6. Ethic. c. 2. *Contemplationis bonum, & malum, eſt verum & falſum*. Deſiderat etenim mens veritatem ſcire clarè; & ubi claritatem non aſſequitur, ſtudet quàm proximè poteſt accedere per veriſimilitudinem; cùm eius qui non poteſt, quod vult, ſit velle, quod poteſt. Unde teſte Ariſtotele 1. Rhetoric. Cap. 1. *Verum & veriſimile eiuſdem videtur eſſe facultatis: homines autem ad veritatem naturâ compoſiti ſunt, & eam ple-*

Digitized by Google

plerumque conſequuntur (quatenus judicant veriſimiliora, in quibus plerumque eſt veritas) *& ille ad probabilia ſectanda bene ſe habet, qui ſimiliter ſe habet ad veritatem*. Quia nimirum idem eſt modus inveſtigandi veritatem, & majorem veriſimilitudinem: Ergo naturæ rationalis inclinationi, ac rectæ rationis ductui contrarium eſt, per voluntatis imperium mentem avertere ab eo, quod appetit; & ad id quod refugit impellere nempe à veritate ad falſitatem, vel à maiori veriſimilitudine ad maiorem falſiſimilitudinem. Imprudens ſanè foret Medicus, qui opiniones ſibi minùs veriſimiles ſectaretur: Si enim haberet majus judicium mortis ex urina, quàm ſalutis ex pulſu, imprudenter judicaret ægrum ſanatum iri. Et qui videret libertatem magis propenſam ad determinationem A. quàm ad B. ineptè judicaret fore B. & non A. idemque per ſe patet in cæteris contingentibus, fortuitis, liberis, & naturalibus ad actionem, factionem, & ſpeculationem pertinentibus: Ergo à prudentia abhorret, judicare illud eſſe verum, quod minùs veriſimile apparet.

21. Hinc aſſero, utrique iuri contrarium eſſe aſſerere, quòd quis poſſit licitè ſectari partem minùs tutam, & ſibi minùs probabilem; cum jura expreſsè determinant in opinionibus contrariis eligendam eſſe probabiliorem: nam in Clementina unica de Summa Trinitate, & Fide Catholica §. finali dicitur: *Opinionem ſecundam, tamquàm probabiliorem &c. duximus eligendam*: Conſonat cap. *Capellanus*, de Feriis. Et multæ leges Civiles apud Fagnanum num.27. conſentiuntque utriuſque Juris Doctores apud illum ibidem nu.272. & ſeqq. Monſtrat quoque ſolidè, & eruditè à n.272. ex utroque Jure, & utriuſq; Juris Doctoribus, opinionem communiorem, cæteris paribus, debere præferri; ſed ratione probabiliorem præferendam eſſe communiori, ſeu authoritate probabiliori; & magis probabilem minùs probabili reſpectivè; & probationem pleniorem, ſive ex Doctorum ſententiis, ſive ex teſtibus, ſive ex ratione, præſumptione, conſuetudine, & judiciis abſorbere, perimere, elidere, & enervare minùs plenam: ſicut ubique gentium receptum eſt, ut in cauſis decidendis maior, ſaniorque pars ſuffragiorum prævaleat minori.

22. Latiſſimèque, & nervoſiſſimè probat ex ſect.3. à cap. 16. uſque ad 22. licitum non eſſe ſequi ſententiam minùs tutam, & operanti minùs probabilem: quòd adeo clarum putat, ut cap.17. num.3 ſic pronunciaverit: *Quivis rationis compos ex terminis intelligit, id, quod magis videtur eſſe malum, quàm non malum, ſeu potiùs illicitum, quàm licitum, probibitum, quàm permiſſum, non poſſe licitè fieri*. Et in eodem capite demonſtrat, eum, qui facit illud, quod minùs tutum eſt, ſibique minùs probabile, nullis reflexionibus liberari à peccato; quia quantumvis faciat iudicium reflexum de honeſtate actionis à ſe eliciendæ, illud iudicium eſt falſum, dictans actum ut honeſtum, qui in illis circumſtantiis eſt formaliter turpis; eſtque error voluntarius & liber. Et c.18. opportunè obſervat, in Jure numquam in dubio determinari partem minùs tutam, & ſimul minùs probabilem; ſed ſemper potiùs vel veriſimiliorem, vel certiorem, vel tutiorem, ſaltem negativè; ſeu quæ non ſit minùs talis. Et cap.16. hanc ſententiam probat: quia commune Theologorum & Juriſtarum dogma eſt, ſententiam in utroque foro ferendam eſſe pro eo, pro quo ſtat Juris præſumptio ſimpliciter; hæc autem ſtat pro ea parte, quæ omnibus conſideratis veriſimilior eſt, ut conſtat ex legibus, quas allegant Tiraquellus, & Menochius apud Antonium Perez diſp.4. de Juſtitia num. 50. & 53. Et ſicut motâ lite, præſumptio reo, vel poſſeſſori favens, pro veritate habetur, quando actor, vel petitor ſuam intentionem non probat; ita adductis, examinatiſque utrimque rationibus, ac probationibus, major veriſimilitudo (quæ eſt

præſumptio ſimpliciter) debet haberi pro veritate, ut prudenter feratur juſta ſententia: ſive à Judice publico in foro externo; ſive ab intellectu per judicium practicum, tamquam ſententia privata in dubio, ac veluti lite inter libertatem, & legem.

23. Et confirmatur: quia cùm impoſſibile ſit iudicium carens omni motivo, ſanè iudicium nequit eſſe obiectivè imprudens ex totali defectu motivi, & veriſimilitudinis; ſed ſolùm ex defectu iuſti motivi: iuſtum autem non eſt, quod ad æqualitatem non pertingit, ſed potiùs clarè ſuperatur à motivo contrario, quod eſt veluti fortius ad judicium oppoſitum. Ergo ubi motivum iudicii affirmantis aliquid eſſe licitum, eſt antecedenter ſimpliciter minus, reſpectivè ad iudicantem, quàm motivum ad negandum, iudicium conceptum ex vi talis motivi minoris, eſt imprudens, & improbabile. Hinc infertur improbabilitatem, & imprudentiam iudicii deſumptam ex obiecto, incipere à falſiſimilitudinis exceſſu; ut illud iudicium ſit reſpectu alicujus obiectivè improbabile in infimo gradu improbabilitatis, quod nititur motivo, quod ſimpliciter, & abſolutè, & ſenſibiliter ſuperatur à motivo partis contrariæ; & quod omnibus inſpectis, eſt magis falſiſimile, quàm veriſimile: & quò exceſſus fuerit maior ex parte contraria in veriſimilitudine, eò erit maior improbabilitas iudicii nitentis motivo minùs veriſimili. Ita ut ſupremus gradus improbabilitatis ſit, quando veriſimilitudo motivi eſt leviſſima, & veriſimilitudo oppoſiti iudicii eſt maxima; minimus verò improbabilitatis gradus ſit, quando veriſimilitudo motivi ſimpliciter & abſolutè, atque ſenſibiliter eſt minor; licet non ſit magna diſtantia.

§. III.

Infertur ex dictis, per Decretum Innocentii XI. enervatum eſſe fundamentum à priori, quo Probabiliſtæ probant, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam in occurſu probabilioris, & tutioris.

24. INnocentius XI. die 2. Martii anno 1679. inter propoſitiones ſexaginta quinque damnavit hanc ordine tertiam: *Generatim dum probabilitate ſive intrinſecâ, ſive extrinſecâ quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi, aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.* Quamvis autem per hanc deciſionem non ſit tacta ſententia recentium Probabiliſtarum, aſſerentium, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs tutam ei, qui ſimpliciter, & abſolutè agnoſcit majus pondus authoritatis, & rationis in ſententiâ tutiori, dummodò fundamentum ſententiæ minùs tutæ, etiam ſub comparatione alterius, ſit abſolutè magnum & grave, licet ſimpliciter inferius & minus: Quamvis, inquam, illa ſententia non ſit tacta; ejus tamen fundamentum à priori videtur infirmatum. Fundamentum enim illius erat, quòd opinio minùs probabilis ſit abſolutè probabilis; ac proinde nitatur fundamento gravi, & prudenti: & ita quicumque operatur ſecundùm illam, operetur ſecundùm rationem gravem, & prudentem; ac proinde non peccet, quia operatur prudenter. Hoc autem fundamentum jam everſum eſt per definitionem Pontificis. Nam qui utitur opinione exiguè probabili contentâ intra limites opinionis probabilis ut ſic, utitur opinione, quæ abſolutè in ſe ſpectata eſt probabilis: ergo utitur opinione, quæ abſolutè nititur fundamento gravi, & prudenti; & tamen non operatur ſecundùm rationem rectam, & prudentem. Quia videlicet, eſto, illa ratio fuerit gravis, & prudens reſpectu authorum, qui ob illam rationem defenderunt

runt illam opinionem ut veram, eo quòd ipſis apparuerit valida, & veriſimilior oppoſitâ; non eſt tamen gravis, & prudens reſpectu illius, cui ea ratio apparet exigui momenti. Pariter ergo ex eo quòd opinio minùs probabilis ſit in ſe abſolutè probabilis; & nitatur ratione gravi & prudenti, non ſequitur eſſe abſolutè probabilem mihi, cui eius fundamentum apparet minùs veriſimile. Nam licet illa ratio fuerit gravis & prudens reſpectu Doctorum, qui illam opinionem propugnârunt ut veram, eò quòd ipſis repræſentata ſit eius ratio ut validior, & veriſimilior oppoſitæ ſententiæ fundamentis (nemo enim defendit aliquam opinionem ut veram, nec ſibi imperat illius aſſenſum, niſi quia apparet ipſi in actu primo veriſimilior: nec talis opinio extaret in rerum naturâ, ſi eius fundamenta apparuiſſent omnibus authoribus minùs veriſimilia oppoſitis) inde nequit inferri eſſe gravem, & prudentem reſpectu mei, ſi mihi apparet minùs veriſimilis. Non eſt enim prudentiæ opus, quòd quis imperet ſibi aſſenſum (permittamus, phyſicè poſſe ſic imperare) alicuius opinionis, quando habet maius ſimpliciter fundamentum ad judicandum eſſe falſam, quàm ad judicandum eſſe veram. Ex eo ergo quòd opinio minùs probabilis ſit abſolutè probabilis, non ſequitur me poſſe illâ licitè uti; quia non ſequitur illam eſſe probabilem mihi.

25. Id conſtat in medium adducendo fundamentum illud. Sanè Bartholomæus de Medina ſic illud proponit 1.2. q. 19. ar. 2. propè finem: *Nam opinio probabilis, eſt conformis rectæ rationi, & exiſtimationi virorum prudentum & ſapientum: Ergo eam ſequi non eſt peccatum. Conſequentia* (inquit) *eſt evidens, & probatur antecedens: nam ſi eſt contra rationem, opinio probabilis non eſt; ſed error manifeſtarius. Si dicas eſſe rectæ rationi conformem; tamen, quia opinio probabilior eſt conformior, & ſecurior, obligamur eam ſequi: contra eſt argumentum; quia nemo obligatur ad id quod meliùs & perfectius eſt.*

26. Hanc rationem, ut communem Probabiliſtarum, proponit Maſtrius inſignis Scotiſta in ſecundum diſp. 5. q. 2. num. 50. his verbis: *Quia qui iuxta opinionem probabilem operatur, non temerè, ſed prudenter operatur, etiamſi talis opinio non ſit probabilior, & tutior: ergo non peccat. Conſequentia patet: quoniam qui peccat, non operatur prudenter. Probatur aſſumptum: ſiquidem talis opinio, & conſcientia eo ipſo quòd eſt probabilis, nititur gravi fundamento rationis, vel authoritatis: licitè ergo operari poteſt ſecundùm illam. Confirmatur: quia etiam in opinione minùs probabili, & minùs tuta reperitur obiectum, rectæ rationi conforme: in hoc enim conſiſtit probabilitas opinionis, quòd ſcilicet ex aliquo motivo gravi, & ſufficienti appareat rationi conformis; alioqui probabilis opinio non eſſet; ſed improbabilis: ergo licitè poteſt eligi talis opinio: nam ſemper operatio moralis eſt licita, & bona, quando eſt rectæ rationi conformis.* Hæc ille.

27. Eandem rationem proponit P. Bardi de Conſcientia Diſceptat. 4. cap. 10. Vbi ſententiam Probabiliſtarum num. 6. ſic probat: *Opinio probabilis eſt rectæ rationi conformis: ergo licitum eſt ſequi minùs probabilem, minùſque tutam relictâ probabiliori & tutiori. Antecedens probatur ex definitione, ſeu deſcriptione opinionis probabilis ſuperius poſitâ; diximus enim eſſe, quæ non levi nititur fundamento; ſed alicuius momenti &c. proinde erit prudens, & non temeraria, adeoque rectæ rationi conſentanea, & conformis. Impoſſibile enim eſt, judicium aliquod eſſe prudens, & rectæ rationi difforme; cùm ſit illi ſemper conforme, ſicut eſt ipſa prudentia, quæ virtus eſt. Eſſe autem prudens judicium, ſeu opinionem innixam fundamento non levis momenti, patet: quia tale judicium non erit temerarium; quod tunc eſſet, quando abſque ratione, & præcipitanter procederet.*

28. Hanc verò rationem communem tamquam manifeſtam demonſtrationem proponit P. Cardenas in Criſi Theologica tom. 1. diſp. 10. cap. 6. his verbis: *Implicat contradictionem, quòd quis operetur prudenter, & quòd in ea operatio-*

præſumptio ſimpliciter) debet haberi pro veritate, ut prudenter feratur juſta ſententia: ſive à Judice publico in foro externo; ſive ab intellectu per judicium practicum, tamquam ſententia privata in dubio, ac veluti lite inter libertatem, & legem.

23. Et confirmatur: quia cùm impoſſibile ſit iudicium carens omni motivo, ſanè iudicium nequit eſſe obiectivè imprudens ex totali defectu motivi, & veriſimilitudinis; ſed ſolùm ex defectu iuſti motivi: iuſtum autem non eſt, quod ad æqualitatem non pertingit, ſed potiùs clarè ſuperatur à motivo contrario, quod eſt veluti fortius ad judicium oppoſitum. Ergo ubi motivum iudicii affirmantis aliquid eſſe licitum, eſt antecedenter ſimpliciter minus, reſpectivè ad iudicantem, quàm motivum ad negandum, iudicium conceptum ex vi talis motivi minoris, eſt imprudens, & improbabile. Hinc infertur improbabilitatem, & imprudentiam iudicii deſumptam ex obiecto, incipere à falſiſimilitudinis exceſſu; ut illud iudicium ſit reſpectu alicujus obiectivè improbabile in infimo gradu improbabilitatis, quod nititur motivo, quod ſimpliciter, & abſolutè, & ſenſibiliter ſuperatur à motivo partis contrariæ; & quod omnibus inſpectis, eſt magis falſiſimile, quàm veriſimile: & quò exceſſus fuerit maior ex parte contraria in veriſimilitudine, eò erit maior improbabilitas iudicii nitentis motivo minùs veriſimili. Ita ut ſupremus gradus improbabilitatis ſit, quando veriſimilitudo motivi eſt leviſſima, & veriſimilitudo oppoſiti iudicii eſt maxima; minimus verò improbabilitatis gradus ſit, quando veriſimilitudo motivi ſimpliciter & abſolutè, atque ſenſibiliter eſt minor; licet non ſit magna diſtantia.

§. III.

Infertur ex dictis, per Decretum Innocentii XI. enervatum eſſe fundamentum à priori, quo Probabiliſtæ probant, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam in occurſu probabilioris, & tutioris.

24. INnocentius XI. die 2. Martii anno 1679. inter propoſitiones ſexaginta quinque damnavit hanc ordine tertiam: *Generatim dum probabilitate ſive intrinſecâ, ſive extrinſecâ quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi, aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.* Quamvis autem per hanc deciſionem non ſit tacta ſententia recentium Probabiliſtarum, aſſerentium, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs tutam ei, qui ſimpliciter, & abſolutè agnoſcit majus pondus authoritatis, & rationis in ſententiâ tutiori, dummodò fundamentum ſententiæ minùs tutæ, etiam ſub comparatione alterius, ſit abſolutè magnum & grave, licet ſimpliciter inferius & minus: Quamvis, inquam, illa ſententia non ſit tacta; ejus tamen fundamentum à priori videtur infirmatum. Fundamentum enim illius erat, quòd opinio minùs probabilis ſit abſolutè probabilis; ac proinde nitatur fundamento gravi, & prudenti: & ita quicumque operatur ſecundùm illam, operetur ſecundùm rationem gravem, & prudentem; ac proinde non peccet, quia operatur prudenter. Hoc autem fundamentum jam everſum eſt per definitionem Pontificis. Nam qui utitur opinione exiguè probabili contentâ intra limites opinionis probabilis ut ſic, utitur opinione, quæ abſolutè in ſe ſpectata eſt probabilis: ergo utitur opinione, quæ abſolutè nititur fundamento gravi, & prudenti; & tamen non operatur ſecundùm rationem rectam, & prudentem. Quia videlicet, eſto, illa ratio fuerit gravis, & prudens reſpectu authorum, qui ob illam rationem defenderunt

runt illam opinionem ut veram, eo quòd ipſis apparuerit valida, & veriſimilior oppoſitâ; non eſt tamen gravis, & prudens reſpectu illius, cui ea ratio apparet exigui momenti. Pariter ergo ex eo quòd opinio minùs probabilis ſit in ſe abſolutè probabilis; & nitatur ratione gravi & prudenti, non ſequitur eſſe abſolutè probabilem mihi, cui eius fundamentum apparet minùs veriſimile. Nam licet illa ratio fuerit gravis & prudens reſpectu Doctorum, qui illam opinionem propugnârunt ut veram, eò quòd ipſis repræſentata ſit eius ratio ut validior, & veriſimilior oppoſitæ ſententiæ fundamentis (nemo enim defendit aliquam opinionem ut veram, nec ſibi imperat illius aſſenſum, niſi quia apparet ipſi in actu primo veriſimilior: nec talis opinio extaret in rerum naturâ, ſi eius fundamenta apparuiſſent omnibus authoribus minùs veriſimilia oppoſitis) inde nequit inferri eſſe gravem, & prudentem reſpectu mei, ſi mihi apparet minùs veriſimilis. Non eſt enim prudentiæ opus, quòd quis imperet ſibi aſſenſum (permittamus, phyſicè poſſe ſic imperare) alicuius opinionis, quando habet maius ſimpliciter fundamentum ad judicandum eſſe falſam, quàm ad judicandum eſſe veram. Ex eo ergo quòd opinio minùs probabilis ſit abſolutè probabilis, non ſequitur me poſſe illâ licitè uti; quia non ſequitur illam eſſe probabilem mihi.

25. Id conſtat in medium adducendo fundamentum illud. Sanè Bartholomæus de Medina ſic illud proponit 1.2. q. 19. ar. 2. propè finem: *Nam opinio probabilis, eſt conformis rectæ rationi, & exiſtimationi virorum prudentum & ſapientum: Ergo eam ſequi non eſt peccatum. Conſequentia* (inquit) *eſt evidens, & probatur antecedens: nam ſi eſt contra rationem, opinio probabilis non eſt; ſed error manifeſtarius. Si dicas eſſe rectæ rationi conformem; tamen, quia opinio probabilior eſt conformior, & ſecurior, obligamur eam ſequi: contra eſt argumentum; quia nemo obligatur ad id quod meliùs & perfectius eſt.*

26. Hanc rationem, ut communem Probabiliſtarum, proponit Maſtrius inſignis Scotiſta in ſecundum diſp. 5. q. 2. num. 50. his verbis: *Quia qui iuxta opinionem probabilem operatur, non temerè, ſed prudenter operatur, etiamſi talis opinio non ſit probabilior, & tutior: ergo non peccat. Conſequentia patet: quoniam qui peccat, non operatur prudenter. Probatur aſſumptum: ſiquidem talis opinio, & conſcientia eo ipſo quòd eſt probabilis, nititur gravi fundamento rationis, vel authoritatis: licitè ergo operari poteſt ſecundùm illam. Confirmatur: quia etiam in opinione minùs probabili, & minùs tuta reperitur obiectum, rectæ rationi conforme: in hoc enim conſiſtit probabilitas opinionis, quòd ſcilicet ex aliquo motivo gravi, & ſufficienti appareat rationi conformis; alioqui probabilis opinio non eſſet; ſed improbabilis: ergo licitè poteſt eligi talis opinio: nam ſemper operatio moralis eſt licita, & bona, quando eſt rectæ rationi conformis.* Hæc ille.

27. Eandem rationem proponit P. Bardi de Conſcientia Diſceptat. 4. cap. 10. Vbi ſententiam Probabiliſtarum num. 6. ſic probat: *Opinio probabilis eſt rectæ rationi conformis: ergo licitum eſt ſequi minùs probabilem, minùſque tutam relictâ probabiliori & tutiori. Antecedens probatur ex definitione, ſeu deſcriptione opinionis probabilis ſuperius poſitâ; diximus enim eſſe, quæ non levi nititur fundamento; ſed alicuius momenti &c. proinde erit prudens, & non temeraria, adeoque rectæ rationi conſentanea, & conformis. Impoſſibile enim eſt, judicium aliquod eſſe prudens, & rectæ rationi difforme; cùm ſit illi ſemper conforme, ſicut eſt ipſa prudentia, quæ virtus eſt. Eſſe autem prudens judicium, ſeu opinionem innixam fundamento non levis momenti, patet: quia tale judicium non erit temerarium; quod tunc eſſet, quando abſque ratione, & præcipitanter procederet.*

28. Hanc verò rationem communem tamquam manifeſtam demonſtrationem proponit P. Cardenas in Criſi Theologica tom. 1. diſp. 10. cap. 6. his verbis: *Implicat contradictionem, quòd quis operetur prudenter, & quòd in ea operatio-*

ratione peccet. Sed qui utitur opinione minus probabili, operatur prudenter: ergo implicat contradictionem, quòd is, qui utitur opinione minus probabili, peccet. Maior eſt nota ex terminis; minor etiam eſt (inquit) *manifeſta: nam opinio, quæ eſt minùs probabilis, verè eſt probabilis; quia ſi non eſt probabilis, non poteſt eſſe minùs probabilis: quòdſi practicè probabilis eſt, ea nititur ratione prudenti; atque adeo qui utitur ea ratione minùs probabili, utique prudenter operatur; cùm operetur prudenti ratione eius opinionis nixus.*

29. Hoc eſt totum fundamentum à priori Probabiliſtarum: quod vel nihil probat, vel contra Decretum Innocentii probat, omnem opinionem probabilem nullâ demptâ, ſufficere ad ſecuritatem conſcientiæ; ac proinde ſufficere opinionem exiguè probabilem, dummodo à probabilitatis finibus non exeatur. Illa enim ratio à priori aſſumit pro principio univerſali, quòd *omnis opinio probabilis ſit conformis rectæ rationi, & prudentiæ*; & quòd qui eam ſequitur, prudenter operetur, & conſequenter quòd prudenter etiam agat, qui utitur opinione minùs probabili; quia opinio minùs probabilis verè probabilis eſt; ac proinde nitatur ratione prudenti. Hoc autem principium generale videtur non diſcrepare à propoſitione damnata: *Generatim dum probabilitate, ſive extrinſecâ, ſive intrinſecâ, quantumvis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi, aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.* Ergo Decretum Pontificis omnino enervavit rationem à priori Probabiliſtarum.

§. IV.

Oſtenditur, eſſe fallax, & ſophiſticum fundamentum à priori Authorum benignorum.

30. ET ſanè illud fundamentum ſententiæ benignę eſt omnino fallax, & ſophiſticum, arguens à ſingulari ad univerſale, probanſque, aliquod fundamentum eſſe grave, ac prudens reſpectu omnium, quia eſt grave, ac prudens reſpectu aliquorum; eſſe grave, & prudens reſpectu illorum, quibus apparet minùs veriſimile, ex eo, quòd fuerit grave, & prudens reſpectu illorum, quibus apparuit magis veriſimile; eſſe grave, & prudens reſpectu illorum, quibus apparet exigui momenti, ex eo, quòd fuerit grave reſpectu illorum, quibus apparuit maximi momenti, quales fuerunt Authores illius opinionis, qui propterea illam propugnârunt ut veram, quia fundamentum illius in ipſorum mente præponderavit fundamento oppoſitæ opinionis: nullus enim Author illam ſententiam propugnâſſet, ſi nulli ejus fundamentum apparuiſset majus fundamēto oppoſitæ, vel ſi omnibus apparuiſſet ſimpliciter minus. Rem explicemus. Hoc quod eſt, fundamentum aliquod eſſe grave, & prudens, eſt aliquid relativum ad intellectum: inter fundamenta autem obſcura, & merè probabilia, nullum eſt, quod appareat magnum, & præponderans ſuo contrario omnibus intellectibus mundi: ſæpe enim quod uni placet, alteri diſplicet; quod uni eſt valde urgens, alteri non eſt ita efficax. Et hinc oritur contrarietas opinionum, & communis contra communem. Eſſe magnum, & valde urgens reſpectu omnium, eſt privilegium fundamenti evidentis, quod omnes intellectus rapit. Fundamentum ergo probabile ſolùm habet eſſe grave, & prudens reſpectu aliquorum, nempe reſpectu illorum, quibus apparet veriſimilius, & urgentius ſuo contradictorio: ergo perperam infertur, poſſe quemcumque operari prudenter ſecundùm illud motivum: ſolùmque poterit operari prudenter ſecundùm illud is, cui præponderaverit. Ut enim optimè definit P. Scildere in ſuo opere de Principiis Conſcientiæ formandæ tract. 2. cap. 2. num. 12. *Opinio probabilis eſt aſſenſus cum formidine, innixus rationibus gravibus, ex qualibus vir conſideratus poſt argumenta contraria conſiderata, & ſoluta, in negotiis magni momenti concludere ſolet.* Unde infert: *Quòd quando pro utraque parte rationes occurrunt, neque rationes unius par-*

partis longè ſuperant alias, opinio formata non eſt probabilis: nam ſi rationes pro utraque parte allatæ ſint æquales, aut ferè æquales, elidunt vim mutuam; ut nullus conſideratus vir ob alterutras ſit formaturus aſſenſum, ex eoque proceſſurus ad praxim. Sic nullus vir conſideratus judicabit, ſe facturum eſſe ex aliqua negotiatione lucrum, quando totidem rationes ſunt contra ſpem lucri, quot pro lucro. Hæc ille. Eandem doctrinam defenderunt Lovanii in Theſibus publicis die 17. Novembris an. 1669. P. Philippus de Vos, & P. Philippus Regaus Societatis Jeſu. Præſide R.P. Antonio à Burgundia ejuſdem Societatis. In illis enim Theſibus, quas adducit Statera Saulis Ex-regis ſect. 3. cap. 10. pag. 233. ſic definitur opinio probabilis: *Opinio probabilis nobis eſt aſſenſus non certus, vel ex terminorum penetratione ortus, vel nixus motivo gravi, ex quali vir conſideratus, & prudens in rebus magni momenti concludere ſolet, Hinc ſi quis uni aſſentiatur parti, vel non præbabito examine, ſi, & quod res poſtulat; vel dum pro oppoſita videt eſſe manifeſta Scripturæ loca, Conciliorum, aut Pontificum definitiones, aut rationes majores, imò æquales; hunc aſſenſum inter probabiles non numeramus.* Vnde manifeſtè infertur, non eſſe prudens reſpectu mei in ordine ad aſſentiendum motivum illud, quod non præeminet ſuo contradictorio in meo intellectu antequam à me impetret aſſenſum.

31. Idque ampliùs explicatur hoc exemplo: P. Suarez cum viginti Authoribus claſſicis affirmat, aliquem contractum eſſe uſurarium: P. Vazquez cum decem, vel duodecim Authoribus etiam claſſicis negat. Opinio P. Vazquez communiter reputatur minùs probabilis, quia pauciores pro ſe habet Authores graves, & ejus fundamenta communiter reputantur minùs urgentia; eſto ſimpliciter ſit certò probabilis. Sanè opinio illa Vazquezio, ejuſque ſequacibus non viſa eſt minùs probabilis, ſed potiùs ejus fundamenta ante voluntatis imperium repræſentata ſunt ei ut urgentiora oppoſitis; & propterea illam propugnavit ut veram, oppoſitamque rejecit ut falſam: quod minimè feciſſet, ſi illa fundamenta apparuiſſent ipſi minùs urgentia oppoſitis. Quid ergo ſequitur ex eo, quòd opinio Vazquezii ſit certò probabilis? Sanè non aliud, quàm illam habere fundamentum grave, & prudens in intellectu ſuorum Authorum, & omnium aliorum, in quorum intellectu habuerit eundem ſtatum; nimirum omnium eorum, quibus illius opinionis motiva antecedenter citra præcipitationem apparuerunt urgentiora motivis oppoſitis; omneſque illos poſſe ſecundùm illam prudenter operari. Sic enim judicare poterunt, illum contractum eſſe licitum; & reflectentes ſupra gravitatem Doctorum, qui ob hæc ipſa motiva judicârunt hoc ipſum, certificari poterunt de vera probabilitate, & prudentiâ ſui aſſenſûs, & inde ad praxim ſecurè procedere: nam unicuique licitum eſt facere, quod per judicium opinativum certò prudens judicat omnibus eſſe licitum. Hinc autem minimè ſequitur, poſſe prudenter operari, & licitè ſecundùm illam opinionem eos, quibus ejus fundamenta antecedenter apparuerint minùs urgentia oppoſitis: & multò minùs, ſi apparuerint ipſis parum urgentia, & exiguæ probabilitatis.

32. Hinc ad argumentum P. Cardenas in forma reſpondeo, negando minorem primi ſyllogiſmi: ad cujus probationem diſtinguo majorem: Opinio quæ eſt minùs probabilis, verè eſt probabilis abſolutè, & in ſe, & in mente ſuorum Authorum, concedo; verè eſt probabilis reſpectu illius, cui ejus fundamenta antecedenter apparent minùs veriſimilia oppoſitis, nego majorem. Ex eo autem, quòd ſit practicè probabilis, ſolùm ſequitur, quòd nitatur ratione prudenti apud eos, qui illam judicârunt veram, eò quòd motiva ejus antecedenter illis apparuerint urgentiora oppoſitis: minimè autem ſequitur, quòd nitatur ratione prudenti apud eos, qui illam judicant falſam, vel quibus ejus fundamenta apparent minùs veriſimilia. Quamquam enim iſti poſſint dicere, illam eſſe abſolutè probabilem, quia vident illam defendi à viris probis, & ſapientibus poſt

matu-

Digitized by Google

maturam totius quæſtionis diſcuſſionem; & temerè dicerent, illam eſſe abſolutè,& in ſe improbabilem, eò quòd ſibi non probetur; non poſſunt tamen verè dicere, illam eſſe probabilem ſibi; quia non poteſt ab ipſis approbari per aſſenſum certò prudentem, dum ejus fundamenta apparent in actu primo minùs veriſimilia: ſolùmque reflexè, & ſpeculativè eſt ipſis probabilis, quatenus verè dicere poſſunt, illam opinionem prudenter approbatam fuiſſe ut veram à multis ſapientibus.

33. Hinc detegitur fallacia rationis illius à priori, prout propoſitæ à Bartholomæo de Medina, quam excelſum Vazquezii ingenium parvi momenti appellavit, 1. 2. diſput. 62. num. 15. Dum enim dicitur, *quòd opinio probabilis ſit conformis rectæ rationi, & exiſtimationi virorum ſapientum, & prudentum*, diſtinguendum eſt: virorum omnium ſapientum, & prudentum, nego; aliquorum, concedo. Nam ſicut viri aliqui ſapientes illam probabiliter amplectuntur ut veram; ita alii viri ſapientes, & forſan ſapientiores, atque numero plures, probabiliter illam rejiciunt ut falſam. Hinc ſicut eſt conformis rationi, & exiſtimationi aliquorum virorum ſapientum, & prudentum; ita eſt difformis rectæ rationi, & exiſtimationi aliorum virorum prudentum, & ſapientum. Et ſimiliter diſtinguo conſequens: Ergo eam ſequi non eſt peccatum, reſpectu illorum, qui certò prudenter judicant eſſe veram (eò quòd ejus fundamenta poſt diligentem materiæ diſcuſſionem innocenter, & citra paſſionem eis apparuerint in actu primo urgentiora) concedo conſequentiam; reſpectu illorum, qui illam judicant falſam, vel certò prudenter judicare poſſunt, eò quòd antecedenter ejus fundamenta illis apparuerint minùs veriſimilia; nego conſequentiam. Ad probationem antecedentis diſtinguo illam propoſitionem: Si opinio eſt contra rationem omnium, vel plurium ſapientum, opinio probabilis non eſt, ſed error manifeſtarius, concedo: ſi eſt ſolùm contra rationem aliquorum ſapientum, conformis tamen rationi aliorum ſapientum, numero, & dignitate æqualium, vel ſuperiorum, nego.

34. Neque verum videtur, quod ait univerſaliter Medina, nempe omnem opinionem probabilem eſſe conformem rectæ rationi. Nam poſſunt opiniones probabiles oppoſitæ ambæ eſſe probabiles, quia quælibet habet pro ſe Authores graviſſimos, qui poſſunt eſſe authoritate, & numero pares. In quo eventu evidens eſt, alteram illarum eſſe falſam; opinio autem falſa non eſt conformis rectæ rationi: rectitudo enim intellectûs & rationis conſiſtit in veritate, ut inquit Auguſtinus libro de Quantitate Animæ cap. 16. *Ratio non dicenda eſt, aut exiſtimanda, niſi vera.* Ergo opinio falſa non eſt conformis rationi rectæ. Nec apparet, quomodo opinio affirmans, aliquem contractum eſſe licitum, ſit conformis rationi rectæ reſpectu illius, qui antecedenter habet majus fundamentum ad judicandum, illam eſſe falſam, quàm ad judicandum, illam eſse veram.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO NONA.

In qua oſtenditur, modum dirigendi conſcientias, & reſolvendi caſus per probabilitatem opinionum, præſcindendo ab ipſarum veritate, ſeu non curando an ſint veræ, eſſe contra doctrinam, quam conſtanter ſemper tradidit D. Thomas; qui ad uſum licitum opinionis minùs tutæ indiſpenſabiliter requirit, ut priùs operans ſine dubitatione judicet, eſſe veram, & legi æternæ conformem.

INTRODUCTIO DISSERTATIONIS.

1. SUppono, Probabiliſtas aſſerentes, licitum eſſe ſequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam in occurſu probabilioris, & tutioris, non facere ſuam ſententiam dependentem ab eo, quòd poſſit intellectus aſſentiri parti ſibi minùs veriſimili; ut notat P. Moya tom. 2. in Appendice ad tractatum 1. de Opinione Probabili quæſt. 7. num. 38. & 39. ubi ait: *Potentiam phyſicam intellectûs ad aſſentiendum parti, quæ minùs efficacibus fundamentis vititur, non eſſe neceſſariam ad electionem opinionis.* Idque probat ex Caramuele; quia ut ait Caramuel: *Aliud eſt gubernare mentem, & aliud voluntatem. Non eſt homini liberum judicare, eſſe minùs veriſimile, quod majorum rationum efficaciâ ſuadetur, aut quod plerumque in Academiis à viris eruditis defenditur: at eſt homini liberum eligere in praxi illam ſententiam, quæ eſt minùs veriſimilis, atque ideo dicitur minùs probabilis. Electio hæc actus voluntatis eſt, & non efficit, ut intellectus aliter judicet, quàm judicabat. Nam poteſt, & ſolet homo prudens eam ſententiam eligere, quam cognoſcit eſſe minùs probabilem.* Pergit Moya; &, *Stat*, ait, *intellectum nequire ex principiis directis judicare, licitum eſſe pingere in die feſto; quia motiva ſuadentia eſſe opus ſervile, præponderant, ita ut nequeat huic parti aſſentiri; & tamen reflexè cognoſcat, eſſe inter Doctores bonæ notæ diverſas opiniones, alteram alterâ probabiliorem circa idemmet objectum; & rurſus etiam eſſe inter Doctores controverſiam, an liceat eligere, quam minùs probabilem ex duabus quis judicat: Rectè, inquam, ſtat, judicare, quòd ſit probabilius, licere eligere opinionem minùs probabilem propter efficaciora motiva ſibi propoſita. Quibus poſitis, probabilius cenſet, licitum ſibi eligere opinionem tuentem, licitum eſſe pingere in die feſto, ob authoritatem Doctorum ita exiſtimantium: cùm tamen ex principiis directè probativis, ut dixi, judicium ſuſpenderit.* Ex quibus evidenter conſtat, (inquit P. Moya) *ad rem præſentem nil conducere, quòd intellectus poſſit, vel non poſſit parti æquè, aut minùs probabili ex principiis directè probativis aſſenſum præſtare.*

2. Quæſtio ergo (ſubdit) illa Philoſophica de poteſtate phyſicâ intellectûs, ſi illi negetur, ad aſſentiendum parti,

Digitized by Google

quàm minùs, aut æquè probabilem cenſet, in uno tantùm caſu ad electionem opinionis minùs probabilis obſtare poterit; nempe quando quis minùs probabilem cenſet noſtram, & communem opinionem de licito uſu cujuſvis. Hic enim, ſi aliunde judicet, intellectum non poſſe huic parti aſſentiri, ſed dubium prorſus manere, & ex nullo principiorum à nobis jactorum ad deponendam conſcientiam dubiam, poſſe juvari ad formandum dictamen, nec authoritatem intrinſecam Doctorum ad hoc deſervire poſſe; hic, inquam, cùm practicè dubitet, nequibit ad praxim opinionis faventis libertati devenire, niſi illam probabiliorem judicet contrariâ. Sed quis niſi protervè id ſentiet? Si autem ita ſenſerit, & onus etiam ſentiet. Sentiat; quid contra nos? Ita Moya. Et ſanè ad uſum licitum opinionis minùs tutæ affirmantis, aliquod objectum eſſe licitum, non requiri judicium directum de veritate illius opinionis; ſed ſufficere judicium reflexum de illius probabilitate, eſt ſententia adeo communis inter Authores benignos hujus ſæculi, ut Doctor Fagnanus in ſuo tractatu de Opinione Probabili anno 1661. num. 25. enumerans gradus, quibus Authores benigni dilatârunt uſum opinionum probabilium, ſic ſcripſerit: *Primus gradus, cùm quis in aliquo articulo, ſeu controverſia morali agnoſcit, unam opinionem eſſe probabilem*, nempe illam, quæ affirmat, actum eſſe licitum, & ſubeſt peccati periculo; *nec ulteriùs inquirit, an opinio contraria ſit æquè probabilis, aut probabilior, poteſt tutâ conſcientiâ opinionem illam probabilem ſequi. Et in hoc primo gradu conveniunt Theologi noſtri temporis ferè omnes.*

CAPUT I.

Probatur aſſumptum variis S. Thomæ teſtimoniis.

3. Dubium mihi non eſt, modum diſcurrendi Authoribus benignis (quos Probabiliſtas appellant) familiarem, quòd nimirum ubi conſtiterit dari ſententias probabiles gravium Doctorum, quarum una affirmat, & altera negat, aliquid eſſe licitum, jam ſecuri ſimus, & poſſimus ſequi quam partem maluerimus, eſſe è diametro oppoſitum modo diſcurrendi Angelici Doctoris: qui, ubi agitur, utrùm aliquid ſit peccatum, vel non ſit peccatum, & ſunt contrariæ opiniones, quò pro qualibet ſunt graviores Doctores, & urgentiora fundamenta, eò difficilius eſſe arbitratur reſolvere, quæ pars tenenda ſit. Authores benigni ſatis habent ſcire, aliquam opinionem eſſe probabilem, ut ſtatim ſibi perſuadeant, tutum eſſe eam ſequi, quamvis oppoſita tutior, ſit æquè, vel etiam magis probabilis; nec curant, an ſit veriſimilis, necne, ſed an ſit probabilis, ut eam obviis ulnis amplectantur. At D. Thomas non ſatis habet, ſcire eam eſſe probabilem, ſed ulteriùs pergit examinare, an ſit vera. Et quia hoc difficile eſt aſſequi, ubi ſunt graves Doctores, graviaque fundamenta pro utraque parte, propterea affirmat, periculoſum eſſe tunc quæſtionem reſolvere.

4. Audiamus jam Angelicum Doctorem, qui quodl. 9. quæſt. 7. art. 15. (in quo inquirit, *Utrùm habere plures præbendas ſine cura animarum abſque diſpenſatione, ſit peccatum mortale*) ſic loquitur initio corporis: *Dicendum, quòd omnis quæſtio, in qua de peccato mortali quæritur, niſi expreſsè veritas habeatur, periculosè determinatur; quia error, quo non creditur eſſe peccatum mortale, quod eſt peccatum mortale, conſcientiam non excuſat à toto, licet fortè à tanto. Error verò, quo creditur eſſe mortale, quod non eſt mortale, ex conſcientia ligat ad peccatum mortale. Præcipuè autem periculoſum eſt, ubi veritas ambigua eſt; quod in hac quæſtione accidit. Cùm enim hæc quæſtio ad Theologos pertineat, in quantum dependet ex Jure Divino, vel ex Jure naturali; & ad Juriſtas, in quantum dependet ex Jure poſitivo, inveniuntur in ea Theologi Theologis, Juriſtæ Juriſtis contrariè ſentire.* Quis hìc apertè non videat, quantùm Authores benigni D. Thomæ opponantur? Ipſi ajunt: Ubi res eſt ambigua propter

pter opiniones contrarias æquè, vel ferè æquè probabiles, licitum eſſe cuilibet, & valdè ſecurum, quam partem maluerit, ſequi; imò poſſe prudenter, & laudabiliter aſſentiri cuilibet ex imperio voluntatis. At D. Thomas aſſerit, eſſe magis periculoſum; quia difficilius eſt ſcire, in quanam ex duabus partibus contradictoriis detur veritas. Et ideo ipſe numquam tenet unam ſententiam præ alia, niſi probando, eam eſse veram, & alteram eſse falſam. Ratio manifeſta ſtat pro hoc modo diſcurrendi D. Thomæ. Cùm enim evidens ſit, ex duabus opinionibus contrariis alteram eſse falſam; neutra eſt digna, ut illi intellectus aſsentiatnr, donec appareat, veritatem potiùs ibi eſſe, quàm in contraria. Et qui amplecteretur opinionem faventem libertati, cognoſcens oppoſitam eſse æquè probabilem, eam amplecteretur ut rectam regulam, dum illam cognoſcit eſse dubiam, & prorſus indifferentem, ut ducat in peccatum, vel in opus licitum; quod eſt implicatorium: quia non poteſt cognoſci ut recta regula, niſi quatenus cognoſcitur ut conformis primæ regulæ; quod non habet, niſi quatenus vera.

5. Dum autem D. Thomas dicit, periculosè determinari quæſtionem, *niſi expreſsè veritas habeatur*; non requirit tamquam conditionem neceſsariam ad reſolvendam quæſtionem, in qua de peccato mortali agitur, ut nobis certò, & evidenter conſtet de veritate: nam hoc foret exigere conditionem moraliter impoſſibilem; quia in iis rebus moralibus, de quibus dantur opiniones contrariæ Doctorum, eſt moraliter impoſſibile, invenire demonſtrationem, quæ convincat, unam partem præ alia eſse veram. Solùm ergo requirit pro conditione ad evitandum periculum, quòd veritas quæratur diligenter, & non teneatur opinio, niſi ex prudenti perſuaſione, quòd ſit vera: veritas enim non ſolùm habetur expreſsè per judicium evidens, ſed per judicium prudens conceptum ob fundamenta urgentiora. Quamvis autem periculosè determinetur, niſi veritas expreſsè habeatur; poteſt tamen hoc periculum caveri, ſi quis adhibeat ſufficientem diligentiam ad inquirendam veritatem; & poſt illam adhibitam, citra paſſionem, & culpam, inveniat ſenſibiliter, & clarè majus fundamentum pro una parte, quàm pro alia: tunc enim ſecurè poterit judicare, eſse veram illam partem. Si autem poſt hæc omnia contingeret, judicium illud eſse falſum, error ille eſset probabilis, & habens apud Deum excuſationem.

6. Rurſus, apud Authores benignos ſufficit ſtudium ſuperficiale ad reſolvendas quæſtiones, quæ ad mores ſpectant. Nam ſtatuto ſemel hoc principio, quòd liceat cuicumque operari, & conſulere ſecundùm quamcumque opinionem practicè probabilem, ſeu affirmantem, aliquid eſse licitum; quicumque Summam Dianæ, vel Leandri, vel alterius Authoris moderni, qui diligens ſit in referendis placitis Doctorum, aperiens, viderit pro utraque parte eſse multos, & graves Doctores, & neutram ut improbabilem notari, ſed utramque probabilem haberi, ſtatim ſecuriſſimè poterit conſulere partem benignam, vel ſecundùm eam operari. At juxta D. Thomam requiritur attentum, & diligens ſtudium ad reſolvendas quæſtiones morales.

7. Idque denuo conſtat ex opuſculo 73. in quo agit de Vſuris; nam in proœmio ſic Deum orat: *Omnis homo à natura non degenerans, veritatem amat, & eam ſcire ſuper omnia deſiderat. Quam ſiquis concupiſcit vero corde, & eam quæſierit in ſimplicitate cordis ſui, ipſa ſeipſam manifeſtabit, & Deus, qui hoc promittit, verax eſt, & eam præbet diligentibus ſe, ſicut ſcriptum eſt* Sap. 6. Præoccupat eos, qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe prior oſtendat. Eccli. 1. Fili concupiſcens ſapientiam conſerva iuſtitiam, & Deus præbebit eam tibi. *Invoco ergo ipſam, ne me errare permittat in periculum animæ meæ, & in laqueum aliorum; ſed illuminare dignetur oculos caliginoſos ipſo ſuo lumine, ſine quo nemo valet ad lumen veritatis uſquequaque pertingere. Amen. Quoniam verò in dubiis, quorum veritas agnita ſalutaris eſt, & incognita, periculum ingerit humanæ ſaluti, admodum*

Digitized by Google

utile eſt, veritatem inveſtigare. Et temporibus noſtris audivimus multas controverſias inter Doctores, non ſolùm in naturalibus quæſtionibus, verùm etiam in moralibus; in quibus periculum eſt diverſa ſentire, & opinari; & præcipuè in illa parte Juſtitiæ, quæ Commutativa dicitur à Philoſophis, & iſta parte ejuſdem, quæ vitium uſuræ cobibet: ideo circa banc materiam veritatem declarare, & dubia elucidare, quantùm Deus donaverit, & noſter labor conamine pauperis inveſtigationis noſtræ attingere poterit, in boc opere propoſitum noſtrum eſt.

8. Hactenus D. Thomas: ex quo textu cum docto Auctore colligo primò: Quàm à D. Thoma totâ mente aberret, quiſquis in quæſtionibus moralibus decidendis, nec ſibi timet, nec proximo, quem diligit; cùm manifeſtè nos exiſtamus incomparabiles in doctrina D. Thomæ, quem Sancta Eccleſia ſuum fecit Doctorem; quod de nobis exiſtimare ſumma ſanè, & fatua ſuperbia foret: at ipſe timet periculum animæ ſuæ, & laqueum aliorum in quæſtionibus de uſuris: ergo nos à fortiori timere deberemus. Secundò: conſtat in his quæſtionibus periculum, & laqueum incurri poſse: ſi enim incurri non poſsent, non eſset timendum, nec Deus orandus; ſed S. Thomas timet, & Deum orat: ergo incurri poſsunt periculum, & laqueus. Tertiò conſtat, non ſatis eſse ad evitandum periculum, & laqueum, habere Doctores alterutram partem ſentientes: nam in materia uſurarũ habebat S. Doctor Doctores diverſa ſentientes, & opinantes: ergo ſi alterutris Doctoribus, ſine alio examine accedendo, periculum, & laqueus vitabantur, jam, cùm (ut in facto notorio) Doctores pro utralibet parte adeſsent, omne periculum ceſsabat, & laqueus per id ipſum jam contritus erat, & dici poterat: *Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.* Nam diceret quiſque, habeo Doctores pro qualibet parte; ergo & ego, & proximus conſulendus, jam ſumus in tuto. Quartò conſtat, non quodlibet probabile ſufficere pro regula, & ſecuritate conſcientiæ. Nam temporibus D. Thomæ in illis Doctorum diverſa ſentientium controverſiis, utraque pars impunè defendebatur; ſicut & modò in eadem uſurarum materia utraque defenditur: & tunc, & nunc ſine impedimento, & ſine cenſura, & nota. Ergo hoc genus probabilitatis ex S. Doctore non ſufficiebat pro conſcientia; ſed ulterius aliquod examen faciendum eſt, & aliquis labor adhibendus pro veritate.

9. Poſtremò: hoc genus probabilitatis non ſufficere, nec habere Doctores, ſive per bona, ſive per mala fundamenta diverſa ſentientes, patet ex ipſa oratione: nam ſi id ſufficeret, non eſset orandus Deus pro habenda doctrina tuta, & ſana in quæſtionibus moralibus; ſed concurſus univerſalis omnibus cauſis ſecundis à Deo ſemper præſtitus ſufficeret, nec magis de eo orandus eſset Deus, quàm pro combuſtione ignis applicati. Nam per id ſolùm, & ſine alia gratia particulari ſcire poſsemus, & ſciremus, eſse in materia uſurarum, & in aliis Doctores diverſa ſentientes, & opinantes; & quòd utraque pars ſine impedimento, & ſine cenſura defenditur: quemadmodum ſolo concurſu generali in hiſtoriis, & per hiſtorias ſcimus, Romanos olim imperâſse, extitiſse Ciceronem, Cæſarem, Annibalem, &c.

10. Sequela autem non ſolùm D. Thomæ, ſed univerſæ Sanctæ Scripturæ & Eccleſiæ, & fidelium ſenſui videtur repugnare. Nam Eccleſia, & omnes quotidie veraciter dicimus: *Da mihi intellectum, ut ſciam teſtimonia tua: Doce me juſtificationes tuas: doce me facere voluntatem tuam: Da mihi intellectum ut vivam: ſuper ſenes intellexi, quia mandata tua quæſivi: Qui docet hominem ſcientiam: Docebit mites vias ſuas: Vias tuas Domine demonſtra mihi.* Et in principio Miſſæ ſemper: *Emitte lucem tuam & veritatem tuam: ipſa me deduxerunt &c.* Et hoc genus ſexcenta, quæ quotidie, & ſingulis horis Sancta Eccleſia, & fideles quique boni veraciter, & ſine fictione dicũt Deo: item; *Non abſcondas à me mandata tua. Quid clarius* (ait Auguſtinus concione octava in Pſal. 118.) *quàm diliges Dominum Deum tuum &c. Meritò*

nam-

Digitized by Google

namque abſconduntur eis, qui non ſunt incolæ in terra: hæc enim mandata, etſi audiunt, non ſapiunt: Quò pertinet illud, *Ut videntes nō videant, & audientes non intelligant.* Vt ergo hoc nobis non contingat, & videndo videamus, & audiendo intelligamus, quæ ſunt Dei, & quæ mundi, & quæ fundata, & quæ ficta, orandus eſt procul dubio Deus. Quam neceſſitatem orationis pro doctrina ſalutari, quæ in cognitione veritatis ex D. Thoma conſiſtit, & incognita periculum ingerit humanæ ſaluti, probant, Epiſtolæ D. Auguſtini, & Innocentii Papæ 90. 92. 93. 94. 95. in quibus etiam multa teſtimonia Scripturæ ſuppetunt. Sed nullibi uberiùs explicavit S. Thomas non ſufficere ſecuritati conſcientiæ probabilitatem opinionis faventis libertati contra præceptum, præſcindendo ab ipſius veritate quàm quodlib. 8. ar. 13. ubi inquirit, *Utrùm quando ſunt diverſæ opiniones de aliquo facto, ille, qui ſequitur minùs tutam, peccet? ſicut de pluralitate præbendarum*: Nam in corpore articuli, ſic reſolvit: *Quando ſunt duæ opiniones contrariæ de eodem, oportet eſſe alteram veram, & alteram falſam. Aut ergo ille, qui facit contra opinionem Magiſtrorum, ut puta habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem, & ſic cum faciat contra legem Dei, non excuſatur à peccato; quamvis non faciat contra conſcientiam.* Quibus verbis prima ſpecie ſupponere videtur, quod nonnulli arbitrantur, non poſſe nos umquam ſequi opinionem falſam contra ius naturale, niſi ex errore culpabili, & ignorantia vincibili; ac proinde requirere ad uſum licitum opinionis minùs tutæ, ut illa ſit vera; tantùm abeſt, quòd ad ſecuritatem conſcientiæ ſit contentus ſola veriſimilitudine & apparentiâ veritatis, ſeu ſola probabilitate opinionis, præſcindendo ab ipſius veritate. Sed quia doctrina illius articuli poſtulat longam explicationem, huius articuli examen reſervo ad caput ſequens.

CAPUT II.

Expenditur celebris locus D. Dhomæ ex Quodlib. 8. art. 13. ubi ex profeſſo explicat, quid requiratur, ut quis ſecurè in praxi ſequatur opinionem minùs tutam faventem libertati adversùs legem, in occurſu tutioris ſtantis pro lege adversùs libertatem.

§. I.

Proponitur doctrina illius articuli.

11. QUid Angelicus Doctor ſenſerit circa uſum opinionum probabilium nullibi uberiùs, ac profundiùs explicuit, quàm quodlib. 8. q. 6. ar. 3. illius quæſtionis, & decimo tertio totius Quodlib. Inquirit S. Doctor art. 3. illius quæſtionis 6. *Utrùm quando ſunt diverſæ opiniones de aliquo facto, ille qui ſequitur minùs tutam peccet?* & apponit exemplum in eo, qui habet plures præbendas; & inquirit, utrum ille, qui habet plures præbendas peccet, plurium opinionem non ſequendo? Et ſtatim proponit rationem dubitandi pro utraque parte. Nam in primis, *Videtur, quod ille, qui habet plures præbendas, peccet ex hoc ipſo, quòd opiniones Magiſtrorum ſunt in contrarium: Quicumque enim committit ſe diſcrimini in his, quæ ſunt ad ſalutem, peccat: ſed iſte committit ſe diſcrimini, ut videtur: cum faciat contra multorum peritorum ſententiam: ergo videtur, quòd peccat.* Pro parte autem contraria arguit ſic S. Doctor. Quia *poteſt eſſe quod in tali caſu aliquis adhibet diligentiam* (non qualemcumque perfunctoriam, ſed ſufficientem) *inquirens an habere plures præbendas ſit licitum, nec invenit aliquid quod eum moveat ad hoc quod ſit illicitum* (id eſt ad judicandum quòd ſit illicitum) *ergo videtur, quòd ſine peccato poſſit plures præbendas habere.*

12. Poſita ratione dubitandi pro utraque parte, ſic quæſtionem determinat Sanctus Doctor: *Dicendum, quòd duobus modis aliquis ad peccatum obligatur.*

Digitized by Google

tur: uno modo faciendo contra legem; ut cum aliquis fornicatur: alio modo faciendo contra conſcientiam, etſi non ſit contra legem; ut ſi conſcientia dictat alicui, quod levare feſtucam de terra ſit peccatum mortale. Ex conſcientia autem obligatur aliquis ad peccatum; (ideſt ligatur tamquam reus peccati; ſi committat nimirum actum, quem culpabilem putat, licet non ſit) *ſive babeat certam fidem de contrario ejus quod agit, ſive etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione.* (Ideſt, ſive pro certo credat eſſe peccatum, v. g. levare feſtucam, ſive ſolùm id opinetur cum aliquâ formidine: conſcientia enim erronea, ſive ſit certa, ſive ſolùm opinativa, dictans eſſe peccatum, quod reipsâ non eſt, facit, ut quis non poſſit agere contrarium ejus, quod dictat conſcientia illa, quin peccet) *Illud autem quod agitur contra legem ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc quòd eſt ſecundùm conſcientiam. Et ſimiliter quod eſt contra conſcientiam, eſt malum, quamvis non ſit contra legem. Quod autem nec contra conſcientiam, neq; contra legem eſt, non poteſt eſſe peccatum. Dicendum eſt ergo, quòd quando duæ ſunt opiniones contrariæ de eodem, oportet alterā eſſe veram; alteram falſam. Aut ergo ille qui facit contra opinionem Magiſtrorum; utpotè babendo plures præbendas, facit contra veram opinionem, & ſic cum faciat contra legem Dei, nòn excuſatur à peccato, quamvis non faciat contra conſcientiam; ſic enim contra legem Dei facit: aut illa opinio non eſt vera, ſed magis contraria* (ideſt, ſed potiùs eſt vera ſententia contraria) *quam iſte ſequitur; ita quòd verè licet babere plures præbendas. Et tunc diſtinguendum eſt. Quia aut talis babet conſcientiam de contrario:* (ideſt exiſtimat eſſe peccatum habere plures præbendas) *& ſic iterum peccat &c. aut non babet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem, ſed tamen in quamdam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum; & ſic, ſi manente tali dubitatione plures præbendas babet, periculo ſe committit, & ſic proculdubio peccat, utpote magis amans beneficium temporale, quàm propriam ſalutem: aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur; & ſic non committit ſe diſcrimini, nec peccat.*

13. In hoc articulo multa dicit D. Thomas, quæ ſunt ex diametro oppoſita modo diſcurrendi Probabiliſtarum. Multi namque ex illis exiſtimant neminem poſſe peccare contra legem, quin peccet contra conſcientiam, quia ad peccandum contra legem requirunt advertentiam actualem ad malitiam, vel periculum malitiæ; ac proinde exiſtimant neminem poſſe peccare agendo contra legem, quin cognoſcat ſe peccare, quos latè impugnavi tom. 4. diſp. 6. à num. 92. ad 156. oſtendens poſſe aliquem per errorem culpabilem ortum ex ſua culpâ perſonali peccare mortaliter contra legem, etſi in eo inſtanti nullo modo cognoſcat ſe peccare, imò quamvis certum exiſtimet ſe bene agere: & hoc eſt, quod hic docet D. Thomas. Deinde in hoc articulo manifeſtè docet D. Thomas ad ſectandam licitè ſententiam minùs tutam; non eſſe ſiſtendum in eius probabilitate, ſed tranſeundum ad veritatem; nec ſatis eſſe quòd opinio ſit vera reipsâ, ſi quis dubitet de ipſius veritate; ſed requiri, quòd priùs aſſecuretur de veritate illius, ad hoc ut poſſit illam ſequi. Ex hoc etiam textu manifeſtè colligitur contra Probabiliſtas, non ſolùm non eſſe licitum ſequi minùs tutam, affirmantem aliquid eſſe licitum, quando opinio tutior apparet veriſimilior operanti; ſed nec quando apparet æquè probabilis (quia tunc intellectus inducitur in dubitationem & fluctuat, neſciens, quænam ex illis ſit vera; nam non habet maius fundamentum pro una quàm pro alia) nec eſſe licitum minùs tutam ſequi, quando ſolùm apparet probabilior, ſeu veriſimilior opinione tutiore cum exiguo exceſſu: quia licet tunc intellectus opinetur rem eſſe licitam, motus illa majori veriſimilitudine; opinio tunc formata erit coniuncta cum magna, & prudenti formidine partis oppoſitæ. Ac proinde colligitur, D. Thomam exigere ad uſum licitum opinionis minùs tutæ, quòd illa ita præemineat in probabilitate & veriſimi-

riſimi-

Digitized by Google

riſimilitudine opinioni contrariæ, ut operans formet judicium fixum de honeſtate obiecti, quod excludat omnem prudentem dubitationem malitiæ. Ac per conſequens iuxta D. Thomam nemo poteſt licitè ſequi ſententiam faventem libertati adversùs legem, niſi ex illa operans inculpatè judicet eſſe veram. Hæc & alia multa docet D. Thomas in hoc articulo, quæ manifeſtè opponuntur principiis Probabiliſtarum..

§. II.

Quomodo intelligenda ſint illa verba D. Thomæ : Aut non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem.

16. IN hoc tamen articulo D. Thomæ ſunt aliqua difficilia. In primis difficilia ſunt, & obſcura illa verba: *Aut non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem*; ſi aliquid non ſuppleatur. Siquidem ſupponendo quòd ſit vera ſententia, quæ affirmat licitum eſſe habere plures præbendas ſimul, facit S. Thomas dilemma hoc: vel homo ille qui habet plures præbendas, & ſequitur opinionem, quæ reipsâ eſt vera, dum hoc facit, habet conſcientiam de contrario (id eſt exiſtimat per errorem non eſſe licitum habere plures præbendas) & ſic habendo plures præbendas, peccat; (quia nempe agit contra conſcientiam) *vel non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem*. In quibus verbis particula adverſativa *ſed* contraponit certitudinem ad *conſciemtiam*; quaſi inter ſe opponantur habere conſcientiam, & habere certitudinem: cùm tamen non opponantur; ſiquidem dictamen conſcientiæ poteſt eſſe certum. Propter hoc aliqui Recentiores exiſtimant, irrepſiſſe errorem in textu, & per lapſum Typographi vel amanuenſis, pro particula *ſeu* poſitam eſſe particulam *ſed*; ac proinde legendum, *aut non habet conſcientiam de contrario, ſeu certitudinem*; quaſi poſterior clauſula ſit explicatio maior prioris; ut idem ſit habere conſcientiam de contrario, ac habere certitudinem, ſenſuſque ſit; *aut non habet conſcientiam ſeu certitudinem*, id eſt certam exiſtimationem *de contrario*; nimirum de eo quòd ſit illicitum habere plures præbendas. Verùm licet hoc pacto ſenſus eſſet planior; non invenio hoc notatum ab aliquo authore. Imò R. P. Mag. Fr. Joannes Nicolai Ordinis Prædicatorum Doctor Theologus Pariſienſis, qui fecit eruditiſſimas notas marginales in omnia opera D. Thomæ, & in ſe ſuſcepit provinciam difficilem corrigendi errores, qui irrepſerunt in opera D. Thomæ, & innumera correxit in editione operum S. Thomæ facta Pariſiis an. 1660. nihil notavit circa illam clauſulam; ſed textum illum ponit ut habetur in omnibus exemplaribus. P. Matthæus de Moya t. 1. tract. 1. q. 5. n. 2. ſic exponit *aut non habet opinionem, ſed certitudinem* quod ſibi liceat habere plures præbendas. Sed fallitur: quia per *conſcientiam de contrario* non poteſt hic intelligi opinio de eo quòd ſibi liceat habere plures præbendas, ſed neceſſariò intelligitur iudicium de contrario eius, quod affirmat opinio vera, nempe iudicium de eo, quòd ſit illicitum habere plures præbendas.

17. Quare lectio communis retinenda eſt, & legendum; *aut non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem*. Et tunc apparet quod *certitudo* non poteſt referri ad illud ipſum, ad quod refertur *conſcientia*, quaſi ſit ſenſus, aut non *habet conſcientiam, ſed certitudinem de contrario*; quia modus iſte loquendi indignus foret tanto Doctore: ſignificaret enim non poſſe quem ſimul habere conſcientiam & certitudinem de eodem; cum tamen, qui conſcius eſt ſe peccare in aliqua actione, certus ſit ſe peccare in ponenda illa actione. Quamvis enim quis directè ſolùm haberet conſcientiam opinativam de malitia actionis, quam vult exequi; ex hac conſcientiâ opinativa directa de malitiâ, reſultaret neceſſariò dictamen reflexum evidens de malitia: eſt enim evidens, quòd peccet hìc & nunc in exercenda aliqua actione ille, qui illam exercet in ſenſu compoſito judicii opinativi, quo cen-

cenſet illam actionem eſſe ex ſe malam.

18. Quapropter certitudo non eſt de obiecto illo de quo habetur conſcientia, ſed de oppoſito. Et ita Doctor Navarrus in Commentario ad caput, *Si quis autem* de pœnit. diſt. 7. Corollario 12. n. 57. referens hunc textum D. Thomæ adiungit particulam quaſi dictam à S. Thoma, quæ tollit dubium. Sic enim legit: *aut non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem de eo quod ſequitur; attamen in quamdam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum &c.* quaſi diceret, *aut non habet conſcientiam de contrario*; ideſt aut non exiſtimat eſſe peccatum habere ſimùl plures præbendas; ſed potiùs habet certitudinem de eo quod ſequitur; ideſt, ſed potiùs certum apud ſe exiſtimat ob fundamenta rationis, licitum ſibi eſſe habere ſimùl plures præbendas.

19. Dices, hoc non componi cum verbis immediatè ſubſequentibus, *ſed tamen in quamdam dubitationem inducitur* quomodo enim habet certitudinem de non-peccato, ſi inducitur in dubitationem de peccato?

20. Reſpondeo tamen, hæc facilè cohærere: quamvis enim impoſſibile ſit ut is, qui certus eſt, ſe non peccare in aliqua actione, ſimul dubitet, an peccet in ponenda illa actione: nihilominùs optimè ſtat, quòd quis reſpiciendo præcisè ad fundamenta intrinſeca ſententiæ ſibi faventis, certum exiſtimet rem eſſe licitam, quia illa fundamenta illi apparent urgentiſſima; & tamen, quòd poſteà reſpondendo ad fundamenta extrinſeca contrariæ ſententiæ, incipiat titubare, & dubitare an ſit vera opinio illa. Quo dubio ſtante, nequit homo licitè ſequi ſententiam faventem ſuæ libertati, quamvis illa ſit vera. Requiritur ergo ſecundùm D. Thomam, quòd homo ferat judicium determinatum, quo ſibi perſuadeat, rem illam eſſe licitam; ita ut conſideratio motivorum ſententiæ contrariæ non habeat hìc & nunc vim ipſum movendi ad ſuſpendendum judicium, nec ad conjungendum cum hoc iudicio prudentem formidinem de malitia talis rei; quæ formido eſt quædam dubitatio. Unde qui judicat ob fundamenta urgentiſſima rationis rem eſſe licitam; poteſt conſiderando magnam authoritatem Doctorum aſſerentium rem eſſe illicitam, induci in dubitationem; vel in dubitationem ſimpliciter, ſi illa conſideratione ductus ſuſpendit judicium, vel in dubitationem ſecundùm quid, ſeu in dubitationem quamdam; ſi retento iudicio de honeſtate obiecti prudenter formidet de malitia eiuſdem: & in neutro caſu poteſt ſequi licitè ſecundùm D. Thomam ſententiam minùs tutam, quamvis contingat illam eſſe veram. Ac proinde iuxta D. Thomam aſſenſus præſtitus opinioni minùs tutæ, ut ſufficit ad rectè operandum, præſtari debuit poſt conſiderationem motivorum ſententiæ contrariæ, & ſimul ob fundamenta ita clarè præeminentia fundamentis ſententiæ contrariæ, ut generent moralem certitudinem intra genus aſſensûs inevidentis & opinativi; quæ certitudo excludat formidinem malitiæ.

§. III.

Oſtenditur, quòd dum D. Thomas aſſerit, Id, quod agitur contra legem, ſemper eſt malum, licet ſit iuxta conſcientiam; *loquatur de conſcientia errante culpabiliter circa legem, quam tenebatur ſcire.*

21. HAbet autem non modicam difficultatem illa S. Doctoris propoſitio univerſalis: *Illud autem quod agitur contra legem, ſemper eſt malum, licet ſit iuxta conſcientiam.* His verbis ſupponit S. Thomas non poſſe dari ignorantiam invincibilem legis naturalis attinentis ad unumquemque: nam certiſſimum eſt in principiis D. Thomæ non eſſe malum nec peccatum id, quod agitur ex ignorantia invincibili; ut patet ex 1. 2. q. 74. ar. 1. ad 2. ubi ait: *Dicendum, quòd ſi defectus apprehenſivæ virtutis nullo modo ſubiaceret voluntati, non eſſet peccatum nec in voluntate, neque in apprehenſiua virtute: ſicut patet in iis de quibus habent ignorantiam invincibilem.* Et ex q. 76. ar. 2. ubi inquit: *Unde*

pro-

Digitized by Google

propter negligentiam ignorantia eorum, quæ quis ſcire tenetur, eſt peccatum: non autem imputatur homini ad negligentiam, ſi neſciat ea, quæ ſcire non poteſt. Unde horum ignorantia invincibilis dicitur, quia ſtudio ſuperari non poteſt. Et propter hoc talis ignorantia cùm non ſit voluntaria, eo quod non ſit in poteſtate noſtra eam repellere, non eſt peccatum. Et ex art. 3. eiuſdem quæſtionis; ubi ſic concludit: *Si verò ſit talis ignorantia, quæ omnino ſit involuntaria, ſive quia eſt invincibilis, ſive quia eſt eius, quod quis ſcire non tenetur, talis ignorantia omnino excuſat à peccato*. Quare dum D. Thomas univerſaliter pronunciat, *illud, quod agitur contra legem, ſemper eſſe malum & peccatum, quamvis ſit iuxta conſcientiam* ſupponit ignorantiam legis & Juris attinentis ad unumquemque, non eſſe invincibilem, ſed potiùs vincibilem & voluntariam, ac proinde eſſe ignorantiam culpabilem; & propterea non excuſare à culpâ id, quod ex tali ignorantia contra legem fit. Vt enim S. Doctor tamquam principium fixum ſtatuit lect. 7. in caput 1. Epiſt. ad Rom. *Tunc ignorantia culpam excuſat, cum ſic præcedit culpam ut non cauſetur ex culpa; ſi autem ignorantia cauſetur ex culpa, non excuſat culpam ſubſequentem*.

22. Loquitur ergo D. Thomas de peccato, quod per ignorantiam committitur contra legem, quam quis ſcire tenetur. Unde provenit, ut quamvis illud, quod agitur contra legem, ſit iuxta conſcientiam, nihilominus ſit peccatum; quia illa conſcientia erronea eſt peccaminoſa, & dictat eſſe bonum id, quod reipſa eſt malum: & ut inquit idem D. Thomas q. 17. de veritate ar. 4. ad 3. *tunc conſcientia erronea non abſolvit, quando in ipſo errore peccat; ut cum errat circa ea, quæ ſcire tenetur*. Ergo D. Thomas ſupponit non dari ignorantiam invincibilem circa ulla præcepta legis naturæ. Et hanc fuiſſe D. Thomæ mentem latè contendunt Vincentius Contenſon, & alii.

§. IV.

Quomodo S. Antoninus, & Adrianus exponant hoc axioma D. Thomæ; Illud quod agitur contra legem, ſemper eſt malum, licet ſit iuxta conſcientiam.

23. QVia hoc axioma magnam continet difficultatem, exponitur à D. Antonino & Adriano de illo, quod agitur contra legem, quam quis tenetur ſcire, quia de eius exiſtentia certò conſtat inter Doctores Catholicos; & quæ communitati fidelium eſt certa & indubitata, ſicut ſunt decem præcepta Decalogi: ac proinde quærendo & inveſtigando, poteſt notitiam certam illius aſſequi homo; ſolumque ex negligentia culpabili oritur eius ignorantia. Vnde D. Antoninus part. 1. tit. 3. cap. 10. §. 10. hæc habet: *Quod autem dicit B. Thomas in Quodlib. 8. ar. 13. Quando ſunt duæ opiniones contrariæ de eodem, oportet alteram eſſe veram, & alteram falſam. Si ergo ille, qui facit contra opinionem Magiſtrorum, ut puta in habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem, non excuſatur à peccato, cùm faciat contra legem Dei, quamvis non faciat contra conſcientiam. Hæc enim verba B. Thomæ non poſſunt intelligi niſi de his, ubi manifeſtè patet ex Scriptura vel Eccleſiæ determinatione, quod ſit contra legem Dei; & non de illis intelligit, ubi non apparet; aliàs ſibi contradiceret in eodem libro, quod non eſſet credendum*. Itaque iuxta S. Antoninum, ſolùm D. Thom. intelligi debet de ignorante culpabiliter ius illud naturale, quod eſt abſolutè certum in Eccleſia; quia vel conſtat ex Scripturâ, vel ex declaratione Eccleſiæ, vel ex traditione. Unde quòd jus iſtud in ſe certum, ſit incertum alicui, vel aliquibus fidelium, vel ab illis ignoretur, provenire ex eorum culpâ. Similiter exponit Adrianus in 4. de reſtit. §. *Quia iam dictum eſt*: ubi

Digitized by Google

quærit, an excuſetur à peccato, qui ex conſilio prudentum format conſcientiam, & retinet alienum, non obſtante, quòd ſciat, alios peritos tenere oppoſitum. Quam quæſtionem ita reſolvit, ut qui, non obſtante aliorum Authorum contradictione conſurgit ad formandam conſcientiam de honeſtate partis, quam ſectatur, & dubius non manet, excuſetur à peccato, quamvis ſectetur partem minùs tutam; modò non peccet vel ratione temeritatis, quâ abſque ſufficienti motivo adhæret parti minùs tutæ; vel ratione rei, quam operatur; quatenus illam ponit, vel ex craſſa facti ignorantia, vel ex vincibili Divini Juris.

24. Porro Adrianus ante hanc ſolutionem obiecerat ſibi articulum iſtum 13. S. Thomæ, eumque ex integro recitaverat. Verùm illico ſic reſpondet. *Quod autem dicit B. Thomas, Si agit contra opinionem veram, ſequendo aliam falſam, peccat, quia facit contra legem Dei; limitari debet ad eum caſum, ubi, & quando tenetur hoc ſcire. Nam ſi fuerit vel facti, aut juris ignorantia, quod non obligatur ſcire, quamvis factum in ſe ſit contra legem, excuſatur nihilominus per ignorantiam ab omni culpâ. Neque obſtat, ſi factum in ſe fuerit contra legem; ſi modus faciendi, puta ſub tali ignorantia &c. fuerit conceſſus, vel permiſſus à lege.* Hactenus Adrianus. Quæ expoſitio confirmatur ex iis, quæ habet S. Thomas Quodlib. 3. ar. 10. ubi quærit, *An diſcipuli ſequentes diverſas opiniones Magiſtrorum excuſentur à peccato erroris*; & reſpondet, quòd in rebus ad fidem & mores pertinentibus nõ excuſentur, ſi ſequantur opinionem erroneam: *Alioquin*, inquit, *immunes à peccato fuiſſent, qui ſequuti ſunt opinionem Arii, Neſtorii, & aliorum hæreſiarcharum &c.* Vnde concludit. *Qui ergo aſſentit opinioni alicuius Magiſtri contra manifeſtum Scripturæ teſtimonium, ſive contra id, quod publicè tenetur ſecundùm Eccleſiæ authoritatem, non poteſt ab erroris vitio excuſari.* Hæc ultima S. Thomæ clauſula ſatis arguit, ipſum tenere, quòd diſcipuli in aliis omnibus excuſentur à peccato erroris, niſi in rebus quæ ſunt contra communem Eccleſiæ authoritatem, vel manifeſtum locum Sacræ Scripturæ.

25. Quapropter S. Antoninus, & Adrianus cenſent explicandam illam propoſitionem univerſalem D. Thomæ, *illud, quod agitur contra legem, ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc, quòd eſt iuxta conſcientiam*; ut intelligatur de eo, quod agitur contra legem, quæ in ſe eſt certa & indubitata, quia vel continetur expreſsè in Scripturis, vel in ea aſſerenda conveniunt Doctores Catholici, nec dantur opiniones probabiles contrariæ circa ipſius exiſtentiam; ac proinde, quæ talis eſt, ut ſi homo faciat, quod eſt in ſe ad illam quærendam, poſſit certò, & indubitanter ſcire talem legem reipsâ exiſtere.

26. Nec mirum eſt, quòd S. Antoninus & Adrianus, iudicaverint hanc doctrinam eſſe ita explicandam; quia reverâ eſt valde difficilis niſi intelligatur cum ea moderatione. Nam cùm iuxta principia communia Theologorum quæ ipſe S. Doctor paſſim repetit, illa ſolùm ignorantia ſit culpabilis, quæ eſt ignorantia eorum, quæ quis ſcire tenetur; ſanè ſi agere contra jus naturale etiam ſecundùm concluſiones remotas, eſt peccatum; ſequitur, omnem hominem teneri ſcire totum ius naturale, non ſolùm quoad prima principia, & quoad concluſiones proximas principiis, qualia videntur eſſe decem præcepta Decalogi; ſed etiam quoad concluſiones remotas, de quibus eſt controverſia inter Doctores Catholicos. Siquidem nequit eſſe peccatum, agere per ignorantiam contra huiuſmodi concluſiones remotas, niſi illa ignorantia ſit culpabilis; nec poteſt eſſe illa ignorantia culpabilis, niſi omnis homo teneatur ſcire totum ius naturale attinens ad unumquemque, etiam quoad concluſiones remotas. Dicere autem, quòd omnis homo ad hoc teneatur, eſt res valde ardua: quomodò enim homines illiterati tenebuntur ſcire id, quod tot Doctores ſapientiſſimi, poſt diligens ſtudium ſcire non potuerunt

Digitized by Google

runt? Ergo videtur, quòd in iis rebus, quas Deus voluit manere ſub controverſiâ & diſputatione, an ſint contra jus naturale, ſatis ſit ad ſecuritatem conſcientiæ, quòd quis ſectetur id, quod poſt diligentiam ſufficientem adhibitam apparet clarè & manifeſtè veriſimilius; quamvis contingat reipſa eſſe falſum: & quòd Deus veritatem in iis rebus, quas voluit manere ſub opinionibus, non teneatur manifeſtare omnibus, qui diligenter illam inquirunt ad operandum; ſicut non tenetur manifeſtare omnibus, qui illam diligenter inquirunt ad docendum alios.

Digitized by Google

DISSERTATIO DECIMA.

In qua oſtenditur, ad uſum licitum ſententiæ minùs tutæ non requiri, quòd operans formet judicium omnino certum de honeſtate objecti; ſed ſatis eſſe, quòd judicio opinativo prudenti, ex ſe non excludente omnem formidinem malitiæ, ſibi perſuadeat, objectum eſſe honeſtum, vel ſaltem non prohibitum.

INTRODUCTIO DISSERTATIONIS.

1. IN præcedentibus Diſſertationibus oſtendimus, ut quis poſſit licitè ſequi ſententiam minùs tutam faventem libertati contra præceptum, omnino requiri, ut illa ſit in ſe certò probabilis, quia defenditur ut vera ab Authoribus claſſicis, qui poſt totius controverſiæ diligens ſtudium, & examen, judicarunt eſſe veram, nec poſſit præſumi illos erraſſe in ferendo judicium, vel ob defectum diligentiæ in examinanda quæſtione, vel ob defectum ingenii, & eruditionis, vel ob aliquem affectum inordinatum; & ut poſtea non ſit contra illam adductum argumentum novum, eam de falſitate convincens: & inſuper requiri, ut ille, qui operaturus eſt ſecundùm illam opinionem, illi directè præſtet aſſenſum determinatum; eò quòd poſt ſufficientem veritatis inquiſitionem ex ſincero deſiderio non offendendi Deum ſuſceptam, citra paſſionem, & culpam, illa opinio apparuerit eidem ſenſibiliter veriſimilior, quàm oppoſita; ita ut aſſenſus præſtitus ſit non tam ex effectu voluntatis, quàm ex impulſu authoritatis, vel rationis, quæ militant pro ea parte, vel utriuſque ſimul. Ut autem vir indoctus, qui per ſe ipſum non poteſt ferre judicium, an ſit licitus v. g. contractus, quem vult exercere, poſſit ſecurè, & bona conſcientiâ ſequi partem minùs tutam, debet conſulere virum probum, & ſapientem, de quo non habeat fundamentum ſuſpicandi, quòd vel propter defectum eruditionis vel ſtudii, vel ob dependentiam, & deſiderium placendi, erraturus ſit in dando conſilio: & debet conſulere ex vero & ſincero deſiderio non offendendi Deum, rogando illum, ut aperiat ipſi veritatem, & reſpondeat, non quod querenti magis commodum eſt; ſed quod intellexerit eſſe conforme legi æternæ. Poſtquam autem cum hac diſpoſitione interrogaverit, ſi ille reſponderit, rem eſſe licitam; & ipſe bona fide, motus tanti viri authoritate, judicaverit, rem eſſe licitam, poterit ſecurè operari.

2. Poſtquam oſtendimus hoc requiri, reſtat, ut explicemus, an hoc ſufficiat. Et aſſerimus, opinionem probabilem ſubiectivè exiſtentem in mente operantis conceptam modo nunc explicato, ſufficere, ut quis licitè operetur, & ſine peccato: nec requiri, ut

ope-

Digitized by Google

operans habeat omnimodam certitudinem de veritate ſententiæ minùs tutæ, quam ſequitur; ſeu non requiri, ut illi ſententiæ præſtet aſſenſum directum ita fixum & certum, ut ex ſe omnem prorſus formidinem falſitatis excludat.

CAPUT I.

Continens explicationem & multiplicem probationem prædictæ ſententiæ.

§. I.

Quomodo in ea ſententia conſentiant omnes Theologi moderni & antiqui, paucis exceptis, qui poſtulare videntur omnimodam certitudinem de veritate ſententiæ minùs tutæ, ad licitum ejus uſum.

3. ILluſtriſſimus D.Caramuel in ſuo Apologemate num. 116. narrat, quòd cum ipſe eſſet Lovanii an. 1638. Doctor Libertus Fromondus, has propoſitiones conatus ſit in Scholas invehere: *Probabilitatum uſus eſt res nova. Non poteſt non damnari apud Deum, qui relinquens viam tutam, inſiſtit opinioni probabili. Opiniones, quæ dicuntur, aut ſunt probabiles apud nos, non erunt probabiles apud Deum.* Quæ propoſitiones conſiderata Authoris intentione, æquivalent huic: *Ad ſecuritatem conſcientiæ non ſufficit ulla opinio probabilis.*

4. Severitatem hanc Doctoris Liberti Fromondi magis etiam crudè ſecutus eſt Doctor Joannes Sinnichius in ſuo Opere cui Titulus *Saul Exrex*, ubi contra uſum opinionum probabilium nimis acerbè invehitur, præſertim lib. 1. cap. 27. & eodem lib. cap. 87. §. 364. Quibus in locis ſequentes habet propoſitiones 1. *Opinari numquam non vitioſum eſt, numquam non inordinatum, numquam non naturæ rationali diſſentaneum eſt, ac malum. 2. Imitandi ſunt homines in ſtatu primæ integritatis, quorum de unaquaque re ſemper aut verum mentis judicium fuiſſet, ut de rebus cognitis; aut nullum, ut de rebus prorſus incognitis; aut ſuſpenſum, ut de rebus animo quidem oblatis ſed incertis, aut ambiguis: ſecus qui fecerit, ut errandi periculo ſe exponit, ita erroris reatum incurrit; temerarius eſt, & malè facit. 3. Non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam.*

5. Ejuſdem ſententiæ eſt Willelmus Wendrockius in notis ad Epiſtolas Provinciales Ludovici Montaltii: de quo ſic ſcribit Joannes Baptiſta Gonet in Diſſert. de opinionum probabilitate ar. 7. n. 717. *Willelmus Wendrockius exiſtimat numquam licere uti opinione probabili.*

6. Fundamentum huius ſententiæ, & intentio, ac mens eorum, qui ita rigidè & univerſaliter damnant uſum licitum cuiuſcumque opinionis probabilis, aut probabiliſſimæ relicta tutiori, proponitur à P. Alſ. Anton. Saraſa in 2. parte de Arte ſemper gaudendi, Tract. 4. nu. 39. Ibi loquens de Joanne Sinnichio, & aliis, dicit: *Idcirco ab illis negari opinionem probabilem à conſcientia aſſumi poſſe, ut ex ea quid agendum ſtatuat, quòd opinioni huiuſmodi poſſit ſubeſſe falſum; ac proinde eam qui ſequitur periculo ſe exponere aberrandi ab eo quod verum eſt &c. Voluntitaque hominem, qui indagatis omnibus, veritatem ipſam ... probabili tantùm ratione aſſequitur, ab omni actione debere deſiſtere, neque ullam ſine culpa lethali poſſe exhibere, niſi & veritatem ipſam attigerit, & certus ſit, ſe eam attingere, nullumque ſe peccatum mortale committere.* Sed quomodo hic nimius rigor non cohæreat cum Decreto Alexandri VIII. damnantis eam propoſitionem, *Non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam*, infra videbimus.

7. Interim verò conſtat, falſum omnino eſſe, quod dixit Libertus Fromondus, nimirum uſum probabilitatum eſſe rem novam: & ad ſecuritatem conſcientiæ non ſufficere ullam opinionem probabilem. Quòd enim ad uſum licitum partis minùs tutæ, non requiratur omnimoda certitudo; ſed ſufficiat ſaltem probabilitas, ſeu veriſimilitudo maior, aut ſumma in genere pro-

Digitized by Google

probabilitatis, vi cuius operans prudenter iudicet opinionem illam eſſe veram & legi æternæ conformem, & ideo illam ſequatur, quia prudenter ſibi perſuadeat eſſe veram, & oppoſitam ſtantem pro lege eſſe falſam: eſt ſententia communis non ſolùm inter Theologos hujus ſæculi, ſed etiam inter antiquos. Et in hoc ſenſu veriſſimum eſt, quod dixit Caramuel, probabilitatis uſum eſſe antiquiſſimum. Neque enim Theologi antiqui ad uſum licitum partis minùs tutæ exigunt certitudinem omnimodam, quæ ſcilicet per ſolam ſcientiam evidenti demonſtratione comparatam vel per actum fidei Divinæ haberi poteſt; ſed ſolùm exigunt quòd pars minùs tuta ſit probabilior, & ab operante iudicetur abſolutè vera. Quo pacto Doctor Navarrus in Manuali cap. 27. n. 283. explicans illud axioma: *Tutior pars eſt eligenda in dubio*; inquit: *nimirum quod eſt propriè dubium; cuiuſmodi non eſt, cum ſufficienti authoritate, aut ratione altera pars creditur, aut cum ex multis opinionibus, una pro verâ eligitur*. Et D. Antoninus 1. part. Summæ tit. 3. cap. 10. §. 10. ubi dicit: *quòd qui agit ſcienter id, de quo dubitat eſſe mortale, peccat mortaliter, etiamſi illud in ſe non eſſet mortale, ſumendo ſtrictè & propriè dubitationem &c. Sed ſi dubitet leviter quis, & per modum ſcrupuli, ſicut dubitat, aut formidat habens opinionem de aliquo; quia ita inhæret ipſi ſententiæ ut formidet de oppoſito; ſic agendo contra tale dubium, non peccat, dum adhæret opinioni alicuius Doctoris, & habet rationes probabiles pro ipſa magis, quàm pro oppoſita opinione; etiamſi opinio, quam tenet, non eſſet vera* Et hoc pacto docent ſufficere ad rectè operandum opinionem probabilem ſubiectivè exiſtentem in mente operantis omnes Theologi antiqui, qui hoc punctum attigerunt.

8. Vnde P. Terillus in primo ſuo opere de Conſc. probab. quæſt. 20. in qua inquirit, *utrùm licitum ſit ſequi opinionem minùs tutam, ſed probabiliorem, relicta tutiore probabili?* num. 2. ſic habet. *Quantum ſpectat ad authoritatem, pars affirmativa non ſolùm eſt longè probabilior parte negativa, ſed humano modo eſt moraliter certa. Nemo enim eſt apud Theologos tam antiquos, quàm modernos præter unum aut alterum, eoſque recentiſſimos ... qui aut expreſsè non aſſerat, aut evidenter non ſupponat, partem affirmativam citra omnem controverſiam eſſe licitam*. Et in Tomo de regula morum q. 2. n. 12. *Quòd liceat ſequi opinionem probabilem, qualem deſcripſimus, ab omnibus ſapientibus, & ab omnibus omnino Authoribus traditur eſſe verum. Nemo enim eſt ex omnibus, quod ſciam, qui expreſsè id non doceat, ſi de tali materia agat &c. Et ſanè qui legerit quæſtionem 22. de Conſcientia probabili, evidenter perſpiciet, neminem ſive ex antiquioribus, ſive ex recentioribus uſque ad illud tempus de hac re dubitaſſe: ſed omnes, aut expreſsè tradidiſſe, aut evidenter ſuppoſuiſſe, id ipſum eſſe veriſſimum*. Hæc ibi Terillus.

9. Catalogus autem Theologorum quem idem Terillus contexit ea quæſt. 22. à n. 41. uſque ad 206. clarè oſtendit, non quidem illud, quod ipſe præcipuè intendit in illa quæſtione perſuadere, nimirum licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam, in occurſu probabilioris & tutioris: ſed illud, quod nos aſſerimus, nempe licitum eſſe ſequi ſententiam certò practicè probabilem, ſeu affirmantem aliquid eſſe licitum, quando illa eſt probabilior oppoſitâ, ſaltem relativè ad operantem. Antiqui enim omnes exigunt ad licitum uſum opinionis minùs tutæ, vel quòd illa ſit abſolutè probabilior, (quia nimirum habet pro ſe plures, vel graviores Doctores, & communiter cenſetur magis probabilis), vel ſaltem quòd in ſe ſit certò probabilis, quia defenditur à viris probis & ſapientibus, qui poſt diligentem quæſtionis inveſtigationem illam fundamento gravi iudicaverunt veram, & operanti poſt accuratam diligentiam appareat citra culpam ſimpliciter & abſolutè veriſimilior oppoſitâ, & idcirco ab ipſo iudicetur vera; quamvis hic aſſenſus ſit coniunctus formidini partis oppoſitæ. Nam hoc ipſo, quòd quis operetur partem minùs tutam, quia iudicat eſſe licitam iudicio pruden-

Digitized by Google

denti concepto ob fundamentum ſibi veriſimiliter maius, & fortius fundamento oppoſito, & ita operatur, ut non eſſet operaturus, ſi poſſet prudenter iudicare rem illam eſſe malam, non operatur in dubio. Hinc Antonius de Corduba lib. 2. de Ignorantiis, cap. 3. ubi quærit, *An excuſetur ſequens partem minùs tutam ob opinionem Doctorum, aſſerentium, illam eſſe licitam*, quamvis expreſsè doceat, eum non excuſari, qui ſequitur partem minùs tutam, ſimulque minùs probabilem, & *in hoc omnes Theologos convenire*, qui ante ipſum ſcripſerant: nihilominus loquendo de opinione probabiliori, ponit hanc theſim, quæ eſt ordine ſecunda: *Quando opinio probabilior aſſerit, & juſtificat, quod in ſe non eſt tam ſecurum, quàm ejus oppoſitum, tunc, licet ſit tutius talem opinionem non ſequi, licitum tamen eſt eam ſequi.*

10. De ſententia Caietani, & Armillæ, Almaini, & Adriani poſſet eſſe aliqua ratio dubitandi. Nam Caietanus in Summa, verb. *Opinione uti*, ita docet: *In operandis niſi tutiorem partem eligendo, non licet opinionem cujuſcumque aſſumere ut regulam operis: quoniam eo ipſo, quo operatio regulanda committitur opinioni, committitur regulæ ambiguæ; quia opinio omnis ambigua eſt, utpote cũ formidine alterius partis. Et quia præſupponitur, quòd non eligatur tutior pars, conſequens eſt, ut operatio committatur regulæ ambiguæ ad caſum peccati; ac per hoc exponatur periculo peccandi: quod conſtat eſſe illicitum.* Hæc Caietanus: quem eiſdem verbis ſequutus eſt Author Armillæ. Videtur ergo uterque poſtulare omnimodam certitudinem abſque ulla formidine, ut ſecundùm aliquam ſententiam minùs tutam rectè operemur; ac proinde velle, quòd non poſſit ulla opinio etiam probabilis, aut probabiliſſima aſſumi tamquam regula operis, ſi ſit minùs tuta, dum intra limites opinionis probabilis contineatur; quia omnis opinio propriè, & ſtrictè talis eſt cum formidine partis oppoſitæ. Vnde P. Vazquez 1. 2. diſput. 62. num. 20. poſtquam horum Doctorum ſententiam retulit, ſic concludit: *Quocirca prædicti Authores poſtulant certitudinem moralem abſque ulla formidine, ut ſecundùm aliquam opinionem minùs tutam rectè operemur.*

11. Pro eadem ſententia citat etiam Almainum, Adrianum, & D. Thomam Pater Azor tom. 1. lib. 2. cap. 16. ubi poſtquam attulit verba Cajetani, & Armillæ, ſubjungit: *Et Almainus Tract. Moral. cap. 18. & Tract. 1. cap. 14. apertè tradit, non ſufficere ad bonitatem actûs aſſenſum opinantem; quia opinio ſemper habet formidinem partis oppoſitæ. Ergo, inquit, is qui in agendo opinione ſolâ ducitur, ſe exponit periculo peccandi. Idem S. Thomas ſenſiſſe videtur: nam cùm quæreret, utrùm peccet habens plura beneficia, eò quòd ſint de hac re opiniones, reſpondet in hunc modum: ſi is qui poſſidet plura beneficia ſecundùm opinionem juſtificantem, habet conſcientiam de contrario, peccat contra conſcientiam, quamvis non contra legem. Si verò non habet conſcientiam de contrario; ſed tamen in quamdam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum; tunc ſi tali dubio manente habet plures præbendas, ſe periculo committit: & ſic procul dubio peccat, magis amans beneficium temporale, quàm propriam ſalutem. Quodſi in illam dubitationem inducitur, non peccat. Hæc S. Thomas. Idem prorſus docet Adrianus. Quare horum omnium eſt aperta ſententia: In agendo, quando ſunt opiniones, tutiorem partem eſſe eligendam, alioqui ſe objiceret quis peccati periculo; quia opinio ſemper habet dubitationem admiſtam; & in dubiis id quod tutius eſt, ſemper eſt amplectendum, juxta juris regulam.* Huc uſque P. Azor.

12. Sed tamen cenſeo, prædictos Authores nullatenus in re diſcrepare à communi aliorum omnium Theologorum ſententia, qui fas eſſe putant, probabiliorem ſequi opinionem, quamvis minùs tutam, dummodo cum exceſſu notabili, & evidenti ſit probabilior; & aſſenſu determinato, & ſtabili, licet non ſcientifico, ſed opinativo cenſeatur ab operante abſolutè vera. Et quidem de Caietano ſatis conſtat, eum ſolummodo excludere à regula operationis opinionem imperfectam in genere opinionis, quæ ſcilicet non tantùm formidinem logicam,

gicam, ſed ambiguitatem, hæſitationem, & aliquam demum dubitationem de malitia operis habeat admiſtam. Quod patet primò, ex ratione quâ utitur ad probandum illicitum eſſe uſum opinionis minùs tutæ. Sic enim ait: *Et quia præſupponitur, quòd non eligatur tutior pars, conſequens eſt, ut operatio committatur regulæ ambiguæ ad caſum peccati: quod conſtat eſſe illicitum. Et ſi de peccato mortali agitur, conſtat eſſe peccatum mortale, facere ſcienter operationem dubiam, an ſit mortalis.* Ergo nomine Opinionis intelligit infimam ipſius ſpeciem, ſcilicet eam, quæ adjunctam habet dubitationem de malitia operis: non verò excludit eam opinionem, cui homines periti, examinatis utriuſque partis rationibus, & cognoſcentes earum pondera, & momenta, firmioribuſque, ac melioribus rationibus moti, per aſſenſum determinatum, & ſtabilem abſque ulla dubitatione, ambiguitate, vel fluctuatione adhærent; quamvis res evidenter, aut per medium demonſtrativum ipſis perſpecta non ſit. Secundò; idipſum patet ex limitatione, aut explicatione, quam ipſe Caietanus immediatè adhibet, dum inquit: *Et hoc intellige de opinione propriè dicta, quæ eſt cum formidine alterius partis. Non enim propterea aliquid opinione tenetur, quia diverſi Authores contraria ſentiunt; quoniam cum hujuſmodi contrarietate ſtat, quòd una pars ſit ratione ſufficiente ad moralem certitudinem fulta, & jam non eſt opinio apud capientes rationem illam. Sed quia neſciunt multi diſcernere inter certitudinem moralem, & mathematicam, omnia quodammodo locant ſub opinionibus.* Vides hic iuxta Caietanum, rationem in rebus controverſis ſufficientem pro una parte ad certitudinem moralem, adeoque ad operandum, eſſe poſſe, tametſi ea pars non ſit tutior. Vides rurſus, rationem eiuſmodi non neceſſariò debere eſſe demonſtrativam, quia alioqui certitudo ei rationi ſubnixa, non diceretur cum addito diminuente *moralis*, nec contraponeretur certitudini *mathematicæ*, tamquam minor majori, ideſt tamquam abſolutè fallibilis abſolutè infallibili. Apparet ergo evidenter, Caietanum non poſtulare in partē minùs tuta omnimodam certitudinem, innixam motivo infallibili ad licitum eius uſum, ſed tantummodo requirere certitudinem moralem, quæ ambiguitatem, & dubitationem de malitia operis excludat. Quæ quidem certitudo non eſt ſupra, vel extra ſphæram opinionis probabilis in genere, vel evidenter probabilioris, aut probabiliſſimæ. Eadem verò eſt mens, & intentio Armillæ, & eorum omnium Doctorum, quos citat Azor, cùm ipſemet afferat probationem hanc, quâ illi Authores ad probandam ſuam ſententiam utuntur; nimirum, *Quia opinio ſemper habet dubitationem admiſtam; & in dubiis id, quod tutius eſt, ſemper eſt amplectendum, juxta Juris regulam.* Quare cùm ratio dicendi ſit quoque ratio intelligendi dictum, intelligendum utique eſt, eos Authores ſub nomine *Opinionis*, quam à regula operationis excludunt, non comprehendere opinionem perfectam, quæ ad ingenerandam moralem certitudinem ſufficit, ſed imperfectam in genere opinionis, quæ non ſolùm formidinem logicam, ſed moralem, ideſt, dubitationem aliquam, fluctuationem, & anxietatem animi ſecum habet admiſtam, propter fundamentum aliquod rationabile, & grave, quod adeſt timendi, ne actio ſit mala, & à Deo prohibita. Quod præſertim de D. Thoma clariſſimum eſt: cùm S. Doctor non de quavis formidine, ſed de dubitatione expreſsè loquatur, dum ait, *quòd qui ex contrarietate opinionum in quamdam dubitationem inducitur, ſi tale dubio manente plures præbendas habeat, periculo ſe committit, & peccat; quodſi verò in nullam dubitationem inducatur, non peccat.*

13. Quocirca duo ſunt hic diligenter notanda. Primum eſt; aliud eſſe formidinem; aliud verò hæſitationem, & dubitationem: *Quæ duo immeritò confundunt aliqui* (ut ſapienter annotat P. Vazquez 1. 2. diſput. 62. cap. 5. num. 26.) *Dubitare enim, & hæſitare* (inquit) *eſt pendere intellectum in utramque partem contradictionis, & nulli illarum determinatè aſſenſum præbere; quia in nulla illarum apparet convenientia prædicati cum ſubjecto.*

Digitized by Google

ſpectu. Cum hac autem hæſitatione non licet operari, ut inferiùs videbimus. Formido verò unius partis non excludit aſſenſum determinatum alterius; ſed formido in eo tantùm poſita eſt, ut aliquis per actum reflexum judicet, rationes illius partis, cujus habet aſſenſum, non eſſe evidentes, ſed tantùm probabiles; & ideo putet fieri poſſe, ut in reipſa pars oppoſita vera ſit, cùm tamē rationes illius id non oſtendant. Cùm igitur hæc formido etiam expreſſa unius partis non excludat aſſenſum determinatum alterius partis, & cum quovis aſſenſu probabili, qui non attingit evidentiam, formido eſſe poſſit; ſequitur, cum hac formidine poſſe quemlibet operari. Primùm, quia ut conſtat ex ſententia omnium, ad rectè operandum non eſt neceſſarius aſſenſus evidens, ſed ſufficit probabilis. Præterea, quia certum eſt, neminem debere neceſſariò tutiorem partem eligere.

14. Secundò notandum eſt, duplicem eſſe gradum moralis certitudinis, quem accuratè inter alios diſtinguit Cardinalis Bellarminus lib. 3. de Juſtificat. cap. 2. Primum habent ea, quæ creduntur ob authoritatem humanam, ſed tamen ita confirmatam, & celebrem, ut omnem formidinem prorſus excludat: qualia ſunt; Ciceronem, & Virgilium fuiſſe inſignes viros; Auguſtum magnæ parti Orbis terrarum fœliciter imperâſſe; multas eſſe Civitates præclaras in Provinciis à nobis longè diſſitis, Alexandriam in Ægypto, Conſtantinopolim in Thracia, Hieroſolymam in Palæſtina, Antiochiam in Aſia: atque hæc dicitur certitudo moralis; ſed tamen tanta eſt, ut omnem prorſus formidinem excludat, & temerarius meritò iudicetur, qui contra ſentiat, aut diſputet. Alium gradum moralis certitudinis habent illa, quæ tot ſignis, & conjecturis nituntur, ut ſecurum hominem reddant, & anxietatem excludant; non tamen formidinem omnem expellant: atque huiuſmodi certitudo opinionis eſt potiùs, quàm fidei.

15. De hoc igitur ſecundo certitudinis gradu, & modo, accipiendi omnino ſunt Caietanus, Armilla, Almainus, & Adrianus, quando certitudinem moralem in opinione minùs tuta requirunt, ut poſſit in operando aſſumi tamquam regula operis: neque enim loquuntur de ea certitudinis moralis ſpecie, quâ credimus Conſtantinopolim eſſe in rerum natura, & alia huiuſmodi, de quibus nemo eſt in mundo, qui diſſentiat, aut dubitet, & quæ omnem prorſus formidinem à nobis excludit. Sed loquuntur abs dubio de certitudine morali, quę in rebus apud Theologos controverſis haberi poteſt: in quibus ſcilicet, ut Caietanus ait, *quamvis diverſi Authores contraria ſentiant, tamen cum hujuſmodi contrarietate ſtat, quòd una pars ſit ratione ſufficiente ad moralem certitudinem fulta: & capientes rationem illam abſque ulla ambiguitate, aut dubitatione ei adhærent*; etiamſi aliquam formidinem purè logicam interim habeant: quia vident eam non omnino certâ, & evidenti, aut demonſtrativâ ratione concludi.

16. Atque eandem puto eſſe mentem, & intentionem Mercori, Fagnani, & aliorum recentiorum, qui videntur non eſſe maiori etiam probabilitate contenti ad licitum uſum opinionis minùs tutæ, ſed requirere certitudinem moralem omnimodam, & abſque ulla formidine de ipſius veritate: Nam primò quidem, licet Mercorus in Baſi Theologiæ Moralis part. 2. art. 21. expendens authoritatem quamdam D. Thomæ, dicat: *Non ſolùm non licere ſecundùm S. Thomam ſequi minùs probabilem, affirmantem, actum eſſe licitum in occurſu probabilioris oppoſitæ; ſed etiam peccatum eſſe, ſequi magis probabilem, aſſerentem, actum eſſe licitum in occurſu minùs probabilis, negantis, actum eſſe licitum, quando ex illa minori probabilitate poteſt oriri aliqua dubitatio: ſicut non poteſt non oriri, quia medium probabile ſemper aliquo modo urget.* Nihilominus idem R.P. part. 2. art. 7. obſervat, *propoſitionem probabilem propriè appellari, pro qua ſtat motivum urgens, quod ab intellectu minimè poteſt diſſimulari, aut contemni; ideoque quando intellectus judicat, utramque partem contradictionis eſſe propriè probabilem, ac unam probabiliorem alterâ, exceſſum probabilitatis unius ſuper alteram non debere*

eſſe notabilem ; quantò enim una excedit in probabilitate, (inquit) *tantò altera decreſcit : conſequenter pars minùs probabilis, ſi admodum excedatur in probabilitate à magis probabili, propriè non poſſet dici probabilis.* Hæc ille. Ex quibus manifeſtè deducitur, non aliam maiorem certitudinem ab eo requiri ad ſequendam opinionem minùs tutam, quàm quæ inesse poteſt opinioni probabili, quando illa notoriè, ac notabiliter probabilior, & veriſimilior eſt, quàm oppoſita : quod ego etiam neceſſarium exiſtimo. Similiter Fagnanus in cap. *Ne innitaris*, num. 225. ſatis indicat, certitudinem illam, quam requirit, nihil aliud eſſe, quàm iudicium, quo una pars alteri quaſi longè probabilior antefertur, & abſque ambiguitate, dubitatione, aut fluctuatione determinatè, & abſolutè iudicatur vera. *Opinio enim* (inquit) *vehemens pro certitudine habetur.* Et paulò ante dixerat: *Idcirco non tenemur ſequi opinionem tutiorem, quando oppoſita eſt verior, ſeu probabilior; quia tunc nullo modo verſamur in dubio, ſed flectimur ad illud extremum, quod probabilius judicamus, & ſumus moraliter certi; nam opinio vehemens pro certitudine habetur.* Id quod ibi probat ex utroque Jure. Si quando verò poſtulare videtur certitudinem moralem abſque omni formidine, tunc quidem *formidinem* promiſcuè uſurpat pro dubitatione, ſicut & alii etiam aliquando hæc duo malè confundunt. Et hoc modo ait num. 228. *Si contingeret ut is, qui ſequitur opinionem probabilem ſpecificantem actum pro licito, ex reflexione ad contrariam opinionem probabilem inciperet fluctuare, & formidare de veritate probabilioris, manente tali fluctuatione, ac formidine, non poſſet opinionem illam utcumque probabiliorem amplecti, ſed teneretur ſequi partem tutiorem. Et in hoc præcipuè caſu loquitur S. Thomas Quodlib. 8. art. 13. agit enim de illo, qui ex conſcientia habet certitudinem de opinione, quòd liceat habere plures præbendas. Et tamen ſi ex contraria opinione Magiſtrorum adducatur in quamdam dubitationem, id eſt, formidinem, & eâ manente plures præbendas habeat, exponit ſe diſcrimini, & procul dubio peccat, ut latiùs dictum eſt, &c.*

17. Sed laudandus in hac parte præ cæteris eſt Joannes Baptiſta Gonet, qui mitiori, & clariori loquendi modo communem omnium ferè Theologorum ſententiam expreſſit, ac velut indubitatam ſtatuit in Diſſertatione de Opinionum Probabilitate : ubi art. 2. num. 12. *Notandum*, inquit, *tria ab omnibus ferè Theologis circa opinionum probabilitatem ut certa ſupponi. In primis ut certum ſupponitur, licitum eſſe ſequi conſcientiam, & opinionem probabilem, aſſerentem, aliquid licitè fieri poſſe, dum factâ ſufficienti diligentiâ, alia tutior, & probabilior non appareat. Secundò, certum eſt, hominem non teneri ſemper ſequi tutiorem ſententiam, ſed poſſe ſequi minùs tutam, ſi illa appareat probabilior, ſeu veritati conformior. Tertiò, certum eſt, quòd ſi ſententia minùs probabilis ex ratione, ſeu motivo intrinſeco, motivo extrinſeco, ſeu adventitiâ authoritate fiat certa moraliter, poteſt quis licitè, & tutò eam ſequi; tunc enim abſolutè probabilior eſt.* Et poſtmodum ſubjungit : *Hæc ferè apud omnes ſunt certa.* Meritò proinde in Prologo ipſo illius Diſſertationis advertit, viam mediam eſſe tenendam in uſu opinionum probabilium, declinando extremum nimii rigoris, & nimiæ benignitatis, ſeu laxitatis. *Aliqui enim* (inquit) *conſcientias terrent, jugum Chriſti nimis exaſperantes, & ita à medio deviantes, ut in morum directione omnino ab opinionibus abſtinendum putent, ſententiam omnem, quantumcumque probabilem, à conſcientiæ regula excludentes, dummodo probabilitatis limites non excedat. Alii verò è contra ſub ſpecie pietatis nimis conſcientias laxant, ſtatuentes pro regula morum quamcumque opinionem quomodolibet probabilem, quam aliqui Authores defendunt, etiamſi oppoſita ſit tutior, & manifeſtè probabilior ; & quamvis ſimul concurrant in intellectu operantis, illeque exceſſus ei manifeſtus appareat.* Hæc ibi Gonet: qui propterea etiam art. 7. §. 1. eiuſdem Diſſertationis tamquam prudentiſſimum laudat conſilium Illuſtriſſimi Domini de Marinis Avenionenſis Archiepiſcopi in 2. part. Summæ D. Thomæ quæſt. 19. art. 6. cap. 6. in fin. ubi

Digitized by Google

ubi ſic ait: *Theologus ad rectè in hoc arduo negotio incedendum, in rebus moralibus, moralem, & non mathematicam certitudinem requirat, & unam ab altera diſcernere ſciat, juxta advertentiam Cajetani in ſua Aurea Summula, dum de Opinionum uſu licito, & illicito loquitur. In quo quantum capere poſſumus, aliqui qui noſtris temporibus ſcripſerunt, ſalvâ pace, hallucinari videntur: volentes enim intolerabilem certè aliquorum in hac parte licentiam repellere, ad aliud extremum zelo tranſvecti declinant.* Ita illi.

18. Ego igitur mediam hanc viam omnino tenendam exiſtimo, & non ſolùm cenſeo fugienda eſſe duo extrema nimii rigoris, & nimiæ laxitatis; ſed etiam ita exponendam ſententiam benignam Authorum huius ſæculi de uſu licito cuiuſcumque opinionis certò probabilis, ut ſolùm ſit vera, quando illa opinio habet in intellectu operantis eundem ſtatum, quem habuit in intellectu ſuorum Authorum, qui poſt diligentem veritatis inquiſitionem ſine paſſione, & præcipitatione veram iudicàrunt ob motivum præeminens apud ipſos motivo partis oppoſitæ: ac proinde cenſeo ſufficere, quòd opinio favens libertati ſit in ſe certò probabilis; & quòd aliunde ipſi operanti poſt maturam conſiderationem citra culpam appareat ſenſibiliter, & clarè veriſimilior oppoſitâ; & propterea ab ipſo iudicetur vera iudicio determinato prudenti, id eſt non præcipitanter, ſed maturè concepto.

19. Semper autem loquor de probabilitate practica, quæ immediatè verſatur circa licitum; non verò de probabilitate ſpeculativa, quæ directè verſatur circa res ipſas, aut earum naturam, vel ſufficientiam in ordine ad valorem Sacramentorum, &c. Nam quæcumque ſit ratio dubitandi, utrùm id quod in nemore latet, ſit homo, aut fera ſylveſtris, ſi venator ſagittam emittere velit ad interficiendum, nulla ei probabilitas ſufficit; ſed omnino certus eſſe debet, non eſſe hominem, ſed feram. Pariter cùm damnata iam ſit ab Innocentio XI. propoſitio, aſſerens: *Non eſſe illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relictâ tutiori*; omnino conſtat, Miniſtrum Sacramentorum teneri ad apponendam materiam, & formam certam; graviterque peccare, & ſacrilegium committere, ſi extra caſum neceſſitatis utatur materiâ, vel formâ dubiâ, aut incertâ, omiſsâ certâ; etiamſi id faciat ſequendo opinionem probabilem ſpeculativè, aut etiam probabiliorem, vel probabiliſſimam de veritate, & ſufficientia illius ad Sacramenti valorem: debet enim in Sacramentorum collatione non procedere viâ tantùm probabili, quando poteſt procedere viâ tutiori. His poſitis, veniamus ad multiplicem probationem noſtræ ſententiæ.

§. II.

Primum caput probandi noſtram ſententiam.
Ex Decretalibus Summorum Pontificum.

20. PRobatur primò ex Decretis Pontificum: & primò ex cap. *Inquiſitioni de ſententia excommunicationis.* Vbi Alexander III. reſpondet Epiſcopo Ferrarienſi quærenti, quid ſit faciendum, quando Conjuges bonâ fide contraxerunt matrimonium cum impedimento dirimenti, & poſt contractum matrimonium, alteri illorum ſupervenit notitia impedimenti intervenientis; an ſcilicet poſſit petere debitum, vel ſaltem reddere. Cui dubio reſpondit Pontifex his verbis: *Inquiſitioni tuæ reſpondentes, credimus diſtinguendum; utrùm alter conjugum pro certo ſciat impedimentum conjugii, propter quod ſine peccato mortali non valeat carnale commercium exercere, quamvis illud apud Eccleſiam probare non poſſit: an non ſciat pro certo, ſed credat. In primo caſu debet potiùs excommunicationis ſententiam humiliter ſuſtinere, quàm per carnale commercium peccatum operari mortale. In ſecundo diſtinguimus, utrùm habeat conſcientiam hujuſmodi ex credulitate levi, & temeraria, an probabili, & diſcreta; & quidem ad ſui Paſtoris conſilium (conſcientiâ levis, & temerariæ credulitatis exploſâ) licitè poteſt*

teſt non ſolum reddere, ſed exigere debitum coniugale. Verùm cum conſcientia pulſat animum ex credulitate probabili, & diſcreta, quamvis non evidenti, & manifeſta, debitum quidem reddere poteſt, ſed poſtulare non debet: ne in alterutro, vel contra legem coniugii, vel contra iudicium conſcientiæ committat offenſam. Hactenus Pontifex.

21. Ex quo textu conſtat, iudicium aliquod probabile circa partem minùs tutam, ſufficere ad ſecuritatem conſcientiæ: ſiquidem ibi declarat Pontifex, quòd coniux ad conſilium Paſtoris exploſâ levi credulitate de nullitate matrimonii, licitè poſſit exigere debitum coniugale. In hoc autem caſu, ex conſilio Paſtoris non habet niſi probabilem aſſenſum de valore matrimonii. Ergo iudicium merè probabile ſufficit ad conſcientiam debitè formandam. Ergo quotieſcumque quis poſt diligentem veritatis inquiſitionem ob motivum rationabile præeminens motivo partis oppoſitæ, cenſet probabiliter, rem eſſe licitam, poteſt licitè rem illam exequi, etiamſi illud iudicium coniunctum ſit cum aliqua formidine partis oppoſitæ: non enim eſt ratio, cur in materia uſus matrimonii, quæ graviſſima eſt, & quæ malum Jure naturæ prohibitum reſpicit, ſufficiat iudicium merè probabile ad ritè formandam conſcientiam; & non ſufficiat in aliis.

22. Probatur 2. Nam Clemens V. ſacro approbante Concilio Viennenſi in Capite *Fidei Catholicæ*, in Clementina de ſumma Trinitate, & Fide Catholica, in fine, declaravit ſe ſequi quamdam opinionem, quia probabilior erat: *Opinionem ſecundam,* inquit *tamquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam, & concordem, ſacro approbante Concilio duximus eligendam.* Cuius opinionis mentionem fecerat Innocentius III. in Capite *Maiores* de Baptiſmo. Item Clemens V. in Capite *Capellanus* de Feriis, cū meminiſſet duarum opinionum, eam ſecutus eſt, quæ meliori nitebatur fundamento, eratque proinde probabilior. Quia (inquit) *conſulti ſumus utra iſtarum opinionum potior videatur, nobis & Fratribus noſtris apparuit, quod ... poſterior ſententia meliori & ſubtiliori nititur ratione.* Ergo licitum eſt ſequi opinionem probabilem, quæ meliori nititur ratione, eâque redditur veriſimilior operanti: quia tunc formare poteſt iudicium prudens de honeſtate actionis, quam vult exercere.

§. III.

Secundum caput idem probandi.

Quia ubi opinio minùs tuta apparet agenti manifeſtè, & ſenſibiliter veriſimilior oppoſitâ, prudenter poteſt iudicare, rem eſſe ſecundùm ſe licitam. Unicuique autem licitum eſt facere illud, quod prudenter iudicat eſſe ſecundùm ſe, & conſequenter omnibus licitum.

23. A Priori probatur noſtra, & communis ſententia, quia unicuique licitum eſt facere, quod omnibus inſpectis, poſt diligentem rei diſcuſſionem, prudenter iudicat omnibus eſſe licitum, & prudenter iudicare nequit, cuiquam eſſe illicitum. Atqui ubi poſt maturam, & diligentem rei diſcuſſionem mihi repræſentatur ut manifeſtè veriſimilior ſententia affirmans, aliquid omnibus eſſe licitum, quàm ſententia oppoſita id negans, prudenter iudicare poſſum illud eſſe omnibus licitum, & prudenter iudicare nequeo cuiquam eſſe illicitum: Ergo tunc licitè potero rem illam exequi. Maior videtur certa: nemo enim meritò argui, aut reprehendi poteſt, quòd ſequatur iudicium opinativum prudenter conceptum: nam cùm homo de paucis evidentiam habeat in rebus agendis, non poteſt expectare iudicium directum de honeſtate obiecti omnino certum; ac proinde ſat eſt ad prudenter agendum, quòd ex vi alicuius motivi vehementer moventis ad aſſenſum, & manifeſtè præeminentis motivo trahenti ad oppoſitam partem, iudicet rem illam omnibus eſſe licitam. Minor verò probatur: quia certum eſt, tunc poſſe intellectum ex imperio voluntatis iudicare veram eſſe ſen-

Digitized by Google

ſententiam affirmantem, eique aſſenſum præbere. Non eſſet autem ille aſſenſus temerarius, & imprudens; cùm inniteretur gravi fundamento, & manifeſtè præponderanti fundamentis ad oppoſitum: ergo eſſet prudens. Rurſus probatur minor quoad ſecundam partem, nempe quòd tunc non poſſem iudicare rem illam eſſe alicui illicitam: quia hæc opinio proponitur ut manifeſtè minùs veriſimilis oppoſitâ: intellectus autem nequit aſſentire opinioni, quæ proponitur ut minus veriſimilis, quàm ſua contradictoria, ut oſtenſum eſt Differt.3. Et quamvis phyſicè poſſet, aſſenſus ille tunc eſſet imprudens.

24. Confirmatur: quia iudicium prudens non neceſſariò eſt actus ſcientiæ, ſapientiæ, intelligentiæ, ſyntereſeos, vel fidei divinæ: ergo non neceſſariò requirit evidentiam, aut certitudinem excludentem ex ſe omnem formidinem; imò neque requirit veritatem logicam: alioqui iudicium ſolùm caſualiter eſſet prudens, quoties non eſſet certum. Si enim ad prudentiam iudicii non ſufficit, quòd poſt diligentem veritatis inquiſitionem ſine præcipitatione & paſſione, appareat manifeſtè illa pars veriſimilior, ſed inſuper requiritur veritas logica; non erit prudens illud iudicium, niſi ſit certum: quia quòd illa maior veriſimilitudo reipsâ coniungatur cum veritate, eſt merè caſuale reſpectu iudicantis, qui illam coniunctionem non experitur. Ergo ad prudentiam iudicii ſufficit aliquid minus certitudine, & evidentiâ: nihil autem eſt minus quod propiùs ad certitudinem vel evidentiam accedat, quàm id, quod eſt ſenſibiliter, & clarè veriſimilius. Ergo vel id, quod ſenſibiliter & notoriè eſt veriſimilius, poteſt prudenter iudicari verum; vel nihil poteſt iudicari verum, niſi certum & evidens. At certum eſt poſſe prudenter aliquid iudicari verum, quamvis neque ſit evidens, neque certum: ergo ad iudicium prudens ſatis eſt, quòd verſetur circa partem, quæ citra culpam apparet in actu primo ſenſibiliter, & clarè veriſimilior. Et ideo, qui probabilibus ducitur, non temerè, ſed prudenter agit ſecundùm Juris-conſultos, & Jura adducta à Fagnano in Caput *Ne innitaris* num. 45. & 46.

25. Certè aliquod iudicium diſtinctum ab actu fidei divinæ, eſt prudenter imperabile. At quodnam, ſi non illud, quod eſt circa veriſimilius? cùm evidens iudicium ſit ex evidentia & claritate obiecti antecedenter neceſſarium, independenter ab imperio voluntatis: ſiquidem obiectum evidens rapit intellectum ad ſui aſſenſum. Nihilne in prudentia politica, œconomica, & militari prudenter iudicamus, niſi quod certum, & clarum eſt? Ergo certum eſt, poſſe dari iudicium prudens, quod nec ſit evidens, nec certum. Sanè Ariſtoteles & S. Thomas crebrò docuerunt, artem & prudentiam eſſe de iis, quæ poſſunt aliter ſe habere: ergo non eſt de conceptu prudentiæ, quòd iudicium ab ea imperatum ſemper ſit logicè verum. Ergo certum eſt, poſſe intellectum ex imperio voluntatis prudenter iudicare, obiectum eſſe ſecundùm ſe licitum, quando poſt diligentem veritatis inquiſitionem, citra omnem culpam, illa pars illi proponitur ut ſenſibiliter veriſimilior oppoſitâ. Idque inde etiam ſuadetur: quia ſi tunc non poſſet voluntas imperare prudenter aſſenſum partis minùs tutæ, quæ ipſi apparet veriſimilior, deberet ſuſpendere omnem aſſenſum veritatis; quia circa partem tutiorem, quæ illi repræſentatur ut minùs veriſimilis, nequit prudenter imperare aſſenſum. Ergo deberet manere ille ut ſtipes, & neque circa unum, nec circa aliud ferre aſſenſum. Ac proinde deberet facere, quod Secta Academicorum dicebat: nimirum abſtinere ab aſſenſu veritatis alterutrius partis, & ſolùm ferre iudicium de probabilitate, & veriſimilitudine: quia nimirum neutrius partis contradictionis veritas eſt evidens; probabilitas autem maior unius partis, & minor alterius, eſt manifeſta & evidens, utpote cadens ſub evidentem experientiam intellectûs, qui clarè experitur, ſe fortiùs impelli à motivis unius partis, quàm alterius. Cùm ergo hoc ſit abſurdum; dicendum eſt, poſſe

tunc

tunc voluntatem prudenter imperare aſſenſum partis minùs tutæ. Ergo tunc prudenter iudicaret homo, rem eſſe ſecundùm ſe licitam. At nequit homo peccare, dum facit id, quod prudenter iudicat eſſe licitum. Ergo &c.

26. Confirmatur ulteriùs: quia ubi homo poſt maturam deliberationem, & debitam diligentiam, ex ſincero amore veritatis ſuſceptam, citra paſſionem & culpam cenſet, contractum aliquem v.g. eſſe licitum ſecundùm ſe, quoniam pro illa parte occurrit illi aliqua ratio valida præeminens clarè rationi & fundamentis partis oppoſitæ; illud iudicium, quamvis ſit fallibile, & ex ſe non excludat omnem formidinem partis oppoſitæ, tamen nec ex parte ſubiecti, nec ex parte obiecti eſt imprudens. Non ex parte ſubiecti; cùm ſine præcipitatione & præmiſsâ ſufficienti diligentiâ ſit latum: non ex parte obiecti; cùm ſit conceptum ob motivum grave, & tale, ut in negotio magni momenti vir prudens ſimili motivo induci poſſit, ad reſolutionem ſumendam: ergo eſt prudens. At implicat, ut quis peccet, dum prudenter operatur: ergo non peccaret, qui informatus hoc iudicio, rem exequeretur, quia iudicat licitam; minimè executurus, ſi poſſet hic & nunc prudenter iudicare, eſſe prohibitam. Quare ut efficaciter probat P. Terillus in tomo de Regula morum q.2.aſſert.1. *Omnis opinio practicè probabilis actu animum informans, illique applicans divinam legem, ut verè exiſtentem, eſt regula formalis ſufficiens ad rectè operandum. Nomine autem opinionis practicè probabilis intelligo* (inquit nu.1.ejuſdem quæſtionis) *opinionem, quæ enuntiat rem eſſe licitam quæque habet conditiones, quas ad illam requiri dictum eſt.* Illæ autem conditiones à nobis expoſitæ ſunt Diſſert. 1. in qua tradidimus definitionem opinionis probabilis.

§. IV.

Tertium Caput idem probandi.

Quia vel ad honeſtè operandum non requiritur dictamen ultimum conſcientiæ certum, & evidens, excludens omnem formidinem partis oppoſitæ: vel ſi hoc requiritur, poteſt per reflexionem fundari ſupra opinionem probabilem operantis, conceptam ob motivum manifeſtè veriſimilius motivo partis oppoſitæ.

27. EX hoc capite ſic argumentor: quia vel ad honeſtè operandùm ſufficit, quòd dictamen ultimum practicum, dictans hìc & nunc licitum eſſe operari, ſit probabile (ut docent P. Thomas Sanchez lib.1.ſumm. cap.9. num.18. & P. Vazquez 1. 2.diſp. 62.cap.5. num.25.) vel requiritur quòd ſit certum, & evidens; ut fusè contendit P. Terillus q.13. de Conſcientia probabili, cum communiori Theologorum ſententia; & P.Moya tract.1. q. 6. §. 6. Si primum; ſufficit, quòd ſententia favens libertati proponatur mihi ut manifeſtè probabilior oppoſitâ, ut ego formem iudicium opinativum ſatis firmum, quòd hic & nunc mihi licet operari. Si ſecundum, etiam ſufficit mediatè illa maior probabilitas ſententiæ benignæ, ad formandum dictamen reflexum certum, & evidens, quòd hic & nunc liceat operari: nam illa maior probabilitas ſufficit, ad formandum iudicium directum opinativum prudens de honeſtate operationis, quatenus motiva illa directè movent vehementiùs ad aſſenſum de honeſtate operis, quàm motiva oppoſita ſententiæ moveant ad aſſenſum de inhoneſtate. Hoc autem iudicium directum reflexè cognitum movere poteſt ad dictamen reflexum certum, & moraliter evidens, quod hic & nunc liceat operari. Sic enim operans per ſynderesim naturalem cogitat: *Mihi licet facere, quod prudenter iudico eſſe omnibus licitum. At ego hìc & nunc prudenter iudico, omnibus eſſe licitam talem operationem v.g. pingendi in die feſto: er-*

go

Digitized by Google

go mihi licet pingere in die feſto. Quòd iſte ſyllogiſmus ſit evidens quoad utramque præmiſſam, eſt res difficilis probatu, quando opinio favens libertati non repræſentatur velut magis veriſimilis quàm ſententia ſtans pro præcepto: quia difficillimum eſt, imò, ut ego cenſeo, impoſſibile, quòd prudenter quis iudicet aliquam actionem eſſe licitam, quando non habet maius abſolutè fundamentum ad iudicandum eſſe licitam, quàm ad iudicandum eſſe illicitam; quod contingit, ubi opiniones contrariæ apparent æquè veriſimiles operanti, vel quando habet maius fundamentum ad iudicandum eſſe illicitam, quàm ad iudicandum eſſe licitam: ut contingit quando opinio favens præcepto proponitur ut magis veriſimilis. Ac proinde non video, quomodo inter ſe cohæreant quæ docet Terillus cum multis Probabiliſtis: nempe ad honeſtè operandum requiri dictamen practicum moraliter evidens; & tamen poſſe hominem licitè uti opinione minùs probabili, & minùs tutâ in occurſu probabilioris, & tutioris.

28. At quando opinio favens libertati, præeminet evidenter oppoſitæ, quoad probabilitatem, facilè intelligitur quomodo ſit prudens iudicium, affirmans illam rem eſſe licitam; quia operanti evidens eſt, illam ſententiam habere magnum fundamentum, & defendi à magnis Viris: quod ſufficit ad eius probabilitatem. Igitur ſi illi aſſentitur, quia apparet veriſimilior oppoſitâ, non aſſenſurus, niſi præemineret veriſimilitudine, certus eſſe poteſt ſe illi præbuiſſe aſſenſum prudentem, ſi certus ſit, ſe abſque impetu paſſionis adhibuiſſe ſufficientem diligentiam ad inquirendam veritatem. Hanc tamen certitudinem difficulter poſſunt homines aſſequi. Quare, ſi verum ſit, requiri dictamen evidens de eo quòd hic, & nunc licet operari (quod ego non affirmo) hoc dictamen tunc ſolùm poterit dari, quando ſententia favens libertati, quoad veriſimilitudinem clarè præeminet oppoſitæ. Ergo fixum debet eſſe, quòd liceat ſequi opinionem minùs tutam, quando illa apparet clarè veriſimilior oppoſitâ, & certum eſt eſſe probabilem.

29. Confirmatur: quia negari non poteſt, quòd formare quis poſſit dictamen practicum reflexum certum, & evidens, quòd hic & nunc licet operari, quando ſententia favens libertati unicè proponitur ut veriſimilis, dumque pro oppoſitâ nulla apparet ratio probabilis, quæ virum prudentem poſſit in ullo eventu movere ad aſſenſum. Si autem tunc poteſt formari dictamen reflexum evidens ſupra aſſenſum directum dumtaxat opinionum, etiam poterit, quando pro oppoſitâ apparet quidem ratio ſecundùm ſe probabilis, cæterùm quæ comparata cum ratione ſententiæ benignæ exigua videatur, & ſit evidenter minùs probabilis: hæc enim ratio tunc prudenter contemnitur; ratio autem quæ prudenter contemnitur, perinde ſe habet, ac ſi non daretur. Si ergo in primo caſu poteſt formari dictamen reflexum evidens, poterit etiam in ſecundo. Quod mihi unicè difficultatem parit, ne putem dictamen illud eſſe evidens hoc unum eſt; nempe quòd operans nõ facilè poteſt certus eſſe, quòd fecerit ſufficientem diligentiam, ad inquirendam veritatem: quæ tamen certitudo videtur neceſſaria, ut ſit evidens iudicium de honeſtate obiecti. Nam ſi illud iudicium directum eſt falſum ob ignorantiam culpabilem, non eſt prudens: quia nemo prudenter iudicat, eſſe honeſtum obiectum reipsâ inhoneſtum, ſi error iſte ſit culpabilis. At ſi ſemel poſſit eſſe certus de diligentia adhibita is, cui unicè apparet ut probabilis ſententia favens libertati; etiam poterit eſſe certus ille, cui apparet ut probabilior oppoſitâ. Quare vel numquam poterit fundari dictamen reflexum certum ſupra iudicium opinativum directum, vel fundari poteſt in noſtro caſu.

Quin-

Digitized by Google

§. V.

Quartum Caput idem probandi.

Quia ubi pars minùs tuta poſt diligentem veritatis inquiſitionem, apparet citra culpam operanti manifeſtè veriſimilior oppoſitâ, illa pars apud ipſum habet moralem quamdam certitudinem, ex communi iudicio antiquorum Theologorum ſufficientem ad licitè operandum.

30. QUòd res ita ſe habeat, conſtat 1. teſtimonio Guillelmi Altiſſiodorenſis Epiſcopi, qui floruit circa an. 1235. Hic apud Gerſonem mox citandum, habet valde notandam doctrinam, & protulit celebre dictum. *Si quis* (inquit Gerſon) *oppoſuerit, quòd dubitans de aliquo, an ſit illicitum, & ſtante dubio illud agens, peccat, quia diſcrimini ſe ſcienter obiicit: Reſpondeo cum... Altiſſiodorenſi, regulam hanc magiſtralem intelligendam eſſe de dubio tali, quod eſt vehemens, & magis, aut ſaltem æquè inducit mentem credere, quòd eſt mortaliter illicitum, ſicut quòd eſt licitum. Secus eſt, ubi mens plus inclinatur, & iudicat quòd eſt licitum, quàm illicitum, quamvis non habeat uſquequaque certitudinem evidentem, aut fixam: quia nec hoc ipſum requiritur.* Refert hoc dictum Gerſon (qui fuit vir profundæ ſapientiæ, floruitque ante an. 1420. & obiit an. 1429.) in tractatu de Præparatione ad Miſſam, & pollutione nocturna, Conſiderat. 3. ubi hæc habet: *Non omnis ſcrupulus aut dubitatio de peccato mortali ... impediunt celebrantis dignitatem. Patet, quia certitudo moralis, qualem* (Conſiderat. 2.) *diximus ſufficere, compatitur ſecum vacillationem quamdam animi aut hæſitationem quamdam, vel ſuſpicionem, ſeu ſcrupulos, quòd homo non ſit ſufficientèr diſpoſitus, aut quod aliquo impedimento ligatus eſt.* Et paulò poſt. *Si quis oppoſuerit, quòd dubitans de aliquo an ſit illicitum, & ſtante dubio illud agens, peccat, quia diſcrimini ſe ſcienter obiicit; Reſpondeo cum ... Altiſſiodorenſi &c.* ut ſupra. Hactenus Joannes Gerſon in eo, quem dicebam, Tractatu. Ex quo videtur evadere manifeſtum, quòd ſecundùm illius antiqui iuxta, ac doctiſſimi Theologi ſententiam in ſequendâ alterutrâ opinionum controverſarum, an quid liceat, necne, non requiratur illa *certitudo*, ut eius verbis utar, *uſquequaque evidens, aut fixa* de veritate opinionis, quam amplectimur.

31. Nec alibi à ſe diſſentit. Certè in Regulis moralibus, quæ habentur initio ſecundi tomi operum eius, multa nobis reliquit quæ eamdem doctrinam confirmant. Nam inter alias regulas, tradit hanc: *Exponere ſe periculo peccati mortalis, eſt peccatum mortale: vel ſic; agere incertum, & dimittere certum in materia morali, eſt peccatum mortale, ſi tale ſit incertum, quòd ſit mortale non ſolùm per coniecturas leves, aut ex ſuſpicione trepida, & ſcrupuloſa proveniente ex nimio timore cadendi in via Dei: ſed intelligitur, dum tale eſt vehementer & probabiliter incertum, æquè ſicut oppoſitum vel magis; tunc enim illud quod agitur non carebit mortali culpa: aliter non oportet.*

32. Rurſus ibidem agens de Euchariſtia, ſic loquitur. *Diſcrimen novi peccati mortalis in celebrando vitatur, ſi poſt diſcuſſionem conſcientiæ (quæ regulariter in talibus haberi ſolet) celebraturus non habeat conſcientiam fixam, aut æquè firmam (ſicut de oppoſito) quod ſit in peccato mortali, vel alio legitimo impedimento, ut eſt irregularitas. Et hæc vocatur certitudo moralis, vel civilis, quòd homo ſufficienter probatus eſt.*

33. Denique parte 2. de Contract. propoſit. 13. exponens illud Auguſtini. *Tene certum, dimitte incertum: Argumentum* inquit, *ſumptum ex conſilio, vel dubio unius Doctoris, quòd in ullo dubio contrahere ſit peccatum mortale, non eſt efficax, ſed temerarium & negandum. Oportet enim incertitudinem eſſe non tantummodo ſcrupuloſam, levem, & formidoloſam, ſed valde probabilem, prius quàm agere ea ſtante, peccatum mortale judicetur. Sic enim dictum illud Sapientis intelligitur:* Qui amat periculum peribit in illo. *Itaque non quodlibet dubium*

facti

Digitized by Google

facti ſufficit ad cauſandum peccatum mortale ... Ergo nec quodlibet dubium Juris. Ac in huius doctrinæ confirmationem adducit caput *Inquiſitioni* de Sententia Excommunicationis. Et poſtea pergit in hæc verba: *Probabilis certitudo ſufficit in moralibus, ut non exponat ſe quis periculo; ut dicunt Doctores de celebrante miſſam, & ſimilibus, ubi requiritur ſtatus gratiæ, quòd ſufficit probabilis conjectura. Quia certitudo alia ſine revelatione non habetur; prout in moralibus dicit Ariſtoteles, ſumendam eſſe certitudinem groſſè & figuraliter: quæ certitudo non removet in una parte omnem probabilitatem, vel opinionem alterius partis, licet magis declinet ad iſtam, vel ad aliam; quod ſufficit.*

34. Hactenus gravis hic Doctor, & Cancellarius Pariſienſis, cuius doctrinam laudant, & ſequuntur Joannes Nider, qui floruit paulò poſt Gerſonem, nempe an. 1430. regulamque magiſtralem Altiſſiodorenſis laudat & ſequitur in Conſolatorio timoratæ conſcientiæ 3. par. cap. 11. Item S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, qui paulò poſt Gerſonem floruit; ſiquidem ſeptuagenarius obiit an. 1459. Nam par. 1. Summæ titulo 3. cap. 10. §. 10. hæc habet: *Qui agit ſcienter id, de quo dubitat eſſe mortale, permanente dubitatione, peccat mortaliter, etiamſi illud in ſe non eſſet mortale, ſumendo & propriè ſtrictè Dubitationem. Sed ſi dubitet leviter quis per modum ſcrupuli, ſicut dubitat, ſeu formidat habens opinionem de aliquo, quia ita inhæret ipſi ſententiæ, ut formidet de oppoſito: ſic agendo contra tale dubium non peccatur, dum adhæret opinioni alicuius Doctoris, & habet rationes probabiles pro ipſa magis, quàm pro oppoſita opinione; etiamſi ipſa opinio, quã tenet, nõ eſſet vera. Et hoc, niſi opinio ſumpta, eſſet contra manifeſtum teſtimonium Scripturæ, vel determinationem Eccleſiæ. Talis enim non operatur in dubio mortalis, ſed ſecundùm opinionem probabilem.* Hactenus ille: cujus teſtimonio conſtat, tempore D. Antonini fuiſſe doctrinam communem, quòd liceat cuilibet ſequi opinionem certò probabilem faventem ſuæ libertati, dummodo poſt diligentem veritatis inquiſitionem appareat ipſi, citra culpam & paſſionem, ſimpliciter probabilior, & veriſimilior. Poſtea agens de remedio conſcientiæ ſcrupuloſæ, in primis proponit, unde ſæpe naſcatur conſcientia ejuſmodi ſcrupuloſa. *Sunt* (ita loquitur) *de aliquibus materiis moralibus Doctores opinionum contrariarum, & tunc ſcrupuloſi dubitant, quam partem poſſint cum bona conſcientia eligere.* Et ſtatim ſcrupuloſos inſtruens, doctrinam eis dat apprimè utilem ad quietandam conſcientiam.

35. *Notandum* (inquit) *quòd cum bona conſcientia poteſt quis tenere unam partem alicuius opinionis, & ſecundùm eam operari, excluſo ſaltem ſcandalo, quæ ſcilicet pars habeat pro ſe notabiles Doctores; dummodo talis opinio non ſit contra authoritatem expreſſam ſacræ Scripturæ, nec contra determinationem Eccleſiæ Catholicæ: & quòd etiam ex contrarietate talium opinionum non inducatur ad dubitandum, ſed bonam ſibi conſcientiam, & credulitatem formet de eo, quod credit, tamquam de probabiliori parte. Et præcipuè quando quis adhibet diligentiam inquirendo an liceat; nec invenit aliquid, quod eum ſufficienter moveat ad hoc, quòd ſit illicitum.* Et poſtea eod. §. 10. circa fin. in hunc modum loquitur: *Notandum ſecundùm Cancellarium, quòd certitudo, quæ requiritur in materia morali, non eſt certitudo evidentiæ, ſed probabilis coniecturæ. Et pro huius declaratione ſciendum, quòd triplex eſt certitudo. Una ſupernaturalis, alia naturalis, tertia civilis, ſeu moralis. Et certitudo ſupernaturalis ita ſe habet, quòd non ſtat aliquem certa ſentire, & falli: & ipſa eſt triplex. Prima evidentiæ intuitivæ, qualis eſt Beatorum ſupernæ Patriæ. Alia eſt evidentiæ revelatæ, ut in Prophetarum illuſtratione. Tertia eſt ſolius adhærentiæ in ſpeculo, & ænigmate; qualis eſt certitudo fidei, quæ non innititur evidentiæ rationis humanæ, ſed authoritati divinæ, quæ continetur in ſacra Scriptura. Eſt autem quælibet trium certitudinum ſupernaturalium tanta, quòd per nullam potentiam etiam divinam, & abſolutam fallax eſſe poterit:*

Digitized by Google

alioquin Deus negaret ſe ipſum. Certitudo verò naturalis ita ſe habet, quòd non ſtat per naturam aliquam taliter aſſentire, & falli; quam Philoſophi nobis poſuerunt poſſibilem in principiis per ſe notis, cognitis ſcilicet ex ſola apprehenſione terminorum: ut, quodlibet eſt, vel non eſt. Poſuerunt etiam in concluſionibus demonſtrativis, & in conſequentia evidenti deductis per talia principia; quemadmodum dixerunt, ſcientiam mathematicam eſſe ſcientiam certiſſimam. Tertia certitudo, ſcilicet moralis ſeu civilis, tangitur unà cum præcedenti in principio Ethicorum, ubi dicitur quòd diſciplinati eſt, in unaquaque re certitudinem quærere juxta exigentiam materiæ. Æquè enim vitioſum eſt perſuadentem quærere mathematicum, & moralem demonſtrantem. Non enim conſurgit certitudo moralis ex evidentia demonſtrationis, ſed ex probabilibus conjecturis groſſis, & figuralibus, magis ad unam partem, quàm ad aliam ſe habentibus. Dicitur autem probabile, quod pluribus, & maximè ſapientibus apparet verum. Ex his igitur ſequitur, quòd in humanis agibilibus, quæ tantam habent varietatem teſte Ariſt. & experientiâ, ſufficit talis certitudo, quæ non ſemper ſcrupulos omnes abiiciat, ſed ſufficit ut contemnat, ſeu ſuperet eos. Ad quod etiam optimè facit illud Leonis Papæ dicentis. In his quæ dubia fuerint aut obſcura, id noverimus ſequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec Decretis Sanctorum Patrum inveniatur adverſum. Diſt. 14. Cap. ſicut quædam. Iſta autem certitudo moralis colligitur ex uno trium modorum, videlicet: Ex alterius authoritate; quod pertinet ad incipientes, qui ſcilicet erudiuntur per alios in doctrinis, & addiſcunt, & obediunt; juxta illud Deut. 14. Interroga Patrem tuum, & annunciabit &c. Secundus modus eſt ex propria eruditione; quod congruit proficientibus ſtudendo in Scripturis; juxta illud Prov. 27. Stude ſapientiæ fili mi. Tertius modus ex circumſpectione circumſtantiarum; & hoc quoad perfectos. Hæc S. Antoninus. Quòd maior probabilitas, dum eſt certa, & manifeſta, atque notabilis, ſit quædam moralis certitudo, docet quoq; noſter eximius Doctor Suarez lib. 8. de leg. Cap. 13. n. 19. *Maior*, inquit, *probabilitas eſt quædam moralis certitudo, ſi exceſſus probabilitatis certus ſit.*

36. Ex his concluditur, ad ſecuritatem conſcientiæ in rebus moralibus, quæ diſputantur inter Doctores, non requiri omnimodam certitudinem, ſed ſufficere illam, quam hîc deſcripſit S. Antoninus cùm Altiſſiodorenſi, & Gerſone: quæ tunc datur, quando, quis poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra paſſionem, & culpam, iudicio determinato cenſet rem eſſe licitam, eò quòd pro illa parte videt fundamenta urgentiora, & ſenſibiliter validiora, quàm pro oppoſita. Quamvis enim illa res ſecundùm ſe ſit dubia, quia diſputatur inter Doctores, & inter eos alii affirmant, alii negant eſſe licitam; ipſi tamen operanti, qui ob fundamenta urgentiora iudicat eſſe licitam, nec in ſenſu compoſito talis apparentiæ veritatis, potuit iudicare oppoſitum, non eſt dubia, ſed omnino vera, & quodammodo certa. Vt enim ſapienter inquit P. Suarez 1.2. tract. 3. diſp. 12. ſec. 6. n. 8. *Excedit ordinarium modum operandi, maiorem cognitionem obtinere in ſingulis actionibus.*

§. VI.

Infertur ex dictis, quòd, quando opinio minùs tuta eſt manifeſtè veriſimilior oppoſitâ, & idcirco judicatur vera ab operante, poteſt iſte prudenter repellere & contemnere formidinem partis oppoſitæ tamquam ſcrupulum; & conſcientiam ſuam tranquillam reddere.

37. AD hoc explicandum, & confirmandam doctrinam hucuſque ſtabilitam, deſcribam ex S. Antonino, & Doctore Navarro, in quo differant, Scientia, Fides, Opinio, Dubitatio, & Scrupulus. Hoc explicat Sanctus Antoninus in Summa part. 1. titulo 3. Cap. 10. §. 9. his verbis; *Sciendum* (inquit) *ſecundùm Albertum in Libro de quatuor cauſis, quòd differentia eſt inter Scientiam, Fidem, Opinionem, Dubita-*

Digitized by Google

tationem, & Scrupulum, ſeu Suſpicionem. Nam Scientia propriè eſt eorum, quæ cognoſcuntur per cauſam, & quia impoſſibile eſt aliter ſe habere. Fides autem eſt perfecta perſuaſio unius partis, ſeu concluſionis per multa probabilia, vel authoritatem dicentem, & hoc etiam appellatur Credulitas, & Conſcientia. Opinio autem eſt acceptio unius partis cum formidine alterius; ita tamen, quòd ad illam, quæ formidatur non habetur ratio expreſſa; formidatur, tamen propter debilitatem rationis alterius partis. Dubitatio verò eſt interminatus motus rationis, ſuper utramq; partem contradictionis per æqualia media; ita quòd non magis pendet ad unam partem, quàm ad aliam: & hæc etiam dicitur Suſpicio, & Puſillanimitas ſpiritûs, quæ repellenda eſt. Unde dicitur 6. q. 1. oves: Omnis ſuſpicio potius abiicienda eſt quàm acceptanda. Hactenus S. Antoninus. Eandem doctrinam habet Doctor Navarrus in Manuali Cap. 27. Miſcellaneo 3. n. 279. ubi explicans, quid ſit Scientia, Fides, Opinio, Dubium, Scrupulus, inquit: *Scientia eſt cognitio viſiva rei, tam intellectûs, quàm ſenſûs. Fides eſt cognitio, qua firmiter ita eſſe iudicamus, quod non videmus. Opinio eſt cognitio, qua iudicamus aliquid eſſe, vel non eſſe, quod non videmus, nec firmiter credimus ita eſſe, ſed cum formidine, ne contrarium ſit verum. Dubitatio eſt cognitio duarum rerum contrariarum, neutram eorum iudicando veram. Scrupulus eſt cognitio argumenti apparentis contra prædicta.* Et paulò poſt explicans illud in quo differunt, ſubdit: *Differunt in eo, quòd Scientia eſt firma, & evidens cognitio. Fides firma, non tamen evidens, ſed obſcura. Opinio autem nec evidens nec firma, quamvis ſit iudicativa. Dubitatio verò, nec evidens, nec firma, nec iudicativa. Scrupulus autem eſt ſolùm quoddam argumentum contra aliquam prædictarum. Et quatuor prima ſunt contraria, quæ non poſſunt ſimul ineſſe uni, & eidem perſonæ eodem reſpectu. Scrupulus autem cum qualibet aliarum quatuor eſſe poteſt.* Hæc ibi Navarrus, qui fuſiùs hanc doctrinam tradiderat in Commentario ad *Caput, Si quis autem*, de pœnit. diſt. 7. n. 11. ubi dixerat: *Opinari eſt adhærere uni parti contradictionis; non tamen firmiter, ſed cum formidine, ne pars altera ſit vera. Dubitare verò eſt animum applicare ad plura, & nihil eligere. Scrupulus eſt habere argumentum, vel apparentiam aliquam contra id, quod vel ſcit, vel credit, vel opinatur, vel dubitat.* Et poſtea num. 18. intulerat; *Quod ſcitur, vel creditur, certum eſſe quoad ſcientem vel credentem; quod verò in opinione ſola eſt, vel dubitatione, incertum: Scrupulum autem neque tollere, neque addere certitudinem, vel incertitudinem, ſed ſolùm ſolicitare mentem, quò vel iudicium conceptum exuat, vel novum induat.*

38. Ex hac doctrina Navarri ſic argumentor. Dum operanti pars minùs tuta, poſt diligentem veritatis inquiſitionem, proponitur ut clarè & ſenſibiliter magis veriſimilis, & idcirco acceptatur illa pars ut vera; iam fundamentum partis oppoſitæ apud ipſum non urget, nec experitur ſe per illud vehementer impelli ad iudicandum, rem eſſe licitam; neque prudenter poteſt aſſerere: *Ego anceps ſum, & dubius, an res iſta ſit licita, an illicita*; ſed determinatè, & decretoriè iudicat eſſe licitam; Et quamvis hoc iudicium propter inevidentiam fundamenti, quo nititur, non excludat omnem formidinem partis oppoſitæ, excludit tamen ſolicitudinem, & anxietatem, & prudentem dubitationem. Vt enim ſapienter notat P. Vazquez 1. 2. diſp. 62. n. 26. *Formido in eo tantum poſita eſt, ut aliquis per actum reflexum iudicet, rationes illius partis, cuius habet aſſenſum, non eſſe evidentes, ſed tantùm probabiles; & ideo putet fieri poſſe ut reipsâ oppoſita pars vera ſit: cùm tamen rationes illius id non oſtendant.* Hæc porro formido vel nihil eſt, quàm cognitio, qua is, qui iudicat rem eſſe licitam, cognoſcit eſſe aliquod argumentum pro parte contraria; vel nihil aliud eſt, quàm aliqua apparentia veritatis pro parte contraria, quæ tamen apparentia non vehementer impellit ad aſſenſum; cùm vincatur à præponderantia motivi oppoſiti, vi cuius operans reſolvit dubium, & iudicavit, rem

Digitized by Google

alioquin Deus negaret ſe ipſum. Certitudo verò naturalis ita ſe habet, quòd non ſtat per naturam aliquam taliter aſſentire, & falli: quam Philoſophi nobis poſuerunt poſſibilem in principiis per ſe notis, cognitis ſcilicet ex ſola apprehenſione terminorum: ut, quodlibet eſt, vel non eſt. Poſuerunt etiam in concluſionibus demonſtrativis, & in conſequentia evidenti deductis per talia principia; quemadmodum dixerunt, ſcientiam mathematicam eſſe ſcientiam certiſſimam. Tertia certitudo, ſcilicet moralis ſeu civilis, tangitur unà cum præcedenti in principio Ethicorum, ubi dicitur quòd diſciplinati eſt, in unaquaque re certitudinem quærere juxta exigentiam materiæ. Æquè enim vitioſum eſt perſuadentem quærere mathematicum, & moralem demonſtrantem. Non enim conſurgit certitudo moralis ex evidentia demonſtrationis, ſed ex probabilibus coniecturis groſſis, & figuralibus, magis ad unam partem, quàm ad aliam ſe habentibus. Dicitur autem probabile, quod pluribus, & maximè ſapientibus apparet verum. Ex his igitur ſequitur, quòd in humanis agibilibus, quæ tantam habent varietatem teſte Ariſt. & experientiâ, ſufficit talis certitudo, quæ non ſemper ſcrupulos omnes abiiciat, ſed ſufficit ut contemnat, ſeu ſuperet eos. Ad quod etiam optimè facit illud Leonis Papæ dicentis. In his quæ dubia fuerint aut obſcura, id noverimus ſequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec Decretis Sanctorum Patrum inveniatur adverſum. Diſt. 14. Cap. ſicut quædam. Iſta autem certitudo moralis colligitur ex uno trium modorum, videlicet: Ex alterius authoritate; quod pertinet ad incipientes, qui ſcilicet erudiuntur per alios in doctrinis, & addiſcunt, & obediunt; juxta illud Deut. 14. Interroga Patrem tuum, & annunciabit &c. Secundus modus eſt ex propria eruditione; quod congruit proficientibus ſtudendo in Scripturis; juxta illud Prov. 27. Stude ſapientiæ fili mi. Tertius modus ex circumſpectione circumſtantiarum; & hoc quoad perfectos. Hæc S. Antoninus. Quòd maior probabilitas, dum eſt certa, & manifeſta, atque notabilis, ſit quædam moralis certitudo, docet quoq; noſter eximius Doctor Suarez lib. 8. de leg. Cap. 13. n. 19. *Maior*, inquit, *probabilitas eſt quædam moralis certitudo, ſi exceſſus probabilitatis certus ſit.*

36. Ex his concluditur, ad ſecuritatem conſcientiæ in rebus moralibus, quæ diſputantur inter Doctores, non requiri omnimodam certitudinem, ſed ſufficere illam, quam hîc deſcripſit S. Antoninus cùm Altiſſiodorenſi, & Gerſone: quæ tunc datur, quando, quis poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra paſſionem, & culpam, iudicio determinato cenſet rem eſſe licitam, eò quòd pro illa parte videt fundamenta urgentiora, & ſenſibiliter validiora, quàm pro oppoſita. Quamvis enim illa res ſecundùm ſe ſit dubia, quia diſputatur inter Doctores, & inter eos alii affirmant, alii negant eſſe licitam; ipſi tamen operanti, qui ob fundamenta urgentiora iudicat eſſe licitam, nec in ſenſu compoſito talis apparentiæ veritatis, potuit iudicare oppoſitum, non eſt dubia, ſed omnino vera, & quodammodo certa. Vt enim ſapienter inquit P. Suarez 1.2. tract. 3. diſp. 12. ſec. 6. n. 8. *Excedit ordinarium modum operandi, maiorem cognitionem obtinere in ſingulis actionibus.*

§. VI.

Infertur ex dictis, quòd, quando opinio minus tuta eſt manifeſtè veriſimilior oppoſitâ, & idcirco judicatur vera ab operante, poteſt iſte prudenter repellere & contemnere formidinem partis oppoſitæ tamquam ſcrupulum; & conſcientiam ſuam tranquillam reddere.

37. AD hoc explicandum, & confirmandam doctrinam hucuſque ſtabilitam, deſcribam ex S. Antonino, & Doctore Navarro, in quo differant, Scientia, Fides, Opinio, Dubitatio, & Scrupulus. Hoc explicat Sanctus Antoninus in Summa part. 1. titulo 3. Cap. 10. §. 9. his verbis; *Sciendum* (inquit) *ſecundùm Albertum in Libro de quatuor cauſis, quòd differentia eſt inter Scientiam, Fidem, Opinionem, Dubita-*

Digitized by Google

tationem, & Scrupulum, ſeu Suſpicionem. Nam Scientia propriè eſt eorum, quæ cognoſcuntur per cauſam, & quia impoſſibile eſt aliter ſe habere. Fides autem eſt perfecta perſuaſio unius partis, ſeu concluſionis per multa probabilia, vel authoritatem dicentem, & hoc etiam appellatur Credulitas, & Conſcientia. Opinio autem eſt acceptio unius partis cum formidine alterius; ita tamen, quòd ad illam, quæ formidatur non habetur ratio expreſſa; formidatur, tamen propter debilitatem rationis alterius partis. Dubitatio verò eſt interminatus motus rationis, ſuper utramq; partem contradictionis per æqualia media; ita quòd non magis pendet ad unam partem, quàm ad aliam: & hæc etiam dicitur Suſpicio, & Puſillanimitas ſpiritûs, quæ repellenda eſt. Unde dicitur 6. q. 1. oves: Omnis ſuſpicio potius abiicienda eſt quàm acceptanda. Hactenus S. Antoninus. Eandem doctrinam habet Doctor Navarrus in Manuali Cap. 27. Miſcellaneo 3. n. 279. ubi explicans, quid ſit Scientia, Fides, Opinio, Dubium, Scrupulus, inquit: *Scientia eſt cognitio viſiva rei, tam intellectûs, quàm ſenſûs. Fides eſt cognitio, qua firmiter ita eſſe iudicamus, quod non videmus. Opinio eſt cognitio, qua iudicamus aliquid eſſe, vel non eſſe, quod non videmus, nec firmiter credimus ita eſſe, ſed cum formidine, ne contrarium ſit verum. Dubitatio eſt cognitio duarum rerum contrariarum, neutram eorum iudicando veram. Scrupulus eſt cognitio argumenti apparentis contra prædicta.* Et paulò poſt explicans illud in quo differunt, ſubdit: *Differunt in eo, quòd Scientia eſt firma, & evidens cognitio. Fides firma, non tamen evidens, ſed obſcura. Opinio autem nec evidens nec firma, quamvis ſit iudicativa. Dubitatio verò, nec evidens, nec firma, nec iudicativa. Scrupulus autem eſt ſolùm quoddam argumentum contra aliquam prædictarum. Et quatuor prima ſunt contraria, quæ non poſſunt ſimul ineſſe uni, & eidem perſonæ eodem reſpectu. Scrupulus autem cum qualibet aliarum quatuor eſſe poteſt.* Hæc ibi Navarrus, qui fuſiùs hanc doctrinam tradiderat in Commentario ad *Caput, Si quis autem*, de pœnit. diſt. 7. n. 11. ubi dixerat: *Opinari eſt adhærere uni parti contradictionis; non tamen firmiter, ſed cum formidine, ne pars altera ſit vera. Dubitare verò eſt animum applicare ad plura, & nihil eligere. Scrupulus eſt habere argumentum, vel apparentiam aliquam contra id, quod vel ſcit, vel credit, vel opinatur, vel dubitat.* Et poſtea num. 18. intulerat; *Quod ſcitur, vel creditur, certum eſſe quoad ſcientem vel credentem; quod verò in opinione ſola eſt, vel dubitatione, incertum: Scrupulum autem neque tollere, neque addere certitudinem, vel incertitudinem, ſed ſolùm ſolicitare mentem, quò vel iudicium conceptum exuat, vel novum induat.*

38. Ex hac doctrina Navarri ſic argumentor. Dum operanti pars minùs tuta, poſt diligentem veritatis inquiſitionem, proponitur ut clarè & ſenſibiliter magis veriſimilis, & idcirco acceptatur illa pars ut vera; iam fundamentum partis oppoſitæ apud ipſum non urget, nec experitur ſe per illud vehementer impelli ad iudicandum, rem eſſe licitam; neque prudenter poteſt aſſerere: *Ego anceps ſum, & dubius, an res iſta ſit licita, an illicita*; ſed determinatè, & decretoriè iudicat eſſe licitam; Et quamvis hoc iudicium propter inevidentiam fundamenti, quo nititur, non excludat omnem formidinem partis oppoſitæ, excludit tamen ſolicitudinem, & anxietatem, & prudentem dubitationem. Vt enim ſapienter notat P. Vazquez 1. 2. diſp. 62. n. 26. *Formido in eo tantum poſita eſt, ut aliquis per actum reflexum iudicet, rationes illius partis, cuius habet aſſenſum, non eſſe evidentes, ſed tantùm probabiles; & ideo putet fieri poſſe ut reipsâ oppoſita pars vera ſit: cùm tamen rationes illius id non oſtendant.* Hæc porro formido vel nihil eſt, quàm cognitio, qua is, qui iudicat rem eſſe licitam, cognoſcit eſſe aliquod argumentum pro parte contraria; vel nihil aliud eſt, quàm aliqua apparentia veritatis pro parte contraria, quæ tamen apparentia non vehementer impellit ad aſſenſum; cùm vincatur à præponderantia motivi oppoſiti, vi cuius operans reſolvit dubium, & iudicavit, rem

Digitized by Google

eſſe licitam. Et quamvis hoc iudicium determinatum non ſit firmum eâ firmitate, quæ excludat cognitionem affirmantem, poſſe illi ſubeſſe falſum, ſicut illam excludit iudicium Fidei divinæ, vel iudicium evidens; eſt tamen firmum eâ firmitate, quæ excludit vacillationem, anxietatem, & dubitationem. Unde quando fundamentum partis minùs tutæ apparet operanti ſenſibiliter, & manifeſtè veriſimilius fundamento partis oppoſitæ, iam apud ipſum, ſeu reſpectu illius fundamentum partis tutioris apparet leve, & tamquam ſcrupulus poteſt contemni, nec in ſenſu compoſito huius iudicii poteſt ſuſpicari, adeſſe malitiam in illa parte, quam ſequitur, ſeu in illa re, quam facit ex illo iudicio probabili: nam ut ex Tullio definit D. Thomas 2.2. quæſt. 60. art. 3. *Suſpicio importat opinionem mali ex levibus indiciis procedentem.* Qui autem ob fundamenta clarè præeminentia iudicat, contractum, quem vult facere, eſſe licitum, non poteſt in ſenſu compoſito huius iudicii opinari, contractum illum eſſe malum; ac proinde non poteſt ſuſpicari in eo eſſe malitiam: ſed ſolùm poteſt reflexè iudicare, illud ſuum iudicium de honeſtate contractûs non eſſe infallibile, ſed poſſe contingere, ut reipsâ ſit falſum.

39. In ſententia Doctorum aſſerentium, poſſe intellectum aſſentiri uni parti ut veræ, quamvis oppoſita in actu primo appareat illi æquè veriſimilis; fateor non ſufficere iudicium probabile de honeſtate objecti ad licitè operandum: quia tunc intellectus in iudicando ſequitur potiùs imperium, & impulſum voluntatis, quàm vim rationis; & ita iudicat contractum v. g. eſſe honeſtum, ut habeat potentiam proximam antecedentem, ad iudicandum in ſenſu diviſo, eſſe turpem. Non exercet autem licitè contractum homo in inſtanti, in quo habet potentiam proximam antecedentem ad iudicandum eum eſſe turpem; licet non iudicet eſſe turpem, quia non vult hoc iudicare, ſed potiùs vult iudicare eſſe honeſtum. At quando ita iudicat illum contractum eſſe honeſtum, ut non potuerit in ſenſu diviſo iudicare oppoſitum (quia videt pro honeſtate adeſſe fundamenta clarè præeminentia fundamentis oppoſitæ partis, & quæ partem illam benignam reddunt clarè probabiliorem oppoſitâ) tunc iudicium probabile de honeſtate contractûs, ſufficit ad ſecuritatem conſcientiæ: quia altera pars non manet abſolutè probabilis reſpectu operantis; ſiquidem illam non poteſt approbare per aſſenſum: licet reflexè cognoſcat, illam partem probari viris probis, & ſapientibus; & abſolutè eſſe in ſe probabilem.

40. Et pro maiori intelligentia noto ex Caietano, tom. 1. Opuſculorum tract. 31. qui eſt decimus ſeptimus Reſponſionum, Reſponſ. 13. Quæſit. ultim. formidinem, atque hæſitationem contingere, vel ex parte appetitûs, ut in ſcrupuloſis, qui illic trepidare ſolent, ubi non erat trepidandum; vel ex parte intellectûs, qui propter varias rationes poteſt fluctuare, & dubitare. Et hoc ſuppoſito, dico, quòd quando in actu primo apparet pro parte benigna ratio clarè præeminens, & vi illius intellectus iudicat, rem illam eſſe licitam, poſſe hominem repellere tamquam ſcrupulum, formidinem partis oppoſitæ: quia reſpectu illius ratio partis oppoſitæ non urget, nec vehementer impellit ad aſſenſum; ſed vincitur, & quaſi abſorbetur à ratione trahente ad aſſenſum de honeſtate actionis.

§. VII.

Quintum Caput idem probandi.

Quia Doctor Theologus interrogatus, an aliquis contractus ſit licitus, poteſt reſpondere ſecundùm ſententiam minùs tutam, ſi videat illam autoritate, & ratione eſſe probabiliorem, & ideo illam judicet veram, licet hoc judicium ſit merè opinativum. Si autem ei licet ſecundùm minùs tutam, quando eſt magis probabilis, reſpondere, etiam licebit ſecundùm eandem operari.

41. POnamus mercatorem volentem celebrare aliquem contractum, ex quo ſperat magnum lucrum,

crum, ex ſincero deſiderio non offendendi Deum, conſulere magnum aliquem Magiſtrum, & ab illo inquirere, an ille contractus ſit licitus? Magiſtrum verò diligenter rem examinare, & poſt accuratum examen deprehendere, illum contractum eſſe licitum, licet viri graves doceant oppoſitum; ipſum verò ex ſincero deſiderio conſilium dandi iuxta ſententiam veram, expendere utriuſque partis fundamenta, & invenire pro illa parte benigna, ſenſibiliter maiora, & urgentiora argumenta; quamvis illa non excedant limites probabilitatis: & apud ſe prudenter iudicare, illum contractum eſſe ſecundùm ſe licitum. Hoc poſito ſic argumentor. Certum eſt, hunc Doctorem poſſe Mercatori interroganti reſpondere, illum contractum eſſe ſecundùm ſe licitum: ergo etiam licebit eidem Magiſtro illum contractum exercere; quod enim licitè docet eſſe licitum, cur non poterit licitè ipſe facere? Ergo certum videtur, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs tutam, quando authoritate, & ratione eſt ſenſibiliter probabilior; quamvis non ſit certa, certitudine excludente omnem formidinem.

42. Quòd verò huic Doctori tunc liceat ſic reſpondere, ſuadetur: nam ut ſapienter inquit P. Michaël de Elizalde in opere de Forma Veræ Religionis quęrendæ, & inveniendæ, pag. 73. n. 117. *Omnes Magiſtros peccare graviter, ſi vera, aut veris magis ſimilia non tradant, jam pridem, & ritè expreſſerat Cajetanus. Idem eſt, ſi in quærendo diligentiam non adhibeant, ſi incerta pro certis, ſi non examinata pro exploratis reddant. Niſi enim pecora, & fundi pluris ſint, quàm mens, quàm doctrina, & veritas, iis obligationibus tenentur Magiſtri, quibus communis, & nota cauſarum ſententia Judices obſtringit; produnt quippe alioqui juventutem, produnt hominum principem partem, mentem, produnt rempublicam, & ex ſcholæ erroribus multa deinceps, & magna prę-judicia in mores, in leges, in patriam, in Religionem, & in Fidem derivantur. Equidem graviùs me peccaturum crederem, ſi hìc mentirer, magiſque præjudicare, quàm ſi furarer Carolinos decem.* Ita ille.

43. Quæ doctrina veriſſima eſt. Magiſtri enim, & illi omnes, ad quos ex officio pertinet alios docere, *tenentur docere vera*; id eſt, ea quæ vera ab ipſis judicantur, quia veriſimiliora ſunt. Illi verò, ad quos ex officio non pertinet, tenentur non docere falſa, decipiendo: ut cum Thoma Sanchez lib. 1. Sum. caſ. 9. num. 26. docet Fragoſus lib. 4. de Republica diſput. 10. num. 203. pag. 425. tom. 1. Et ut probat M. Soto in 4. diſt. 18. quæſt. 2. art. 5. ad 5. peccat Doctor, qui conſultus in aliquo dubio, reſpondet ſecundùm aliorum opinionem, quam judicat falſam, contra propriam, quam cenſet veram; & tenetur ad reſtitutionem, ſi proximus ex ejus conſilio patiatur damnum. Quod confirmo, quia ſi (ut inquit D. Thomas 2.2. quæſt. 60. art. 4. ad 2.) *Unuſquiſque debet niti ad hoc, quòd de rebus judicet prout ſunt; quia Verum eſt bonum intellectûs, Falſum autem eſt malum ipſius, ut dicitur 6. Ethic.* à fortiori tenebuntur Magiſtri eniti ad docendam veritatem.

44. Jam verò (hanc doctrinam præſenti caſui ut applicem) certum eſt, illum Doctorem, qui cenſet contractum eſſe licitum, quia hæc pars eſt probabilior authoritate, & ratione, non poſſe reſpondere, eum contractum eſſe illicitum; quia traderet doctrinam, quam iudicat falſam: ergo vel nihil debet reſpondere, vel ſi reſpondet, debet aperire veritatem, aſſerendo, illum contractum eſſe licitum. At certum eſt, illum non obligari ad tacendum, ſed potiùs laudabiliter agere inſtruendo conſulentem, & illuminando ignorantem, & veritatem illi aperiendo. Ergo certum eſt, poſſe licitè, & honeſtè reſpondere, illum contractum eſſe honeſtum, quamvis non ſit omnino certus de honeſtate contractûs; ſed ſolùm probabiliter, & prudenter iudicet, contractum illum eſſe honeſtum. Ergo ſi illi Doctori occurrerit tunc occaſio exercendi illum contractum, licitè illum poterit exercere. Cur enim non poterit facere licitè id, quod honeſtè, & laudabiliter docet eſſe ſecundùm ſe licitum, ac proinde eſſe licitum omnibus? Rurſus: Ergo ſi doctrina huius Doctoris habeat

in

Digitized by Google

in mente Mercatoris eundem ſtatum, quem habet in mente ipſius, poterit etiam ille Mercator ſecundùm eam operari licitè: quia nimirum videt illam partem eſſe probabiliorem authoritate, & ratione,& ab eo iudicatur vera. Illudque iudicium eſt prudens; ſiquidem in eo formando ſe conformat cum iudicio tot virorum ſapientium. Si illa pars favens eius libertati appareret ipſi veriſimilior ob aliquod fundamentum ab ipſo ſolo excogitatum, poſſet præſumere, id provenire vel ex ignorantia ſua, vel ex amore proprio: at quando videt fundamentum, quo ad id iudicandum pertrahitur, moviſſe tot viros probos, & ſapientes (numero, & qualitate maiores, quàm ſint Authores ſententiæ contrariæ) ad iudicandum illum contractum eſſe licitum, non poteſt hoc prudenter præſumere; ſed potiùs iudicare poteſt, illud ſuum iudicium eſſe prudenter conceptum, & eo ſe reddi in conſcientia ſecurum.

§. VIII.

Sextum Caput idem probandi.

Quia ſi non licet ſequi opinionem minùs tutam, manentem intra limites ſolius probabilitatis, etiamſi illa ſit evidenter probabilior oppoſitâ, redditur inutile ſtudium Theologiæ moralis.

45. PRobatur ſequela: quia hoc ipſo, quòd res ſit controverſa, & dentur Doctores pro parte tutiore, illam defendentes ut veram, numquam quis poterit amplexari ſententiam minùs tutam: ergo fruſtra Doctores defendunt ſententias minùs tutas, & argumentis contendunt eſſe veras: quia quamvis ſuis argumentis obtineant, ut ſua paſſim ſententia appareat probabilior oppoſitâ, raró tamen obtinere poterunt, ea ut appareat evidenter vera. Ergo fruſtra laborant in ſuadendis ſententiis, quando non afferunt argumentum, quod omnibus videri poſſit demonſtrativum: dum enim hoc non obtinent, non conſequuntur finem, quem intendunt, nempe perſuadere, quòd talis, vel talis res ſit licita. Et quamvis rationes, quas adducunt pro ſua ſententia, videantur ipſis convincentes, non tamen ſibi perſuadent fore, ut videantur convincentes aliis communiter: imprudens enim eſſet Doctor, qui cenſeret ſua fundamenta æqualis ponderis fore apud alios, ac apud ſe. Unde nullus Doctor poterit laudabiliter ſententiam benignam defendere, niſi ea afferat argumenta, quæ meritò demonſtrativa cenſeri poſſint, & ſententiam oppoſitam improbabilem abſolutè reddant.

46. Confirmatur: quia hoc ipſo omnis conſultatio de re controverſa, an ſit licita, necne, eſſet omnino inutilis. Nam qui virum doctum conſulit, an ſit licitus aliquis contractus, iam ſupponit, partem tutiorem eſſe, abſtinere ab illo contractu. Ergo ſi ſemper tenemur ſequi partem tutiorem, quando pars benigna non eſt certa, nemo poterit conſulere virum doctum in re, quam ſcit eſſe controverſam: quia hoc ipſo novit, partem benignam non eſſe certam; ac proinde ſupponere debet, non eſſe ſibi licitam; nec poteſt prudenter ſperare, quòd Doctor quem conſulit, poſſit illam reddere certam.

§. IX.

Septimum Caput idem probandi.

Quia ſi nemo poſſet ſequi ſententiam faventem libertati, ſeu affirmantem, rem eſſe licitam, quin priùs omnino certificaretur de ipſius veritate, ſequeretur, quòd in omni quæſtione controverſa inter Doctores Catholicos, tenerentur communiter homines ſequi partem tutiorem. Quod foret onus nimis grave, & ſupra hominum fragilitatem.

47. SEquela probatur: quia ut definit Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. in Contritione, & Attritione, quæ eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ, includitur, ſaltem virtualiter, propoſitum efficax non peccandi mortaliter de cætero: ergo ſi ſit peccatum mortale ſequi ſenten-

ten-

Digitized by Google

tentiam faventem libertati, ſine omnimoda certitudine de ipſius veritate, ſeu niſi operans ſine ulla formidine iudicet illam eſſe veram, propoſitum efficax non peccandi de cætero, debet eſſe propoſitum, numquam ſequendi ſententiam faventem libertati, quin priùs habeatur omnimoda certitudo de ipſius veritate. Ergo pœnitens, qui tenuerit illam doctrinam rigidiſſimam, eique aſſenſum præbuerit, non poterit accedere ad Sacramentum Pœnitentiæ cum debita diſpoſitione, niſi habeat propoſitum efficax ſequendi in omni controverſia morum, partem tutiorem ſtantem pro præcepto, ſub conditione, quòd pro parte minùs tuta, ſtante pro libertate non inveniat argumentum, quo convincatur, ſeu quo inducatur ad iudicandum, rem illam eſſe licitam aſſenſu adeo firmo, ut ex ſe excludat omnem formidinem partis oppoſitæ: id quod ſine argumento evidenti obtineri non poteſt. Et cùm in his controverſiis moralibus, in quibus dantur opiniones Doctorum probabiles inter ſe contrariæ, difficillimum, & penè moraliter impoſſibile ſit, invenire argumentum evidens, quo intellectus convincatur, quòd res illa ſit licita; fit conſequens, ut qui tenuerit illam ſententiam rigidiſſimam, maneat obligatus ad ſemper ſequendam partem tutiorem. Hæc autem obligatio ſemper ſequendi tutiora, nec congruit bonitati divinæ, nec fragilitati humanæ; affertque ſecum onus nimis grave, & ultra humanam conditionem.

48. Hinc enim fiet, ut homo, qui commiſit peccatum mortale, teneatur ſtatim conteri de illo. Nam ut inquit P. Suarez diſput. 15. de Pœnitentia ſect. 5. num. 1. *Fuit gravium Doctorum opinio, hanc obligationem ſtatim oriri, ac homo peccavit*: & pro ea citat Guillelmum Pariſienſem, Tho. Argentinatem, Paludanum, D. Bonaventuram, & aliquos alios. Imò hinc fiet, teneri, quàm primùm ſe offerat occaſio, ſacramentaliter de illo confiteri: ut docent apud eundem Suarez diſput. 35. de Pœnitentia ſect. 3. num. 1. Guillelmus Pariſienſis, Alexander Alenſis, S. Bonaventura, & graves Doctores Canoniſtæ citati à Covarruvia in cap. *Alma mater*. parc. 1. §. 2. num. 6. & Hugo de Sancto Victore, quem pro hac ſententia ſimul cum S. Bonaventura citat S. Antoninus 1. part. tit. 3. cap. 10. §. 10. Quamvis enim ſententia oppoſita ſit communior, & probabilior cum D. Thoma, tamen non datur argumentum demonſtrans eius veritatem, vi cuius is, qui commiſit peccatum mortale, certus reddatur, ſe non teneri illud ſtatim confiteri, imò nec de illo ſtatim conteri. Ergo ſi habet obligationem ſequendi ſententiam tutiorem ſub conditione, quòd non certificetur de veritate ſententiæ minùs tutæ, tenebitur ſtatim conteri de peccato commiſſo, & illud confiteri cùm primùm habuerit copiam Confeſſarii; cùm hoc ſit tutius. Imò poſt obtentam remiſſionem, tenebitur conteri de illo, quoties memoriæ occurrerit: quia de hoc datur opinio gravium Doctorum.

49. Deinde is, qui rem poſſidet ex vi opinionis probabilioris, quòd res ad ipſum pertineat, tenebitur illam reſtituere: quia non eſt certus eſſe ſuam; & tutius eſt reſtitutionem facere. Ponamus illum hoc ſcrupulo tactum hoc facere. At ob eandem rationem ille, cui reſtituitur, tenebitur illam rem iterum reddere reſtitutori, quia certus non eſt eſſe ſuam. Et iſte de novo tenebitur illam non accipere. Ita ex iſta ſententia rigida ſequitur æternus circulus reſtitutionum.

50. Quare Authores iſti rigidi imponunt ſuper homines obligationem obſervatu impoſſibilem. Dum enim homines obligant ad non ſequendam partem minùs tutam, ſine omnimoda certitudine de eius veritate; hoc ipſo dicunt in propoſito efficaci de cætero non peccandi imbibito in contritione, quæ eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ, contineri virtualiter propoſitum efficax ſequendi ſemper partem tutiorem, ſive certam, ſive incertam, ut probatum manet. Hinc autem fit, Authores iſtos rigidiſſimos non poſſe pœnitentes ad ſe accedentes abſolvere: cùm certò ſciant, vix unum è multis millibus afferre propoſitum tam arduum faciendi ſemper id, quod tutius eſt; & aliunde teneantur fateri, pro-

propoſitum iſtud eſsentialiter ad valorem Sacramenti requiri. Unde cæteros omnes Confeſsarios, atque pœnitentes, adeoque uniuerſam Eccleſiam damnare debent, & Sacramentum Pœnitentiæ carnificinam conſcientiæ facere longè intolerabiliorem, quàm calumniabantur Hæretici à Tridentino damnati Seſ. 14. cap. 5. & can. 8.

51. Quapropter meritò Gerſon. lib. 4. de Vita ſpirit. lect. 4. corollar. 10. dixit, *nimiam in opinionibus rigiditatem plus fidelium animabus nocere, quàm prodeſſe*. Et ideo monet Eccleſiaſtes cap. 7. verſ. 7. *Noli eſſe juſtus multùm, neque plus ſapias, quàm neceſſe eſt, ne obſtupeſcas*. Hoc eſt, ne in continuo inevitabilium timorum occurſu, ſemper certitudinem quæritans, in ſtupiditatem incidas. Unde Chriſtus Dominus Mat. 23. v. 4. nimium rigorem Scribarum, & Phariſæorum reprehendens, inquit: *Alligant onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum*. Quænam autem eſsent hæc onera, explicat Cornelius à Lapide ad hunc locum: *Talia erant*, ait, *rigidæ leges interpretationes, ac inſuper plurima alia, quæ præter legem ipſi præcipiebant Populo, circa oblationes, decimas, primitias &c. quæ ipſi rigidiſſimè à Populo exigebant*. Tum notat, adeo Sabbatum obſervari præcepiſſe, *ut nec Chriſtum ægros curare, nec famelicos ejus diſcipulos ſpicas vellere, & comedere permitterent*. Sicuti autem Scribæ, & Phariſæi interpretationibus ſuis rigidiſſimis, legem Dei à Moyſe traditam, longè graviorem, ac humano modo importabilem reddiderunt: ita videntur facere, qui à regula conſcientiæ omnem opinionem probabilem faventem libertati excludunt, requirentes omnimodam certitudinem de veritate ſententiæ benignæ, ut quis illam poſſit ſequi.

§. X.

Octavum Caput idem probandi ex regula Juris:

Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius.

52. NOſtra, communiſque ſententia valde fulcitur ex illo principio Syndereſis, quod exprimitur in Regula 45. Juris in ſexto: *Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit*: ideſt, quod probabilius eſt. Quod principium habetur etiam in Jure civili, nimirum in lege, *In obſcuris inſpicimus ff. eodem titulo. l. Evidens abeſt ff. de ædilit. edict. l. Eum qui probabilem Cod. Epiſc. & Cler. l. Ideò quia ff. de legibus. l. idem cum eodem, in fine ff. de Juriſdictione omn. judic. l. Æmilius ff. de minor. l. Pater ff. de evict. §. item pretium: Inſtit. de empt. & vendit. cap. Capellanus de feriis. Clement. unic. §. fin. de Summa Trinit. & fide Cathol. &c.* Quibus locis non præcipitur univerſim id, quod veriſimilius, atque certius eſt, ſed permittitur ut licitum, quia pro vero habetur, licet ſit minùs tutum, & quandoque falſum. Nam neque prohibetur tutius, quod ſit minùs veriſimile; neque præcipitur veriſimilius, quod ſit minùs tutum: ſed vetatur id, quod ſimul eſt minùs tutum, & minùs veriſimile.

53. Hoc notato, dicendum eſt confidenter; regulam prædictam adeò univerſalem, & perſpicuam eſſe ex vtroque Jure, ex Doctorum conſenſu, Judicum ac Tribunalium praxi, ipſoque lumine naturali, ut pro principio in Juriſprudentia, & Morali Theologia, ac Philoſophia haberi debeat. Ex hoc autem apertè deducitur, in utroque foro licitum eſſe ſequi id, quod abſolutè omnibus maturè conſideratis probabilius eſt, & ſenſibiliter apparet eſſe veriſimilius; ut planè demonſtrant ea, qua eruditè congerit Fagnanus in ſuo Tract. de uſu Opinionum Probabilium ad caput *Ne innitaris* de Conſtitutionibus, à n. 273. ad 285. Nam præter malum eventum diligentiſſimè fugiendum in iis, quæ ſunt neceſſaria neceſ-

ceſſitate medii, duo ſunt mala ſedulò vitanda in iis, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate ſolius præcepti; unum intellectûs, & alterum voluntatis; nempe falſitas, & malitia materialis. Unde quando una pars eſt ſimul tutior, & veriſimilior, eam ſequi neceſſe eſt neceſſitate præcepti, quia longiùs abeſt ab utroque malo; & pars contraria utrique malo magis obnoxia eſt. At quando una pars eſt quidem tutior, ceterùm oppoſita eſt ſenſibiliter, & clarè probabilior, ſeu veriſimilior; conſilium quidem eſt tutiorem ſequi ad evitandum omne periculum, etiam remotum, tranſgreſſionis materialis legis divinæ; at non eſt preceptum: quia licet illa pars ſit tutior à malitia, etiam materiali, non eſt tamen tutior à falſitate; ſed ei magis expoſita: ac proindè non tutior à falſitate ſimul, & malitia materiali. Et ſicut Jura dicunt in dubio amplectendum eſſe id, quod tutius eſt, ita interdum quod certius, quod verius, quod veriſimilius. Ergo in Jure id dicendum eſt tutius, quod vel à falſitate, vel à materiali malitia longiùs abeſt: id verò dicendum eſt intutum, quod propiùs accedit ad utrumque malum collectivè. *Nam in omnibus noſtris actionibus ſpectare debemus verum, & rectum*; ut dicitur l. 1. ff. de Juſtitia, & Jure: & ut ajebat S. Thomas 2. 2. q. 60. ar. 4. ad 2. *Unuſquique debet niti ad hoc, quòd de rebus judicet. ſecundùm quòd ſunt*. Rationem dederat: *Quia verum eſt bonum intellectûs; Falſum autem eſt malum ipſius.* Unde Leges, & Canones numquam in dubio eligunt partem minùs tutam, & minùs probabilem: ſed vel veriſimiliorem, vel tutiorem, ſaltem negativè, id eſt non minùs tutam.

§. XI.

Regulam illam Juris; Reſpicimus in obſcuris, quod veriſimilius eſt: *intelligendam eſſe de dubiis rerum, non de dubiis perſonarum.*

54. NOtandum eſt autem, Regulam illam Juris 45. *Reſpicimus in obſcuris, quod veriſimilius eſt*; intelligendam eſſe de dubiis rerum non de dubiis perſonarum: quando ſcilicet dubitatur, an aliqua perſona ſit innocens, vel non ſit innocens in aliquo delicto, & adſunt indicia, quæ rem faciunt dubiam; nam in dubiis de innocentia, vel delicto hominum *dubia ſunt in meliorem partem interpretanda*. Ita ad judicandum, aliquem hominem eſſe reum, non ſufficit quòd ſit veriſimile, illum commiſiſſe delictum, ſed debet de veritate manifeſtè conſtare. Tractat hoc punctum egregiè S. Thomas 2. 2. qu. 60. ar. 4. in quo quærit; *Utrùm dubia ſint in meliorem partem interpretanda*: & reſolvit, quòd *dubia indicia de malitia alterius, ſemper ſunt in meliorem partem interpretanda*. Redditque rationem in corp. articuli; quia *Hoc ipſo, quòd aliquis habet malam opinionem de aliquo abſque ſufficienti cauſa, iniuriatur ei* (id eſt iniuriam ei infert) *& contemnit ipſum: nullus autem debet alium contemnere, vel nocumentum quodcumque inferre, abſque cauſa cogente. Et ideò ubi non apparent manifeſta indicia de malitia alicujus, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando, quod dubium eſt.*

55. Hæc S. Thomas. Quare veriſimilitudo delicti non eſt cauſa ſufficiens, ut judicemus proximum commiſiſſe delictum; quia non eſt cauſa cogens. Et in hujus rei explicationem affert auream doctrinam ibidem ad 2. *Dicendum* (inquit) *quòd aliud eſt judicare de rebus, & aliud de hominibus. In judicio enim, in quo de rebus judicamus, non attenditur bonum, vel malum ex parte ipſius rei, de qua judicamus, cui nihil nocet qualitercumque judicemus de ipſa; ſed attenditur ibi ſolum bonum judicantis, ſi verè judicet; vel malum, ſi falsò: quia Verum eſt bonum intellectûs, Falſum autem eſt malum ipſius, ut dicitur in 6. Ethi. Et ideo unuſquiſque debet niti ad hoc, quòd de rebus judicet, ſecundùm quod ſunt. Sed in judicio, quo judicamus de hominibus, præcipuè attenditur bonum, & malum ex parte ejus, de quo judicatur: qui in hoc ipſo honorabilis habetur, quòd bonus judicatur; & contemptibilis, ſi judicetur malus. Et ideo ad hoc potiùs tendere debemus in tali judicio, quòd hominem judice-*

cemus bonum, niſi manifeſta ratio in contrarium appareat. Ipſi autem homini judicanti, falſum judicium, quo bene judicat de alio, non pertinet ad malum intellectûs ipſius (ſicut nec ad ejus perfectionem pertinet, ſecundum ſe cognoſcere veritatem ſingularium contingentium) ſed magis pertinet ad bonum affectum. Hactenus Sanctus Thomas.

56. Et quamvis periculum ſit, quòd homo fallatur, dum judicat eſſe bonum proximum ſuum, de quo veriſimile eſt eſſe malum; hoc periculum contemnendum eſt, ad evitandum aliud majus: cùm ratio evidens dictet, ex duobus malis minus eſſe eligendum. Dum enim ſumus in dubio, an proximus ſit malus, ſeu an hoc, vel illud crimen commiſerit; ſumus in periculo, vel erroris, vel iniuſtitiæ: & erroris quidem, in non pertinentibus ad perfectionem eſſentialem, nec principalem intellectûs, ſcilicet in ſingularibus contingentibus, ut nuper aiebat D. Thomas. Rurſus, in periculo, vel habendi nocentem pro innocenti, vel contra. In hoc autem periculo minus malum, & tutior pars eſt, falli, & nocentem fortè habere pro innocenti; quàm iniuriam facere alteri, habendo innocentem pro nocente, & criminoſo. Et ideo quamvis poſſit contingere, ut ille, qui in melius interpretatur, frequenter fallatur, tamen (ut ait D. Thomas eo art. 4. ad 1.) *Melius eſt, quòd aliquis frequenter fallatur, habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quàm quòd rariùs fallatur, habens malam opinionem de aliquo bono homine; quia ex hoc fit iniuria alicui, non autem ex primo.* Quæ verba dixit S. Thomas, reſpondens primo argumento, quo, dubia non eſſe in meliorem partem interpretanda, contendebatur hoc modo: *Judicium magis debet eſſe de eo, quod in pluribus accidit; ſed in pluribus accidit, quòd aliqui malè agant: quia ſtultorum infinitus eſt numerus, ut dicit Eccl. 1. Proni enim ſunt ſenſus hominis ab adoleſcentia ſua, ut dicitur Gen. 8. Ergo dubia magis debemus interpretari in malum, quàm in bonum.* Huic argumento præbuit D. Thomas reſponſionem datam; nimirum melius eſſe, ſeu potiùs minùs malum; quòd quis frequenter fallatur in ſuo judicio habens bonam opinionem de homine malo (quia in hoc nulli infert iniuriam) quàm quòd aliquando alicui faciat iniuriam, habendo malam opinionem de homine bono.

57. Alia itaque eſt ratio in judicio ferendo de perſonis, habendo illas pro bonis, vel malis, ac in judicio ferendo de rebus, an ſint veræ, vel falſæ. Atque adeo illa Regula, *Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius*, non intelligitur, quando dubium eſt circa perſonas, an ſint malæ, vel bonæ; ſed circa res, an ſint veræ, vel falſæ. In judicio enim ferendo de rebus, poteſt prudenter voluntas imperare aſſenſum de parte illa, quæ poſt diligentem veritatis inquiſitionem apparet ſimpliciter, & abſolutè veriſimilior; nec poteſt prudenter imperare aſſenſum de parte minùs veriſimili. At quando diſputatur v. g. an aliquis contractus ſit illicitus, vel honeſtus, non eſt dubium de perſonis, ſed de rebus, an ſint veræ, vel falſæ: ergo ſi poſt diligentem veritatis inquiſitionem, citra culpam apparet veriſimilius, quòd contractus ſit honeſtus, poteſt voluntas prudenter imperare intellectui, ut judicet eſſe honeſtum; nec prudenter poteſt imperare, ut judicet eſſe illicitum. At unicuique licitum eſt facere, quod prudenter judicat eſſe honeſtum. Ergo licitum eſt ſequi ſententiam minùs tutam, quando ſenſibiliter eſt veriſimilior.

§. XII.

An, quando veriſimilius eſt hominem eſſe malum, quàm eſſe innocentem, poſſit quis licitè judicare, illum eſſe malum.

58. Dubitari poſſet, an, quando veriſimilius eſt ſimpliciter, & abſolutè, hominem eſſe malum, & criminoſum, quàm eſſe innocentem, poſſit intellectus judicare eſſe innocentem: quia cum tendat ſub ratione veri, non videtur poſſe flecti à voluntate, ut judicet verum id, quod in actu primo apparet illi minùs veriſimile. S. Thomas vide-

videtur ſatis clarè in illo articulo docuiſſe partem affirmantem. Sed quidquid ſit, an poſſit phyſicè flecti ad ſic judicandum; certum eſt, quòd ex ſuppoſitione quòd hoc ſit poſſibile phyſicè, poteſt voluntas ſanctè imperare aſſenſum de innocentia; & non poteſt imperare aſſenſum de commiſſo crimine, quamvis id ſit antecedenter æquè, vel magis veriſimile. Conſtat per rationem adductam à D. Thoma: quia proximus habet jus, ne judicetur malus, niſi probationes malitiæ ſint convincentes, propter evidentiam indiciorum. Unde ſaltem tunc tenetur quis ſuſpendere aſſenſum internum, & externè ſe gerere cum proximo ac ſi nullam habuiſſet notitiam de crimine ipſius; ac perinde tenetur dubium illud, an proximus ſit nocens, vel innocens, interpretari in bonam partem, ſeu in favorem proximi. At dum non dubitatur, an perſona ſit mala; ſed dubitatur, an aliqua res ſit mala, v. g. aliquis contractus; & antecedenter eſt veriſimilius, illum contractum eſſe malum; certiſſimum eſt, poſſe prudenter voluntatem imperare aſſenſum illius partis: at non poſſe prudenter imperare, quando id eſt antecedenter minùs veriſimile; poſse verò prudenter tunc imperare aſsenſum partis oppoſitæ: quia illi proponitur antecedenter, ut magis veriſimilis. Nam tunc ſolùm attenditur bonum, vel malum judicantis: bonum autem ejus eſt, non falli, & malum eſt, falli, in judicando de contractu, an ſit, vel non ſit licitus.

§. XIII.

Alia Capita probandi, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs tutam, quando illa citra omnem culpam apparet manifeſtè, & clarè veriſimilior oppoſitâ.

59. Communis ſententiæ benignitas, affirmans ſufficere ad ſecuritatem conſcientiæ judicium probabile conceptum ob motiva gravia, & urgentia, quamvis inevidentia, quæ in mente ejus, qui illud judicium fert, clarè præemineant motivis partis contrariæ (ut ait P. Junius de Conſc. ſect. 3. cap. 8. n. 8.) *conſonat, & contrarius rigor diſſonare videtur, primò fragilitati conditionis humanæ; ſecundò Divinæ providentiæ ſuavitati; tertiò Sacris Literis; quartò Sanctis Patribus; quintò communi perſuaſioni, uſui, & Catholicorum omnium doctrinæ; ſextò ſapientum Gentilium, & omnium ferè gentium ſenſui; ſeptimò ipſiſmet adverſariis.* Quæ per multa capita uſè proſequitur.

60. Rigorem ſententiæ oppoſitę diſſonare fragilitati conditionis humanæ ſatis demonſtratum eſt §. Nono. Diſſonare verò Divinæ providentiæ benignitati (*quæ diſponit omnia ſuaviter* Sap. 8.) ſuadetur ex illis Chriſti verbis Matt. 11. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*: item ex illo 1. Joan. 5. 3. *Mandata ejus gravia non ſunt.* Et ex illo Pſal. 118. v. 76. *Latum mandatum tuum nimis.* Et propterea ipſe David ibi v. 60. dicebat *Paratus ſum, & non ſum turbatus: ut cuſtodiam mandata tua.* Suadetur etiam ex illo Deuteron. 17. v. 8. *Si difficile, & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris ... intèr lepram, & lepram... ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore: quæreſque ab eis; qui judicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quæcumque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus; ſequeriſque ſententiam eorum.* Licet enim hic locus in rigore procedat de ſupremo Eccleſiæ Judice, poteſt tamen cum proportione intelligi etiam de Sacerdotibus & Paſtoribus, ac Doctoribus privatis; quamvis illi non ſint regula infallibilis. Ergo ſi quis dubitans, an aliquid ſit lege divina prohibitum, ex vero, & efficaci deſiderio non offendendi Deum, conſulat inſignes Magiſtros ac Doctores, de quibus præſumere non poteſt, quòd ob paſſionem, vel defectum ſtudii erraverint; & videat plures, & graviores affirmare rem eſse licitam, & fundamenta afferre, quibus vehementiùs impellatur ad aſsenſum illius partis: & ipſe motus authoritate, & rationibus ab illis adducendum-

ductis, ferat judicium determinatum merè probabile cum aliqua formidine partis oppoſitæ, poterit ſecundùm illud operari ſine peccato, quia tunc prudenter agit. Quare ſi contingat illud judicium eſſe falſum, ille ex ſua conſcientia abſolvetur: ſicut enim conſcientia *erronea non abſolvit, quando in ipſo errore peccatur*, ut inquit *D.Thomas* qu.17. de verit. ar.3. ad 4. ita conſcientia erronea abſolvit, quando ipſe error eſt inculpabilis. Unde ut refert P. Cornelius à Lapide in Prolegomenis ad Eccleſiaſticum pag. 32. Sanctus Doctor morti propinquus rogatus à Monachis Ciſtercienſibus Foſsæ Novæ, quomodo hæc vita ſine errore, & lapſu tranſigi poſset, reſpondit: *Si in qualibet actione quis ita agat, ut rationem reddere poſſit, cur ita agat: ſic enim non ſinet ſe tranſverſum agi à cupiditate, paſſione, caſu, aliave re, quæ illum in errorem inducat.*

61. Ex qua doctrina conſtat, non peccare eum, qui ſequitur ſententiam faventem libertati, quia videt pro illa militare magnum pondus authoritatis, & rationis, ob quod ipſe prudenter judicat, rem illam eſſe licitam, & judicare non potuit eſſe illicitam: non enim poteſt à Deo obligari pluſquam ad prudenter agendum, eſtque duriſſimum aſſerere, quòd Deus voluerit obligare homines ad abſtinendum ab executione rei, quamdiu prudenter judicant eſſe licitam, & judicare non potuerunt eſſe illicitam. Quare formido partis oppoſitæ poteſt tunc repelli tamquam merus ſcrupulus: quia illa ratio evidenter minor, neque tunc poteſt movere ad judicandum, rem illam eſſe malam; nec obligat ad ſuſpendendum judicium, & dubitandum: ac proinde tunc homo non operatur in dubio.

62. Eſtque hæc communis doctrina conformis utrique Juri, Canonico, & Civili: Leges enim, & Canones numquam obligant ad partem tutiorem, niſi quando illa eſt probabilior, vel ſaltem æquè probabilis. Quando autem pars minùs tuta eſt manifeſtè probabilior, & pro illa eſt præſumptio veritatis, non cogunt Jura ad abſtinendum ab illa. Leges enim debent eſſe humanæ, & benignæ; & Eccleſia cùm ſit Mater, non debet cuiquam laqueum iniicere, vel onus importabile imponere.

63. Undè S. Ambroſius, cujus teſtimonium, & dictum ſapientiſſimum approbat Eccleſia in ſecundo Nocturno Dominicæ primæ Auguſti, exponens Pſalmum 118. Ser.5. ſic ſcribit. *Et quid de Judæis dico? Sunt etiam in nobis, qui habent timorem Dei, ſed non ſecundùm ſcientiam; ſtatuentes duriora præcepta, quæ non poſſit humana conditio ſuſtinere. Timor in eo eſt, quia videntur ſibi conſulere diſciplinæ, opus virtutis exigere; ſed inſcitia in eo eſt, quia non compatiuntur naturæ, non æſtimant poſſibilitatem.* Unde eſt illa regula 6. Juris: *Nemo poteſt ad impoſſibile obligari.*

64. Hinc Gloſſa exponens regulam 30. Juris in Sexto: *In obſcuris minimum eſt ſequendum*: dicit, *Circa hanc regulam, nota, quòd in obſcuris non ſtatim inſpicimus, quod eſt minimum; imò inſpicimus primò quod eſt veriſimilius, & quod plerumque conſuevit fieri... Et ſi hoc ſciri non poteſt, tunc inſpicimus quod eſt minimum.* Quia videlicet ſecundùm Leges citatas à P. Scildere tract.3. num. 117. *Præſumenda eſt quàm minima obligatio in promiſſore, contrahente, ſubdito, atque reo.* Quare homo nequit obligari ex vi opinionis affirmantis rem eſſe prohibitam, ſi ipſe prudenter judicat eſſe falſam, ex vi opinionis contrariæ magis probabilis: ut enim S. Thomas ſupra citatus ajebat 2.2.qu.60. ar.9. ad 2. *In judicio in quo de rebus judicamus, non attenditur bonum, vel malum ex parte ipſius rei, de qua judicamus, cui nihil nocet, qualitercumque judicemus de ipſa; ſed attenditur ibi ſolùm bonum judicantis, ſi verè judicet; vel malum, ſi falsò: quia Verum eſt bonum intellectûs, Falſum autem eſt malum ipſius, ut dicitur in ſexto Ethicor. Et ideo unuſquiſque debet niti ad hoc, quòd de rebus judicet ſecundùm quod ſunt.* In caſu ergo, in quo diſputatur, an aliquis contractus ſit in ſe malus, ſi quis poſt diligentem veritatis inquiſitionem invenit majus fundamentum authoritatis, & rationis ad judicandum, eſſe falſam ſententiam rigi-

Digitized by Google

rigidam, affirmantem contractum eſse malum, nequit prudenter judicare, illum contractum eſse malum; ſed potiùs debet, vel ſaltem poteſt judicare eſse licitum: ergo tunc non tenetur ab illo abſtinere.

CAPUT II.

Nova probatio noſtræ ſententiæ, ex Decreto Alexandri VIII. in quo damnavit hanc propoſitionem: Non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam.

§. I.

Proponitur Decretum illud, ejuſque ſcopus; & breviter explicatur.

65. ALexander VIII. Pontifex Maximus anno 1690. 7. Decembris in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis damnavit unam ac triginta Propoſitiones, *tamquam temerarias, ſcandaloſas, & malè ſonantes, iniurioſas, hæreſi proximas, hæreſim ſapientes, erroneas, ſchiſmaticas, & hæreticas reſpectivè*. Inter has autem 31. Propoſitiones Tertia ordine eſt iſta: *Non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam*. Igitur aliqua ex enumeratis notis, & cenſuris cadit ſupra ipſam; ac proinde confixa eſt ſaltem, vel tamquam temeraria, vel tamquam ſcandaloſa, & malè ſonans. In quo Decreto videtur Pontifex Alexãder VIII. damnaſse extremum nimii rigoris in uſu opinionum probabilium, ſicut Innocentius XI. an. 1679. damnaverat extremum nimiæ indulgentiæ, & relaxationis: nam inter ſexagintaquinque propoſitiones, quas *ut minimùm tamquam ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas* confixit, tertia ordine erat iſta: *Generatim dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantũvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.* Quare ſicut Innocentius XI. declaravit, non omnem opinionem probabilem ſufficere ad ſecuritatem conſcientiæ; ita Alexander VIII. declaravit aliquam ſufficere, ſaltem illam, quæ inter probabiles eſt probabiliſſima. Ac proinde Innocentius XI. in ſuo Decreto, tertio loco, damnavit nimiam indulgentiam in uſu opinionum Alexander verò VIII. in ſuo Decreto etiam tertio loco, condemnavit nimium rigorem, in uſu opinionum probabilium. Duo itaque extrema videntur vitanda in uſu probabilium: alterum eorum, qui nihil veritatem opinionum curantes, aſsumunt pro regula morum quamdam probabilitatem vagam, quamtumvis tenuem, ſatiſque exiſtimant ad ſecuritatem conſcientiæ, quod innitatur opinionis quamtumvis tenuiter probabili: alterum eorum, qui obligant ad ſciendam ſemper, & certò veritatem, dicuntque non ſufficere ullam opinionem probabilem ad ſecuritatem conſcientiæ, etiamſi ſit notabiliter, & longè probabilior oppoſitâ, & ab operante vera judicetur, & reipsâ vera ſit: requirentes evidentiam veritatis, vel omnimodam certitudinem.

66 Ergo iam ex Decreto Innocentii XI. conſtat eſse falſam iſtam propoſitionem uniuerſalem affirmativam: *Omnis opinio probabilis ſufficit ad ſecuritatem conſcientiæ, modò à probabilitatis finibus non exeatur*; ac proinde ſufficit opinio exiguæ, & tenuis probabilitatis. Item ex Decreto Alexandri VIII. conſtat, eſse falſam contrariam propoſitionem uniuerſalem negativam: *Nulla opinio probabilis ſufficit ad ſecuritatem conſcientiæ, modò intra limites opinionis probabilis contineatur*; quantumvis intra genus opinionis probabilis ſit in ſupremo gradu. Igitur ad ſecuritatem conſcientiæ non requiritur omnimoda certitudo, ſed ſufficit opinio probabilis, ſaltem inter probabiles probabiliſſima.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

An ex propoſitione damnata ab Alexandro VIII. legitimè inferatur, poſſe hominem aliquando ſequi ſententiam faventem libertati adverſùs legem, quamvis non ſit omnino certus de ipſius veritate.

67. NOn inquiro, an hoc ſit expreſsè & formaliter definitum; vel oppoſitum expreſsè, & formaliter damnatum ſub his terminis. Nam certè propoſitio damnata ab Alexandro VIII. nempe: *Non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam*; non exprimit opinionem *minùs tutam, vel faventem libertati contra legem*. Unde non poſſumus dicere, determinatam hanc particularem affirmativam eſſe definitam: *Licet ſequi opinionem probabiliſſimam minùs tutam, vel faventem libertati contra legem*. Quia cùm in prædicta propoſitione univerſali damnata, nullus adſit terminus reſtringens opinionem ad minùs tutam, vel faventem libertati contra legem; conſequenter in explicanda contradictoria definita, talis terminus non poteſt legitimè apponi. Solùm ergo examinari à nobis poteſt ac debet, an per modum veræ illationis ex univerſali illa negativa damnata, ut jacet, concludere oporteat, poſſe hominem aliquando ſequi ſententiam minùs tutam, quamvis non ſit omnino certus de ipſius veritate.

68. Et quidem fortè non deerit, qui dicat hoc non legitimè inferri. Quia cùm propoſitio negativa damnata, ut iacet, univerſaliſſima ſit; utique ex eius damnatione, & cenſurâ non ſequitur hanc, aut illam particularem affirmativam neceſſariò tenendam, ſed aliquam; nec omnes comprehendi damnatione Pontificia, quod & nos infra cõfirmabimus, agendo de quibuſdam aliis gravium Theologorum ſententiis. Ergo ſatis erit inferre hanc affirmativam; nempe, licitum eſſe ſequi opinionem probabiliſſimam, quando non pugnat prò libertate contra legem, ſed pugnat pro officio (v.g. inter contrarias Divi Thomæ, & Scoti ſententias, quarum altera docet Judicem ex officio poſſe, ac debere damnare illum, qui ex actis probatur reus, quamvis Judex privatâ ſcientiâ noverit eum eſſe innocentem; altera verò docet Judicem in eo eventu debere innocenti conſulere, eumque indemnem ſervare) licitum erit Judici eligere, & in praxi ſequi eam ſententiam, quæ probabilior aut probabiliſſima ipſi videatur. Quia cùm pugnet utraque pro lege, ac proinde neutra ſit omnino tuta, ſed utrimque immineat periculum materialis peccati committendi, ſive contra iuſtitiam publicam (in qua adminiſtranda iuxta D. Thomam non debet Judex procedere ex privatâ ſcientiâ, quam habet, ſed iuxta allegata & probata) ſive contra ius innocentis, cui potiùs conſulendum eſſe vult Scotus: ſanè in hoc caſu non alia melior regula ſupereſſe videtur, quàm ut Judex inter huiuſmodi ſententias conſtitutus, eam ſequatur, quæ inſpectis omnibus probabilior ab ipſo iudicetur. Hoc autem ſufficit, ut falſa ſit univerſalis illa propoſitio negativa: *Non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam*. Ergo ex eo, quòd illa damnata ſit, non neceſſariò colligitur, poſſe hominem aliquando ſequi ſententiam faventem libertati adverſùs legem, ſi non ſit omnino certus de ipſius veritate.

69. Sed nihilominus ego firmiter cenſeo, ex decreto Pontificio argumentum formari, & Theologis hanc illationem eſſe legitimam: his nempe ita moris eſt, ad ſuas ſententias ſtabiliendas arguere ex Decretis Pontificum. Etenim licet propoſitio damnata non exprimat opinionem faventem libertati adverſùs legem ſub his terminis, nihilominus debet cenſeri damnata in ſuo proprio, obvio, & naturali ſenſu, quem præ ſe fert, ut iacet. Et ſicut non debet à nobis extendi pro libito vltra eum ſenſum, ita neque debet infra eum reſtringi, aut limitari: ſic enim aperiretur via ad eludendas Pontificias damnationes, & redderetur inutilis, ac fruſtranea ſolicitudo

Digitized by Google

Paſtoralis Summorum Pontificum in re ſummi momenti. At ſenſus proprius, naturalis, & obvius illius propoſitionis damnatæ, ut iacet, videtur omnino eſſe hic ſolus, quòd non liceat ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam ex iis, quæ favent libertati contra præceptum: Ergo ex illius condemnatione legitimè infertur, poſſe hominem aliquando ſequi ſententiam faventem libertati, etiamſi non ſit omnino certus de ipſius veritate; dum tamen illa probabiliſſima ſit, ſive ad ſupremum probabilitatis gradum aſcendat.

70. Minor, quæ ſola probatione indiget, probatur primò: Quia ſenſus naturalis, & obvius cuiuſcumq; propoſitionis eſt ille, in quo ſtatim ab omnibus intelligitur, & accipitur. At prædicta propoſitio damnata communiter ab omnibus intellecta, & accepta eſt in eo ſenſu, quem diximus: Ergo ille eſt ſenſus proprius, naturalis, & obvius prædictæ propoſitionis, ut iacet.

71. Prob.2. Idem eſt ſenſus proprius naturalis, & obvius prædictæ propoſitionis poſtquam damnata eſt, atque erat priuſquam damnaretur; neque enim damnatio Pontificia mutavit ſenſum illius, ſed eam damnavit in eo ſenſu naturali, & obvio, quem priùs habebat. At antequam damnaretur, ſic omnes intelligebant eam, & accipiebant, ut ſignificaret, licere non ſequi opinionem ullam, vel inter probabiles probabiliſſimam ex iis, quæ favent libertati contra legem. Nam primò, hic erat ſenſus notus Authoris illius propoſitionis. Et in hoc etiam ſenſu accipiebatur ab omnibus illis Doctoribus Lovanienſibus, qui eam propugnabant hac ratione, quòd opinioni huiuſmodi poſſit abſolutè ſubeſſe falſum, ac proinde qui illam ſequitur, periculo ſe exponat violandi reipſa legem Dei. Unde volebant, neminem ſequi poſſe ſententiam faventem libertati contra legem, niſi & veritatem attingat, & certus ſit, ſe eam attingere, nullumque peccatum materiale committere: atque hanc totam doctrinam exiſtimabant ſatis ſignificari per illam propoſitionem, ut iacet. Pariter in hoc eodem ſenſu accipiebatur ab omnibus aliis Theologis, qui illam impugnabant; & ab illis, qui cenſuerunt eam eſſe deferendam ad Sanctam Sedem ac etiam detulerunt. In hoc demum ſenſu omnes damnatam eſſe intellexerunt, & idcirco eam damnatam eſſe, quia requirit omnimodam certitudinem de honeſtate actûs: qui ſanè eſt rigor intolerabilis. Ergo hic eſt ſenſus naturalis, & obvius prædictæ propoſitionis damnatæ, ut iacet.

72. Prob.3. Velle reſtringere prædictam propoſitionem, poſtquam damnata eſt, ad opinionem probabilem, quæ pugnat pro lege, & officio, & quæ non ſit minùs tuta, quàm oppoſita; ſtatim apparet eſſe interpretationem ſtudioſè quæſitam, & non ſine magna reflexione, & induſtriâ excogitatam. Non ergo ille eſt ſenſus proprius, naturalis, & obvius prædictæ propoſitionis; ſed adſcititius, & ſtudioſè quæſitus.

73. Prob.4. Eadem interpretatio, & intelligentia prædictæ propoſitionis ita illam reſtringit, ut ferè inutilem reddat, & quaſi ad nihilum redigat damnationem Pontificiam. Quid enim opus erat, ut Pontifex declararet, licere ſequi opinionem inter probabiles probabiliſſimam, ubi, & quando non pugnat pro libertate, ſed pro lege, & officio, neque illa eſt minùs tuta, quàm oppoſita? nemo enim de hoc hactenus dubitavit, vel dubitare potuit, cùm ſit ex ſe evidentiſſimum. Quin etiam, ſi opinio non ſit minùs tuta, eoquòd æqualis mali periculum immineat in parte oppoſita, & aliunde neceſſe ſit alterutram eligere: evidens eſt, non requiri maiorem probabilitatem, ſed ſufficere æqualem, ut quælibet ex illis pro arbitrio eligatur. Repugnat enim eum qui ſequitur opinionem probabilem, peccare, quando nullam habet tutiorem aut probabiliorem, quam ſequi debeat. Si ergo loquamur de opinione, quæ non pugnat pro libertate, ſed pro lege, & officio, & quæ non ſit minùs tuta, quàm oppoſita; tunc ſanè evidentiſſimum eſt, non ſolùm ſufficere, quòd

ſit

Digitized by Google

ſit probabilior, vel inter probabiles probabiliſſima, ſed etiam ſufficere, quòd non ſit minùs probabilis, quàm oppoſita. Nemini ergo hactenus venit, nec venire potuit in mentem, quòd *non liceat ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam*, etiam quando illa pugnat pro lege & officio. Ergo vel non eſt propoſitio damnata in hoc ſolùm ſenſu; vel damnatio fuit inutilis & fruſtranea, ut pote ſolùm damnans propoſitionem in eo ſenſu, in quo nemo eam acceperat, vel accipere poterat. Itaque inſpectis omnibus videtur omnino certum, propoſitionem hanc eatenus eſſe damnatam, ut iacet, quatenus ſignificat non eſſe licitum ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam, quando eſt minùs tuta, vel favet libertati contra legem.

74. Deinde, quòd ex damnatione illius propoſitionis legitimè inferatur, aliquando licitum eſſe ſequi ſententiam faventem libertati contra præceptum, quamvis non ſit omnino certa, & ex ſe excludens omnem formidinem falſitatis: Probatur ulterius. Nam ex illa videtur in tribunalibus, quando de iure partium diſputatur, poſſe Judex licitè ſequi partem illam, quam poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra paſſionem, & culpam deprehenderit eſſe vel unicè veriſimilem, vel ſaltem longè veriſimiliorem oppoſitâ; & poſſe ſententiam in favorem illius partis proferre, quamvis eius iudicium non excedat limites probabilitatis; ſeu quamvis ipſe non ſit omnino certus, ius ipſum in ſe eſſe pro illa parte, pro qua fert ſententiam. Alioqui in rebus controverſis numquam poſſent Judices reſolutionem ſumere, & ſententiam dare; quia in his eſt impoſſibile veritatem ipſam evidenter, & manifeſtè invenire. Unde tribunalia deberent hærere, ſi Judices non poſſent ſequi ſententiam probabiliorem; ſaltem quando exceſſus probabilitatis eſt magnus.

75. Hinc autem legitimè videtur inferri, poſſe hominem in tribunali conſcientiæ ſententiam proferre in favorem libertatis, quando poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra paſſionem, & culpam, invenit maximam veriſimilitudinem pro illa parte, & pro contraria vel nullam, vel exiguam; & vi hujus magnæ veriſimilitudinis iudicat prudenter, rem eſſe licitam; quamvis hoc iudicium non ſit omnino certum; nec ſit formatum ex vi motivi, cui abſolutè non poſſit ſubeſſe falſum: ſeu quamvis operans reflectens ſupra hoc iudicium cognoſcat, non repugnare quòd ſit falſum. Licet enim ſciat hoc non repugnare, tamen reſolutoriè, & determinatè ſibi perſuadet, rem eſſe licitam, ac nequit prudenter, & deliberatè dubitare, vel formidare, an ſit illicita: quia etſi de honeſtate actionis non habeat evidentiam, & omnimodam certitudinem; habet tamen ſecuritatem quamdam moralem, fundatam in ingenti veriſimilitudine. Quæ licet non extrahat illud iudicium ab ſphæra iudicii probabilis; nihilominus excludit formidinem prudentem, & hæſitationem, & ſolùm relinquit locum formidini exiguæ & levi, quæ poteſt repelli tamquam ſcrupulus. Quæ ſapienter expendit Eminentiſs. Card. Lauræa to. 2. in 3. ſent. diſp. 11. art. 4. poſt n. 249. Nam ubi certitudo mathematica, & evidens haberi non poteſt, ſufficit certitudo quædam moralis fundata in probabilitate majore, ſaltem quando illa major probabilitas eſt magna cum exceſſu notorio. Audiamus ejus verba: *Illa major probabilitas verè ac propriè meretur appellari certitudo, quia abiicit omnem formidinem liberam, ac prudentem; quidquid ſit de merè naturali, & irrepentè ex quovis inevidenti ſubjecto. Nam cùm certitudo formalis, id eſt actus intellectûs, nihil aliud ſit, quàm firma adhæſio alicui propoſitioni; ille ſolus actus dicendus eſt certus, qui nullam admittit formidinem; vel ſi aliquam, parvam & inevitabilem, & parvi pendendam; non prudentem, nec liberam: & illud dici objectum certum, quod ita apparet clarè, ut nullam det occaſionem formidandi; vel ſi aliquam; parvam ac naturalem, inevitabilem ex natura rei inevidentis.* Hucuſque Eminentiſs. Lauræa.

Digitized by Google

76. Idque inde etiam comprobatur: nam ex eo, quòd ex Decreto Alexandri VIII. legitimè & efficaciter arguatur, ſaltem aliquando licitum eſſe ſequi opinionem probabiliſſimam; conſequenter videtur inferri, poſſe Judicem in ferendâ ſententiâ licitè ſequi opinionem clarè, & manifeſtè veriſimiliorem, quàm ſit opinio ſtans pro altera parte. Ex hoc autem ulteriùs infero, idem dicendum eſſe in materia conſcientiæ: nimirum, licitum eſſe ſequi ſententiam faventem libertati, quando citra paſſionem & culpam apparet operanti probabiliſſima, ſeu maximè veriſimilis; itaut oppoſita tutior, in conſpectu ejus, quaſi obſcuretur, & obnubiletur, & appareat tenuiter veriſimilis. Quia tunc opinio favens libertati habet moralem quamdam certitudinem, quæ excludit prudentem, & deliberatam formidinem de turpitudine actûs; & ſolùm componitur cum exigua & indeliberata formidine, qualis conſequi ſolet, ubi iudicium non eſt omnino certum & evidens. Jam ſcimus declaratum eſſe à Summo Pontifice Innocentio XI. licitum non eſſe Judicibus, ſequi opinionem minùs probabilem: quod tamen generatim non declaravit in materia ſolius conſcientiæ. In hac enim materiâ ſolùm declaravit, licitum non eſſe, ſequi quamcumque opinionem, quantumvis tenuiter, & exiguè probabilem; nihil autem determinavit circa uſum minoris probabilitatis: ſed hoc Theologorum diſputationi reliquit. Si ergo in iudicio jam eſt certum, licitum eſſe, ſequi opinionem probabiliorem cum magno exceſſu, ſeu probabiliſſimam; quamvis ſit certum, non eſſe licitum ſequi opinionem minùs probabilem: cur non erit certum, in materiâ conſcientiæ licitum eſſe ſequi ſententiam faventem libertati, dum illa eſt probabiliſſima? quandoquidem in hac materia certum non eſt, licitum non eſſe ſequi minùs probabilem, attenta declaratione Pontificum, qui hucuſque circa hoc nihil definire voluerunt, ſicut definierunt in illa materia iudiciorum.

77. Ratio autem videtur eſſe, quia ubi opinio favens libertati, eſt inter probabiles probabiliſſima, & ab operante citra omnem paſſionem, & culpam iudicatur vera; iam apud illum habet moralem quamdam certitudinem quæ excludit omnem formidinem prudentem, & deliberatam; & reſpectu illius opinio tutior eſt improbabilis, & nixa fundamento tenui ac levi: ut apertè docet P. Martinus de Eſparza in Appendice ad quæſtionem de uſu licito opinionis probabilis art. 152. pag. 157. ubi affirmat opinionem, quæ clarè & manifeſtè eſt veriſimilior opinione contrariâ, dici moraliter certam; opinionem verò, quæ clarè & manifeſtè eſt minùs veriſimilis, quàm opinio oppoſita, iam eſſe improbabilem apud eum, cui ita proponitur. *Opinio enim* (inquit ille) *quæ tanta hujuſmodi conſpicuitate eſt veriſimilior, aut minùs veriſimilis, non ampliùs dici ſolet probabilis: ſed quæ eſt ita veriſimilior, dicitur certa moraliter; & quæ eſt eodem modo minùs veriſimilis, dicitur improbabilis. Et hæc, ſiquidem ſit reſtrictiva, dicitur ſcrupulus, ſeu nimiùm ſcrupuloſa; ſi verò ſit laxativa, dicitur parum tuta in conſcientia; & utralibet, ſub aliqua ejuſmodi cenſura, excluditur à gradu probabilium*; ideſt, merè probabilium: quatenus nimirum merè probabile diſtinguitur à certo moraliter, & ab improbabili. Hæc ille.

78. Quare licet ex Decreto Alexandri non ſit certum, licitum eſſe ſequi opinionem minùs tutam, quando ſolùm eſt utcumque probabilior opinione tutiori, nimirum quando exceſſus in probabilitate eſt exiguus (quia adhuc in conſpectu ipſius, fundamenta opinionis tutioris apparent magna, & valdè pertrahunt ad aſſenſum) tamen iam videtur certum, quando fundamenta opinionis minùs tutæ ab agente citra paſſionem & culpam conſiderata, apparent ipſi manifeſtè, notoriè, ac notabiliter veriſimiliora, quàm fundamenta ſententiæ tutioris, itaut hæc ſub illa comparatione appareant ipſi exigua, & parvi momenti. Nam tunc

Digitized by Google

opinio minùs tuta, eſt apud operantem moraliter certa, in genere aſſenſûs inevidentis, & opinio tutior apparet ipſi improbabilis. Et quamvis reflectens ſupra aſſenſum præſtitum opinioni minùs tutæ, agnoſcat non repugnare, quòd illi ſubſit falſitas, quia motiva aſſentiendi non ſunt ſcientifica, & infallibilia; tamen ſine hæſitatione, & anxietate conſcientiæ, ſibi perſuadet prudenter, illum aſſenſum de facto eſſe verum, & ut ſcrupulum contemnit rationem levem, quæ occurrit ad ſuadendum eſſe falſum. Quod magis patebit, ſi explicemus, quænam formido ſit de conceptu aſſenſûs probabilis, prout diſtinguitur ab aſſenſu ſcientifico, ſeu evidenti, & ab aſſenſu Fidei Divinæ.

§. III.

Confirmatur doctrina præcedens, explicando, an, & quæ formido ſit de conceptu aſſenſûs opinativi, prout contradiſtinguitur ab aſſenſu ſcientifico & ab aſſenſu Fidei Divinæ.

79. SAnctus Bernardus lib. 5. de Conſideratione cap. 2. ajebat: *Intellectus rationi innititur* (ideſt aſſenſus præſtitus primis principiis, vel concluſionibus, quæ ex primis principiis evidenter fluunt) *Fides authoritati; Opinio ſolâ ſe veriſimilitudine tuetur.* Quare aſſenſus præſtitus ob fundamenta veriſimilia, in quibus non apparet evidens connexio cum veritate, eſt aſſenſus opinativus, ſeu opinio.

80. Vt autem hoc explicemus, notandum eſt ex Ariſtotele 1. Poſter. c. 24. textu 44. quòd *Scibile & Scientia differunt ab Opinabili, & Opinione:* ac proinde omnis cognitio per medium non neceſſarium, ſed probabile eſt opinio: & omne cognoſcibile per medium non neceſſarium, ſed probabile erit opinabile, *Scibile autem* (inquit Ariſtoteles) *& Scientia differunt ab Opinabili, & Opinione; quoniam ſcientia quidem univerſalis, & perneceſſaria: neceſſarium verò non contingit aliter ſe habere. Sunt autem nonnulla vera quidem, quæ contingunt aliter ſe habere. Planum igitur, quòd circa hæc quidem ſcientia non eſt: eſſent enim impoſſibilia aliter ſe habere, poſſibilia aliter ſe habere. Verùm enimverò neque intellectus (dico enim intellectum principium ſcientiæ) neque ſcientia indemonſtrabilis: hoc autem eſt acceptio immediatæ propoſitionis. Verus autem eſt intellectus, & ſcientia, & opinio, & quod per hæc dicitur. Quare derelinquitur, opinionem eſſe circa verum quidem, aut falſum, contingens autem & aliter ſe habere: hoc autem eſt acceptio immediatæ propoſitionis, & non neceſſariæ.* Hactenus Ariſtoteles.

81. Quæ verba exponens P. Sylveſter Maurus, dilucidus Philoſophi Interpres, inquit: *Cùm Intellectus, Scientia, & Opinio conveniant in hoc, quòd verſentur circa vera, intellectus autem, ac ſcientia verſentur circa ea, vera, quæ ita ſunt vera, ut non poſſint aliter ſe habere; ſequitur, quòd opinio verſetur circa ea vera vel falſa, quæ poſſunt etiam aliter ſe habere. Sicut igitur intellectus eſt aſſenſus propoſitionis immediatæ, ac neceſſariæ; ſic opinio, quæ correſpondet intellectui, eſt aſſenſus propoſitionis immediatæ, non neceſſariæ. Sicut ſcientia eſt aſſenſus propoſitionis mediatæ, ac neceſſariæ; ſic opinio correſpondens ſcientiæ eſt aſſenſus propoſitionis mediatæ, non neceſſariæ. Scientia igitur, & opinio differunt in hoc, quòd ſcientia eſt de neceſſariis, quæ non poſſunt aliter ſe habere; opinio eſt de non neceſſariis, quæ poſſunt aliter ſe habere.*

82. *Confirmat Ariſtoteles, hanc eſſe differentiam inter ſcientiam, & opinionem ex ſenſu communi. Primò, quia communiter homines exiſtimant opinionem eſſe incertam, & in hac ipſa incertitudine conſiſtere ejus eſſentiam; ſed incertitudo conſiſtit in hoc, ut intellectus exiſtimet obiectum poſſe aliter ſe habere; ergo opinio verſatur circa ea, quæ poſſunt aliter ſe habere. Secundò, quia communiter homines, quando ita aſſentiuntur alicui propoſitioni, vt exiſtiment illam non poſſe aliter ſe habere, putant ſe non habere opinionem*

Digitized by Google

nionem, ſed ſcientiam: cum autem exiſtimant quidem propoſitionem eſſe veram; ſed poſſe aliter ſe habere, tum putant ſe habere opinionem. Ergo ex communi ſenſu ſcientia eſt exiſtimatio, qua putatur rem non poſſe aliter ſe habere; opinio eſt exiſtimatio, qua putatur rem poſſe aliter ſe habere. Hucuſque P. Maurus.

83. Hinc D. Thomas in 1. Poſterior. text. 44. exponens Ariſtotelem, inquit: *Oſtenſum eſt alibi ab Ariſtotele, quod non proceditur in infinitum in prædicationibus, neque quantùm ad media, neque quantùm ad extrema: & hoc non ſolùm analyticè, quoad demonſtrationem, ſed etiam logicè, quantùm ad ſyllogiſmos; ſcilicet probabiles. Si ergo ſit aliqua propoſitio contingens mediata, oportet quòd reducatur ad aliquas immediatas: ſed non reducitur ad immediatas neceſſarias; quia neceſſaria non ſunt principia contingentium, neque ex neceſſariis poteſt concludi contingens. Relinquitur ergo, quòd ſit aliqua propoſitio immediata contingens. Exiſtimatio ergo talium propoſitionum contingentium immediatarum, eſt opinio. Sed per hoc non excluditur, quin etiam acceptio propoſitionis contingentis mediatæ ſit opinio. Sic enim ſe habet opinio circa contingentia, ſicut ſcientia, & intellectus circa neceſſaria.* Hactenus D. Thomas; qui apponit exemplum immediatæ propoſitionis, & non neceſſariæ cum Ariſtot. 1. poſt. text. 21. in hac propoſitione; *Omnis mater diligit filium*: quæ eſt immediata per ſe probabilis, non tamen infallibilis; nam contingens eſt, quòd aliqua mater non diligat filium. Quia verò hoc plerumque, & communiter contingit, illa propoſitio per ſe conciliat aſſenſum, ſine recurſu ad aliud principium; & ideo dicitur immediata.

84. His poſitis, explico cum Viro docto, quid ſit Formido, quæ conſequitur Opinionem. Id autem colligitur ex ipſa natura, & differentia ſcientiæ, & opinionis ex primo Poſteriorum, text. 44. Scire itaque, & opinari differunt ex eo, quòd ſcire ſit de iis, quæ nec aliter ſe habere in ſe poſſunt, nec aliter ſe habere poſſe ſcienti videntur; & idem eſt de intellectu, & intelligere: ſed verò opinari eſt de iis, quæ in ſe aliter ſe habere poſſunt; vel ita ſaltem opinanti videntur. Et eodem modo proportionatè differunt ſcibile, & opinabile: ex quo repugnat eundem de eodem habere ſcientiam ſimul, & opinionem; nam repugnat eundem de eodem ſimul judicare, id aliter ſe habere poſſe, & aliter ſe habere non poſſe, ut cum Ariſtot. S. Thomas, & Commentatores communiter tradunt, & declarant: quod tamen intelligendum eſt de opinione in eſſe opinionis; non autem in eſſe aſſenſûs: ut idem S. Thomas 3. part. quæſt. 9. art. 3. ad 2. perſpicuè tradit. Opinanti ergo duo videntur: unum eſt rem ita eſſe; alterum eſt, non repugnare oppoſitum. Primum eſt circa actum ipſum: ſecundum reſpicit potentiam, & non-repugnantiam ad oppoſitum. Vt porrò in rebus ipſis non repugnat actus cum potentia ad oppoſitum: (ſicut ego de facto deambulo, & ſimul habeo potentiam non ambulandi) ita in intellectu non repugnat cognitio, & aſſenſus circa actum cum cognitione, & aſſenſu circa potentiam, ſeu non-repugnantiam ad oppoſitum: ſunt enim de alio, & alio.

85. Opinio itaque, in quantum opinio, & in quantum differt à ſcientia, dicit, & affert duo illa; ſcilicet aſſenſum circa actum, & cognitionem; & aſſenſum circa non-repugnantiam ad oppoſitum, etiam in ſenſu compoſito, & ex ſuppoſitione eorum omnium, quæ illi hic, & nunc repræſentantur. Non ergo de actu ipſo dicit, fortè eſſe, vel fortè non eſſe, v. g. Petrum fortè eſſe innocentem in objecto crimine; ſed determinatè dicit, ſibi verum eſſe videri, Petrum eſſe innocentem, ſeu ſibi videri, Petrum reipsâ eſſe innocentem; licet etiam in ſenſu compoſito, & ſtantibus illis omnibus, quibus movetur, non repugnet id eſſe falſum, ſeu Petrum reipsâ non eſſe innocentem.

86. Hanc igitur cognitionem non-repugnantiæ ad oppoſitum, & fallibilitatis mediorum, quibus ad opinandum movemur, appellamus formidinem, & nihil aliud: ut ex illa differentia ſcientiæ, & opinionis clarè accipitur. Itaque formido opinionis propria aliud non eſt, quàm cognitio quâ intellectus cogno-

gnoſcit, rem, quam opinatur, atque per opinionem determinatè iudicat, & enunciat ita eſſe, poſſe eſſe aliter, ac ipſe iudicat. Quare ut optimè notat P. Vazquez 1. 2. diſput. 62. num. 26. Formido unius partis non excludit aſſenſum determinatum alterius; ſed formido in eo tantùm poſita eſt, ut aliquis per actum reflexum iudicet, rationes illius partis, cuius habet aſſenſum, non eſſe evidentes, ſed tantùm probabiles; & ſic fieri poſſe, id eſt, non repugnare, ut pars oppoſita vera ſit.

87. Ex data autem explicatione colligitur, non opponi cum eſſentia opinionis, ſeu aſſenſûs opinativi moralem certitudinem, quæ ſufficiat ad prudenter agendum: ſed ſolùm opponi omnimodam certitudinem, qualis reperitur in actu Fidei Divinæ; & evidentiam, qualis reperitur in aſſenſu primorum principiorum, & in aſſenſu concluſionis ſcientificæ. Nam per actum Fidei Divinæ ita adhæret intellectus veritati revelatæ propter authoritatem Dei revelantis, ut omnino maneat certus de veritate objecti crediti, iudicetque, non poſſe rem affirmatam aliter ſe habere in ſenſu compoſito motivi impellentis ad credendum: & reflectens ſupra ſuum actum, iudicare debet, non poſſe illi ſubeſſe falſum; neque poteſt liberè admittere formidinem de falſitate. Rurſus, per actum evidentem ita adhæret veritati, ut iudicet, non poſſe rem aliter ſe habere. At certitudo moralis eſt certitudo *ſecundùm quid*, fundata in magna veriſimilitudine, in qua non apparet infallibilis connexio cum veritate. Vt enim explicat cum Gerſone S. Antoninus 1. part. Summæ lib. 3. cap. 10. §. 10. verſ. *Notandum*: *Certitudo, quæ in materia morali reperitur, non eſt certitudo evidentiæ, ſed probabilis conjecturæ; non enim conſurgit certitudo moralis ex evidentia demonſtrationis, ſed ex probabilibus conjecturis groſſis, & figuralibus, magis ad unam partem, quàm ad aliam ſe habentibus.* Et P. Suarez lib. 8. de Legib. cap. 13. num. 19. *Major probabilitas eſt quædam moralis certitudo, ſi exceſſus probabilitatis certus ſit.*

88. Hinc D. Thomas 2. 2. quæſt. 70. art. 2. aſſerit, certitudinem moralem eſſe, ſi duo teſtes omni exceptione maiores, reddendo rationem, & cauſam ſcientiæ ſuorum dictorum, aliquid teſtentur. Quamvis enim non repugnet, duos teſtes omni exceptione maiores, in teſtificatione alicuius facti vel falli, vel fallere; nihilominus ita veritatem reddunt veriſimilem, ut poſſit quis prudenter eorum teſtificationi acquieſcere, & abſolutè iudicare probabiliter, rem ita eſſe, ſicut ipſi teſtantur. Vt enim inquit S. Doctor in corpore articuli: *Secundùm Philoſophum 1 Ethic. certitudo non eſt ſimiliter quærenda in omni materia. In actibus enim humanis, ſuper quibus conſtituuntur judicia, & exiguntur teſtimonia, non poteſt haberi certitudo demonſtrativa, eo quòd ſunt circa contingentia, & variabilia: & ideo ſufficit probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat, & ſic in paucioribus à veritate deficiat.*

89. Itaque quotieſcumque adſunt rationes urgentes, & fundamenta gravia ſuadentia, aliquam actionem eſſe honeſtam, quæ hanc partem reddant valdè veriſimilem, & pro parte contraria nulla ratio adducitur alicuius momenti; vel licet adducatur aliqua, ea tamen comparata cum ratione probante partem benignam, eſt longè inferioris veriſimilitudinis; quia pars benigna eſt longè veriſimilior: tunc aſſenſus praſtitus parti benignæ ob maximam illam veriſimilitudinem, eſt aſſenſus probabilis ſecundùm definitionem traditam ab Ariſtotele, & tamen habet moralem quamdam certitudinem. Nam ut latè probat P. Terillus queſt. 22. de Conſc. Prob. num. 70. 76. 78. 93. 109. & 120. *Major probabilitas, præſertim quando eſt notabiliter major, eſt certitudo moralis.*

90. Hoc magis conſtabit, ſi nomine formidinis, quæ comitatur opinionem, intelligamus cum aliquibus, timorem reſultantem in voluntate ex opinione affirmante rem eſſe licitam. Cùm enim motivum opinandi non ſit infallibile, ſed ſit ex ſe expoſitum falſitati, ubi homo ob motiva ſolùm probabilia, & veriſimilia iudicat, aliquam actionem eſſe honeſtam,

Digitized by Google

ſtam, ſolet reſultare timor in voluntate, ne fortè actio illa ſit reipsâ prohibita. Et hic timor appellari ſolet formido: hæc autem formido eò erit major, quò validius fuerit fundamentum, ſuadens, rem eſſe illicitam; & eò erit minor, quò illud fundamentum fuerit debilius. Hinc in ſententia Doctorum, aſſerentium, poſſe intellectum formare opinionem probabilẽ de eo, quòd actio ſit honeſta ob motivum minùs, vel æquè veriſimile, ac eſt motivum partis tutioris, negantis, actionem eſſe honeſtam, vel affirmantis, eſſe turpem; formido, quæ ſubſequetur hunc aſſenſum, erit magna, & prudens. Qui enim iudicat, actionem aliquam eſſe honeſtam, quando in actu primo habet maius, vel ſaltem æquale fundamentum ad iudicandum eſſe turpem; etiamſi ex imperio voluntatis iudicet actionem eſſe honeſtam, & ex hoc iudicio procedat ad opus, prudentiſſimè poteſt timere, ne actio à ſe poſita ſit violatio legis. Nam cùm experiatur, in actu primo ſe vehementiùs, vel ſaltem æquè fortiter impelli ad iudicandum eſſe turpem, non iudicat eſſe honeſtam, nec hanc partem præfert alteri ex pondere rationis, vel authoritatis extrinſecæ, ſed quia vult: unde formido conſecuta in voluntate ad hunc aſſenſum, non poteſt non eſſe magna, & prudentiſſima.

§. IV.

Aliquæ illationes ex dictis; quibus comprobatur, Decretum Alexandri non comprehendere ſententias aliquas gravium Theologorum.

91. EX dictis infero, damnationem illius tertiæ propoſitionis, *non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam*, non comprehendere ſententiam illorum Doctorum, qui aſſerunt, licitum non eſſe ſequi ſententiam faventem libertati contra præceptum, quando operans agnoſcit ſententiam tutiorem, etiam in occurſu benignæ, eſſe abſolutè probabilem, id eſt, niti fundamento gravi, & magno, quod adhuc in contradictione fundamenti oppoſiti validè pertrahat ad aſſenſum: ſed, prout noſtris argumentis ſuperiùs oſtendimus, ſolùm tangere rigorem illum Sinnichii, & aliorum, qui ad uſum licitum ſententiæ minùs tutæ non ſunt contenti cum eo, quòd illa in probabilitate, & veriſimilitudine excedat evidenter, & manifeſtè cum magno exceſſu ſententiam tutiorem, ita ut in comparatione illius probabilitas, & veriſimilitudo ſententiæ tutioris ſit exigua, & parvi momenti; ſed requirunt omnimodam certitudinem, quæ excludat omnem formidinem, etiam exiguam. Hæc enim certitudo nequit obtineri, niſi pro ſententia minùs tuta inveniatur ratio evidens, & demonſtrativa, quæ excludat omnem formidinem; & quâcum in ſenſu compoſito ſit impoſſibilis, vel levis timor, & ſcrupulus.

92. Inſuper infero, per damnationem illius propoſitionis non tangi opinionem illorum Doctorum, qui cum Caietano in Summula ſua, verb. *Opinione uti*, docent: Quòd *in operandis niſi tutiorem partem eligendo, non licet opinionem cujuſcũq; aſſumere ut regulã operis. Quoniam eo ipſo, quo operatio regulanda committitur opinioni, committitur regulæ ambiguæ: quia opinio omnis ambigua eſt, utpote cum formidine alterius partis. Et quia præſupponitur, quòd non eligatur tutior pars, conſequens eſt, ut operatio committatur regulæ ambiguæ ad caſum peccati, ac per hoc exponatur periculo peccandi, quod eſt illicitum. Et ſi de peccato mortali agitur, conſtat eſſe peccatum mortale, facere ſcienter operationem dubiam, an ſit mortalis: quoniam talis operans maluit implere voluntatem ſuam tali opere, etiamſi ſit mortale, quàm abſtinere ab illo; ac proinde præfert Divinæ amicitiæ opus illud, non curando, ſi contingat perdere Divinam amicitiam ex tali opere.* Huc uſque Caietanus. Cuius doctrina licet impugnetur ut falſa à pluribus Theologis, nullus tamen gravis Theologus illam impugnat ut abſurdam.

93. Infero, inquam, quòd propoſitio damnata non comprehendat hanc doctrinam Caietani: nam, ut iam ſupra annotavimus cap. 1. §. 1. hic graviſſimus, & ſub-

& ſubtilis Author manifeſtè loquitur de opinione, quæ habet annexam prudentem formidinem partis oppoſitæ, non ſolùm logicam, ſed moralem, ut ita loquar, & quæ aliquo modo faciat dubitare, vel hæſitare intellectum; eo modo, quo ſæpe de opinione loquitur D. Thomas. Qui quæſt. 14. de Veritate art. 1. inquit: *Intellectus noſter poſſibilis reſpectu partium contradictionis ſe habet diverſimodè. Quandoque enim non inclinatur magis ad unum, quàm ad aliud, vel propter defectum moventium, ſicut in illis problematibus, de quibus rationes non habemus, vel propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem: & ita eſt dubitantis diſpoſitio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis. Quandoque verò intellectus inclinatur magis ad unum, quàm ad alterum; ſed tamen illud inclinans non ſufficienter movet intellectum ad hoc, quòd determinet ipſum in unam partium totaliter. Unde accipit quidem unam partem, tamen ſemper dubitat de oppoſita: & hæc eſt diſpoſitio opinantis, qui accipit unam partem contradictionis cum formidine alterius.* Hactenus S. Thomas.

94. Eandem doctrinam habet S. Doctor 2. 2. quæſt. 1. art. 4. *Aſſentit*, inquit, *intellectus alicui dupliciter: uno modo, quia ad hoc movetur ab ipſo objecto, quod eſt vel per ſeipſum cognitum (ſicut patet in principiis primis, quorum eſt intellectus) vel eſt per aliud cognitum, ſicut patet de concluſionibus, quarum eſt ſcientia. Alio modo intellectus aſſentit alicui, non quia ſufficiēter moveatur ab objecto proprio, ſed per quamdam electionem voluntariè declinans in unam partem magis, quàm in aliam. Et ſi quidem hæc ſit cum dubitatione, & formidine alterius partis, erit opinio; ſi autem ſit cum certitudine abſque tali formidine, erit fides.*

95. Locutus itaque eſt Cardinalis Caietanus de opinione, quæ habet annexam prudentem formidinem partis oppoſitæ, & quæ facit intellectum aliquo modo dubitare, aut fluctuare, in eo ſenſu, quo de ea in iis locis locutus eſt D. Thomas: & conſequenter locutus eſt de opinione, non ſolùm quatenus diſtinguitur eſſentialiter ab actu Fidei Divinæ, & ab actu ſcientiæ, ſed quatenus diſtinguitur à morali certitudine, fundata in veriſimilitudine magna, & quæ vel non concurrat cum veriſimilitudine partis oppoſitæ, vel longè excedat veriſimilitudinem partis oppoſitæ, & conſequenter excludat formidinem prudentem, ac magnam, ſolùmque admittat formidinem exiguam, per modum ſcrupuli contemnendam.

96. Idque notat ipſe Caietanus: qui poſt verba nuper relata, ſtatim ſubjunxit: *Et hæc intellige de opinione propriè dicta, ut diximus, quæ eſt cum formidine alterius partis, & per ſe loquēdo. Non enim propterea aliquid opinione tenetur, quia diverſi Doctores contraria ſentiunt; quoniam cum hujuſmodi contrarietate ſtat, quòd una pars ſit ratione ſufficiente ad moralem certitudinem fulta; & jam non eſt opinio apud capientes rationem illam. Sed quia neſciunt multi diſcernere inter certitudinem moralem, & mathematicam, omnia quodammodo locant ſub opinionibus. Dixi quoque* per ſe loquendo, *quia per accidens contingit, neſcientes diſcernere inter notum opinione, & notum certâ ratione morali, errare, & excuſari, credentes abſque formidine alterius partis, viris probis, & doctis, dicentibus, Facite ſic, quia poteſt licitè fieri. Non enim exigit Deus ab homine plus, quàm conditio hominis habet: quia Divina ſapientia diſponit omnia ſuaviter.*

97. Itaque propoſitio damnata non comprehendit ſententiam Caietani; quia propoſitio damnata, cùm ſit univerſaliſſima, comprehendit non ſolùm opinionem relinquentem timorem, & formidinem prudentem, ne fortè actio ſit mala; ſed comprehendit opinionem, quæ hanc formidinem non relinquit, eò quòd ſit fundata in tanta veriſimititudine, ut omnem expellat anxietatem, & timorem à voluntate, & ſolùm relinquat formidinem logicam, conſiſtentem in iudicio de poſſibilitate, ſeu non-repugnantia falſitatis: nam hæc formido logica eſt eſſentialis opinioni, quatenus diſtinguitur à ſcientia, & à fide. Vt enim inquit D. Thomas 2. 2. quæſt. 1. art. 5.

red-

Digitized by Google

reddens rationem, cur ſcientia, & opinio nequeant eſſe ſimul circa idem objeſtum; *De ratione ſcientiæ eſt, quòd id, quod ſcitur, exiſtimetur eſſe impoſſibile aliter ſe habere: de ratione autem opinionis eſt, quòd id, quod eſt opinatum, exiſtimetur poſſibile aliter ſe habere. Similiter de ratione fidei eſt, ut id, quod fide tenetur, propter fidei certitudinem, exiſtimetur etiam impoſſibile aliter ſe habere.* Et in eadem 2. 2. q. 5. art. 3. ait: *Qui tenet mente aliquam concluſionem, non cognoſcens medium illius demonſtrationis, non habet ejus ſcientiam, ſed opinionem.*

98. Sanè, ſi quis videat plurimos, & graviſſimos Doctores affirmare, aliquem contractum eſſe licitum, & afferre argumenta validiſſima, quamvis non evidentia, in confirmationem ſuæ ſententiæ; licet cognoſcat poſſibile eſſe, quòd fallantur; tamen abſolutè judicare poteſt ſine timore, & anxietate conſcientiæ, contractum illum eſſe licitum; præſertim ſi hæc fundamenta ita præemineant ſententiæ oppoſitæ fundamentis, ut ea offuſcent, & quaſi ad nihilum redigant. Aſſenſus tamen tunc exhibitus intra ſphæram opinionis continetur, juxta definitionem traditam ab Ariſtotele, & D. Thoma. Certè juxta definitionem probabilium, traditam ab Ariſtotele lib. 1. Topicor. cap. 1. ante medium, juxta quam, *Probabilia ſunt, quæ videntur omnibus, aut plurimis, aut ſapientibus; & his, vel plurimis, vel maximè familiaribus, & notis*: Juxta hanc, inquam, definitionem, quando plurimi Theologi magni nominis affirmant, aliquem contractum eſſe licitum, & pro hac ſua ſententia adducunt fundamenta ita præeminentia in exiſtimatione operantis fundamentis ſententiæ oppoſitæ, ut hæc in comparatione illorum appareant illi citra paſſionem, & culpam exigua, & parvi momenti; judicium ab operante formatum de honeſtate contractûs intra ſphæram opinionis manet (quia tunc operans ita judicat, contractum illum eſſe licitum, ut ſimul cognoſcat non repugnare, quòd in re ſit prohibitus; ſiquidem fundamenta, quibus inducitur ad ita opinandum, non ſunt evidentia, & potentia generare aſſenſum ſcientificum) & tamen certum videtur, quòd licitè poſſit illo judicio probabili uti in praxi. Ergo certum videtur, aliquando licitum eſſe, uti opinione probabili minùs tutâ: quamvis enim illa opinio non egrediatur extra ſphæram opinionis probabilis, tamen habet certitudinem quamdam moralem; quæ certitudo non opponitur cum conceptu eſſentiali opinionis probabilis; ſed potiùs fundatur in probabilitate, quando eſt maxima, & valdè præeminens parti contrariæ, & illam quaſi abſorbens.

99. Quodſi P. Suarez 1. 2. tract. 3. diſp. 12. ſect. 6. num. 4. pag. 325. dixit; *Certum eſt, probabile judicium ſpeculativum, quando in contrarium nihil certius, vel probabilius occurrit, ſufficere ad conſcientiam practicam veram, & certam formandam*: Quid diceret de judicio probabili ſpeculativo formato ex motivis, quæ ita clarè præeminent motivis partis oppoſitæ, ut hæc reſpectu illorum ſint exigua, & parvi momenti? Ipſe Suarez loco ſupra iterum citato inquit: *Major probabilitas eſt quædam moralis certitudo, ſi exceſſus probabilitatis certus ſit.*

100. Si P. Eſparza in Appendice ad quæſtionem de uſu licito opinionis probabilis art. 112. pag. 106. conſtanter pronuntiavit: *Fieri non poteſt, ut opiniones invicem contradicentes, maneant ambæ probabiles apud eum, cui eſt evidens, & manifeſtum, ac indubitabile, alteram opinionum niti motivo abſolutè, & ſimpliciter, omnibuſque hinc, & inde conſideratis majori. Quia ad probabilitatem opinionis requiſitum in proœmio à nobis fuit, ut nitatur opinio fundamento, & abſolutè, & comparativè magno; id eſt, fundamento, quod non ſolùm ſeorſim, & ſecundùm ſe ſit difficilè ſolubile, & validè pertrahat ad aſſenſum; ſed quod, comparatum etiam cum fundamento oppoſitæ partis, retineat adhuc vim magnam pertrahendi ad aſſenſum. Quando autē fundamentum unius partis contradictionis evidenter, & manifeſtè, atque omnino indubitanter eſt majus, quàm fundamentum oppoſitæ partis, eo ipſo fundamentum iſtud minus, evadit parvum ſub ea comparatione, nec retinet ampliùs*

vim

Digitized by Google

vim magnam pertrahendi intellectum ad aſſenſum. Si, inquam, P. Eſparza (qui tam acriter pugnat pro ſententia Probabiliſtarum de uſu licito opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ in occurſu probabilioris, & tutioris) ita conſtanter docet, non eſſe licitum uſum opinionis minùs tutæ apud eum, cui opinio tutior proponitur ut clarè, & manifeſtè probabilior: quid ſentiendum, quando opinio minùs tuta, poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra paſſionem, & culpam proponitur operanti in ſummo gradu probabilitatis, ſeu veriſimilitudinis; quia nimirum eius fundamenta authoritatis, & rationis citra paſſionem expenſa, ita præeminent fundamentis oppoſitæ partis, ut ea quaſi abſorbeant, & deſtruant, faciantque ut appareant exigua, & parvi momenti? Sanè dicendum videtur, certum eſſe, quòd poſſit tunc operans uti opinione minùs tutâ; quia licet non habeat evidentiam de eius veritate, neque certitudinem Fidei Divinæ, habet tamen certitudinem quamdam moralem maximam, fundatam in ſumma veriſimilitudine illius partis, quæ excludit omnem prudentem formidinem falſitatis, & quâ maior in rebus moralibus, quæ cadunt ſub diſputationem, exigi non poſſit. In his enim rebus ad licitè operandum, nec exigi poteſt evidentia demonſtrationis, neque certitudo Fidei Divinæ, quâ operans certus omnino ſit, ſe non acturum reipsâ, ne materialiter quidem, contra legem, ſi exerceat illam actionem.

CAPUT III.

Impugnatur Sententia Cajetani, & Navarri, aſſerentium, licitum eſſe ſequi ſententiam probabilem faventem libertati, quando ſolùm in communi, & univerſali rem eſſe licitam, cum formidine opinatur operans; non autem quando ſic opinatur de actione in particulari

101. CAjetanus in Summa, verbo, *Opinione uti*, docet, debere deponere omnem formidinem partis oppoſitæ (in ſenſu ſuperiùs expoſito) ſi quis propriam opinionem minùs tutam ſequatur in operando: alioqui eum, qui operatur cum formidine oppoſitæ partis, operari contra conſcientiam. Quocirca poſtulat certitudinem moralem, abſque omni formidine, ut ſecundùm aliquam opinionem minùs tutam rectè operemur. Hanc ſuam ſententiam probat hac ratione: quia quoties homo operatur cum formidine partis oppoſitæ, habet conſcientiam ambiguam, & dubiam; cum conſcientia autem dubia non licet operari. Limitat tamen hanc ſuam ſententiam Cajetanus tom. 1. opuſculorum (ut refert Vazquez 1.2. diſp. 62. num. 20.) tract. 31. quæſt. 17. reſponſionum, reſp. 13. quæſito ultimo, ubi oppoſitas de hac refert ſententias, & tandem concludit adhibita quadam diſtinctione. Aut enim (inquit) formido, & heſitatio contingit ex parte appetitûs, ut accidit ſcrupuloſis; aut contingit ex parte intellectûs, qui propter varias rationes fluctuat. Et hæc formido adhuc bifariam accidere poteſt: primùm quidem ſpeculativo quodam modo, hoc eſt, de re ipſa ſecundùm ſe, & abſolutè conſideratâ: deinde practico modo, hoc eſt, de re ipſa hìc, & nunc agenda. Ut ſi quis univerſim opinetur, licitum eſſe accipere aliquid ultra ſortem ex mutuo propter lucrum ceſſans, cum formidine tamen oppoſitæ partis, quia videt eſse contrariam opinionem aliquorum Doctorum; verùm quia ipſe hic, & nunc volens accipere aliquid ultra ſortem mutui propter lucrum ceſſans, credit abſque formidine oppoſitæ partis, hìc, & nunc ſibi licitum eſſe illud accipere, poterit licitè illud accipere, non obſtante formidine de oppoſita parte in univerſum conſiderata.

102. Hanc verò diſtinctionem probat primùm hac ratione. Intellectus ſpeculativus nihil judicat de operando, aut non operando: ergo formido illius non poteſt quicquam nocere operanti: neque propter formidinem ejus dicetur quis ſequi regulam ambiguam, & dubiam; quia ſpeculativa ratio non eſt regula operantis. Deinde confirmat: quia ſi neceſſe eſſet rationem ſpeculativam cer-

certam eſſe, & ſine formidine, ut licitum eſſet operari, efficeretur, tam peritos, quàm imperitos numquam rectè operari, niſi ſequentes tutiorem partem; quia non poſſunt non ſpeculativè habere aliquam formidinem, quamdiu minùs tutam partem ſequuntur. Poſtremò, quia cùm dicitur, licitum non eſſe agere cum dubio, aut ſcrupulo conſcientiæ, intelligi debet de dubio, & ſcrupulo, qui opponitur certitudini conſcientiæ: cùmque conſcientia non ſit rationis ſpeculativæ, ſed practicæ, de re hic, & nunc; conſequitur, dubium, & ſcrupulum debere eſſe, non de re ſumpta ſpeculativè univerſim, ſed de re hìc, & nunc.

103. Eamdem ſententiam cum prædicta moderatione ſequitur Navarrus in cap. *Si quis* de pœnit. diſt. 7. num. 61. 62. & 63. eamque hac ratione confirmat. Formido de re univerſè conſiderata connexionem non habet cum formidine de re in ſingulari conſiderata, nec contra; accidere enim poteſt, ut quis certus ſit de propoſitione univerſali, dubius verò de ſingulari: nam quicumque Chriſtianus certò credit, omnia, quæ habentur in Scriptura, vera eſſe; multi autem dubitant, an Tobias habuerit canem. E contra etiam contingit, aliquem eſſe certum de propoſitione ſingulari, & habere formidinem de propoſitione univerſali: multi enim iter faciunt diebus feſtis ſine ullo dubio, & formidine circa rem illam ſingularem; qui tamen ſi interrogarentur, an liceat in univerſum iter facere diebus feſtis, formidarent, & dubitare inciperent.

104. Hanc Cajetani, atque Navarri doctrinam plures recentiores ſequuntur, & magni faciunt, ſubdit ibi Vazquez, ego nullatenus probo. Quia non video, quomodo illa diſtinctio cohærere poſſit. Si enim formido accipiatur pro dubitatione, uti ab his Doctoribus accipitur, tunc ex opinione ſic dubia, & ambigua, non poterit quis formare judicium particulare, quòd ſibi licitum ſit illud, de quo in genere dubitat an ſit licitum. Si verò formido accipiatur propriè, ut contradiſtinguitur à dubio; tunc neque requiritur, ut judicium particulare conſcientiæ ſit abſque omni formidine logica: ut patet ex dictis. Eandem diſtinctionem impugnat meritò P. Vazquez ubi nuper, dicens; *eſſe abſque fundamento, & exempla, quibus utuntur nihil habere momenti*. Primùm quidem, quia vix, inquit, intelligi poteſt, quo pacto intellectus dubius ſit, aut formidinem habeat de aliqua propoſitione univerſali, & de ſingulari contenta directè ſub illa certus omninò ſit abſque dubio, & formidine; cùm eadem omnino ſit ratio aſſentiendi, aut dubitandi de univerſali propoſitione, & de ſingulari expreſſa, contenta ſub ea. Nam qua, obſecro, ratione, poteſt quis formidinem habere, & dubitare, an aliquid liceat in univerſum, & certus eſſe abſque formidine, illud ſibi licere; non ſubſiſtente peculiari aliqua ratione potiùs pro ſe, quàm pro aliis? Contra etiam, ſi quis dubitat, formidinemve habet de aliquo ſingulari, an ſibi liceat, cur etiam non dubitabit, & formidabit, an illud liceat in univerſum cæteris omnibus; cùm nulla pro aliis peculiaris cauſa, & ratio ſit?

104. Duo autem exempla, quibus contendit Navarrus oſtendere, diverſam eſſe rationem univerſalis, & ſingularis propoſitionis contentæ ſub univerſali, ut poſſit eſſe de una formido, & dubitatio, & non de alia, frivola ſunt, ut mox conſtabit. Alterum eſt de eo, qui certus eſt, omnia, quæ in Sacra Scriptura traduntur, vera eſſe; dubitat tamen, an Tobias canem habuerit. Hoc autem ideo contingit, quia ille qui certus eſt de univerſali, ignorat, an ſingulare illud contineatur in Scriptura: quòd ſi ſciret in Scriptura eſſe, nō poſſet de illo dubitare, aut formidinem habere, nec formidaret vel dubitaret de propoſitione univerſali: tunc autem contingit ignorari, ſingularem propoſitionem contineri ſub univerſali, quando non eſt expreſsè de eodem ſubiecto, & prædicato, ſicut in prædicto caſu. Nam Tobiam habuiſſe canem, non eſt propoſitio de eodem ſubiecto, & prædicato cum illa univerſali: *Quidquid continetur in Scriptura, verum eſt*. At in illo caſu de lucro ultra ſortem mutui ratione lucri ceſſantis, univerſalis,

lis, & ſingularis propoſitio eſt expreſsè de eodem ſubiecto, & prædicato, & ſtatim conſtat ſingularem contineri ſub univerſali; nec ulla ratione quis hoc ignorare poteſt. Verbi cauſa, univerſalis propoſitio eſt: *Cuicumque licitum eſt, accipere ultra ſortem mutui aliquid, propter lucrum ceſſans*. Singularis autem eſt: *Mihi licitum eſt, accipere ultra ſortem mutui aliquid, propter lucrum ceſſans*: & ſatis notum eſt, ſingularem hanc propoſitionem ſub univerſali illa contineri; ita ut nemo id ignorare poſſit. Qui ergo certus eſt de univerſali ſine formidine oppoſitæ partis, & ſine dubitatione; certus etiam erit de ſingulari ſine formidine, & dubitatione de oppoſita: cùm eadem ſit ratio utriuſque, & ſatis ſit manifeſtum, ſingularem ſub univerſali contineri. Et contra, ſi quis dubius eſt de ſingulari, aut formidinem habet de oppoſita, non poterit non eſſe dubius de univerſali, aut formidinem habere de oppoſita.

105. Alterum exemplum eſt de eo, qui iter facit die feſto, nullam habens dubitationem, aut formidinem, an ſit peccatum; qui ſi interrogetur, an in univerſum illud liceat, incipit dubitare, aut formidinem habere. Hoc autem non ideo contingit, quia ſimul quis certus ſit de ſingulari directè contento ſub univerſali ſine formidine oppoſitæ partis, & dubius de univerſali, aut cum formidine de oppoſita parte (hoc enim planè repugnat, ut hactenus oſtẽdimus, cùm eadem ſit ratio utriuſque) ſed ideo ita ſolet accidere, quia imperiti, & rudes homines, qui aliquando ſine dubio, ſcrupulo, & formidine operantur, cum interrogantur de eo, quod faciunt, an illud univerſim liceat; incipiunt dubitare, eo quòd ipſa interrogatio difficultatem ipſis ingerit, hoc ipſo, quòd alii id interrogantes, de ea re dubitare videntur. Tunc autem non ſolùm incipiunt dubitare, aut formidinem habere circa univerſalem propoſitionem, ſed etiam circa ſingularem: hoc eſt, non tantùm dubitant, an illud univerſim omnibus liceat, aut formidinem habent de oppoſita parte univerſalis propoſitionis, ſed etiam dubitant de ſingulari, nempe an ſibi liceat; & formidinem habere incipiunt de oppoſita: quia vident eandem eſſe omnino rationem.

106. Quod verò dicebat Cajetanus, judicium ſingulare eſſe rationis practicæ, univerſale autem eſſe rationis ſpeculativæ; & ideo poſſe eſſe formidinem de oppoſita parte cum judicio univerſali, non exiſtente formidine cum judicio ſingulari: parum habet momenti. Quia cùm utrumque judicium, tam univerſale, quàm ſingulare verſetur circa eandem rem, & operationem universè, aut ſingulariter conſideratam, & eadem omnino ſit ratio utriuſque; non poteſt cum uno judicio eſſe formido alterius partis, & cum altero non eſſe; ſive judicium ſit per modum ſpeculationis, ſive per modum practicæ conſiderationis: cùm ſit idem ſubiectum, idemque prædicatum ſolùm differens tamquam univerſale, & ſingulare. Hactenus Vazquez, ſolidè ſatis, & nervosè.

107. Quapropter ipſe exiſtimat, poſſe aliquem rectè operari, cum aſſenſu tantùm probabili, etiamſi habeat formidinem oppoſitæ partis; non ſolùm, ſi formidinem habeat ſimul cum judicio univerſali, ſed etiam, ſi habeat cum judicio ſingulari; nec tantùm formidinem habeat per principia intrinſeca rei, ſed etiã per extrinſeca. Hanc doctrinam ego veram exiſtimo: quia hoc ipſo, quòd quis prudenter judicat, contractum aliquem eſſe ſecundùm ſe licitum ob motiva præeminentia, & clarè veriſimiliora motivis partis oppoſitæ; non operatur in dubio an contractus ille ſit licitus, necnè, verùm operatur ex perſuaſione prudenti, quòd ſit licitus; & ita operatur, ut minimè eſſet operaturus, ſi poſſet prudenter judicare eſſe illicitum, imò ſi eſſet anceps an ſit illicitus, eo quòd pro hac parte videat fundamenta æqualia fundamentis partis oppoſitæ: operatur, quia pro parte benignâ videt fundamenta clarè præſtabiliora fundamentis partis oppoſitæ, à quibus vehementer impellitur ad judicandum, contractum eſſe licitum; & judicat eſſe licitum, non quia vult judicare, ſed quia habet rationes

va-

Digitized by Google

validas ad ita judicandum. Qui operatur in dubio, ideo peccat, quia virtualiter contemnit legem,& Legislatorem; & lucrum temporale præfert gratiæ, & amicitiæ Dei: & eligendo in dubio illo partem minùs tutam, virtualiter, & in actu exercito dicit: *Sive detur Lex prohibens hunc contractum, ſive non detur; ego volo contractum iſtum exercere, & lucrari*. At verò, qui ex ſincero deſiderio non offendendi Deum, inquirit veritatem,& examinat diligenter ſine paſſione, & præcipitatione, an contractus ille ſit licitus; & poſt diligens examen invenit pro illa parte fundamenta clarè majora, ille ex vi horum fundamentorum judicat prudenter, rem illam non eſſe prohibitam, & illam facit, quia judicat eſſe licitam; minimè facturus, ſi poſſet judicare eſſe illicitam.

108. Et quamvis agnoſcat, hoc ſuum judicium non eſſe evidens,nec ex ſe connexum cum veritate; ac proinde cognoſcat, non repugnare, quòd ſit falſum; nihilominus non habet rationes ſufficientes ad judicandum, eſſe falſum; imò non habet rationes ſufficientes ad hoc, ut maneat dubius, & anceps,neque poſſit de una parte potiùs, quàm de alia judicare: ſed prudentiſſimè poteſt judicare, rem eſſe licitam, & nullo modo poteſt judicare eſſe in ſe malam, & prohibitam. Ex ſuppoſitione autem hujus judicii ſic prudenter concepti, licitè poteſt rem exequi, & contemnere, inſtar ſcrupuli, formidinem partis oppoſitæ. Ea formido nequit eſſe judicium, quòd res ſit illicita; quia implicat, ut is, qui iudicat, rem eſſe licitam, ſimul iudicet eſſe illicitam: ſed vel eſt apprehenſio aliquo pacto inclinans ad ita iudicandum (quæ licet aliquo pacto ſuadeat, non tamen poteſt perſuadere, rem eſſe illicitam; quia concurrit cum rationibus fortiùs moventibus ad ſuadendum eſſe licitum) vel eſt iudicium de poſſibilitate, quòd contractus ille ſit illicitus; vel eſt timor exiſtens in appetitu ſenſitivo, ſine ratione ſufficiente,à qua reguletur. Ergo poteſt quis licitè exercere contractum, quando iudicat prudenter eſſe licitum; quamvis habeat formidinem purè logicam, quâ agnoſcat, ſe poſſe in eo falli, & non repugnare, quòd actus ſit illicitus.

109. Quare regula illa, *In dubiis tutior pars eſt eligenda*, ſi ſit præceptiva, & non merè conſiliativa, debet intelligi de dubio propriè, quando intellectus non iudicat, rem eſſe licitam, nec iudicat oppoſitum; ſed eſt anceps, & dubius, nec poteſt prudenter dubium reſolvere. Vnde Doctor Navarrus in Commentario ad cap. *Si quis autem*. de Pœnitentia diſtinct. 7. ubi regulam illam latè examinat, poſt multa corollario 10. num. 48. *Inferimus*, inquit, *eum non peccare ratione dubietatis, qui de duabus opinionibus alteram eligit, eò quòd bonâ fide credit eſſe veram: hujuſmodi enim homini res illa non dubia eſt. Nam dubitare dicitur ille, cujus animus ſe applicat ad diverſa, & neutrum eligit.*

110. Igitur ſicut omnes, etiam rigidiſſimi, dicere debent, quòd licet dentur contrariæ opiniones in ſe probabiles circa aliquem contractum, an ſit licitus, necne; & conſequenter in communi, & generatim loquendo dubium ſit, an ille contractus ſit licitus (omnes enim res controverſæ inter Doctores Catholicos, de quibus dantur opiniones contrariæ, dicuntur abſolutè loquendo res dubiæ hoc ipſo, quòd controvertatur, an ſint licitæ, necne) nihilominus, aiunt, non agit in dubio,nec tenetur eligere partem tutiorem ille, apud quem pars minùs tuta apparet moraliter certa, & qui ſine formidine iudicat,rem illam eſſe licitam: quia licet, abſolutè loquendo, res illa ſit dubia, & cadat ſub controverſiam Doctorum, in qua alii probabiliter affirmant, & alii probabiliter negant; nihilominus res illa non eſt ipſi dubia,quandoquidem priùs reſolvit dubium,& partem minùs tutam, ut unicè veram, iudicio firmo amplexus eſt. Ita,dico ego, non agit in dubio, qui poſt diligentem veritatis inquiſitionem eligit partem minùs tutam, eò quòd apparuit ipſi in actu primo ſenſibiliter, & clarè veriſimilior, & propterea iudicata fuit ab ipſo pars illa unicè vera iudicio opinativo prudenti: non enim eſt dubium,an con-

Digitized by Google

tractus ſit licitus ei, qui determinatè iudicat, illum contractum eſſe licitum: nam, ut ſupra dicebat Doctor Navarrus, *Dubitare dicitur ille, cujus animus ſe applicat ad diverſa, & neutrum eligit.* Et ſicut res illa non diceretur moraliter dubia in genere, ſi omnes ſapientes tenerent eandem ſententiam; ſeu ſi omnes convenirent in aſſerendo, rem eſſe licitam, nec daretur varietas opinionum inter Doctores: ita non dicitur dubia Doctori illi, qui poſt diligens examen aſſerit, rem eſſe licitam ob fundamenta, quæ pro illa parte ipſi apparuerunt clarè urgentiora.

CAPVT VLTIMVM.

Solvuntur ex dictis argumenta contendentia, ad licitè ſectandam ſententiam minùs tutam, requiri omnimodam certitudinem de ejus veritate, ſine ulla formidine partis oppoſitæ.

111. OBjicies primò: Omnis contemptus legis Dei eſt peccatum: Atqui ſequitur opinionem minùs tutam probabiliorem in occurſu tutioris minùs probabilis, contemnit legem Dei (quia eo ipſo virtualiter dicit; *non obſtante hac lege apparente, ego volo objectum eâ lege prohibitum*) Ergo, &c. Reſpondeo negando minorem: quia qui ſequitur opinionem minùs tutam, non illam ſectatur, quin ob motiva præeminentia motivis contrariæ, priùs iudicet eſſe veram, & opinionem contrariam eſſe falſam. Vnde non illud virtualiter dicit; ſed hoc aliud: *Quia judico prudenter, nullam extare legem Dei, hoc opus prohibentem, ideo volo iſtud opus exequi; non executurus, ſi prudenter hic, & nunc judicare poſſem, talem legem extare.*

112. Objicies ſecundò: Quamdiu objecti honeſtas non eſt certa, eius inhoneſtas eſt dubia: ergo ſemper eſt illicitum illud amplecti, niſi certi ſimus de eius honeſtate; quia in dubiis non poſſumus ſectari partem minùs tutam: Atqui ubi cum ſententia minùs tuta probabiliori concurrit opinio contraria, etſi minùs probabilis, objecti honeſtas non eſt certa: Ergo, &c. Reſpondeo, non eſſe objecti honeſtatem dubiam apud eum, qui iudicio abſoluto reſolutoriè affirmat, rem illam eſſe honeſtam, eò quòd habet ad hoc urgentia fundamenta; & ad oppoſitum non habet fundamentum, quod hic, & nunc movere poſſit virum prudentem: ut contingit in noſtro caſu. Quamvis enim ſententia tutior ſit abſolutè probabilis, eiuſque fundamenta ſint magna reſpectu Doctorum illius ſententiæ; non tamen ſunt magna reſpectu eius, cui fundamenta ſententiæ minùs tutæ apparent evidenter maiora, & probabiliora; ſed potiùs reſpectivè ad illum ſunt levia. Sic mons abſolutè inſpectus eſt magnus, & comparativè ad cœlum eſt parvus, vel comparativè ad alium multò maiorem. Itaque ad argumentum in forma neganda eſt maior; quia licet illa honeſtas non ſit certa, quatenus non dantur argumenta demonſtrativa ad illam probandam; non tamen inde ſequitur eſſe dubiam, quia datur medium; nempe eſſe creditam iudicio opinativo concepto prudenter. Nam dubium propriè ſolùm intercedit, quamdiu intellectus anceps eſt, nec reſolutoriè affirmat aliquam ex partibus contradictionis.

113. Adde, tunc illam honeſtatem eſſe moraliter certam; quia ad certitudinem moralem ſatis eſt, quòd ob motiva vehementia, & clarè præeminentia motivis partis oppoſitæ, ſibi quis perſuadeat, rem eſſe honeſtam. Cùm enim in rebus moralibus maior certitudo ſit impoſſibilis, ſatis eſt ad moralem certitudinem, quòd res aliqua iudicetur vera ob motiva vehementia, quæ clarè præeminent oppoſitis. Quod egregiè probat doctiſſimus Gerſon lib. 4. de Conſolat. Theolog. proſ. 2. ubi Certitudine diviſâ in *ſupernaturalem, naturalem, & moralem*, ſubdit: *Moralis eſt, quæ habetur ex probabilibus conjecturis groſſis, & figuralibus, magis ad unam partem, quàm ad aliam inducentibus, ſeu perſuadentibus. Illa certitudo non removet in una parte omnem probabilitatem, vel opinionem alterius partis, licet magis declinet ad iſtam,*

Digitized by Google

iſtam, quàm ad aliam. Admittit etiam formidinem de oppoſito, & ſcrupulos, non tamen advertendos, ſed contemnendos; & hæc certitudo ſufficit in moralibus ſecundùm Philoſophum 1. Ethic. dicentem: Diſciplinati eſt in unaquaque re certitudinem quærere juxta exigentiam materiæ. Æquè enim vitioſum eſt (inquit) *Mathematicum perſuadentem quærere, & Moralem demonſtrantem.* Hucuſque Gerſon. Cuius verba ſic refert, & mentem ſequitur Gabriel in 4. diſt. 16. quæſt. 3. art. 1. lit. EE. Idem docet Angelus verb. *Opinio*, num. 2. ac D. Antoninus part. 1. Sum. tit. 3. cap. 10. §. 10. ubi relatis verbis Gerſonis, & Philoſophi, ſubdit: *Non enim conſurgit certitudo moralis ex evidentia demonſtrationis, ſed ex probabilibus conjecturis groſſis, & figuralibus, magis ad unam partem, quàm ad aliam ſe habentibus. Dicitur autem probabile, quod pluribus, & maximè ſapientibus apparet verum. Ex his igitur ſequitur, quòd in humanis agibilibus, quæ tantam habent varietatem teſte Ariſtotele, & experientiâ, ſufficit talis certitudo, quæ non ſemper omnes ſcrupulos abjiciat; ſed ſufficit, ut contemnat, ſeu ſuperet eos.* Ita S. Antoninus.

114. Objicies tertiò cum Fagnano in cap. *Ne innitaris*, de Conſtit. num. 95. & 96. Qui habet ſuſpicionem, ſcrupulum, ſeu debilem credulitatem, quòd actio ſit illicita, peccat, ſi ſtante tali credulitate, & ſcrupulo illam ponat. Nam in cap. *Per tuas.* 2. de Simonia, expreſsè dicitur, eſſe peccatum, operari contra conſcientiam ſcrupuloſam, niſi priùs ſcrupulus deponatur. Et in cap. *Inquiſitioni*, de Sent. Excommunicat. dicitur, quòd conjux habens conſcientiam ex credulitate levi, ac temeraria de impedimento dirimenti, poſſit exigere debitum; ſi tamen ad Paſtoris ſui conſilium explodat conſcientiam levem, ac temerariam. Unde ſequitur, quòd petendo debitum peccaret, ſi conſcientia illa temeraria maneret, & non exploderetur. Sed, qui habet opinionem probabilem, affirmantem, actum eſſe licitum, neceſſario habet ſuſpicionem, ſcrupulum, & levem credulitatem, quòd actus ſit illicitus; quia omnis opinio eſt aſſenſus cum formidine oppoſiti. Ergo qui habet talem opinionem probabilem, non poteſt illam ſequi abſque peccato. Hoc argumentum putat Fagnanus inſolubile. Et quamvis illud non adhibeat adversùs uſum opinionis probabilioris, ſed contra uſum opinionis præcisè probabilis; quia tamen videtur etiam contra nos militare, hìc examinandum eſt eius robur.

115. In primis noto, hunc Authorem contrarium nobis non eſſe. Nam & ipſe num. 225. apertè docet, cuicumque licitum eſſe ſequi partem minùs tutam, modò illa ſit multò probabilior; non obſtante minore partis tutioris probabilitate. Imò num. 448. admittit, licitum eſſe ſequi opinionem unius Authoris, etſi minùs tutam, quando nullus Doctor eſt in contrarium; quamvis rationes utrique parti faventes ſint omnino æquales in probabilitate. Redditque rationem; quia rationes authoritate munitæ præponderant rationibus æquè probabilibus authoritate deſtitutis. Demum num. 438. & 449. admittit, licitum eſſe ſequi opinionem ſingularem contra communem, dummodo ſit verior: id eſt, dummodo rationes efficaciores pro illa afferantur, quàm quæ militant pro ſententia communi.

116. Ad argumentum ut reſpondeam, in medium proferam egregiam doctrinam, quam ipſe Fagnanus num. 14. & num. 216. ut ſupra etiam dixi, adfert ex Bartholo in l. *Admonendi.* num. 19. ff. de Jureiurando. & ex Baldo in leg. *Bonæ fidei.* num. 100. de Reb. Cred. Ponit enim quatuor gradus, quibus homo ad formandam plenam de malitia, vel bonitate ſui actûs credulitatem aſcendit. Primus gradus eſt, cùm quis incipit dubitare, an actus ſit illicitus: & iſte gradus nihil habet probationis, vel credulitatis; quia dubitans non magis applicat animum ad unam, quàm ad aliam partem. Secundus gradus, qui dicitur primus probationis, eſt, quando animus ex levi indicio inclinat ad credendum, quòd actus ſit malus: & talis actus vocatur ſuſpicio, vel ſcrupulus; quia eſt credulitas ex levibus conjecturis: & propterea vocatur conſcientia leviter, ſeu ſcrupu-

loſè

loſè formata. Tertius gradus, qui dicitur ſecundus in probando, eſt conſcientia probabilis, ex gravi, ſed fallibili fundamento formata. Quartus, qui eſt tertius, & ultimus probationis, eſt certitudo, & plena veritatis convictio; quæ dicitur plena credulitas: & appellatur fides.

117. Ex hac Juriſperitorum diſtinctione facile erit argumentum diſſolvere. Nam maior vera eſt, ſumptâ ſuſpicione, credulitate, & ſcrupulo pro iudicio quodam temerè, & ex levibus fundamentis concepto de malitia operationis. Qui enim eiuſmodi conſcientiâ ſcrupuloſâ laborat, non poteſt licitè operationem exercere, niſi priùs deponat eam conſcientiam, aut ſcrupulum, formando iudicium prudens ex gravibus fundamentis, quo decretoriè affirmet, operationem eſſe licitam: quia implicat ſimul iudicare temerè, & ex levibus fundamentis, rem eſſe illicitam; & ſimul iudicare prudenter ex gravibus fundamentis, non eſſe illicitam. Et in hoc ſenſu loquuntur Jura à Fagnano in maiori citata de ſcrupulo, & ſuſpicione. Conceſsâ ergo maiori in ſenſu Juriſperitorum, neganda eſt minor. Quia cum iudicio opinativo de honeſtate operationis, præſertim elicito ex vi rationum manifeſtè præponderantium rationibus occurrentibus pro malitia eiuſdem operationis, non componitur illa inclinatio, ſeu iudicium ex levibus indiciis conceptum. Nam cum illo iudicio opinativo non componitur, quod eſt minus, nempe primus ille gradus, qui conſiſtit in dubitatione. Ergo multò minùs quod eſt maius; nempe ſecundus gradus, qui eſt primus probationis, conſiſtens in iudicio non ſatis firmo, utpote concepto ex levibus conjecturis. Sicut enim, qui prudenter iudicat, rem eſſe honeſtam, non dubitat propriè, an ſit illicita, quia dubium importat ſuſpenſionem iudicii: ita qui iudicat eſſe honeſtam, non ſuſpicatur eſſe turpem, nec habet conſcientiam de malitia ex credulitate levi, ac temeraria; ſed ſolùm habet apprehenſionem rationum levium, militantium pro malitia actionis: quas rationes contemnit, dum format conſcientiam rectam de honeſtate operationis. Quòd ſi antecedenter habeat conſcientiam, ſeu credulitatem de malitia operationis propter leves rationes; eam credulitatem deponit, dum ob rationes graves denuo propoſitas format iudicium firmum, & decretorium de honeſtate operationis: quamvis maneant objectivè in apprehenſione rationes leves, ob quas antea temerè conceperat credulitatem de malitia operationis. Quod clarè conſtat ex illo cap. *Inquiſitioni*, 44. de Sent. Excommunic. ubi Innocentius III. expreſsè aſſerit, conjugem, qui non eſt certus de validitate matrimonii, poſſe non ſolùm reddere, ſed etiam petere debitum conjugale, deponendo conſcientiam, & credulitatem temerè antea conceptam ex levibus fundamentis; & contemnendo rationes, quibus antea ducebatur, per ſui Paſtoris conſilium. Verba Pontificis repetamus: *In ſecundo*, ait, *diſtinguimus, utrùm habeat conjux conſcientiam ejuſmodi ex credulitate levi, & temeraria; an probabili, & diſcreta. Et quidem, ad ſui Paſtoris conſilium conſcientiâ levis, & temerariæ credulitatis exploſâ, licitè poteſt non ſolùm reddere, ſed exigere debitum conjugale.*

118. Si autem rationes iſtæ leves, manentes objectivè in apprehenſione hominis prudenter iudicantis, rem eſſe licitam, ipſum aliqualiter pungunt, ſunt ſcrupuli, qui contemnuntur, & rectè cohærent cum honeſtate operationis, nec rem faciunt propriè dubiam; & quamvis in hominibus valde timidis aliquam anxietatem, & timorem generent, hic tamen prudenter contemnitur. De quo rurſus audiatur D. Antoninus 1. part, Sum. tit. 3. cap. 10. §. 10. ita loquens: *Qui agit ſcienter id, de quo dubitat eſſe mortale, permanente dubitatione peccat mortaliter, etiamſi illud in ſe non eſſet mortale, ſumendo ſtrictè, & propriè Dubitationem, &c. Sed ſi dubitet leviter quis, & per modum ſcrupuli, ſicut dubitat, vel formidat, habens opinionem de aliquo, quia ita inhæret ipſi ſententiæ, ut formidet de oppoſito; ſic agendo contra tale dubium non peccat, dum adhæret opinioni alicujus Doctoris, & habet rationes probabiles pro*

ipſa

Digitized by Google

ipſa magis, quàm pro oppoſita opinione; etiamſi opinio, quam tenet, non eſſet vera.

119. Hinc tamen infero; quando in intellectu operantis occurrunt rationes æquè probabiles pro inhoneſtate operis, vel maiores, quàm pro honeſtate, non licere ſectari opinionem minùs tutam, quamvis ex imperio voluntatis phyſicè poſſet intellectus tunc formare iudicium opinativum de honeſtate operationis. Ratio eſt; quia fundamenta illa gravia partis contrariæ, magis, vel ſaltem æquè impellentia ad iudicium de inhoneſtate, non poſſunt prudenter contemni; ac proinde obligant ad ſectandam partem tutiorem. Numquam enim poterit coram Deo iuſtam defenſionem habere, qui habens maius, vel ſaltem æquale fundamentum ad iudicandum, rem eſſe turpem, & Deo injurioſam, ac ad iudicandum eſſe honeſtam, eam nihilominus exequitur. Cæterùm ubi fundamenta pro honeſtate manifeſtè præeminent in probabilitate, & veriſimilitudine fundamentis oppoſitæ partis, non immeritò hæc contemnuntur.

120. Quod autem adducitur ad probandum, opinionem probabilem neceſſariò habere adjunctam ſuſpicionem, ſcrupulum, & credulitatem partis oppoſitæ; quia omnis opinio eſt aſſenſus cum formidine oppoſiti: præterquam quòd non probat de ſcrupulo, & ſuſpicione, ſumptis in ſenſu Juriſperitorum pro iudicio temerè concepto de malitia operationis, dico nec probare neceſſariò de ſcrupulo ſumpto pro ſimplici apprehenſione rationum, militantium pro malitia operis, quæ apprehenſio cauſet aliquem timorem, & anxietatem, ſeu actualem formidinem. Nec enim iudicio opinativo eſt eſſentiale, inducere illam actualem formidinem. Nam quando opinio minùs tuta eſt unicè probabilis, (quia unicè pro illa occurrunt fundamenta gravia, pro oppoſita autem nihil occurrit, vel ſolùm occurrit ratio levis, quæ ut improbabilis debet rejici) tunc iudicium opinativum non inducit illam ſuſpicionem, & anxietatem: tunc enim ſecurus quieſcit operans, nec ſcrupulis pungitur, habetque moralem certitudinem, & magnam ſecuritatem, tranquillitatem, ac pacem conſcientiæ. Et ita communiter contingit in noſtro caſu, quoties motiva opinionis favorabilis clarè præſtant motivis oppoſitis; quæ licet reſpectivè ad alios ſint magna, parva tamen ſunt reſpectivè ad operantem in iis circumſtantiis.

121. Dices: Quicumque iudicio ſolùm opinativo iudicat, rem eſſe licitam, ſimul cum hoc iudicio habet hunc actum: *Forſan res hæc eſt illicita*; ſaltem quando pro inhoneſtate operationis occurrunt aliquæ rationes, quæ viros prudentes moverunt ad iudicandum, rem eſſe illicitam. Reſpondeo, neg. antecedens; quia opinio eſſentialiter ſolùm importat id, quo diſtinguitur à ſcientia. Solùm autem differunt in eo, quòd ſcientia affirmat, rem ita eſſe, ut repugnet non eſſe: opinio autem ita affirmat rem eſſe, ut non repugnet non eſſe. Itaque opinio importat duo, aſſenſum circa actum, & aſſenſum circa non-repugnantiam ad oppoſitum. Atque adeo opinans non dicit: *Hic actus eſt licitus, & forſan eſt illicitus*; ſed dicit: *Hic actus eſt licitus; ſed non repugnat eſſe illicitum.* Et ita ſimul affirmat, non repugnare malitiam actui, & de facto ipſi non competere. Cognoſcit non repugnare, quòd opinio contraria ſit vera; cæterùm ſimul aſſeveranter affirmat de facto, non eſſe veram. Quare ex ſe non importat metum, vel hæſitationem, aut anxietatem circa malitiam.

122. Objicies ultimò. Etſi probabilius ſit, rem eſſe licitam; tamen, qui ſtante aliqua probabilitate de malitia operis, illud exequitur, ſe exponit periculo violandi legem Dei, actum illum prohibentis. Ergo non licet ſequi opinionem minùs tutam, etſi magis probabilem, relictâ tutiore. Reſpondeo, neg. antecedens. Nam ubi opinio favens libertati clarè præeminet probabilitate, prudenter iudicat quis, rem eſſe licitam, ſeu non exiſtere legem prohibitivam talis rei. Non enim quis ſe exponit periculo morali violandi legem, quando prudenter iudicat, legem illam non exiſtere; & de hoc habet probabilem quamdam certitudinem. Quod egregiè docet

Ger-

Digitized by Google

Gerſon part. 2. de Contract. prop. 13. *Dicimus* (inquit) *quòd probabilis certitudo ſufficiat in moralibus, ut non ſe exponat quis periculo; ut dicunt Doctores de celebrante Miſſam, & ſimilibus, ubi requiritur ſtatus gratiæ, quòd ſufficit ad hoc probabilis conjectura. Quia certitudo alia ſine revelatione non habetur; prout in moralibus dicit Ariſtoteles, ſumendam eſſe certitudinem groſsè, & figuraliter; quæ certitudo non removet in una parte omnem probabilitatem, vel opinionem alterius partis; licet magis declinet ad iſtam, quàm ad aliam: quod ſufficit.*

123. Quare optimè Navarrus in Manuali cap. 27. num. 284. explicat illam regulam deſumptam ex cap. *ad Audientiam.* de Homicid. & ex cap. *Si quis autem.* de Pœnit. diſt. 7. videlicet: quòd *in dubio tutior pars eſt eligenda*; affirmans, quòd procedit tantùm *in propriè dubio*; *quale non eſt, cum ſufficienti authoritate, aut ratione altera pars credetur, nec cùm ex multis opinionibus una pro vera eligitur.* Quapropter qui ob maiora fundamenta ſententiæ favorabilis prudenter judicat, rem eſſe licitam, non operatur cum dubio, an ſit illicita, ſed cum morali ſecuritate, quòd eſt licita.

124. Ex dictis infertur; quòd ſi ſemel ſupponatur, poſt ſufficientem veritatis inquiſitionem, citra omnem culpam, mihi apparere ſenſibiliter veriſimiliorem ſententiam minùs tutam, non peccabo ſequendo illam, quamvis reipsâ ſit falſa. Ratio eſt; quia qui errat circa id, quod ſcire non tenetur, ex ſua conſcientia abſolvitur, ut docet D. Thomas quæſt. 17. de Veritate, art. 3. ad 4. At qui facit id, quod poſt debitam veritatis inquiſitionem apparet ipſi ſenſibiliter, & clarè veriſimilius, non tenetur ſcire oppoſitum. Nec enim tenetur ad contrarium judicium certum, utpote impoſſibile; nec ad minus veriſimile, utpote tunc etiam impoſſibile; vel ſi ſit phyſicè poſſibile, non niſi temerè imperandum à voluntate; vel licet prudenter poſſit imperari, abs dubio minùs prudens. Ergo quamvis opinio minùs tuta tunc ſit reipsâ falſa, non peccabo ſequendo illam, & tranſgreſſio legis erit purè materialis: quia tunc laboro ignorantiâ probabili me excuſante.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO UNDECIMA.

In qua diſquiritur ; An , & quo modo poſſit homo licitè ſequi opinionem minùs tutam probabilem , reipsâ falſam , circa Jus naturale : & in qua oſtenditur contra nonnullos Theologos, poſſe dari ignorantiam inculpabilem Juris naturalis attinentis ad unumquemque , quoad concluſiones valde remotas à primis principiis , de quibus ſunt opiniones contrariæ inter Doctores Catholicos.

CAPUT I.

Proponitur ſententia Authoris benigni, affirmantis, eum, qui ſectatur opinionem minùs tutam , ſibique directè minùs probabilem, ſeu minùs veriſimilem , reipsâ falſam , operari cum ignorantia invincibili malitiæ.

1. PATER Antonius Terillus in libro de Conſcientia Probabili, quæſt. 23. num. 109. diſertè affirmat , omnem probabilitatem, quòd objectum aliquod non ſit prohibitum , etiam in contradictione probabilitatis directè maioris pro parte contraria , neceſſariò connecti cum ignorantia invincibili legis Divinæ prohibentis tale objectum.

2. Quærit Terillus eâ q. an in praxi liceat ſequi opinionem minùs probabilem , minùs tutam? Et n. 1. notârat, *Hanc quæſtionem in primis reſtringi ad probabilitatem certam quoad nos : nam probabilitas* (inquit) *ſolùm probabilis ad ſecuritatem conſcientiæ non ſufficit: deinde reſtringi ad probabilitatem practicam, quæ ſcilicet annuntiat , aliquod objectum eſſe licitum. Tertiò reſtringi ad probabilitatem directam, & quæſtionem eſſe : Utrùm certa probabilitas partis minùs tutæ , etſi illa ſit , & credatur eſſe, directè loquendo, minor probabilitate partis oppoſitæ, ad fundandam conſcientiæ ſecuritatem ſufficiat?* Poſtquam autem hoc explicavit , poſtea num. 6. ſtatuit aſſertionem ſequentem: *Univerſaliter , tam in materia Fidei, quàm morum, unicuique licitum eſt ſequi quamcumque opinionem directè minùs probabilem, minùſque tutam , etſi oppoſita ſit, & credatur probabilior , ac tutior. Sed ſermo reſtringitur ad opinionem , cujus practica probabilitas eſt certa operanti.*

3. Hanc autem concluſionem latiſſimè ibi ſeptemdecim rationibus conatur perſuadere. Et poſtquam tredecim probationes confecerat , decimam quartam

Digitized by Google

his verbis conficit num. 109. *Evidens eſt, invincibilem ignorantiam legis Divinæ in omni materia à peccato excuſare. At omnis probabilitas, quòd objectum aliquod non ſit prohibitum, etiam in contradictione probabilitatis directè majoris pro parte contrariâ, neceſſariò connectitur cum invincibili ignorantia legis Divinæ prohibentis tale objectum. Ergo quævis probabilitas excuſat à peccato, & ſufficit ad ſecuritatem conſcientiæ. Major certa eſt, & ſupra quæſt. 16. demonſtrativè probata. Minor etiam mihi certa eſt. Sumo enim ullam materiam moralem, de quâ Theologi diſputant, ita tamen ut poſt longam diſputationem, & ſtudium diuturnum ſemper maneat probabile, objectum illud non eſſe à Deo prohibitum. In hoc caſu aſſero, homines de tali objecto invincibilem ignorantiam habere. Nonne illa ignorantia invincibilis eſt, quæ poſt ſtudium tot annorum, totque ingeniorum deſudantium acutiſſimas inveſtigationes vinci non potuit? Stultum enim eſt exiſtimare, illam ſolùm ignorantiam eſſe invincibilem, quæ procedit ex totali incogitantia alicuius obiecti; illa enim eſt materialis, & mortua, ut ita dicam, ignorantia, quæ merè per accidens eſt invincibilis. At illa, quæ poſt propoſitionem obiecti per diligens ſtudium, imò per totam naturæ humanæ induſtriam ſuperari, & vinci non poteſt, illa enimverò eſt ignorantia formaliter, & per ſe invincibilis. Talis eſt ignorantia legis Divinæ, contra cujus exiſtentiam motiva probabilia militant. Ergo in omni materia apud Theologos diſcuſſâ, & propter argumenta hinc inde probabilia adhuc dubiâ, datur formaliſſima ignorantia talis legis, illaque eſt planè invincibilis.*

4. *Jam verò, ſi ſermo ſit de aliquo objecto, de quo Theologi & Canoniſtæ nondum tractarunt, illudque ſit ſcitu difficile, dico unumquemque, qui ad probabilitatem de honeſtate illius obiecti pervenerit, conſtitutum eſſe in ignorantia invincibili legis Divinæ, vetantis obiectum eiuſmodi. Ille enim invincibiliter ignorat, qui poſt omnem diligentiam, quam adhibere tenebatur, non potuit ad veritatem rei pervenire. At homo qui poſt debitam diligentiam invenit rationes probabiliter ſuadentes, Deum tale obiectum non prohibuiſſe, non tenetur ulteriùs inveſtigare, & quærere veritatem; quia teneretur ad impoſſibile: impoſſibile enim eſt, quod homo de talibus objectis certitudinem, & ſcientiam habere poſſit. Quòd ſi fortaſsè aliquando contingeret poſſe hominem ad rei veritatem certò pervenire per ſtudium ulteriùs protractum, id tamen rariſſimum erit, & hic & nunc vix unquam prudenter ſperari poterit. At de talibus rarò contingentibus, de quorum morali poſſibilitate non datur præſumptio, nulla datur lex. Divina enim ſapientia, quæ omnia ſuaviter diſponit, non exigit ab homine, quod hominis conditionem ſuperat. At ſuperat hominis conditionem invenire certitudinem in rebus eiuſmodi, quippequæ aut ſemper, aut plerumque humani ingenij debilitati eſt impoſſibilis. Similiter ſæpe impoſſibile eſt, ut quis ad maiorem probabilitatem perveniat. Ergo neque ad illam inveſtigandam obligatur. Præterea fruſtra ad maiorem probabilitatem quærendam obligaretur homo, quia, illâ inventâ adhuc, maneret in invincibili ignorantia Divinæ legis; adeoque excuſaretur ab obligatione coarctandi libertatem, non ſecùs ac ſi de legis non exiſtentia certus eſſet; ergo fruſtra ad maiorem probabilitatem inveſtigandam cogeretur.* Hactenus Terillus.

CAPUT II.

Impugnatur illa ſententia, & oſtenditur, non operari cum ignorantia invincibili vel inculpabili malitiæ, qui operatur rem malam, quando iudicio opinativo prudenti poteſt iudicare eſſe malam, licet non valeat iudicare judicio omnino certo. Ubi quomodo ſit intelligenda illa regula: In dubiis tutior pars eſt eligenda.

5. HÆc doctrina falſa omnino eſt. Quòd ignorantia invincibilis legis Divinæ prohibentis excuſet à peccato, iam eſt omnino certum

poſt

poſt Decretum Alexandri VIII. in quo die 7. Decembris anno 1690. damnavit propoſitiones triginta & unam: nam inter damnatas, ſecunda eſt hæc; *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat à peccato formali.* At, *quòd omnis probabilitas, quòd obiectum aliquod non ſit prohibitum, etiam in contradictione probabilitatis directè majoris pro parte contraria neceſſariò connectatur cum ignorantiâ invincibili legis Divinæ prohibentis* (vt docet Terillus) eſt falſum. Nam licet Petrus poſt diligentem veritatis inquiſitionem, ſciat tres vel quatuor Authores aſſerere, aliquem contractum eſſe licitum, eorumque opinionem communiter cenſeri probabilem; ſi tamen ſciat, octo vel novem graviores aſſerere, illum contractum eſſe intrinſecè malum, & lege Divina naturali prohibitum; & ipſorum fundamenta videantur ipſi clarè præeminentia fundamentis ſententiæ contrariæ, quia evidenter experitur, ſe vehementiùs impelli ad aſſenſum per fundamenta illa, quàm per fundamenta ſententiæ benignæ; tunc Petrus prudenter iudicare poteſt, illum contractum eſſe intrinſecè malum, v.g. eſſe uſurarium, vel ſimoniacum: quia manifeſtum eſt, poſſe intellectum prudenter aſſentire, ut veræ, illi parti contradictionis, quæ poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra paſſionem, & culpam apparet illi clarè & manifeſtè veriſimilior. Manifeſtum eſt autem, quòd non operatur contractum intrinſecè malum cum ignorantiâ invincibili malitiæ, qui operatur prudenter iudicans, eum eſse intrinſecè malum, vel prudenter iudicare potens. Quare vel tunc Petrus iudicat contractum eſſe malum (& ſic operatur contra conſcientiam; ac proinde non operatur cum ignorantia) vel ſuſpendit iudicium de malitiâ, ad quod ferendum impellunt maior authoritas, & urgentior ratio: at hoc eſt voluntariè claudere oculos, & nolle intelligere, ut bene agat; eſt agere cum ignorantiâ voluntariâ, & vincibili; quæ ſcilicet potuit, ac debuit vinci. Nam ignorantia non ſolùm vincitur per cognitionem evidentem veritatis, ſed verò etiam per probabilem prudenter conceptam ob maiora fundamenta rationis, & authoritatis. Nec per bonam fidem ſe poteſt excuſare, qui habens maius fundamentum authoritatis, & rationis ad iudicandum aliquem contractum eſſe uſurarium; non vult hoc iudicare, ut abſtineat ab opere: ſed ſuſpendit iudicium, ut ſic procedat ad opus cum minore remorſu conſcientiæ. Quare falſiſſima eſt illa propoſitio: *Omnis probabilitas, quod objectum aliquod non ſit prohibitum; connectitur cum invincibili ignorantia Divinæ legis; adeoque excuſat à peccato, & ſufficit ad ſecuritatem conſcientiæ.*

6. Quòd poſt tot Doctorum diſputationes, non potuerit clarè & manifeſtè conſtare, an contractus ille ſit in ſe intrinſecè malus, & uſurarius, probat quidem ejus malitiam eſſe dubiam reſpectu communitatis hominum ſapientum; ſiquidem in illa communitate reperiuntur, qui affirment eſſe intrinſecè malum, & qui id negent: non eſt tamen dubia malitia illius cõtractûs apud eum, qui poſt diligentem veritatis inquiſitionem prudenter iudicat contractum eſſe malum; nec eſt dubia honeſtas illius contractûs apud eum, qui poſt diligentem veritatis inquiſitionem, citra paſſionem & culpam, invenit maius notabiliter fundamentum pro honeſtate illius contractûs, quàm pro malitia; & vi illius maioris fundamenti prudenter ſibi perſuadens, illum eſſe honeſtum, mediante hac perſuaſione proceſſit ad opus; non proceſſurus, ſi potuiſſet prudenter iudicare, illum contractum eſſe malum. Quare quoties res eſt controverſa inter Doctores, & alii affirmant, ac alii negant; pars affirmans non eſt dubia; ſed vera in mente affirmantium; & ſimiliter pars negans in mente negantiũ. Illudque axioma Juris, quòd *in dubiis tutior pars eſt eligenda*; debet intelligi non de dubio in genere, & reſpectu communitatis hominum: ſic enim omnia illa, de quibus dantur opiniones contrariæ

Hh 2 Do-

Digitized by Google

Doctorum, ſunt dubia in genere, & in communi: Si verò in hoc dubio eſſet obligatio ſequendi partem tutiorem; in omni quæſtione, de qua dantur opiniones contrariæ Doctorum, teneretur ſemper homo ſequi partem tutiorem; atque numquam liceret exequi actionem, niſi eſſet certum inter Doctores, & ſine controverſiâ, illam eſſe licitam: quod eſt manifeſtè falſum. Illud ergo axioma; *in dubiis tutior pars eſt eligenda*, debet intelligi de dubio reſpectu operantis: quando nimirum operans, attentis unius, & alterius partis fundamentis, manet anceps & dubius, quænam ex illis ſit vera; & ferre non poteſt iudicium pro una parte potiùs, quàm pro alia; quia momenta rationis, & authoritatis ſunt omnino æqualia pro una & altera parte. In hoc enim dubio debet eligere partem tutiorem; nec poteſt ſecurè partem faventem libertati amplecti, niſi prudenter ſibi perſuadeat illam eſſe veram, & voluntati Divinæ conformem; oppoſitam verò eſſe falſam & imponere ſuper capita hominum onus grave, à Deo non impoſitum. Hanc autem prudentem perſuaſionem acquirere non poteſt, niſi poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra paſſionem, & culpam, pars benigna appareat illi notabiliter veriſimilior parte ſeverâ.

7. Et quidem, quòd illud axioma, *in dubiis tutior pars eſt eligenda*, non debeat intelligi de dubio in genere, patet; quia hoc ipſo, quòd dentur opiniones probabiles Doctorum inter ſe contrariæ; reſpectu communitatis hominum, non eſt certum, rem illam eſſe malam; nec eſt certum eſſe licitam: ſed dubium & controverſum. Unde ſi in hoc dubio quilibet deberet amplecti partem tutiorem; teneretur quilibet abſtinere à contractu, non ſolùm quando illi probabilius eſt eſſe licitum; ſed etiam quando illi certum eſt eſſe licitum: quia quòd ipſe certum putet eſſe licitum, non tollit, quòd inter Doctores ſit controverſum, an ſit licitus, necne; nec tollit, dari Doctores probabiliter affirmantes eſſe illicitum. Sicut ergo tunc operans poteſt licitè amplecti illum contractum; (quia licet abſolutè reſpectu communitatis hominum non ſit certum, illum eſſe honeſtum, eſt tamen certum ipſi operanti) ita poteſt licitè amplecti, quando abſolutè verum putat illum eſſe licitum, iudicio prudenter concepto ob fundamenta notabiliter maiora, quæ citra paſſionem, & culpam invenit pro illa parte potiùs, quàm pro oppoſita: tunc etenim intentionaliter excludit malitiam à contractu; & ita amplectitur ut non eſſet amplexurus, ſi poſſet iudicare eſſe malum; vel prudenter maneret dubius, an ſit bonus vel malus. Ratio eſt, quia tunc ille non operatur dubitans, an res ſit mala, ſed operatur cum prudenti perſuaſione, quòd ſit honeſta: & licet operetur rem, de qua inter Doctores eſt controverſia an ſit honeſta, vel potiùs turpis; & conſequenter de qua in genere eſt dubium, an ſit honeſta vel turpis; non tamen operatur rem, de qua ipſe dubitet, an ſit honeſta; ſed de quâ prudenter & rationabiliter ſibi perſuadet eſſe honeſtam: quamvis illa perſuaſio, utpote formata ex motivis dumtaxat valde veriſimilibus, non autem evidentibus, non ſit omnino certa, & moraliter evidens. Cum illa enim perſuaſione, & iudicio directo de honeſtate obiecti componitur iudicium reflexum, quo operans agnoſcat non repugnare, quòd illud ſuum iudicium de honeſtate obiecti ſit falſum, quamvis ipſe prudenter ſibi perſuadeat eſſe verum.

8. Quare, quòd poſt tam longam diſputationem & ſtudium diuturnum inter Theologos, ſemper maneat abſolutè probabile, obiectum illud non eſſe à Deo prohibitum, non probat, quòd maneat probabile apud eum, cui poſt accuratum ſtudium appareat clarè, & manifeſtè veriſimilius, obiectum illud eſſe prohibitum; præſertim quando apparet veriſimilius authoritate & ratione. Nam homo ille nequit, ſaltem prudenter, & rationabiliter approbare ut verum, quòd obiectum illud ſit licitum: non eſt autem probabile reſpectu alicuius id, quod ipſe non poteſt prudenter, & rationabiliter

liter

liter approbare ut verum. Ut enim ſapienter notavit Eminentiſs. Card. Lauræa tom.2. in 3.ſentent.diſput.11. art.4. num.303. *Ariſtoteles, cæterique cum eo Philoſophi, ac Theologi nomine propoſitionis probabilis, nihil aliud intellexerunt, niſi eam, cujus veritas evidenter non conſpicitur, ſed per aliqua media, ſive intrinſeca, ut ſunt rationes, ſive extrinſeca, ut ſunt authoritates, ita apparet, ut expulsâ formidine mereatur approbari, ſeu exiſtimari vera.* Quare reſpectu illius hominis non eſt probabile, quòd obiectum illud non ſit prohibitum; licet ipſe reflexè cognoſcat eſſe probabile aliis, & de facto ab aliis fuiſſe approbatum ut verum; ac proinde licet ipſe reflexè cognoſcat, eſſe abſolutè probabile, quòd non ſit prohibitum; non poteſt verè affirmare eſſe probabile ſibi. Unde licet illi Doctores, qui poſt diligens ſtudium citra paſſionem & culpam, iudicaverunt obiectum eſſe licitum, quia pro illa parte benignâ invenerunt fundamenta authoritatis, & rationis clarè præeminentia fundamentis partis oppoſitæ, & vi illorum ſine vacillatione tulerunt iudicium pro honeſtate obiecti; licet, inquam, hi Doctores, meritò dicantur ignorare invincibiliter, ſeu inculpabiliter malitiam: non poteſt dici, quòd ignorent invincibiliter malitiam obiecti illi, quibus poſt diligentem veritatis inquiſitionem, citra paſſionem & culpam apparet authoritate, & ratione notabiliter probabilius, ſeu veriſimilius quòd obiectum ſit prohibitum. Hi enim prudenter iudicare poſſunt, obiectum eſſe malum & prohibitum: non operatur autem obiectum malum cum ignorantia invincibili malitiæ ille, qui operatur obiectum malum, quando prudenter iudicat, vel prudenter iudicare poteſt obiectum eſſe malum.

9. Hinc ex eo quòd poſt longam diſputationem, & ſtudium diuturnum ſemper maneat probabile, obiectum aliquod non eſſe à Deo prohibitum, non ſequitur, quòd omnes homines habeant ignorantiam invincibilem malitiæ talis obiecti; ſed ſolùm ſequitur, quòd habeant ignorantiam invincibilem, ſeu inculpabilem de malitia ipſius obiecti illi, qui poſt longam diſputationem, & diuturnum ſtudium ex ſincero deſiderio non offendendi Dei ſuſceptum, & poſt fuſas ad Deum preces, inveniunt fundamenta manifeſtè, & notabiliter majora ad judicandum, obiectum illud non eſſe à Deo prohibitum; & vi hujus fundamenti prudenter judicant, illud obiectum non eſſe prohibitum. Siquidem hi, nec in ſenſu compoſito talis judicii, nec in ſenſu diviſo poſſunt judicare eſſe prohibitum; quia ad hoc judicandum non inveniunt ſufficiens fundamentum: nemo enim prudenter poteſt judicare, obiectum eſſe prohibitum, quando poſt diligentem veritatis inquiſitionem, citra omnem paſſionem, & culpam invenit fundamenta evidenter, & notabiliter majora ad judicandum non eſſe prohibitum; nam reſpectu hujus non apparet probabilis prohibitio talis obiecti. Quare talis homo, qui tunc certò probabiliter judicat obiectum non eſſe prohibitum, non tenetur ulteriùs inveſtigare, an ſit prohibitum; ac proinde invincibiliter, ac inculpabiliter ignorat prohibitionem. Non ignorat autem invincibiliter prohibitionem is, qui poſt diligentem veritatis inquiſitionem, invenit majus ſenſibiliter, & notabiliter fundamentum, ad judicandum talem prohibitionem extare: hic enim prudenrer judicare poteſt obiectum eſſe prohibitum. Unde ſi ſuſpendit judicium, & eo ſuſpenſo exequitur obiectum reipsâ prohibitum; imputatur ipſi malitia obiecti; quia illa ignorantia eſt voluntaria. Licet enim non potuerit illam vincere per cognitionem evidentem, pôtuit tamen per cognitionem probabilem, ſeu per judicium prudens de malitiâ obiecti: non enim ignorat invincibiliter malitiam, qui poteſt hic, & nunc prudenter judicare obiectum eſſe malum. Si ergò non judicat de prohibitione obiecti, quia non vult judicare; illam non invenit, quia non vult invenire.

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

Oſtenditur, opinionem probabilem minùs tutam reipsâ falſam, ſi ſupponatur eſſe certò probabilem, & ſubiectivè exiſtere in mente operantis, imbibere ignorantiam probabilem, ſeu invincibilem excuſantem à culpa formali; juxta vera principia, quòd intellectus nequit prudenter aſſentire niſi parti, ut veræ illi, quæ ipſi repræſentatur, ut magis veriſimilis.

10. EX dictis in hoc tractatu conſtat, numquam hominem in re controverſa, an ſit honeſta, vel turpis, an ſit licita, vel illicita; poſſe formare judicium certò probabile, ſeu concipere opinionem certò probabilem de honeſtate poſitiva obiecti, vel negativa, ſeu de non malitia obiecti; quin diligenter inquiſierit veritatem, vel ſtudendo, vel interrogando, vel conſulendo homines doctos, & poſtulando à Deo, ut ſibi aperiat veritatem: omnes enim habent obligationem inquirendi, quid Deus requirat à ſe. Hæc autem diligentia debet eſſe major, vel minor pro qualitate materiæ. Deinde conſtat, non poſſe judicium formatum ab operante de honeſtate obiecti eſſe certò probabile, & certò prudens; quin poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra paſſionem, & culpam inveniatur majus notabiliter fundamentum ad judicandum, obiectum eſſe honeſtum, & licitum; quàm ad judicandum eſſe turpe, & prohibitum.

11. Oſtendimus enim intellectum noſtrum, cùm tendat ſub ratione veri, non poſſe aſſentire ut veræ uni parti contractionis potiùs, quàm alteri, niſi illa in actu primo repræſentetur ipſi, ut magis veriſimilis, quàm ejus contradictoria: neque poſſe voluntatem flectere ſuo imperio intellectum, ad judicandum eſſe verum id, quod eſt ſibi minùs veriſimile: & quamvis poſſet phyſicè, oſtendimus non poſſe moraliter, atque honeſtè, prudenterque hoc facere. Oſtendimus etiam, quando utraque pars contradictionis apparet æquè veriſimilis operanti, intellectum neceſſariò manere dubium; nec poſſe voluntatem flectere intellectum, ut ex duabus opinionibus contrariis ſibi propoſitis cum æquali omnino veriſimilitudine, ſeu cum æquali vi movendi ad aſſenſum, affirmet unam eſſe veram, & oppoſitam eſſe falſam. Et quamvis aliqui authores hoc affirment, aſſerantque, aſſenſum illum affirmativum fore prudentem, eorum ſententia eſt falſa. Quia quamvis motivum aſſentiendi ſeorſim conſideratum, ſit grave, & quod poſſet movere ad prudentem aſſenſum, ſi ejus vis motiva non retunderetur, & impediretur per motivum oppoſitum, fortiùs, vel ſaltem æquè fortiter impellens ad diſſenſum: dum tamen concurrit in eodem intellectu cum motivo æquali, vel majori pro parte contraria, ejus vis motiva inhibetur; & intellectus vacillat, at titubat, neſciens, in qua parte ſit veritas. Sicut in ſtatera, quamvis pondus poſitum in uno brachio bilancis ſit grave, & magnum, & potens inflectere illud, & deprimere uſque ad terram; ſi tamen concurrat in eadem ſtatera ex altera parte pondus æquale, retunditur ejus virtus depreſſiva; ac proinde manet ſtatera erecta, & recta. nec magis ad unam partem, quàm ad aliam inflectitur. Neque vir cordatus poteſt prudenter ſibi perſuadere, obiectum eſſe licitum, quando habet æquale fundamentum, vel forſan majus, ad judicandum, eſſe illicitum; ſed tunc debet manere anceps, ac dubius; quòd ſi avertat conſiderationem à motivo ſuadente rem eſſe licitam, & illam figat in motivo ſuadente eſſe licitam, ut ſic viam ſibi ſternat ad exequendam rem carni, & ſanguini placentem; hoc non eſt operari ſecundùm inclinationem appetitûs. Unde opinio tunc concepta ab ipſo de honeſtate poſitiva, vel negativa obiecti, non eſt verè probabilis. Ut enim diximus diſſert. 1. cum P. Scildere, opinio probabilis eſt judicium de exiſtentia rei incertæ formatum ex motivis gravibus, ex qualibus vir prudens in negotio magni momenti, concludere ſolet pro una parte, poſtquam ritè expendit, quæ addu-

ducebantur pro contraria: nullus autem vir prudens in negotiis magni momenti reſolvit pro una parte potiùs, quàm pro alia; niſi pro illa parte clarè præponderent rationes, & motiva. Si enim deliberet, an ſibi expediat facere contractum, de quo dubitatur, ſin ſit allaturus lucrum, an damnum, numquam reſolvit faciendum eſſe contractum, niſi expenſis utriuſque partis rationibus, inveniat fortiores, & validiores pro lucro, quàm pro damno, & detrimento.

12. Quare ubi dubitatur, an res ſit licita, necnè; nemo poteſt prudenter judicare judicio abſoluto, determinato, firmo, & non vacillante rem eſſe licitam, niſi poſt diligentem veritatis inquiſitionem, citra paſſionem, & culpam, pars illa appareat ipſi clarè, & ſenſibiliter veriſimilior. Ubi autem poſt diligentem veritatis inquiſitionem, ex ſincero deſiderio non offendendi Deum ſuſceptam, homo citra paſſionem, & culpam invenit fundamenta clarè, & ſenſibiliter majora ad affirmandum, rem eſſe licitam; poteſt prudenter imperare hunc actum: *Iſta res eſt ſecundùm ſe licita*. Non poteſt autem in ſenſu compoſito illius majoris veriſimilitudinis pro parte benigna imperare hunc actum: *Iſta res eſt ſecundùm ſe illicita*; Et cùm non habeat obligationem inquirendi ulteriùs veritatem, nec ſpem inveniendi certò, & evidenter veritatem; prudenter judicat, eſse veram ſententiam benignam faventem libertati adversùs legem, & eſse falſam ſententiam ſtantem pro lege adversùs libertatem, ac imponere hominibus onus, quod Deus non impoſuit. Unde ſi contingat opinionem benignam eſse falſam, & rem illam in ſe reverâ eſse intrinſecè malam; tunc tranſgreſſio legis non imputatur operanti: quia illam tranſgreditur bona fide, exiſtimans inculpabiliter rem illam eſse licitam. Tali enim affectu in illam fertur, quatenus ſibi perſuaſit eſſe licitam, ut nullo modo eſset eam facturus, ſi poſset judicare, eſse malam; vel maneret anceps, & dubius, an eſset bona, vel mala. Sed facit, quia prudenter, & inculpatè reſolvit dubium.

13. Quare iuxta veram definitionem opinionis probabilis à nobis traditam, ſi opinio concepta ab operante ſit certò probabilis, debet eſse concepta inculpatè, & prudenter; Ita ſi contingat eſse falſam; falſitas non imputabitur operanti; quia non debuit illam falſitatem præcavere. Unde ſi nequeat dari ignorantia invincibilis Juris naturalis, etiam quoad concluſiones remotas, quæſtio erit de ſubiecto non ſupponente: quia quæſtio ſupponit, poſse operantem inculpatè prudenter aſsentire ut veræ, ſententiæ benignæ; quamvis reipsâ ſit falſa; ſicut Doctores illius ſententiæ illam inculpatè tradiderunt. Qui autem dicunt, neminem poſse ſequi inculpatè ſententiam reipsâ falſam contra jus naturale, dicunt fieri non poſse, ut operans faciat omnem diligentiam, quam tenetur adhibere ad inveniendam legem Dei, cui debet ſatisfacere; quin reipsâ inveniat. Poſtmodum autem oſtendemus, poſse dari, & ſæpe contingere ignorantiam invincibilem, ſeu inculpabilem legis naturalis quoad concluſiones remotas: & poſse non ſolùm Magiſtros inculpabiliter docere doctrinas falſas, quas veras eſse exiſtimarunt; ſed etiam homines in praxi illas inculpabiliter ſequi.

CAPUT IV.

In ſententia Doctorum aſſerentium, poſſe intellectum aſſentire, ut abſolutè veræ, parti minùs tutæ, quamvis appareat ipſi in actu primo æquè veriſimilis, vel etiam veriſimilior cum exiguo exceſſu; opinio formata ab operante, nequit fundare ignorantiam invincibilem, & inculpabilem malitiæ.

14. Probatur ex dictis facilè aſſertio: quia qui poſt diligentem veritatis inquiſitionem invenit æquale, vel majus fundamentum ad judicandum, rem eſſe illicitam, quàm ad iudicandum eſſe licitam; ſi iudicat eſſe licitam, iudicat, quia vult iudicare, & non quia merita obiecti hoc poſtulant. Unde ignorantia malitiæ imbibita in iudicio

Digitized by Google

dicio eſt illi omnino voluntaria, non ſolùm quoad exercitium; ſed quoad ſpecificationem; & de illo verificatur: quòd faciat rem malam, quando poterat iudicare eſſe malam; vel quando prudentiſſimè debebat ſuſpendere iudicium de honeſtate, vel malitia obiecti, & mamanere omnino anceps ac dubius, an ſit res honeſta, an ſit turpis: quodcumque autem ex his faceret, ſive operaretur iudicans rem eſſe malam, ſive dubitans, an ſit mala, vel honeſta, abs dubio peccaret: Unde ſi operatur, nec iudicans rem eſſe malam, nec dubitans, an ſit mala, ſed poſitivè affirmans eſſe honeſtam, iudicat, quia ſic vult iudicare; & mediante illo iudicio, à ſe vult excutere obligationem obſervandi legem. Nec de illo verificari poteſt, quòd ignoret invincibiliter malitiam; quandoquidem in illo inſtanti habet iuxta adverſarios potentiam proximam antecedentem ad vincendam ignorantiam malitiæ per iudicium probabile de malitia, Rurſus; impoſſibile eſt, ut quis iudicet rem eſſe licitam, quando habet æquale, vel maius fundamentum ad iudicandum eſſe illicitam: ſaltem ex illo iudicio reſultabit magna, & prudentiſſima formido de malitia. Non operatur autem rem malam cum ignorantia invincibili malitiæ, qui operatur rem malam cum magna, & prudenti formidine malitiæ, nec illud iudicium erit firmum, & determinatum; ſed valde titubans, & fluctuans.

CAPUT V.

In quo probatur, poſſe dari ignorantiam invincibilem Iuris naturalis quoad aliquas veritates.

§. I.

Communiter, & vera ſententia, Theologorum admittit, ignorantiam invincibilem Juris naturalis, quoad concluſiones remotas, de quibus dantur opiniones contrariæ inter Doctores Catholicos.

15. CONſtat S. Antoninum, Adrianum, M. Sotum, Conradum, & Antonium de Corduba, requirere ad vſum licitum opinionis minùs tutæ, quòd illa ſit probabilior oppoſitâ. Hi autem omnes admittunt, illam ignorantiam invincibilem Juris naturalis: nam D. Antoninus 1. parte Summæ tit. 3. cap. 10. §. 10. & Adrianus in 4. agens de reſtitutione §. *Quia iam dictum*: citant verba D. Thomæ ex quodlibeto 8. art. 3. & dicunt eſſe limitandam illam ejus aſſertionem; *Illud quod agitur contra legem ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc, quòd ſit iuxta conſcientiam*: dicuntque intelligendum de eo, quod agitur contra legem, de cujus exiſtentia, vel extentione ad talem caſum, dantur oppoſitæ ſententiæ Doctorum; nam ignorantia legis, de cujus exiſtentia diſputatur inter Doctores, non eſt ignorantia ejus, quod quis ſcire tenetur. Siquidem nemo tenetur aſſequi certam veritatem in rebus dubiis, quæ controvertuntur inter Doctores; ac proinde videtur fieri poſſe, ut poſt adhibitam omnem diligentiam, quam tenebatur adhibere, ſequatur innocenter, & citra culpam, tamquam veram opinionem probabilem reipsâ falſam, circa ius naturale.

16. Unde M. Soto lib. 1. de Juſt. qu. 4. art. 4. & Conradus de contract. quæſt. 100. eam doctrinam ſequuntur; quam poſtea tradidit Magiſter Bartholomæus de Medina ejuſdem Familiæ in Salmanticenſi Academia Primariæ Cathedræ præfectus: qui 1. 2. quæſt. 76. ar. 2. concluſ. 3. ita ſcribit: *Circa alia præcepta naturalia, quæ eliciuntur ex præceptis Decalogi per conſequentiam, & argumentationem non valde evidentem, ſed multo labore, & inquiſitione, poteſt eſſe ignorantia invincibilis per multum tempus, niſi de huiuſmodi veritatibus ab alio erudiamur, & illuminemur v. g. an ſit licitum habere plures uxores; an fornicatio ſimplex ſit licita; annè ſit licitum vendicare proprias iniurias. Nam Cicero vir ſapientiſſimus L. de offic. cap. de Juſtitia, dicit: Primum munus Iuſtitiæ eſſe, ne quis aliquem lædat, niſi laceſſitus iniuriâ: exiſtimat ergo licitam eſſe vindictam propria authoritate, quando laceſſimur*. Subdit Medina. *Ratio hujus propoſitionis eſt; quia ex errore, & con-*

Digitized by Google

& conſuetudine vulgi, inſuper ex ingenii tarditate non poteſt homo ita citò advertere inordinationem in hujuſmodi actibus. Et hęc eſt communis ſententia Interpretum D. Thomæ 1.2. q. 76. art.4. Ita Sylvius celebris Doctor Duacenſis, ad illum locum quæſt.2.concl.4. hæc habet: *Quædam ſunt Iuris naturæ præcepta obſcuriora, quæ ſaltem ab infidelibus poſſunt totâ vitâ ignorari invincibiliter: quia non ſolùm Ethnici, nec ſolùm indocti, ſed etiam Chriſtiani, & docti, de quibusdam eorum opinati ſunt, quod non ſint Iure naturæ probibita.*

17. Sequuntur hi Albertum in 2. ſentent. diſt. 22. art. 10. Vbi, *Quoddam*, inquit, *eſt Jus univerſale quòd omnibus imponitur ad ſciendum; & quoddam eſt particulare, quod non ſcitur niſi per ſtudium.. Prima* (ſeu primi ignorantia) *eſt craſſa, & non excuſans; ſecunda verò excuſat, vel à tanto, vel etiam à toto, ſi eſt caſus multùm difficilis*. Alberti ſententia firmari poteſt ex doctrina S.Thomæ 1.2. q.100.ar.1 in corp.ubi inquit: *Quædam ſunt in bumanis actibus adeo explorata, quòd ſtatim cum modica conſideratione poſſunt approbari, vel reprobari per illa communia, & prima principia.. Quædam verò ſunt, ad quorum iudicium requiritur multa conſideratio multarum circumſtantiarum, quas conſiderare diligenter, non eſt cujuslibet; ſed ſapientum; ſicut conſiderare particulares concluſiones ſcientiarum, non pertinet ad omnes, ſed ad ſolos Philoſophos*. Hactenus S. Thomas. Circa concluſiones has obſcuras, quæ longè diſtant à primis principiis, & indigent ſtudio, dicit ſententia communis, dari poſſe ignorantiam invincibilem. Hanc ſententiam ſequitur P. Suarez lib. 2. de legibus cap. 8. num. 7. pag. mihi 80. his verbis: *Mea ſententia eſt, prima principia ignorari non poſſe ullo modo, ne dum invincibiliter: præcepta vero particularia, quæ vel per ſe nota ſunt, vel facillimè ex per ſe notis colliguntur, ignorari quidem poſſe, non tamen ſine culpa, ſaltem por longum tempus; quia & facillimâ diligentiâ cognoſci poſſunt; & natura ipſa, & conſcientia, ita pulſat in actibus eorum, ut non permittat inculpabiliter ignorari: & hujuſmodi ſunt præcepta Decalogi, ac ſimilia. Et boc ſatis ſignificavit Paulus ad Rom. 2. Nam de tranſgreſſionibus horum præceptorum loquebatur, quando de gentibus dicebat, datas eſſe in reprobum ſenſum propter peccata ſua. Et idem ſumitur ex cap. flagitia 32.qu.7. Alia verò præcepta, quæ maiori indigent diſcurſu, ignorari poſſunt invincibiliter, præſertim à plebe, iuxta cap. obiiciuntur 1.q.4. Et ratio per ſe facilis eſt. Videantur Corduba lib.4.quæſtion. q.4. & Soto 1.de Juſtit. qu.4. art. 4.* Hinc idem Suarez poſtea lib. 5. cap. 12. num. 6. affirmat, Jus naturale ignorari invincibiliter, quoad aliquas concluſiones, quæ per ſe notæ non ſunt: *Et ratio eſt* (inquit) *quia ſæpe homo per ſe non valet ſcientiam omnium præceptorum conſequi, & interdum, ac ſæpe etiam deficiunt occaſiones, vel opportunitates ad comparandam illam notitiam ſine hominis culpa, aut voluntate; quia non habuit, unde, aut quomodo excitaretur ad illam notitiam procurandam.* Eadem docet tom. de cenſuris diſp. 4. à nu.14. ad 19.

18. Hanc ſententiam maximè probat P. Vazquez cum Antonio de Corduba, & Conrado 1.2.diſp.122.cap.2. nu.3. ubi docet; *Ea, quæ in Decalogo expreſſa ſunt, quando occurrunt ſine aliqua circumſtantia nova, quæ videri poſſit excuſare à peccato, ignorari non poſſe toto vitæ tempore. Dicitur autem; quando occurrunt ſine aliqua circumſtantia: nam talis circumſtantia adiungi poteſt, ut excuſare è culpa videatur, ac proinde ratione illius ignorantia invincibilis præcepti accidere poſſit. Hoc pacto aliqui exiſtimarunt, mendacium interdum licere, etiam cum Iuramento, ratione neceſſitatis imminentis. At verò, ſi ſine ulla circumſtantia apparente occurrant, ita ſunt hæc præcepta conſentanea naturæ, ut ſtatim id, quod illis contrarium eſt, peccatum appareat. Quare licet apud aliquas gentes barbaras aliquid contra jus naturale licitum olim judicaretur, ut apud Germanos furtum, teſte Julio Cæſ. lib.6. de bello Gallico, & apud Lacedæmones adulterium, ut refert Plutarchus in vita Lycurgi: horum tamen ignorantia culpæ imputabatur. Nam vel ſemper aliquis timor*

nior conſcientiæ remanſit, vel certè nimiâ peccandi conſuetudine extinctus fuit: forſan in parvulis, qui ab illis docentur, pro aliquo tempore aliquorum præceptorum ignorantia contingere poſſet; at toto vita tempore non poteſt: quia ſemel, aut iterum pulſabit animum fœditas, & turpitudo peccati. Hæc pars probatur teſtimonio illo Ariſtotelis ſuperiùs adducto, & teſtimonio Pauli ad Rom. 1. Inviſibilia enim ipſius (*ſcilicet Dei*) à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & divinitas; ita ut ſint inexcuſabiles. *Ibidem etiam docet Paulus, gentiles traditos eſſe in duritiam cordis propter vitia ſua, & in ſenſum reprobum, ignorantiæ ſcilicet, & erroris. Deinde cap. 2. de gentibus inquit, ſine lege Moyſi peccaſſe, & ſine lege Moyſi (intellige Decalogi) judicandas eſſe: hoc eſt, ſolo teſtimonio conſcientiæ propriæ. Hæc autem ignorantia, quæ accidere poteſt ex prava conſuetudine peccandi, eſt erroris, qua quis jam adductus eſt ob ſua peccata in eam opinionem, ut credat, illud eſſe licitum, quod aliàs non credebat eſſe. Nam, ut diximus, toto vitæ tempore non poteſt accidere talis ignorantia erroris: quare ſemper imputabitur culpæ, ſi in ea permaneat; ſiquidem habet principium intelligendi, ſe in errore verſari; ſiquidem cùm non erat ita pravè affectus, aliter judicabat.* Hactenus Vazquez.

19. Et ſtatim addit cum eiſdem Authoribus: *Concluſionum Juris naturalis, quæ obſcuriores ſunt, & magis remotæ, quàm præcepta Decalogi, accidere poſſe ignorantiam invincibilem toto vitæ tempore. Corduba appellat has concluſiones præcepta naturalia cum quibuſdam circumſtantiis. Hujuſmodi ſunt præcepta contra delectationem moroſam in materia venerea, unius uxoris, & perpetuitatis matrimonii: in qua ignorantia fuiſſe videtur apud noſtros Caſtellanos Rodericus Diaz, dictus à Mauris ob inſignem animi fortitudinem Cid; ſiquidem filias ſuas abſtulit primis maritis, & aliis nuptui tradidit. Hæc autem pars probatur; quia hæ concluſiones non ſunt adeo manifeſtæ, ut non poſſint abſque culpa ignorari ſpecie aliquâ probabilitatis: ſicut ſupra dicebamus de præceptis Decalogi, quando cum aliqua peculiari circumſtantia occurrunt.* Ita rurſum Vazquez.

§. II.

Quàm difficilis ſit ſententia Theologorum, aſſerentium, non poſſe dari ignorantiam inculpabilem Juris naturalis, etiam quoad concluſiones remotas.

20. QVando aliqua ſunt de Jure naturæ, tamquam concluſiones valde remotæ à primis principiis, & quæ ſciri non poſſunt, niſi poſt diligens ſtudium; & ſunt talia, ut circa illa dentur diverſæ, & contrariæ opiniones probabiles Doctorum, difficillimum mihi creditu eſt, quòd non poſſit quis innocenter, & ſine culpa ſequi ſententiam probabilem faventem libertati, quam ſcit traditam fuiſſe à Doctoribus magnis, & ſanctis, quamvis illa ſit falſa. Contingit enim ut Doctores ſancti, & docti circa Jus naturale teneant ſententias contradictoriè, vel contrariè oppoſitas, quæ non poſſunt eſſe ſimul veræ; ac proinde altera ſaltem neceſſariò eſt falſa: quam tamen Doctor ſanctus tradidit innocenter, & ſine culpa poſt diligens ſtudium, & fuſas ad Deum preces ad inveniendam veritatem. Jam ſi Doctor ſanctus poteſt in docendo errare circa Jus naturale, quamvis diligenter inquiſierit veritatem, & à Deo petierit lumen; cur non poterit quis innocenter, & ſine culpa operari contra Jus naturale quoad illas concluſiones remotas, circa quas Doctores ſancti errârunt in docendo poſt adhibitum diligens ſtudium, & poſt fuſas ad Deum preces, ita ut error non imputetur illis ad culpam? Audiamus circa hoc D. Antoninum 1. part. Summæ tit. 3. cap. 10. §. 10. ubi hæc habet: *Quòd ſint contrariæ opiniones inter Doctores ſanctitate, & ſcientiâ maximos in materia morali, aliquando etiam ad ſalutem neceſſariâ, patet per exempla. Nam B. Thomas in 4. tenet, quòd poſt lapſum in mortale, non oportet aliquem ſtatim confiteri ſub præcepto, habitâ copiâ Confeſſoris, niſi in pauciſſimis caſibus, qui ibi*

Digitized by Google

ibi ponuntur diſtinct. 17. & cum eo tenet Ricardus. Sed Hugo de S. Victore, & B. Bonaventura ſunt in hoc contrariæ opinionis, &c. Neutra opinio illorum reprobatur: etſi B. Thomæ opinio communiùs teneatur; quæ tamen minùs tuta videtur. Raymundus Decretiſta, & Sanctus, in Summa tenet, quòd participare cum excommunicatis majori excommunicatione in loquela, cibo, & hujuſmodi, in caſu non conceſſo ſit mortale univerſaliter. Sed B. Thomas in 4. & Joan. Andreas, & Archidia tenent contrarium. Et ſic exempla innumera poſſunt poni. Hactenus S. Antoninus.

21. Ex quo nota illud, *ſic exempla innumera poſſent poni*; nam illud abundè demonſtrat præſens intentum. Audi etiam Conradum de Contract. quæſt. 100. *S. Thomas*, inquit, *in multis tenet partem minùs tutam. In primis tenet, fictè confeſſum non obligari ad reconfitenda peccata fictè confeſſa; ſed quòd confeſſio, fictione ceſſante, erit valida. Alii communiter tenent oppoſitum. Item tenet, quòd excuſentur, qui non ſolvunt quotam decimæ, ubi invaluit conſuetudo eam non ſolvendi. Canoniſtæ autem communiter docent, quòd non excuſentur, & quòd opinio Theologorum in hac parte ſit quaſi hæretica.* Ita Conradus. Ergo S. Thomas, aliique omnes, qui in dubio opinionum reſolvunt quæſtionem in favorem partis minùs tutæ (id eſt, magna profectò pars omnium Theologorum, qui de rebus moralibus ſcripſerunt) tenent ſententiam benignam, & apertè ſupponunt, homines poſſe licitè eam in praxi amplecti abſque peccato: idque tam in rebus ſpectantibus ad Jus naturæ, quàm ad Jus poſitivum; quando nimirum opinio benigna favens libertati habet in intellectu hominis operantis eundem ſtatum, quem habuit in mente ſuorum Authorum; qui illam non propugnârunt ut veram, niſi quia ipſius fundamenta apparuerunt ipſis urgentiora, & veriſimiliora fundamentis ſententiæ oppoſitæ. Nam ſi Doctor non peccavit, tradens illam opinionem, quamvis reipsâ ſit falſa; ita nec peccabit homo, qui illam ſequitur, eò quòd poſt diligentem veritatis inquiſitionem illi apparet vera, ſicut apparuit ſuis Authoribus.

22. Certiſſimum eſt, nullum Doctorem, quantumvis ſanctum, & ſapientiſſimum, habere privilegium numquam errandi in iis, quæ docet circa Jus naturale. Certiſſimum eſt, Doctores ſanctos, quando diſputatur, an aliquid ſit illicitum Jure naturæ, vel non, ſæpe habere opiniones oppoſitas; & ſine peccato abiiſſe in ſententias illas. Ergo certum eſt, Doctorem aliquem ſanctum, & doctum poſſe tradere opinionem probabilem reipsâ falſam circa Jus naturale. Cur ergo Doctor ille, qui licitè, & probabiliter docet, eſſe licitum illud, quod reipsâ eſt illicitum, non poterit ſine peccato facere illud ipſum, quod ſine peccato iudicat eſſe ſecundùm ſe, & omnibus licitum? Cur homines indocti, quando vident S. Thomam, & cum ipſo plurimos, & graviſſimos Doctores aſſerentes, aliquem contractum eſſe licitum, non poſſunt citra omnem culpam, ob ipſorum authoritatem, & fundamenta, iudicare innocenter, & ſine culpa, eſſe licitum illud, quod illi Doctores iudicârunt eſſe licitum?

23. Sanè Doctores in iis, quæ attinent ad fidem, & bonos mores, tenentur conari quantùm poſſunt ad docendam veritatem: ut enim inquit ſapienter Eſparza in Appendice art. 224. *Principium Juris eſt, in iis, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, tenere, maximè verò docere opinionem quamlibet falſam, eſt malum moraliter, & peccatum pœnâ dignum ratione ſui, loquendo per ſe, & niſi excuſet ignorantia invincibilis. Ita omnes Doctores; & patet ex dictis. Quia quoad mores, quælibet opinio falſa addit, vel demit legi Dei: addit, ſi eſt ſtricta, & falſa; demit, ſi eſt larga, & falſa. Utrumque autem eſt probibitum lege Dei, ut vidimus; ac proinde utrumque eſt peccatum per ſe. Idem dico quoad Fidem. Quia quælibet opinio, aut doctrina falſa in rebus Fidei addit ſimiliter, vel demit revelatis à Deo, & revelationi Divinæ; atque utrumvis eſt ſimili ratione deordinatum, ac turpe, & injurioſum Deo, atque reprobatum ſæpiùs, & acriter in Sacra Scriptura. Imò opinari*

Digitized by Google

ri in iis falsò, aut docere falſa eſt deterius ex genere ſuo, quàm deviare à lege in agendo. Quia opinio, & doctrina tangit radicem, & ſerpit magis, hæretque diutiùs.

24. Et ideo S. Thomas ſupra dicebat, quòd *Omnis quæſtio, in qua de peccato mortali agitur, periculosè determinatur; niſi veritas expreſsè habeatur.* Propterea S. Doctor recurrebat ad orationem, & enixè orabat Deum, ne permitteret ſe errare cum periculo animæ ſuæ, & periculo animarum proximorum ſuorum. Si ergo hoc non obſtante contingere poteſt, ut tradiderit opiniones falſas contra Jus naturale, idque fecerit innocenter, & ſine culpa; cur non poterit contingere, ut in iis rebus, quæ diſputantur inter Doctores Catholicos, & circa quas ſunt opiniones probabiles Doctorum, quis adhibeat diligens ſtudium, & recurrat etiam ad Deum per orationem, & tamen non aſſequatur veritatem; ſed ſequatur innocenter tamquam licitum illud ipſum, quod Doctores ſancti, & ſapientes ſine culpa docuerunt, eſſe licitum, quamvis reverâ ſit illicitum? Vti enim certum eſt, peccare eum, qui ductus aliquâ opinione falsâ verſante circa praxim, & dictante, aliquam actionem eſſe licitam, v. g. celebrationem alicuius contractûs, facit rem intrinſecè malam, & prohibitam, niſi ipſum excuſet ignorantia invincibilis; ita certum eſt, peccare Doctores, tradentes doctrinas falſas circa fidem, & bonos mores, niſi ipſos excuſet ignorantia invincibilis: quæ tunc cenſebitur intervenire, quando poſt accuratum, & diligens ſtudium innocenter, & abſque paſſione apparet illa pars illis veriſimilior; & idcirco ab ipſis inculpabiliter iudicatur vera. Ergo ſi contingere poteſt, ut Doctores excuſentur per ignorantiam invincibilem à peccato, quamvis tradant doctrinam falſam circa fidem, & bonos mores, quoad concluſiones remotas, quæ non niſi poſt diligens ſtudium eliciuntur ex primis principiis morum, & ex veritatibus expreſsè revelatis, quas omnes fideles tenentur credere; ita poterunt excuſari à peccato per ignorantiam invincibilem, qui eiuſmodi opiniones falſas in praxi ſectantur. Ac proinde poterit contingere, ut quis, poſtquam diligenter inquiſivit veritatem, deprehendat eſſe clarè, & diſtinctè veriſimiliorem partem illam, quæ favet libertati, ac innocenter, & abſque culpa iudicet, eſſe veram, etſi reipsâ decipiatur. Ergo poteſt quis ſequi opinionem minùs tutam reipsâ falſam, ſi in ſe eſt certò probabilis: nempe quando innocenter iudicat, eſſe verã, ob maiorem ipſius veriſimilitudinem.

25. Explicatur, & urgetur ampliùs. Magiſter per ſe loquendo tenetur docere doctrinas veras; & qui ſcienter traderet falſas, præſertim circa fidem, & mores, magis noceret Reipublicæ, quàm ſi furaretur, & faceret monetam falſam. Imò in quacumque materia error voluntarius ſemper eſt peccatum. Et ideo P. Suarez 1. 2. tract. 4. diſput. 5. ſect. 2. num. 2. pag. mihi 403. laudat, & ſequitur advertentiam Caietani, qui notat differentiam inter *Ignorantiam*, & *Errorem*. Ignorantia enim tantùm eſt peccatum, quando eſt de his rebus, quas ſcire tenemur; Error vero voluntarius in quibuſcumque rebus, cenſetur ſemper eſſe peccatum. *Quod verum videtur* (inquit Suarez) *licet Durandus in 2. diſt. 39. quæſt. 2. contrarium ſentiat. Et patet, quia error per ſe eſt obiectum pravum, & defectus contrarius naturæ hominis; & ad nullum finem bonum referri poteſt: ergo non poteſt honeſtari.*

26. Ob hanc cauſam tenetur Magiſter diligenter veritatem inquirere; quia nec addere licet, nec detrahere aliquid legi Dei. Æqualiter enim Iſaias utriſque minatur, c. 5. dicens: *Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum.* Et æqualiter præcipitur in Deuteronom. ne aliquid *addatur, vel detrahatur de præceptis Dei.* Et Chriſtus reprehendit Scribas, & Phariſæos, tum quia *irritum* feciſſent *mandatum Dei propter traditiones, & opiniones* ſuas; tum quòd ex alia parte alligarent *onera gravia; & importabilia* imponerent *in humeros hominum.* Qualia erant non ſolùm ea, quæ ipſi præter legem præcipiebant populo circa oblationes, decimas, & primitias, &c. ſed inſuper etiam rigidiores legis Dei interpretatio-

Digitized by Google

tationes; tam rigidè enim præcipiebant Sabbatum obſervari, ut nec Chriſtum ægros curare, nec famelicos eius diſcipulos ſpicas vellere, & comedere tolerarent. Quod ſupra etiam notavi ex Cornelio à Lapide.

27. Hinc conſtat, Deum impoſuiſſe hominibus obligationem non tradendi doctrinas falſas circa fidem, & bonos mores. Et nihilominus hoc præceptum, licet obliget ad inquirendam veritatem, & non docendum, niſi eas opiniones, quæ poſt diligentem veritatis inquiſitionem apparuerint veriſimiliores, non obligat ad tradendas doctrinas reipsâ veras, ita ut tradi non poſſint opiniones falſæ ſine peccato. Ergo ſimiliter in ordine ad operandum, ſolùm tenebitur homo ad inquirendum diligenter, quid Deus requirat à ſeſe, & ad non ſequendum partem faventem libertati, niſi illa ipſi appareat ſenſibiliter veriſimilior; & idcirco iudicetur vera: poteritque totum hoc præſtare, licet illa opinio non ſit vera; quia non probatur, Deum feciſſe promiſſionem infallibilem, aperiendi in rebus dubiis, & controverſis veritatem homini volenti operari; ſicut non fecit Magiſtro volenti docere.

28. Illud autem axioma Theologorum, *Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam*, intelligendum videtur in iis, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem: quia homini facienti quod in ſe eſt, id eſt, non opponenti impedimentum, Deus non denegat gratiam neceſſariam, ut ſalvetur. Non autem intelligi debere, de faciente quod in ſe eſt, ad inveniendam veritatem, in iis, quæ diſputantur inter Theologos, ut illam ſequatur in operando: ſicut non intelligitur de faciente quod eſt in ſe, ad inveniendam veritatem, ut illam doceat. Si enim Deus non tenetur manifeſtare veritatem Magiſtro diligenter ſtudenti, & enixè poſtulanti à Deo, ut ſe illuminet, utque in iis quæſtionibus controverſis illam partem teneat, quæ vera fuerit; ſed poteſt contingere, ut poſt diligenter quæſitam veritatem, poſt adhibitum ſtudium, & fuſas ad Deum preces appareat ipſi veriſimilior, & iudicetur vera pars, quæ reipsâ falſa eſt; cur non poterit idem contingere homini quærenti veritatem, ut iuxta illam in his rebus dubiis operetur?

29. Deinde verba illa Chriſti Domini: *Quærite, & invenietis; pulſate, & aperietur vobis*, ex quibus aliqui contendunt, non poſſe dari ignorantiam invincibilem Juris naturalis pertinentis ad unumquemque, quando pertinet etiam quoad concluſiones remotas; pariter videntur probare de Magiſtris quærentibus veritatem: nam verba univerſalia ſunt. Si ergo hoc non obſtante, Magiſtro diligenter inveſtiganti veritatem ad illam docendam, & enixè poſtulanti lumen à Deo, ne erret in deciſione quæſtionis verſantis circa Jus naturale, Deus non tenetur manifeſtare veritatem; ſed ille hoc non obſtante poteſt inculpabiliter errare in docendo: cur ſimiliter non poterit homo inculpabiliter errare, dum quærit veritatem ad operandum? Dicere enim, quòd Deus promiſit inventionem veritatis, quærenti illam ad operandum, non autem quærenti illam ad docendum, videtur gratis dictum: ſaltem ita factum eſſe, non ſatis probatur. Ex obligatione autem Magiſtri ad docendam veritatem, apertè deducitur, peccare Theologum, qui conſultus, an aliquis contractus ſit licitus, reſpondet ſecundùm ſententiam placentem conſulenti, quando iudicat, eſſe falſam; vel quando habet maius fundamentum ad hoc iudicandum, quàm ad iudicandum, eſſe veram; vel quando habet fundamentum æquale, & ſic eſt dubius, an ſit vera, vel falſa: ac proinde non poſſe decretoriè reſpondere, *Talis contractus eſt licitus*; niſi poſt maturam, & diligentem quæſtionis diſcuſſionem ex ſincero deſiderio aſſequendi veritatem profectam, inveniat ſimpliciter maius fundamentum ad iudicandum, illum contractum eſſe licitum. Et ob eandem rationem dico, non poſſe decretoriè reſpondere: *Hic contractus eſt illicitus*; niſi omnibus diligenter inſpectis, pro hac parte invenerit maius fundamentum; & vi illius iudicet iudicio firmo, & abſoluto, contractum illum eſſe malum. Si autem inveniat æquale fundamentum pro utraque

par-

parte, reſpondeat, rem eſſe dubiam; & ſuadeat interroganti, ut in dubio ſequatur partem tutiorem; vel mittat illum ad alios Theologos ſapientiores, à quibus meliorem, & magis fundatam reſolutionem ſperare poſſit.

§. III.

Argumenta, quibus probari videtur, non poſſe dari Ignorantiam invincibilem Juris naturalis, etiam quoad concluſiones remotas.

30. EA quidem omnia ferè revocantur ad unum; quia omnia deſumuntur ex uno, & eodem capite poſſibilitatis obſervandi totam legem Dei. Vnde Vir doctus ita ferè arguit. Nulla lex Dei, non magna, non parva, nullum Dei præceptum robuſto, vel debili eſt impoſſibile: Ergo nulla Dei lex non magna, non parva, nullum præceptum ingenioſo, vel rudi eſt incognoſcibile. Ergo omnis lex eſt cognoſcibilis: cùm enim Deus impoſſibilia non iubeat, & cùm impoſſibile ſit obſervare legem, ſi non poſſimus illam cognoſcere, in poſſibilitate obſervationis legis includitur eius cognoſcibilitas. Nam in obligatione faciendi includitur obligatio quærendi, & cognoſcendi.

31. Confirmatur: Omnia præcepta Dei ſunt poſſibilia: Ergo omnia præcepta Dei, quæ ad unumquemque ſpectant, ſunt ab ipſo invenibilia. Probatur conſequens: quia quod invenire, & cognoſcere non poſſumus, nec obſervare poſſumus, nec implere.

32. Poteſtas itaque obſervandi præceptum, claudit agnitionem, & vires, non quidem cognitionem, & vires in actu; ſed in actu, vel in poteſtate noſtra: nam per ignorantiam etiam, atque impotentiam conſequentem peccatur. Satis ergo eſt, ſi cognoſcas, aut cognoſcere poſſis, ac debeas; ſatis eſt, ſi auxilium Dei actu habeas, aut habere poſſis: ut enim definit Trident. ſeſs. 6. cap. 11. *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* Vide egregium Auguſtini textum ex lib. 2. de Pec. Merit. cap. 17. ibi enim hæc habet: *Cùm voluntate humana, gratiâ adjuvante Divinâ, ſine peccato in hac vita poſſit homo eſſe, cur non ſit, poſſem facillimè, ac veraciſſimè reſpondere, quia homines nolunt. Sed ſi ex me quæritur, cur nolint, imus in longum. Verùm ... ſine præjudicio longioris inquiſitionis dicam. Nolunt homines facere, quod juſtum eſt, ſive quia latet, an juſtum ſit, ſive quia non delectat, &c. Ignorantia ergo, & infirmitas vitia ſunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abſtinendum: ut autem innoteſcat, quod latebat, aut ſuave fiat, quod non delectabat, gratia Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates, quâ ut non adjuventur, in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo.* Ergo iuxta Auguſtinum cauſa ignorantiæ, & difficultatis, una, & eadem eſt, & eodem modo decidenda; ac proinde credamus, in nobis cauſam eſſe, cur non innoteſcat, quod latebat, & ſuave fiat, quod non delectabat: cauſam autem eam eſſe, quia homines nolunt.

33. Poſſunt ergo, ſi volunt. Unde ſicut ex hoc textu omnes argumentum depromunt contra Janſeniſtas pro gratia ſufficienti, ut ſcilicet probent, homines poſſe, ſi velint; ita depromi poteſt argumentum pro cognitione, ut innoteſcat, quod latebat: ac proin videtur inde deduci, non ſolùm infirmitatem, ſed ignorantiam eſſe voluntariam. Per opiniones autem falſas non innoteſcit, quod latebat; quin magis latet errore poſitivo, quod antea per ignorantiam deliteſcebat: priùs enim ignorabatur; deinceps etiam error adjicitur, quo bonum malum, vel malum bonum habetur. Ergo ex culpa hominis oriri videtur, quòd per opinionem veram non illi innoteſcat præceptum Divinum.

34. Quo circa diligenter notandum eſt, ignorantiam invincibilem non ſatis explicari per hoc, quod naturali virtute, induſtriâ, conſultatione, & humano diſcurſu vinci non poſſit; ſi tamen à nobis adiutorio, & gratiâ Dei poſſit vitari. In quo certè nonnulli videntur defectuosè procedere, dum agunt de ignorantiis invincibilibus;

quia

quia illas videntur explicare ſolùm in ordine ad vires naturæ: ſiquidem nimis ſolicitè diſtinguunt inter aptos, & ineptos, ruſticos, & urbanos. Et ſimiliter, diſtinguendo res ipſas, dicunt, quædam eſſe clara, & facilia, quæ omnibus innoteſcant; alia obſcuriora, & difficilia, quæ non omnes aſſequi poſſint. Unde ſolùm videntur attendere, quid homines ſuo modo, quid viribus ſuis, & facultate propria, quid ingenioſi, vel tardi, quid in facilibus, aut difficilibus invenire poſſint, & ſcire. Et hoc modo, & cum hac reſtrictione, neque Theologi antiqui, neque ullus omnino Theologus ex modernis negat, dari poſſe ignorantiam invincibilem divinæ legis, ideſt talem, quæ per vires proprias, ſine adiutorio divinæ gratiæ vinci non poſſit. Sed tamen hæc acceptio ignorantiæ invincibilis eſt valde impropria, & multùm deficiens. Sicut enim, cum agitur de poſſibilitate mandatorum, non ſolùm attendi debet, quid ſolis viribus noſtris, ſed quid etiam cum adiutorio divinæ gratiæ poſſimus (nam alioqui mandata Dei dicenda eſſent impoſſibilia ſimpliciter, quandoquidem per ſolas naturæ vires ea implere non poſſumus) ſic cum agitur de ignorantia divinæ legis, non debet ea invincibilis, aut inſuperabilis definiri, quæ vel ſolis, vel maximis viribus noſtris ſuperari non poſſit; ſed quæ vinci non poſſit, etiam cum adiutorio divinæ gratiæ, quæ parata eſt omnibus facientibus, quod in ſe eſt, & poſtulantibus à Deo ſapientiam, ut ſciant, quid acceptum ſit coram illo omni tempore.

35. Statuendum ergo ab omnibus eſt, negotium hoc non ſolius humanæ diligentiæ, & induſtriæ eſſe, ſed gratiæ Dei, quâ innoteſcit, quod latebat, ſicut ſuave fit, quod non delectabat. Ratio autem eſt: quia ut Theologi omnes ſuo loco docent, homo ex ſolis naturæ viribus præſertim in hoc ſtatu naturæ lapſæ, ſine ſpeciali Dei auxilio non ſufficit ſibi, ad cognoſcendum omne verum morale, etiam ad ipſam naturæ legem ſpectans: ſicut nec ſufficit ſibi ſine ſpeciali Dei adiutorio, ad eam legem ſervandam. De quo videri poteſt Suarez lib. 1. de Gratia cap. 2. num. 14. & 15. Atque ita in Concilio Milevitano definitum eſt: *Utrumque eſſe donum Dei; & ſcire, quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus.* Et in Concilio Arauſicano cap. 22. *Tam veritatem, quàm juſtitiam eſſe ab illo fonte, quem in eremo ſitire debemus.* Vt enim hîc eam gratiam omittamus, quâ naturæ, etiam integræ opus fuerat: hoc certè principium illibatè retinuit ſemper Eccleſia, ſcilicet nos propter peccatum originale contraxiſſe utrumque vulnus *ignorantiæ, & infirmitatis*; & utrique huic morbo ſanando neceſſariam eſſe gratiam Dei, quâ & agnoſcere valeamus, quid ſit agendum, & vitandum; & bonum, quod novimus, proſequamur, ac malum vitemus. Ideoque utramque hanc gratiam poſtulat Eccleſia Sancta, dicens: *Vota, quæſumus Domine, ſupplicantis Populi cœleſti pietate proſequere, ut, quæ agenda ſunt, videant, & ad implenda quæ viderint, convaleſcant.* Atque hûc faciat præclara illa ſententia Sancti Auguſtini in Enchiridio cap. 81. dicentis: *Duabus ex cauſis peccamus; aut non videndo, quid facere debeamus, aut non faciendo, quod debere fieri iam videmus. Quorum duorum illud ignorantiæ malum eſt, hoc infirmitatis. Contra quæ quidem pugnare nos convenit; ſed profectò vincimur, niſi divinitùs adiuvemur .... Hinc ille rogandus eſt, cui dicitur in Pſalmo: Dominus illuminatio mea, & ſalus mea: ut illuminatio pellat ignorantiam, ſalus infirmitatem.*

36. Hoc autem poſito, argumentum denuo confirmatur, & explicatur: Nam ſi attendamus ad ſolas naturæ vires, præſcindendo ab adiutorio divinæ gratiæ, non ſolùm ea, quæ communiſſimè conceduntur, ſed ipſa etiam expreſſiſſima Decalogi præcepta, videntur poſſe invincibiliter ignorari; ideſt tali ignorantia, quæ viribus ſuis, & ingenio à multis vinci non poſſit, præſertim educatis inter Infideles, & Barbaros. Conſtat enim, ipſa expreſſâ Decalogi præcepta ita latuiſſe multas nationes, ſicuti nos latent quidam contra-

ctus uſurarii, & alia, quorum ignorantiæ invincibiles ponuntur à modernis Theologis: & ſicut accuratè inter nos diſtinguunt aptos, & ineptos, & montanos, & ruſticos, & res faciles, & difficiles; ita & multò magis diſtinguere oportuiſſet Gentiles, & Barbaros, qui ſcilicet educati in ſuorum Majorum erroribus, difficilius ſanè eſt, ut humano ſuo modo, & ingenio, ejuſmodi errores vitare poſſint, quàm ut homines inter Catholicos educati ſuperare poſſint omnem errorem contra naturæ legem ad unumquemque pertinentem. Si ergo nihilominus ignorantia illorum erat abſolutè vincibilis, & culpabilis, quia ſuperari poterat adjutorio, & gratiâ Dei, cui tamen ipſi impedimentum appoſuerunt vitiis, & peccatis ſuis: pariter dicendum videtur, omnem ignorantiam juris naturæ, ad unumquemque pertinentis, eſſe abſolutè vincibilem, & culpabilem, quia per Dei gratiam vinci poteſt, adhibitâ non ſolùm induſtriâ humanâ, ſed etiam oratione, pœnitentiâ, & purgatione animæ ab inordinatis paſſionibus, & affectibus, quibus ſolet rationis lumen obſcurari.

37. Quomodo ipſa expreſſa Decalogi præcepta latuerint multas nationes Gentilium, & multa ab eis licita putarentur, quæ ſunt enormia, & fœdiſſima refert S. Hieronymus lib. 2. adversùs Jovinianum non longè à principio, ubi hæc habet. *Quid loquar de cæteris Nationibus, cùm ipſe adoleſcentulus in Gallia viderim Scotos, gentem Britannicam humanis veſci carnibus; & cùm per ſylvas porcorum greges, & armentorum, pecorumque reperiant, Paſtorum nates, & fœminarum papillas ſolere abſcindere, & has ſolùm ciborum delicias arbitrari? Scotorum natio uxores proprias non habet, & quaſi Platonis Politiam legerit, & Catonis ſectetur exemplum, nulla apud eos conjux propria eſt; ſed ut cuique libitum fuerit, pecorum more laſciviunt. Perſæ, Medi, Indi, & Æthiopes regna non modica, & Romano Imperio paria cum matribus, & aviis, cum filiabus, & neptibus copulantur. Maſſagetes, & Derbices miſerrimos putant, qui ægrotatione moriuntur; & parentes, cognatos, propinquos, cùm ad ſenectam venerint, jugulatos devorant; rectius eſſe ducentes, ut à ſe potiùs, quàm à vermibus comedantur.* Hæc, & alia multa narrat ibi Hieronymus; quibus narratis, concludit. *Pervides igitur, quòd non ſolùm in eſu, ſed in ſepulturis, & in connubiis, & in omni converſatione unaquæque gens ſuo ritu, & proprietatibus vivitet, & hoc eam naturæ legem putare, quod didicit.* Similia narrat Chryſoſt. homil. 4. in cap. 1. epiſt. ad Romanos, ubi ſic ait. *Legiſlator quidam apud illos ſanxit, ut ſervi nec in ſicco ſeſe ungerent, nec puerorum amoribus vacarent; hanc ſcilicet prærogativam ingenuis ſolis concedens, ſeu, ut veriùs dicam, hanc turpitudinem: cùm tamen ne turpitudinem quidem factum hujuſmodi eſſe crederent, ſed veluti venerandum, honeſtum, ac maius, quàm quod ſeruorum perſonis conveniret, liberis ipſi permiſerint, tum ſapientiſſimus Athenienſium populus, tum, qui magnus apud ipſos habitus eſt, Solon. Cum eo quoque multos Philoſophorum libros hocce morbo refertos invenias.* Hic tamen error & perſuaſio eos, qui talia facinora committebant, non excuſabat, ut conſtat ex Apoſtolo, & ex doctrina Patrum. Nam Apoſt. ad Romanos 1. expreſsè docet. *Eos eſſe inexcuſabiles, quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſeſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium. Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam: ut contumeliis afficiant corpora ſua &c.* Et rurſus: *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea, quæ non conveniunt &c.* Itaque ex culpâ ſuâ in eas tenebras errorum inciderunt, ut exiſtimarent licita eſſe peccata contra naturam: *Non enim intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte:* ut ait ibi Apoſtolus. Erant tamen inexcu-

ſa-

Digitized by Google

ſibiles, quia cæcitas illa ſecuta eſt ex illo peccato: *Quòd cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt*. Unde S. Thomas exponens hunc eundem locum Apoſtoli lect. 7. in cap. 1. epiſt. ad Rom. tradit illam regulam magiſtralem; de qua ſæpe mentionem fecimus in hoc tractatu. *Conſiderandum eſt*, inquit, *quòd tunc ignorantia aliquem excuſat, quando ſic præcedit, & cauſat culpam, quòd non cauſatur à culpâ &c. Si verò ignorantia cauſetur ex culpa, non poteſt ſubſequentem culpam ignorantia excuſare*. Sicut autem cæcitas illa Gentilium oriebatur ex culpa perſonali ipſorum, & propterea non excuſabat: ita videtur nullus excuſari poſſe à peccato, dum aliquid agit contra ius naturale ex ignorantia, vel errore, quo putat, illud non eſſe peccatum æterna morte dignum; quia eiuſmodi error ſemper videtur oriri ex eo, quòd ille non quæſierit veritatem, prout debebat, neque oraverit, ut tenebatur, poſtulando à Deo, ut ſe illuminaret.

38. Unde iterum inſtauratur, & confirmatur argumentum: quia veritas Catholica eſt, definita à Tridentino contra Lutherum, Deum non præcipere homini impoſſibilia, ſeu ea, quæ homo exequi non poteſt. Hinc S. Hieronymus in expoſitione Symboli ad Damaſum, tamquam Decretum Fidei proponebat hoc: *Qui dicit Deum præcepiſſe, & hominem implere non poſſe; anathema ſit*. Quod Hieronymi Decretum Lutherus per irriſionem appellabat *Decretulum*. Reddit rationem Auguſtinus lib. de Fide contra Manich. cap. 10. *Quis enim* (inquit) *non clamet, ſtultum eſſe præcepta dare ei, cui liberum non eſt, quod præcipitur facere?*

39. In hanc doctrinam impegit Janſenius: qui palàm docuit poſt Lutherum, *aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires* (ideſt ſecundùm vires, quas habent in hoc ſtatu naturæ lapſæ, non autem ſecundùm vires, quas habuerunt in Adamo, ſeu in ſtatu naturæ innocentis) *eſſe impoſſibilia; deeſſe quoque illis gratiam, qua poſſibilia fiant*. Hanc autem Janſenii propoſitionem Innocentius X. & Alexander VII. hæreticam declararunt, & ut talem damnarunt. Ex quibus habetur, homini iuſto, cui Deus aliquid præcipit, non eſſe impoſſibilem illius præcepti obſervationem; ſed Deum præcipientem vel ſupponere, vel dare auxilium ſufficiens ad obſervandum præceptum; vel ſaltem dare facultatem obtinendi eiuſmodi auxilium mediante oratione. Hinc eſt de Fide, iuſtum tentatum à Diabolo, & à propriâ concupiſcentiâ ad violandum aliquod Dei præceptum, habere vires ſufficientes ad reſiſtendum tentationi; vel ſaltem non deeſſe illi gratiam, qua poſſit vires illas impetrare: quia nimirum poteſt orare, ut oportet, & mediante oratione hac, infallibiliter impetrabit gratiam, quâ poſſit ſuperare tentationem, & præceptum implere. Et ideo Tridentinum Seſ. 6. Canone 18. ſic decernit: *Si quis dixerit, Dei præcepta homini, etiam iuſtificato, & ſub gratia conſtituto, eſſe ad obſervandum impoſſibilia, anathema ſit*. Et priùs in eadem Seſ. Cap. 11. huius Decreti rationem reddiderat. *Nam Deus* (inquit) *impoſſibilia non iubet, ſed iubendo monet, & facere, quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis*. Ex hac verò doctrina videtur inferri, nullam eſſe ignorantiam invincibilem Divinæ legis, quæ ad unumquemque ſpectat; ac proinde numquam à peccato excuſari qui aliquid agit contra naturæ legem. Nam ſi aliquid eſt in ſe intrinſecè illicitum; ergo datur præceptum Divinum, illud prohibens: ergo datur præceptum Dei obligans ad abſtinendum ab illius rei excuſatione. Ergo cùm Deus impoſſibilia non iubeat, illud præceptum non eſt ad obſervandum impoſſibile: foret autem ad obſervandum impoſſibile, ſi homo non poſſet illius præcepti exiſtentiam cognoſcere, & quærendo invenire. Ergo ſi homo ignorat illius præcepti exiſtentiam, ſuâ culpâ ignorat; quia nimirum non quæſivit prout debuit: ac proinde hæc ignorantia illum non excuſat. Ut enim ait Auguſtinus lib. de quant. anim. cap. 14.

Digitized by Google

Fieri non poteſt quadam Divinâ providentiâ, ut religioſis animis ſeipſos, & Deum ſuum, id eſt veritatem, piè, caſtè, & diligenter quærentibus inveniendi facultas deſit. Ergo univerſim dicendum eſt, facienti quod eſt in ſe, Deum non negare cognitionem legum, & obligationum ſuarum.

§. IV.

Reſpondetur argumentis propoſitis.

40. Fateor argumenta propoſita primo aſpectu gravia videri. Reſpondetur tamen, ex eo quòd aliquid ſit intrinſecè malum, & lege Divinâ prohibitum (ita ut Deus obligare voluerit omnem hominem rationis compotem ad illud evitandum, & ſincerè velit, ne illud umquam fiat) non neceſſariò ſequi, quòd ſemper, & in omni eventu teneatur Deus cuicumque homini, etiam facienti quod in ſe eſt, ad legem Dei integrè ſciendam, & implendam, communicare per ſe, vel per alios notitiam illius divinæ prohibitionis. Ad hoc enim neceſſe eſſet patrare paſſim miracula, vel per extraordinariam providentiam ſupplere defectum cauſarum ſecundarum. Deus autem non tenetur patrare miracula ad omnem finem, quem ſincerè vult. Poteſt igitur velle, ut lex ſua integrè ab omnibus ſciatur, & ne materialiter quidem ex ignorantia violetur: & nihilominus permittere, ut aliquando citra ullam hominis culpam, contingat hic defectus, non moralis, ſed phyſicus; ſcilicet legem ſuam quoad aliquem caſum in ipsâ contentum invincibiliter ignorari, & materialiter violari, ac inverti.

41. Quod explicari, & confirmari poteſt, exemplo ignorantiæ Facti, ſeu circumſtantiæ particularis, in qua omnia oppoſita argumenta videntur inſtantiam pati. Nam Deus abſolutè prohibet, & abſolutè vult, ne quis accedat ad non ſuam: & tamen permittere poteſt, ut quis ſine ullâ ſuâ culpâ accedat ad non ſuam ex errore invincibili quòd ſit ſua; ut cum Jacob acceſſit ad Liam: & quando contrahitur matrimonium bonâ fide cum aliquo ex impedimentis dirimentibus, & bonâ fide conſummatur ex errore invincibili alicujus facti v. g. quòd ſit mortuus prior maritus: qui error contingere poteſt poſt adhibitam omnem diligentiam debitam, & ſine ullâ culpâ contrahentium. Pariter contingere poteſt, ut quis ignoret invincibiliter id, quod iuramento confirmat, falſum eſſe. Et tunc quidem, ut rectè docet Valentia 1. 2. diſp. 7. q. 4. puncto 6. is, qui per ignorantiam invincibilem iurat falſum, verè facit id, quod eſt illi prohibitum, etiam in caſu quo ignorat, atque adeo verè violat legem negativam primæ tabulæ; ſed non violat voluntariè: propter quod dicitur excuſari à peccato. Quod ipſum ſanè non diceretur propriè, niſi reipsâ contra legem faceret. Hoc enim eſt excuſari, cùm facias aliquid contra legem, nihilominus non peccare. Itaque per eiuſmodi ignorantiam invincibilem non fit, ut quis non tranſgrediatur legem, atque adeo, ut non violet obligationem eius, ſed ut non tranſgrediatur, & violet voluntariè: id quod eſt peccare. Sicut ergo Deus ex intentione, quam habet obligandi homines ad eiuſmodi actus vitandos, & ex ſincerâ voluntate, quâ vult ne ſimiles actus fiant, non cogitur ad illuminandum hominem per extraordinariam, & miraculoſam providentiam, ſed permittere poteſt, ut homo incidat ſine ullâ ſuâ culpâ in ignorantiam invincibilem facti, vel circumſtantiæ particularis, & ex errore materialiter ſuam legem violet: ita neque tenetur ſemper illuminare hominem facientem quod in ſe eſt, ne incidat in errorem aliquem invincibilem Juris naturalis, quo exiſtimet v. g. ſe teneri ad mentiendum propter bonum proximi, vel ad furandum malis divitibus, unde eleëmoſynam det bonis pauperibus. Similiter, ſicut non ſequitur, Deum iubere impoſſibilia, ex eo, quòd homo laborans ignorantiâ invincibili Facti, non poſſit vitare violationem materialem Divinæ le-

Digitized by Google

legis: ita nec ſequitur, quòd Deus impoſſibilia iubeat, ex eo, quòd homo in aliquo eventu laboret ignorantia invincibili Juris naturæ, & illâ poſitâ nequeat evitare violationem materialem Divinę legis invincibiliter ignoratæ.

42. Præſertim verò contingere poterit ignorantia invincibilis iuris naturæ ad unumquemque pertinentis, quoad concluſiones valde remotas à primis principiis, & quoad illos caſus difficiles, & abſtruſos, de quibus controverſia eſt inter Doctores claſſicos, an contineantur ſub Lege Divinâ prohibente, vel non. Quamvis enim Deus præcipiens, aut prohibens formaliter, & explicitè aliquid, teneatur communicare homini notitiam hujus præcepti, vel ſaltem dare illi principia, quibus poſſit notitiam illius præcepti obtinere: non tamen tenetur communicare notitiam omnium concluſionum particularium, quæ in illo implicitè continentur. Sic Deus præcepit expreſsè omnibus non inferre damnum proximo, nec ſpoliare illum bonis ſuis: & hujus præcepti notitiam omnibus pollentibus iudicio rationis inſtillat, & imprimit. Cæterùm etſi ex hoc præcepto inferatur, talem, vel talem contractum eſſe illicitum, & contra ordinem juſtitiæ à Deo poſitum; quia tamen hæc illatio non eſt clara, & facilis, ſed difficilis, & obſcura, etiam apud doctos, non tenetur Deus omnibus deliberantibus de exercendo illo contractu communicare notitiam veram, etiamſi ipſi faciant cum auxilio Divinæ gratiæ quantum in ſe eſt, ad illam obtinendam. Cùm enim Deus voluerit homines ignorantes gubernare per homines doctos; & aliunde voluerit etiam permittere, ut res eſſet ſub lite, ac diſputatione inter Doctores Catholicos, utque multi probi, & ſapientes poſt totius quæſtionis diligentem diſcuſſionem, & accuratum examen, atque poſt fuſas ad Deum preces, ſine ulla ſua culpa traderent aliquando doctrinam falſam, & Legi Divinæ contrariam; hoc ipſo voluit conſequenter permittere, ut homines timorati poſſent ſine culpa ſequi doctrinam illam falſam, quando bonâ fide putarent, illam eſse veram.

43. Neque hinc ſequitur, Deum tuliſse aliquam legem, quam non ſatis promulgaverit, & intimaverit communitati; quod eſset abſurdum: tantummodo ſequitur, in lege ipſa Dei promulgata, & intimatâ non contineri expreſsè, & in particulari; ſed ſolùm implicitè, & in univerſali hunc, aut illum caſum; quod eſt veriſſimum. Non enim præcepta Decalogi haberent finem, & terminum, ſi deberet in ſingulis exprimi, diſtinctèque, explicitè, & in ſpecie recenſeri, ac prohiberi hic, & ille, & ille caſus particularis implicitè in illis contentus, vel de quo poſset dubitari, an contineatur in Lege à Deo promulgata.

44. Quare dum diſputatur, an aliquid ſit intrinſecè illicitum, non diſputatur, an detur præceptum id explicitè prohibens: ſi enim daretur, illud communitati hominum Deus apertè manifeſtaret. Ut enim definit D. Thomas 1. 2. quæſt. 90. ar. 5. in fine corporis. *Lex eſt quædam rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata*: ac proinde illius præcepti exiſtentia eſset communitati Eccleſiæ manifeſta; qualia ſunt omnia præcepta Decalogi. Solùm ergo diſputatur, an res illa ſit contra aliquod præceptum, de cujus exiſtentia conſtat.

45. Confirmatur: quia, ut inquit D. Thom. ea quæſt. 90. ar. 4. *Ad hoc ut lex virtutem obligandi obtineat, quod eſt proprium legis, oportet, quòd applicetur hominibus, qui ſecundùm eam regulari debent: talis autem applicatio fit per hoc, notitiam quòd in eorum deducitur ex ipſa promulgatione. Unde promulgatio ipſa neceſſaria eſt ad hoc, ut lex habeat ſuam virtutem*. Ergo hoc ipſo, quòd Deus aliquam legem condiderit, & per eam voluerit obligare homines, neceſſarium fuit, ut illam communitati hominum intimaret; ſicut intimavit præcepta Decalogi. Quando ergo diſputatur inter Theologos, an quid ſit intrinſecè illicitum, non diſputatur, an detur lex, vel præceptum; ſed diſputatur, an illa actio opponatur legi, vel præcepto, de cujus exiſtentia conſtat. Sic dum diſputatur, an aliquis

Digitized by Google

contractus ſit uſurarius, ſupponitur extare legem prohibentem uſuras; & diſputatur, an talis contractus comprehendatur ſub lege. Dum v. g. diſputatur, an ſit illicitum in mutuo accipere aliquid ultra ſortem ratione lucri ceſſantis, vel ratione periculi recuperandi ſortem, ſupponitur uſuram eſse illicitam; & diſquiritur, an hujuſmodi contractus ſint comprehenſi ſub prohibitione uſurarum, de qua certò conſtat. Et ſimiliter dum diſputatur, an aliquis contractus ſit ſimoniacus; ſupponitur extare legem certam prohibentem ſimoniam; & dubitatur, an talis lex ſub ſe comprehendat illum contractum. Et dum diſputatur, an aliquis contractus ſit contra juſtitiam, ſupponitur extare legem, quæ prohibeat iniuſtitiam; & diſquiritur, an ille contractus ſit contra talem legem: nec poteſt probari, aliquid eſse peccatum, quin probetur eſse contra aliquem legem, cujus exiſtentia eſt certa in communitate Eccleſiæ, quia vel continetur clarè in Scriptura, vel in Conciliis, vel in Jure canonico. Quare licet Deus teneatur communicare hominibus notitiam legis, & præcepti ſui, quo vult homines obligare, quoad rationem illam explicitam, quam præceptum continet, & forſan quoad alias, quæ ex illa ſecundùm ſe ſumpta neceſsariò fluunt, & à quolibet homine facilè capiuntur; non tamen tenetur communicare quoad alias rationes, quæ valde remotè ſequuntur, & quæ non deducuntur ex illo præcepto, niſi adiunctis variis circumſtantiis, quarum conſideratio ad ſapientes pertinet. Etenim ut inquit D. Thomas 1.2. quæſt. 100. ar. 1. (in quo inquirit, utrùm omnia præcepta moralia veteris legis pertineant ad legem naturæ) *Quædam ſunt, quæ ſtatim per ſe ratio naturalis cujuslibet hominis, diiudicat eſſe facienda, vel non facienda (ſicut, Honora Patrem tuum, & Matrem: &, Non occides: Non furtum facies) & hujuſmodi ſunt abſolutè de lege naturæ.* tum ſubdit: *Quædam vero ſunt, quæ ſubtiliori ratione à ſapientibus judicantur eſſe obſervanda: & iſta ſic ſunt de lege naturæ, ut tamen indigeant diſciplinâ, quâ minores à ſapientibus inſtruantur.* Deus ergo aliquid præcipiens, & volens obligare homines ad illius obſervationem, debet intimare illis hoc præceptum quoad rationem illam, quæ expreſsè in illo continetur, & quoad alias, quæ ex illa ita ſequuntur, ut quilibet homo rationis capax ea facilè percipiat; non tamen quoad alias, quæ indigent ſtudio. Nam ut in eodem articulo paulò ante præmiſerat S. Doctor: *Sicut omne judicium rationis ſpeculativæ procedit à naturali cognitione primorum principiorum, ita etiam omne judicium rationis praticæ procedit ex quibusdam judiciis naturaliter cognitis. .. ex quibus diverſimodè procedi poteſt ad judicandum de diverſis. Quædam enim ſunt in humanis actibus adeo explicita, quod ſtatim cũ modica cõſideratione poſſint approbari, vel reprobari per illa communia, & prima principia. Quædam vero ſunt, ad quorum judicium, requiritur multa conſideratio diverſarum circumſtantiarum; quas conſiderare diligenter non eſt cujuslibet, ſed ſapientum: ſicut conſiderare particulares concluſiones ſcientiarum, non pertinet ad omnes, ſed ad ſolos Philoſophos.*

46. Quapropter ex eo, quòd omne præceptum naturale à Deo impoſitum hominibus, debeat eſse invenibile quoad illam rationem, quæ in ipſo præcepto naturali explicitè continetur, & quoad illam, quæ ex hac ita clarè deducitur, ut quilibet homo rationis capax illam facilè poſſit capere; non tamen debet, quoad illas rationes, & concluſiones, quę valdè diſtant à primis principiis, & indigent ſtudio, & propterea cadunt ſub controverſiam Theologorum. Hinc D. Thomas 1.2. qu. 100. ar. 3. in corp. dixit præter decem præcepta Decalogi reperiri duo genera præceptorum: *Illa ſcilicet, quæ ſunt prima, & communia; quorum non oportet aliquam editionem eſſe, niſi quod ſint ſcripta in ratione naturali, quaſi per ſe nota. Sicut quod homo nulli debeat malefacere, & alia huiuſmodi: & iterum illa, quæ per diligentem inquiſitionem ſapientum inveniuntur rationi convenire: hæc enim proveniunt à Deo ad populum mediante diſciplina ſapientum.* Addit ve-

Digitized by Google

verò S.Doctor, quòd *Utraque horum præceptorum continentur in præceptis Decalogi; ſed diverſimodè. Nam illa, quæ ſunt prima, & communia, continentur in eis, ſicut principia in concluſionibus proximis; illa vero quæ per ſapientes cognoſcuntur, continentur in eis è converſo, ſicut concluſiones in principiis.*

47. Ex iis deducitur, quòd licet eſſent inexcuſabiles Philoſophi Gentiles de quibus Paulus Rom. 1. qui ex prava conſuetudine peccandi in eam mentis cæcitatem venerant, ut licita putarent vitia contra naturam; & eſſent inexcuſabiles Nationes illæ, quæ licita exiſtimabant ea, quæ ſupra commemoravit Hieronymus (quia nempe poterant, ac debebant ſcire ea eſſe mala; illaque proinde ignorantia, & ille error erat culpabilis) nihilominùs poſſit excuſari à culpa, qui ſequitur opinionem reipsâ falſam contra ius naturale obſcurum, de quo eſt controverſia inter Doctores Catholicos: ſi illam ſequatur, quia videt Doctores ſanctiſſimos, & ſapientiſſimos docuiſſe illam doctrinam poſt diligens ſtudium; & certus moraliter ſit, eos in illa tradenda non peccaſſe; neque habeat ſufficiens fundamentum ad iudicandum illos erraſſe, vel ob defectum ingenii, vel ob defectum ſtudii, vel ob aliquem affectum pravum. Præſertim ſi videat eſſe plures, & graviores pro hac parte, quàm pro oppoſitâ; eorumque fundamenta ipſi appareant clarè præponderantia fundamentis oppoſitæ.

48. Nec ex eo, quòd inexcuſabiles forent illi, de quibus Paulus loquitur, inexcuſabilem ſequitur eſſe, qui ſectatur opinionem probabilem reipsâ falſam contra ius naturale, pro qua videt eſſe plures, & graviores authores, quàm pro contraria, & invenit fundamenta veriſimiliora. Nam Philoſophi illi, licet ob ſua peccata in eum errorem inducti fuiſſent, ut exiſtimarent illas turpidines eſſe licitas; nihilominus ante illas admiſſas, non ignorabant, eiuſmodi actiones eſſe turpes, & naturæ rationali repugnantes. Inde habebant principium deponendi illum errorem; ac proinde quòd in illo perſeverarent, & ex illo procederent ad eiuſmodi fœditates committendas, non poterat illos excuſare. Deinde, licet ſuppoſitâ culpâ, & voluntariâ cæcitate, non haberent proximam potentiam ad evitandum actiones illas ut malas; hæc neceſſitas erat illis voluntaria, & abſolutè per eiuſmodi actiones merebantur Infernum, in quo puniri debent ut molles, & ut maſculorum concubitores, licet has actiones exercuerint ſine ſcrupulo, an eſſent malæ. At in noſtro caſu ſine ullo peccato poteſt quis iudicare, veram eſſe ſententiam, pro qua videt plures, & graviores authores, de quibus ſecurus eſt, in illa tradenda non peccaſſe, ſed laudabiliter ſe geſſiſſe, & pro quâ invenit urgentiora fundamenta.

49. Nec ex eo, quod dari nequeat ignorantia invincibilis Juris naturalis quoad concluſiones proximas primis principiis, quæ continentur in præceptis Decalogi, ſequitur, non poſſe dari quoad concluſiones remotas valde abſtruſas, & difficiles; quales ſunt illæ, quæ inter Doctores Catholicos Sanctos, & ſapientes diſputantur, & de quibus dantur ſententiæ probabiles oppoſitæ: quia nullum eſt fundamentum ad aſſerendum, quòd Deus homini facienti quod in ſe eſt cum auxiliis ordinariis gratiæ, manifeſtare debeat illarum concluſionum veritatem, quam poſt diligens ſtudium, & fuſas ad Deum preces Doctores Sanctiſſimi, & ſapientiſſimi aſſecuti non ſunt. Harum ergo concluſionum longiùs remotarum à primis principiis, quæ abſtruſæ valde ſunt, & difficiles, poterit dari ignorantia invincibilis, & inculpabilis in eo, qui veritatem quærit ad operandum: ſicut datur in Doctore, qui illam quærit ad docendum.

50. Quoties ergo occurrerit ratio dubitandi, an ſit res intrinſecè mala, & à Deo prohibita, nec ne; faciat homo diligentiam ad inquirendam veritatem. Quòd ſi factâ hac diligentiâ, invenerit grave fundamentum ad affirmandum rem illam eſſe prohibitam, teneatur ab illa abſtinere; nec poſſit impunè illam ex-

exequi, niſi pro caſu, in quo facta eâ diligentiâ, invenerit maius manifeſtè fundamentum ad negandum, eſſe prohibitam, quàm ad affirmandum: ita ut fundamentum affirmandi comparatum cum fundamento negandi, reputetur leve, & vi huius fundamenti præeminentis homo iudicaverit, rem illam non eſſe malam, non teneatur ab illa abſtinere: quamvis illa ſit in ſe intrinſecè mala, & ratio Divina illam reprobet, ut malam, & iudicet eſſe diſconvenientem naturæ rationali; nec poſſit Deus umquam ad illam poſitivè inclinare. Quòd ſi homo non faciat debitam diligentiam ad inveniendam veritatem, vel ex aliqua paſſione obcæcante appareat illi pars benigna, ut licita, & ob hanc cauſam erraverit in iudicio; operabitur ex conſcientia erroneâ culpabili, quæ non excuſat à culpa actionem, quam ratio Divina reprobat ut malam. Quapropter quamvis actio aliqua ſit intrinſecè mala, utpote quam ratio Divina dictat, eſſe diſconvenientem naturæ rationali, ſi tamen homini conſtituto in hoc ſtatu naturæ lapſæ, nulla umquam occurrerit ratio dubitandi, an res illa ſit mala, & cum hac ignorantia illam faciat, operabitur cum ignorantia invincibili; quia tunc malitia illius actionis nec eſt voluntaria in ſe, neque in cauſa. Si autem occurrerit aliqua ratio dubitandi, vel aliquis ſcrupulus, tenetur inquirere veritatem, vel ſtudendo per ſe, vel conſulendo ſapientes, vel petendo à Deo, ut ſuam mentem illuminet, & ſuam voluntatem ſibi aperiat. Quòd ſi factâ ſufficienti diligentiâ ſtudendo, & orando, vel conſulendo, invenerit grave fundamentum ad iudicandum, rem eſſe malam; tenebitur abſtinere ab illius executione; quia vel tunc iudicare debet, eſſe malam, vel manere dubius, & anceps, an ſit mala; & in utroque caſu tenetur abſtinere. Si autem factâ hac diligentiâ non invenerit grave fundamentum ad iudicandum, rem eſſe malam; invenerit autem ad iudicandum, eſſe licitam (quia pro hac parte occurrunt argumenta, quæ citra paſſionem inſpecta, ſunt manifeſtè veriſimiliora) & ob hæc fundamenta directè iudicaverit, eſſe licitam rem illam; licitè poterit ad eius executionem procedere. Si autem fuerit negligens in quærenda veritate, & ex hac negligentia provenerit, quòd formet conſcientiam erroneam circa illam actionem, quam ratio Divina, & lex æterna reprobat, ut malam; illa conſcientia non excuſabit omnino à culpa actionem, quæ ex illa fit contra legem: quia licet non ſit voluntaria in ſe, eſt tamen voluntaria in cauſa; & ratione negligentiæ præcedentis imputatur homini illam ponenti.

§. V.

Concluditur Diſſertatio.

51. HÆc dicta ſint ad oſtendendum, quàm ſit vera ſententia communis Theologorum, aſſerentium, poſſe dari ignorantiam invincibilem Juris naturalis, quoad concluſiones remotas, & valde diſtantes à primis principiis, de quarum veritate dantur ſententiæ probabiles oppoſitæ inter Doctores ſapientiſſimos, & piiſſimos. Doctrina tamen à nobis ſtabilita in hoc opere, huius ſententiæ communis veritate non indiget. In eo ſiquidem aliud caput præcipuè probandum aſſumpſi; nimirum eum, qui in re controverſa, & diſputata inter Doctores Catholicos, poſt diligentem veritatis inquiſitionem, ex ſincero affectu non offendendi Deum ſuſceptam, citra omnem paſſionem, & culpam invenit ſenſibiliter maius fundamentum (præſertim ſi ſit authoritatis, & rationis) pro parte minùs tuta favente libertati contra præceptum, & ob hoc maius fundamentum directè huic parti aſſenſum præbeat, & iudicet iudicio abſolutè determinato, non vacillante, & fluctuante; ſed per modum ferentis ſententiam, rem illam eſſe licitam, poſſe licitè illam exequi; ſive illud iudicium ſit verum, ſive ſit falſum. Si nequeat dari ignorantia invincibilis Juris naturalis, etiam quoad concluſiones remotas, ut acri-

Digitized by Google

acriter nonnulli contendunt,erit impoſſibile,ut in caſu poſito homo ille non aſſequatur veritatem; quâ fecit,quantùm potuit, ac debuit ad illam quærendam; & ei, qui hoc facit, Deus tenetur iuxta hos Authores manifeſtare veritatem in rebus attinentibus ad Jus naturale.Si autem talis ignorantia poſſit dari, & illa opinio reipsâ ſit falſa; homo ille habebit ignorantiam excuſantem à culpa; quia nimirum illa eius ignorantia fuit invincibilis, non ſolùm viribus naturæ, ſed etiam viribus ordinariis gratiæ; & non niſi per vires extraordinarias gratiæ, quas Deus non promiſit, potuit vinci: ignorantia autem invincibilis excuſat à culpa id, quod ex tali ignorantia contra legem fit.

Digitized by Google

DISSERTATIO DUODECIMA.

In qua expenditur, & retorquetur ratio, quâ P. Terillus probat ſententiam Probabiliſtarum: quia alioqui graviſſimè peccaviſſent Doctores hujus ſæculi, qui docuerunt, licitum eſſe ſequi ſententiam probabilem minùs tutam relictâ probabiliori, & tutiori.

INTRODUCTIO DISSERTATIONIS.

1. IN manuſcriptis de Recto Uſu Opinionum Probabilium; quæ compoſui anno 1670. 1671. atque 1672. & ex parte non edidi, ſolvi, & retorſi ſeptemdecim fundamenta, quibus P. Antonius Terillus in tomo de Conſcientia Probabili quæſt. 23. ſententiam Probabiliſtarum munit. Sed quia ille in novo opere de Regula Morum quæſt. 2. eadem argumenta denuo inſtaurat, & promovet, & à retorſionibus vindicat; neceſſarium mihi fuit, alia denuo reponere, quibus ſolutiones, & inſtantias à me priùs allatas confirmarem, & acuti huius Authoris argumenta pleniùs diſſolverem. Hic tamen ſolùm attingam, quæ attinent ad primam rationem.

§. I.

Proponitur, & retorquetur hæc ratio Terilli.

2. PRobat ergo Terillus eâ quæſt. 23. licitum eſſe ſequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam in occurſu probabilioris, & tutioris: quia ſi id non eſſet licitum, peccaviſſent omnes ferè Doctores huius ſæculi, qui eam doctrinam tradentes, induxerunt fideles ad ſequendum opiniones minùs probabiles, & minùs tutas; ac proinde illis fuerunt occaſio peccandi. Sed retorſi argumentum ita. Omnes antiqui Theologi ante ſæculum præteritum doctrinam contrariam tradiderunt: ergo ſi illa eſt falſa, graviter peccârunt, imponentes ſuper capita hominum grave onus, quod Deus ipſis non impoſuit. Sic enim plurimis peccatis occaſionem dederunt; nam propter eorum falſam doctrinam, habuerunt malam fidem plurimi, qui ſententias minùs probabiles, & minùs tutas elegerunt; quam malam fidem non habuiſſent, ſi doctrina benigna tradita illis fuiſſet.

3. Deinde reſpondi, pleroſque ex Doctoribus huius ſæculi, docentibus, licitum eſſe ſequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, nobis contrarios non eſſe: ſolùm enim docent, licitum eſſe ſequi opiniones reipsâ minùs probabiles, ſeu quæ communiter minùs probabiles reputantur; non docent autem, licitum eſſe operanti eligere ſententiam minùs tutam, & minùs probabilem apud ipſum, id eſt, ſententiam, quam ipſe operans cognoſcit eſſe minùs probabilem oppoſitâ, ſtante pro præcepto. Eorum quippe mens ſolùm eſt, hominem ſine paſſione, & præcipitatione opi-

Digitized by Google

opinantem, aliquam operationem eſſe licitam, ſecurè poſſe ſuam opinionem in praxim deducere, hoc ipſo, quòd ſciat eſſe probabilem, id eſt, veram reputari à viris probis, & ſapientibus poſt accuratum controverſiæ ſtudium: quod nos fatemur. Quia hoc ipſo, quòd ille homo ſciat, opinionem, cui ipſe adhæret, defendi à viris ſapientibus, & prudentibus, ſcit niti fundamento prudenti, ac proinde non eſſe temerariam, & improbabilem: unde optimè deducit, poſſe à ſe in praxim deduci; quia unuſquiſque licitè exequitur id, quod prudenter iudicat eſſe ſibi licitum. Non eſt autem eorum mens, hominem illum, in cuius intellectu obiectivè concurrunt fundamenta utriuſque ſententiæ, poſſe eligere minùs tutam, ſi eius fundamenta minoris ponderis ſint apud ipſum, quàm fundamenta tutioris.

4. Sed quia negare non poſſumus, non paucos in hoc ultimo ſenſu illam defendere ut veram, in quo nos exiſtimamus eſſe falſam; ideo tertiò reſpondeo, multos Doctores in ea tradenda excuſari ob ignorantiam, & bonam fidem; quia ſcilicet poſt diligentem rei diſcuſſionem exiſtimârunt veram, & utilem ſententiam, quæ reipsâ eſt falſa. Sic certum eſt, in re morali multas opiniones falſas doceri à Doctoribus: in omni namque controverſia dantur Doctores affirmantes, & Doctores negantes; & certum eſt, alteros tradere doctrinam reipsâ falſam; vel imponentes obligationem, quam Deus non impoſuit, vel tollentes, quam impoſuit. Et tamen certum eſt, aliquos ſaltem non peccâſſe in tradenda illa doctrina; quia animo ſincero indagandæ veritatis ſtudium ſufficiens adhibuerunt, & tamen ut homines decepti ſunt. Non pauci tamen ex iis, qui doctrinas laxas tradidêre, forſan coram Deo legitimam excuſationem non habebunt: vel quia abſque ſufficienti ſtudio in re graviſſima ſententiam protulerunt; vel quia nimio affectu placendi hominibus, in eas ſententias abierunt, quas gratiores fore, & maiori cum plauſu excipiendas arbitrabantur. Legant ii, quod Cardinalis Caietanus docet in Summa, verb. *Opinio*, vel, ut citant alii, titulo, *Sectarum æmulatores, vel opinionum ſæpenumero reprehenſibiles habentur*. Sic enim ait: *Opinio tripliciter eſt illicita: Primò ex eo, quòd voluntaria; nam in omni genere ſcibilium voluntaria eſt illicita; quia non ex eo, quòd magis placet, ſed ex eo, quod rationabilior eſt, non ex voluntate, ſed ratione amplectenda eſt opinio. Et hinc errant Sectarum æmulatores, opiniones ſuæ Sectæ ſequentes, non ut rationi magis conſentaneas; ſed quia nati ſunt, aut nutriti in Secta illius doctrinæ. Secundò, ex non-relatione ad ſuam regulam: omnis enim opinio examinanda eſt ad ſuam regulam. Et quia in his, quæ ſunt fidei, & morum, regula eſt Sacra Scriptura expoſita ab Eccleſia Catholica, non excuſatur aliquis à quantumcumque rationabili opinione in huiuſmodi, ſi ſuſpecta eſt communi Eccleſiæ, ſeu Apoſtolicæ Sedi. Et hinc damnantur credentes hæreticorum, & antiquorum, & novorum, adhærentes doctrinis reprobatis, aut ſuſpectis, ſaltem apud Sedem Apoſtolicam. Tertiò, ex modo, dum nimis firmiter inhæretur opinioni, & aſſeritur, ut certum, atque indubitatum; quod tamen eſt intra latitudinem opinabilium. Et hinc ſæpe erratur ex nimio affectu ad noſtra, & minore, quàm opus fuerit, examine, reſolutione, ac judicio, dum probabilia accipiuntur, ut demonſtrata.* Hactenus Caietanus.

5. Ex iis reſponderi poteſt primò, ſicut ſolùm per accidens ex ignorantia licet docere in ſcholis ſententiam, quam huc uſque impugnavimus, & falſam oſtendimus; ita ſolùm per accidens, & ex ignorantia invincibili licitum eſſe eam ad praxim deducere. Secundò reſpondeo, eum qui operatur ſecundùm ſententiam minùs tutam, & minùs probabilem, prætermiſsâ ſententiâ tutiore, quam ab authoritate, & ratione agnoſcit eſſe magis veriſimilem, numquam poſſe excuſari coram Deo à culpa: quia quamvis ſciat, multos Doctores affirmare, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs tutam in occurſu tutioris, & probabilioris; conſcientia propria reclamat, & ipſum pungit, & impellit ad operandum ſecundùm ſententiam probabiliorem, & tutiorem. Quamvis enim ſciret, centum

Doctores affirmare, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam; tamen interrogatus, an contractus hìc, & nunc exercendus ſit reipsâ lege Divinâ prohibitus, necne; reſpondere debet, ſe neſcire, imò habere maius fundamentum ad credendum, eſſe prohibitum. Cum hoc autem dubio, & ſtatu nequit componi dictamen reflexum verum de eo, quòd hìc, & nunc liceat ſibi operari: ut oſtendi Diſſertat. 6. Unde ſi ob authoritatem illorum Doctorum ſententiæ benignæ, faciat contractum illum reipsâ prohibitum, hæc non eſt ſolùm tranſgreſſio materialis per ſe loquendo, ſed formalis; ut ibi latè oſtenſum eſt. Si autem non ſit reipsâ prohibitus, nihilominus peccat, ſaltem per ſe loquendo: quia voluntariè ſe exponit periculo violandi legem, exercens contractum, quando prudenter iudicare poteſt, eſſe prohibitum; & nequit iudicare, non eſſe prohibitum. Sic in ſententia ſatis communi, etiam inter ipſos Probabiliſtas, nemini licet ob aliorum authoritatem operari contra propriam opinionem, quâ exiſtimat, aliquem contractum eſſe prohibitum. Unde quamvis reflectat ſupra authoritatem multorum Doctorum oppoſitum aſſerentium, nequit formare dictamen reflexum conſcientiæ verum, quo excuſetur à culpa, celebrando contractum in ſenſu compoſito iudicii opinativi directi, quo credit, contractum illum eſſe univerſaliter prohibitum.

6. Ex quo inferes, quamvis Doctores, hanc ſententiam tenentes, excuſentur à culpa in tradenda hac doctrina; ſiquidem inculpabiliter ignorant, eam afferre nocumentum animabus, & non docuerunt eam doctrinam reclamante propriâ conſcientiâ, ac eos accuſante, & pungente: non tamen excuſari eos, qui operantur contra ſententiam tutiorem ſibi veriſimiliorem, & abſolutè probabilem; quia nimirum conſcientia propria ipſos accuſat. Sic non eſt dicendum, peccâſſe Doctores omnes, qui docuerunt, licitum eſſe ſequi ſententiam aliorum minùs tutam contra propriam opinionem: quamvis peccent omnes, qui operantur contra propriam opinionem, quâ credunt, aliquid eſſe univerſaliter malum: quia operantur contra conſcientiam.

7. Quod addit Terillus num. 10. deſumptum ex Medina, ſcilicet, quòd ſententia directè minùs probabilis, & minùs tuta licitè docetur in ſcholis; adeoq; talis opinio ſufficiat ad regulandam praxim: iam ſupra ſolutum eſt. Ea enim ſententia minùs tuta, & minùs reipsâ probabilis non licitè docetur ab eo, qui habet maius fundamentum ad credendum, eſſe falſam, quàm eſſe veram, ſeu ab eo, cui repræſentatur ut minùs veriſimilis, quàm ſua contradictoria. Nullus enim Doctor poteſt licitè docere in ſcholis, non eſſe peccatum pingere ſine neceſſitate in die feſto, cui magis veriſimile eſt, id eſſe peccatum. Unde opinio minùs probabilis, & minùs tuta non ſufficit ad regulandam praxim in eo, cui illa ut minùs probabilis proponitur. Sicut autem opinio minùs tuta licitè docetur in ſcholis ab eo, qui illam exiſtimat veram; quia ipſi propoſita eſt ut magis veriſimilis, quàm contraria: ita licitè in praxim deducitur ab eo, cui citra paſſionem, & culpam proponitur ut magis probabilis, ſeu magis veriſimilis; licet reipsâ, & in communi æſtimatione cenſeatur minùs probabilis; quia talis prudenter ei aſſentitur ut veræ. Vnicuique autem licet in praxim deducere opinionem, affirmantem, aliquid eſſe licitum, cui ipſe prudenter aſſentitur.

§. II.

Inſtaurat Terillus primum ratiocinium à ſe factum in tomo de Probabilitate pro uſu licito opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ. Et quid reponat ad ea, quæ contra illam nos oppoſuimus.

8. Hic Author in novo opere de Regula Morum part. 1. q. 2 num. 21. inſtaurat, & confirmat argumentum priùs factum; quòd ſcilicet, niſi eſſet licitus uſus opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ, graviſſimè peccâſſent omnes ferè Authores huius ſæculi:

culi; quia ſuâ falsâ doctrinâ induxiſſent proximos ſuos in peccatum: quis autem audeat aſſerere, peccâſſe in hac doctrina tradenda tot viros pietate, & virtute inſignes? Confirmat: quia ſi ſententia docens, uſum minùs probabilium eſſe licitum, foret falſa, ſuoſque Authores, eorumque bonâ fide ſequaces à peccato non excuſaret, Deus per integrum ſæculum ſuam Eccleſiam deſeruiſſet, eamque periculoſiſſimo, ac damnabiliſſimo errore cæcutire permiſiſſet: hoc autem eſt incredibile. Deus enim non minùs nunc diligit Eccleſiam, quàm olim.

9. Hoc argumentum retorſi: quia cùm certum ſit, omnes antiquos tenuiſſe doctrinam contrariam, quòd ſcilicet nemini licitum ſit ſequi ſententiam minùs tutam, niſi ſit probabilior ſententiâ tutiore; ſi hæc ſententia eſt falſa, ut contendit Terillus, omnes antiqui impoſuiſſent grave onus ſupra capita hominum, quod Deus non impoſuit; & ſic præbuiſſent illis ſuâ falsâ doctrinâ occaſionem committendi multa peccata, quę non commiſiſſent, ſi ſcirent veritatem doctrinæ benignæ.

10. Terillus reſpondet, retorſionem nec ſubſiſtere, nec argumentum ſolvere. Quòd non ſubſiſtat, probat: *Quia antiqui* (inquit) *Theologi numquam tractârunt in terminis hanc quæſtionem reflexam, utrùm opinio directè minùs probabilis, omnibus conſideratis, ſit licita in praxi. Itaque ſolùm docuerunt, nemini licitum eſſe ſequi niſi opinionem probabiliorem, id eſt, niſi opinionem, quam ipſi probabiliter ſaltem veram reputarent; ac proinde in eam, ut in probabiliorem, ac abſolutè veram tenderent. Hoc verum eſt; ſed non contrariatur ſequentibus Theologis, qui idem prorſus requirunt in uſu opinionis directè minùs probabilis: niſi enim honeſtas talis praxis per rationes reflexas evadat probabilior, nemo licitè illam ſequitur. Itaque quoad præſentem materiam, alia diverſitas inter antiquos, & recentiores Theologos non fuit, quàm quòd recentiores in terminis expreſſis ſub una, eademque notione univerſali quæſtionem inſtituerunt, de qua antiqui nullam in univerſali ſub illis terminis explicitam mentionem fecerunt.* Hactenus Terillus ubi ſupra n. 23.

§. III.

Oſtenditur, argumentum Terilli legitimè fuiſſe retortum contra ipſum.

11. FAllitur ille Scriptor, dum aſſerit, ſequentes Theologos, qui nimirum docuerunt, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam in occurſu probabilioris, & tutioris, idem prorſus requirere ac antiquos, ad uſum licitum opinionis minùs tutæ. Conſtat enim, poſteriores Theologos, aſſerentes, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam, relictâ probabiliori, & tutiori, ideo hoc aſſeruiſſe; quia licet opinio ſit minùs probabilis, eſt abſolutè probabilis, ac proinde abſolutè nititur fundamento gravi, & prudenti; & ideo qui illam ſequitur, operatur prudenter, licet operaretur prudentiùs, ſequendo probabiliorem, & tutiorem. Dum autem ita diſcurrunt, manifeſtum eſt, eos non idem requirere, quod requirunt antiqui ad ſectandam opinionem minùs tutam: illi enim ad uſum licitum opinionis minùs tutæ, vel exigunt, quòd ſit moraliter certa, vel quòd ſit abſolutè probabilior; dicuntque, eum, qui ſequitur opinionem minùs tutam relictâ probabiliori, & tutiori, non ſolùm operari minùs prudenter, ſed poſitivè imprudenter; & peccare. Neque Terillus concinnè diſtinguit argumenta directa, & reflexa: quoties enim controvertitur, & diſputatur, an aliquid ſit licitum, vel illicitum; an aliquis contractus ſit honeſtus, & licitus, an malus, & illicitus; & Doctores poſt quæſtionis examen inter ſe diſcrepant; & aliqui probabiliter affirmant; alii probabiliter negant; omnia conſiderant, & omnibus conſideratis proferunt ſuam ſententiam. Namque ultimum directum judicium non formatur prudenter, & maturè de objecto dubio, quoadusque poſt iuſtum examen conſiderentur omnes rationes objectivè inclinantes, & remorantes, nullâ demptâ;

 cùm

cùm prudentia nec unam ſperni ſinat. Quomodo enim poteſt quis prudenter iudicare, actionem A. non eſse prohibitam, ſi oculos antecedenter claudat adversùs rationes validiùs ſuadentes contrarium? Prudentia cocles non eſt: ergo non librat rationes moventes, ſine retrahentium contrapondio. Quare Theologi de innumeris quæſtionibus moralibus practicis directè diſputantes, numquam negligunt conditionem Poſseſsoris, materiæ difficultatem, explicationem Juris non ſatis promulgati, præceptum Prælati, quod Terillus quæſt. 46. de Regula Morum annumerat argumentis reflexis, & ſimilia; ſed his omnibus perpenſis, proferunt ſuam ſententiam in iis quæſtionibus moralibus practicis: & vel affirmant, vel negant malitiam objectivam. Ergo ſupponunt, illa omnia ad judicium directum, directamque quæſtionis reſolutionem iuſtam pertinere. Ergo Terillus falsò, & pro libito affirmat, Authores modernos, aſserentes, licitum eſse ſequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, idem prorſus requirere ac antiquos ad uſum licitum opinionis minùs tutæ. Falsò inſuper aſſerit, Theologos aſserentes, licitum eſse ſequi opinionem minùs probabilem, & minus tutam, loqui de minùs probabili, quæ talis ſit, attentis præcisè quibuſdam principiis, & argumentis; non autem attentis omnibus: nam loquuntur de opinione, quæ omnibus inſpectis, & conſideratis, quæ conſiderari debent, affirmat, objectum illud eſse ſecundùm ſe licitum; & de hac dicunt, quòd licet reflexè conſiderata cognoſcatur, eſse minùs probabilis, quàm oppoſita, nihilominus licitum ſit illam ſequi. Quare Authores huius ſæculi, aſserentes, licitum eſse ſequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam in occurſu probabilioris, & tutioris, vel dicunt, ſatis eſse formare iudicium de probabilitate opinionis, ad hoc ut poſſimus illam in praxim deducere, nec requiri iudicium opinativum de veritate talis opinionis; vel ſi requirunt hoc ſecundum, exiſtimant, poſse intellectum ex imperio voluntatis prudenter aſsentire, ut veræ parti illi, quæ ipſi antecedenter repræſentata eſt ut minùs veriſimilis. P. Moya tom. 2. in Appendice ad tractatum 1. quæſt. 7. §. 2. contra Candidum Philalethum contendit cum communi ſententia Probabiliſtarum, ad ſequendam partem minùs tutam ſufficere iudicium probabilitatis, & non requiri probabile iudicium veritatis; & num. 28. ait, communem opinionem Doctorum de uſu licito opinionis minùs tutæ, minùſque probabilis non pendere à quæſtione phyſica, an ex imperio voluntatis poſſit intellectus aſſentiri parti æquè minùs probabili. At neceſſarium eſſe iudicium probabile de veritate, probat P. Eſparza in Appendice art. 140. & P. Terillus tom. de Conſc. Probab. quæſt. 22. & latè, & nervosè P. Andreas Junius in opere de Conſcientia ſect. 3. cap. 2. Quam ſententiam ego veriſſimam puto cum P. Salmerone ad illud Rom. 14. *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*; cum P. Valentia, Caſtro Palao, Caietano, Adriano, & cum P. Suarez. Igitur Authores huius ſæculi defendentes uſum licitum opinionis minùs tutæ, minùſque probabilis, non recurrunt ad illas reflexiones. Et quidem ipſe P. Terillus quæſt. 22. de Conſc. Probab. diligentiſſimè contexit catalogum Doctorum huius ſæculi, qui dicunt, licitum eſſe ſequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, eorumque verba adducit; & inter illos nec unum invenies, qui recurrat ad illud artificium reflexum, quod ipſe P. Terillus cenſet neceſſarium, ad hoc ut licitus ſit ille uſus. Ex dictis conſtat, ſubſiſtere retorſionem argumenti à nobis factam. Si enim ex eo, quòd peccent ii, qui ſectantur opiniones ſibi minùs probabiles, & minùs tutas, rectè arguitur, peccaviſſe Doctores, qui docentes, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam relictâ probabiliori, & tutiori, ſuâ authoritate induxerunt homines ad ſectandas eiuſmodi opiniones, ac proinde ad peccandum: Similiter ex eo, quòd foret falſa doctrina omnium antiquorum, quòd non liceat ſequi opinionem minùs tutam, niſi ſit vel certa moraliter, vel ſaltem magis probabilis, quàm

opi-

Digitized by Google

opinio minùs tuta, ſequeretur, peccaviſſe antiquos, qui doctrinâ ſuâ falsâ fuerunt occaſio, ut peccaverint omnes, qui ſecuti ſunt opiniones probabiles minùs tutas, quamvis nec eſſent certæ moraliter, nec probabiliores oppoſitis; quod attentâ fragilitate humanâ ſæpe accidere debuit. Unde fuerunt cauſa, ut fecerint malâ conſcientiâ id, quod ſeclusâ ignorantiâ potuiſſent facere bonâ.

§. IV.

Falsò contendit Terillus, retorſionem non ſolvere argumentum.

12. PRæterea contendit Terillus, quòd retorſio non ſolvit argumentum, quamvis admitteretur, Theologos antiquos, & recentiores quoad præſentem controverſiam contradictoria tradidiſſe. *Ego enim* (inquit) *datâ hypotheſi, audacter reſpondeo, nec illos, nec hos peccâſſe ſuam doctrinam tradendo; ſed omnes rationabiliter, ac probabiliter ſuam opinionem tradidiſſe. Neq; in hoc major eſt difficultas, datâ hypotheſi, quàm quòd S. Thomas, & S. Bonaventura in quæſtione particulari abſque peccato contraria doceant. Neque enim Deus permittendo primam opinionem, etſi erroneam, Eccleſiam in errore intolerabili, ac noxio deſeruiſſet; quia nulli, qui talem doctrinam, etſi erroneam, ut regulam ſecuti fuiſſent, peccaſſent; & illi ſoli in hac materia peccatum commiſiſſent, qui contra illam regulam, & contra conſcientiam egiſſent. Et ſanè non eſt contra providentiam Dei erga Eccleſiam, permittere in rebus incertis errorem doceri à ſuis Miniſtris, illumque à ſubditis pro regula aſſumi, modò ſubditi eam regulam ſequentes non peccent. Si enim contra illam agant, ſibi tribuant, non Deo; quia malitiosè contra propriam conſcientiam operantur. At Eccleſia deſereretur, ſi communis error permitteretur; & error eſſet talis, ut eum bonâ fide ſequentes à peccato non excuſarentur. Jam vis mei argumenti in eo præcisè conſiſtit, quòd docentes, & bonâ fide ſectantes talem doctrinã, non peccent. Hoc enim conceſſo, habemus intentum. At nemo citra temeritatem eos omnes peccati damnare poteſt, ut patet: ergo nemo rationabiliter dicere poteſt, opinionem docentem, minùs probabilia eſſe licita, non excuſare à peccato, ſeu non habere motiva ſufficientia, ut abſque temeritate admittatur, & credatur eſſe vera. At nos hoc ſolùm in præſenti argumento contendimus, & ex hoc inferimus, eam eſſe ſufficientem conſcientiæ regulam.* Hucuſque Terillus n. 24.

13. Reſpondeo admittendo, multos Doctores huius ſeculi bonâ fide docuiſſe, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam in occurſu probabilioris, & tutioris; ac proinde eam tradendo non peccâſſe: admitto etiam, non peccaturos eos, qui hanc doctrinam bonâ fide ſectarentur. Cæterùm dico, fieri non poſſe, ut bonâ fide ſectetur opinionem minùs tutam ille, cui illa antecedenter apparet minùs veriſimilis, quàm oppoſita: quia quicumque facit rem objectivè malam, & prohibitam in circumſtantiis, in quibus habet potentiam proximam antecedentem ad iudicandum, eſſe ſecundùm ſe malam, non poteſt per ullam reflexionem excuſari à culpa, ut ſæpe oſtendi: Hinc licet quis ob ſententiam Probabiliſtarum, ſeu motus authoritate Probabiliſtarum, formaret dictamen reflexum, quòd ſibi liceat hìc, & nunc operari, ille error eſſet voluntarius, nec ipſum excuſaret; quia poneret actionem pravam in inſtanti, in quo potuit, ac debuit iudicare, eſſe ſecundùm ſe malam, & non potuit iudicare oppoſitum; quia ſupponimus, non poſſe intellectum aſſentiri parti ſibi minùs antecedenter veriſimili. Unde admittimus illam propoſitionem, quòd ſcilicet *Eccleſia deſereretur, ſi communis error permitteretur, & error eſſet talis, ut eum bonâ fide ſequentes à peccato non excuſarentur.*

14. Eſtque in hoc notanda maxima differentia inter doctrinam directam falſam circa mores, quæ pro objecto habet immediatè honeſtatem, vel malitiam objectivam, & doctrinam reflexam, quæ pro objecto habet honeſtatem, vel malitiam formalem noſtrorum actuum. Quando enim Doctores graves tradunt doctrinam falſam, affirmantes, eſſe in ſe licitam actionem, quæ ex ſe eſt intrinſe-

cè

cè mala; ſi illorum doctrina apparet operanti poſt diligentem veritatis inquiſitionem ſenſibiliter magis veriſimilis, quàm oppoſita, citra omnem culpam eius; tunc prudenter iudicabit illam actionem non eſſe malam, & non poterit in ſenſu compoſito illius apparentiæ iudicare eſſe malam: unde talis error excuſabit illum à culpa. At quando doctrina reflexa eſt falſa, & docet, non peccare eum, qui ſequitur opinionem minùs tutam, quamvis appareat ipſi minùs veriſimilis, quàm oppoſita, tunc non excuſat à culpa per ſe loquendo: quia error ille reflexus componitur cum proxima potentia ad iudicandum, illam actionem eſſe malam; ac proindè componitur cum malitia formali illius actionis. Doctrina directa falſa, quam ego citra culpam exiſtimo eſſe veram, erit cauſa, quòd ego reipsâ agam contra legem: non tamen imputabitur mihi illa actio; quia error ille non potuit à me vinci per cognitionem contrariam. Doctores tamen determinantes controverſiam, in qua inquiritur, an aliquid ſit peccatum mortale, debent bene videre quid affirment, ne inducant homines ad agendum reipsâ contra legem. Hinc S. Thomas quodlib. 9. ar. 15. meritò dixit: *Omnis quæſtio, in qua de peccato mortali agitur, periculosè determinatur, niſi veritas expreſsè habeatur.* Et ideo Magiſtri tenentur docere doctrinas veriſimiliores, & magis fundatas. Peccaretque graviſſimè Magiſter ſi prævidens, vel prævidere debens, quòd ſua doctrina inductura eſſet homines ad ponendas actiones reipsâ contrarias legi Dei, nihilominùs illam traderet; quamvis aliunde ſciret, quod tranſgreſſio legis non eſſet imputanda Sectatoribus ſuæ doctrinæ, nimirùm excuſandis ob ignorantiam; ſicut peccaret, qui amentem induceret ad actionem reipsâ contrariam legi Divinæ, licet certò ſciret ipſum ratione amentiæ non peccaturum formaliter. At doctrina reflexa falſa circa uſum opinionis minùs probabilis minùs tutæ, erit cauſa quòd peccet formaliter ille, qui inductus illa doctrina ſequitur opinionem minùs tutam, & ſibi minùs probabilem: idem enim eſt, illam doctrinam reflexam eſse falſam, ac peccare formaliter eos, qui ſectantur opiniones minùs tutas, & ſibi minùs probabiles. Sicut idem eſt, eſse falſam opinionem directam affirmantem, aliquam actionem non eſse malam in ſe; ac eum agere contra legem, qui inductus illa opinione ponit eiuſmodi actionem.

§. V.

Ex eo quòd ſententia Probabiliſtarum de uſu licito opinionis minùs tutæ, & minùs probabilis, ſit falſa, non ſequitur quòd Deus per unum ſæculum deſeruerit Eccleſiam, ut arguit Terillus; ſed potiùs, ſi illa doctrina foret vera, ſequeretur, totâm antiquitatem in re magni momenti erraſſe, & Deum per multa ſæcula ſuam deſeruiſſe Eccleſiam.

15. Probatur aſſumptum 1. quia ſententia Terilli, & recentium Probabiliſtarum, non eſt communis inter Authores benignos huius ſæculi. Quamvis enim communiter docuerint, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam relicta probabiliore, & tutiore: plerique eorum non loquuntur in ſenſu Recentiorum, nimirum de minùs probabili formaliter relatè ad operantem, ideſt, de opinione minùs tuta, quæ ipſi operanti appareat in actu primo minùs veriſimilis, quàm ſententia tutior; ſed loquuntur de minùs probabili ſpecificativè, & materialiter, id eſt, de opinione minùs tuta, quæ pro ſe habet minorem authoritatem extrinſecam, & communiter cenſetur minùs probabilis, quàm ſententia tutior, quamvis operanti apparuerit veriſimilior, & propterea ab ipſo fuerit iudicata vera, ut latè oſtendi Diſſertat. 2. Prob. 2. quia licet omnes ferè Doctores per ſpatium unius ſæculi ante tempus Alexandri VII. locuti fuiſſent in ſenſu recentium Probabiliſtarum; non idcirco Deus deſeruiſſet Eccleſiam ſuam: quia in hoc ſæculo non ſolùm docent recentes Theologi, ſed docent in ſuis libris omnes antiqui, & prima illa Theologiæ lumina. Conſtat autem D. Thomam

Digitized by Google

mam, Scotum, Durandum, Alexandrum de Ales, Henricum de Gandavo, Gerſonem, Adrianum, D. Antoninum, Caietanum, & reliquos Scholaſticos antiquiores, vel requirere certitudinem moralem in opinione minùs tuta, ut illam poſſimus ſequi, vel ſaltem quòd illa ſit veriſimilior, & probabilior oppoſitâ: ut conſtat ex iis, quæ attulimus Diſsert. 9. Hinc etiam datâ hypotheſi, quam tamen ego nullatenus admitto, quòd Deus permiſerit omnes ferè Theologos modernos erraſse: tamen hoc foret minùs inconveniens, quàm erraſse omnes antiquos. Nam nunc fideles habent Doctores graviſſimos, & Sanctiſſimos, quos ſequantur, quamvis non adhæreant recentibus Theologis; nempe prima illa Scholæ lumina S. Thomam, Scotum, & omnes antiquos. At in ſæculis præteritis fideles non habuiſsent alios Doctores, quos ſequerentur quàm illos ſeveriores; Unde ſi illi errarunt, tradendo doctrinam ſeveram; conſtricti fuerunt fideles per multa retro ſæcucula ſequi ſententias ſeveras. Sanè modus dirigendi conſcientias per Probabilitates, inferendo ſecuritatem conſcientiæ ex probabilitate doctrinarum, præſcindendo ab ipſarum veritate, videtur fuiſſe reprobatus ab Auguſtino in Academicis. Commune erat apud Academicos axioma, quòd *cùm agit quiſque quod ei probabile videtur, nec peccat, nec errat*. Hoc impugnat Auguſtinus lib. 3. contra Academicos cap. 16. dicens: hac maximâ ſemel probatâ, omnia poſſe honeſtari, & probari omnia. *Taceo* (inquit) *de homicidiis, parricidiis, ſacrilegiis, omnibuſque omnino, quæ fieri, aut cogitari poſſunt, flagitiis, aut facinoribus, quæ paucis verbis, & quod eſt gravius, apud ſapientiſſimos Judices defenduntur ... Quomodo autem non facerem quod probabile viſum eſt? Qui autem non putant iſta probabiliter poſſe perſuaderi, legant orationem Catilinæ, qua patriæ parricidium, quo uno continentur omnia ſcelera, perſuaſit ... Illud eſt capitale, illud formidoloſum, illud optimo cuique metuendum, quod nefas omne, ſi hæc ratio probabilis erit, cùm probabile cuiquam viſum fuerit eſſe faciendum ... non ſolùm ſine ſceleris, ſed etiam ſine erroris vituperatione committatur*. Hactenus Auguſtinus: ex cuius doctrina colligitur; ad rectè operandum non ſufficere, quòd quis ſciat dari opinionem probabilem, quòd res liceat, nec quòd ei appareat veriſimilis; ſed inſuper requiri, quòd poſt diligentem veritatis inquiſitionem ſine paſſione ſuſceptam, ab ipſo iudicetur vera: Unde Probabiliſmus non fuit cognitus à Patribus, ut illum ſequerentur, & eius uſum fidelibus commendarent, ſed ut improbarent. Moduſque iſte dirigendi conſcientias familiaris apud multos ex Probabiliſtis. *Probabile eſt hoc eſſe licitum: Graves Authores affirmant eſſe licitum; ergo ſecurè poſſumus hoc facere*, fuit incognitus Patribus. Quis autem credat, quòd Deus occultaturus eſſet ſuæ Eccleſiæ modum illum benignum dirigendi conſcientias, ſi ille verus foret? Quis ſibi perſuadeat, nulli antiquorum Patrum, & Sanctorum Doctorum, quos Deus voluit eſſe Eccleſiæ Sanctæ lumen, in mentem venturum fuiſſe hunc modum reſolvendi dubia conſcientiæ, ſi ille verus, & ſecurus foret? Quare ſilentium Patrum, & antiquorum Doctorum hac in parte eſt omni tuba vocalius, ad impugnandam Probabiliſmi novitatem.

§. VI.

Nimia benignitas aliquorum Probabiliſtarum, licitum faciens uſum cuiuſcumque opinionis probabilis eſt contraria doctrinæ Patrum.

16. Quàm longè diſtet ea doctrina à mente Patrum, & antiquorum Doctorum, patet conſideranti celebre dictum Divi Thomæ, Theologorum Principis, quodlib. 9. art. 15. prolatum iuxta communem ſenſum Patrum: *Dicendum* (inquit) *quòd omnis quæſtio, in qua de peccato mortali quæritur, niſi veritas expreſsè habeatur, periculosè determinatur; quia error, quo non creditur eſſe peccatum*

tum mortale, quod eſt peccatum mortale, conſcientiam non excuſat à toto, licet fortè à tanto: error verò, quo creditur eſſe mortale, quod non eſt mortale, ex conſcientia ligat. Non ergo excuſari poteſt à culpa, qui ex vi opinionis minùs probabilis credit non eſſe peccatum illud, quod opinio magis probabilis maiori fundamentorum pondere affirmat eſſe peccatum.

17. Ille modus diſcurrendi: *Probabile, ſeu Veriſimile, eſt, hoc non eſſe peccatum, ergo non eſt peccatum; Probabile eſt eſſe licitum, ergo eſt licitum*; videtur eſſe ille modus, quem S. Auguſtinus in Philoſophis Academicis reprobat lib. 3. contra Academicos cap. 16. ubi refert, hoc fuiſſe inter Academicos axioma, & principium. *Cùm agit quiſque quod ei videtur probabile, nec peccat, nec errat.* Quod axioma poſtquam impugnavit, concludit: *Libet deierare per omne divinum, neſcire me prorſus quomodo iſte peccaverit, ſi quiſquis id egerit, quid ei probabile videtur, non peccat.*

18. Itaque dubitari non poteſt, modum iſtum dirigendi conſcientias per quamlibet opinionem probabilem, ſive ſit vera, ſive ſit falſa, ſive ſit magis, vel æquè probabilis, ſive ſit minùs probabilis, quàm oppoſita, eſſe novum; invectum ſcilicet in ſcholas ſæculo proximè ſuperiore: & doctrinam oppoſitam, quòd numquam liceat ſequi ſententiam minùs tutam, niſi illa ſit certa moraliter, vel ſaltem poſt ſeriam, & diligentem veritatis indagationem ſine paſſione, & præcipitatione ſuſceptam, appareat operanti clarè, & ſenſibiliter veriſimilior, & idcirco ab ipſo iudicetur vera iudicio reſolutorio, & determinato, fuiſſe ſemper in Eccleſia traditam, & ſuppoſitam potiùs, quàm diſputatam. Unde ſi iſta doctrina ſevera eſſet falſa, ut contendit Terillus, omnes antiqui Doctores, qui hoc punctum attigerunt per anteriora ſæcula, tenuiſſent doctrinam falſam, contra illud veriſſimum S. Auguſtini præconium: *Eccleſia Dei, quæ ſunt contra fidem, vel bonam vitam, nec approbat, nec tacet, nec facit.*

19. Confirmatur: quia ſi Patres Concilii Viennenſis, celebrati ſub Clem. V. ann. 1311. ajunt. *Opinionem, quæ dicit tàm paruulis, quàm adultis conferri in Baptiſmo informantem gratiam, & virtutes, tamquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam, & concordem .... duximus eligendam*; à fortiori ſequitur, doctrinam illam, in qua omnes Theologi, & Doctores per multa ſæcula concorditer convenerunt, eſſe veram: ne alioqui cogamur dicere, omnes antiquos Doctores per multa ſæcula conveniſſe, in tradenda doctrina falſa in re graviſſima. Si enim in re, quæ olim inter ipſos etiam Scholaſticos controverſa fuerat, opinio concors iuniorum tanti apud Patres in Concilio fuit, quanto magis dicere debemus, veram eſſe doctrinam illam, quàm conſtanter, & uniformiter omnes antiqui Theologi tenuerunt per tot ſæcula.

20. Nec inferre hinc licet, præferendam eſſe nunc doctrinam benignam, ut quæ inter Theologos modernos ſit communis: tum quia textus non dicit præferendam præciſè, quia eſt conformior dictis Theologorum modernorum; ſed quia eſt *conſona dictis Sanctorum, ac Theologorum modernorum*; ut expendit Fagnanus in caput *Ne innitaris* num. 353. Sententia autem Probabiliſtarum non videtur conformis dictis Sanctorum, neque ex eorum authoritate ſufficienter probatur. Tum quia, ut oſtendimus Diſſert. 2. licet communis ſententia Theologorum huius ſæculi docuerit, licitum eſſe ſequi ſententiam probabilem, relicta probabiliori, & tutiori; plerique ex illis non ſunt locuti de opinione minùs tuta, quæ operanti ipſi appareat minùs veriſimilis, quàm oppoſita: tum quia, licet foret communis hoc ſæculo uſque ad tempora Alexandri VII. tamen oppoſita fuit antea tradita conſtanter ab omnibus. At doctrina illa, quam ut probabiliorem ſecutum eſt Concilium Viennenſe anno 1311. iam tempore Innocentii III. (qui electus eſt Pontifex an. 1198. & obiit 1216.) erat celebris, ut conſtat ex cap. *Maiores de Baptiſmo*: ubi Innocentius refert duas opi-

Digitized by Google

opiniones Doctorum Theologorum, alteram negantem parvulis in Baptiſmo infundi habitus virtutum ſupernaturalium, alteram affirmantem infundi virtutes, quoad habitum, etſi non pro eo tempore, quoad uſum: & hanc Pontifex declarat eſſe probabiliorem, eamque tradiderat paulò ante Magiſter ſententiarum, qui paucis annis ante Innocentium floruit, nempe an. 1145. & obiit an. 1164. Unde ſemper de hoc puncto fuerat duplex ſententia; & quam amplexum eſt Concilium Viennenſe, ut probabiliorem, eam tunc ſequebantur Theologi præſtantiſſimi, quorum nomen, & fama erant celebria, ut S. Thomas, quem canonizavit ſucceſſor Clementis V. Joannes XXII. an. 1323. S. Bonaventura, Alexander Alenſis, B. Albertus Magnus, & alii ſecuti Magiſtrum ſententiarum. At circa uſum opinionum probabilium, uniformis fuerat veterum Theologorum ſententia, qui hoc punctum attigerunt; nempe, neminem poſſe ſequi ſententiam minùs tutam, niſi vel illa ſit moraliter certa, vel ſaltem probabilior ſententiâ tutiori. Sententia verò Probabiliſtarum incœpit ſæculo proximè ſuperiori. Et quia videbatur apta ad dirigendas cum ſuavitate conſcientias invenit non paucos ſectatores, quia non ſatis expenderunt Authores conſectaria, quæ ex illa doctrina erant eruptura, quouſque evigilare cœperunt Doctores excitati à Chriſti Vicario Alexandro VII. & ex ipſis Probabiliſtis non pauci cœperunt doctrinam illam variis limitationibus coarctare; alii verò illam vehementer impugnare.

§. VII.

Multò incredibilius, & abſurdius eſt, quòd erraverint omnes antiqui per tot retro ſæcula, dum ad licitum uſum opinionis minùs tutæ exigunt, ut ſit moraliter certa, vel ſaltem probabilior oppoſita, quàm quòd erraverint moderni Probabiliſtæ.

21. Quare multò difficilius, & incredibilius eſt omnes Theologos, & Doctores per tot ſæcula erraſſe in re tanti momenti, quàm quòd erraverint Recentiores: quia in priori caſu quaſi compellerentur fideles errare; cùm nulla tunc eſſet opinionum diverſitas. At in ſecundo caſu minimè compelluntur; cùm ſciant, etiamſi moderni affirment, licitum eſſe ſequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam; nihilominus prima Theologiæ lumina, & Doctores Sanctos requirere ad ſectandas ſententias faventes libertati, vel quòd ſint moraliter certæ, vel ſaltem probabiliores: ipſique moderni citant antiquos pro contraria ſententia. Unde fideles debent inquirere veritatem: quòd ſi hoc negligant, & cum aliquo dubio ſectentur opinionem minùs probabilem, & minùs tutam in occurſu tutioris, & ſibi probabilioris, non poterunt excuſari à culpa.

22. Doctrina illa benigna fundamentis ſatis apparentibus introducta, initio timidè incœpit; poſtmodum quia fragilitati humanę ſatis eſt proportionata, invenit Sectatores non paucos: quia verò ut inquit Cicero in Paradoxis: *Nihil eſt tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile*; intra paucos annos facta eſt communis. Tunc nondum ſatis diſcuſſa erat hæc quæſtio, nec examinata erant ſolidiſſima fundamenta, quibus nititur doctrina, quam ſequimur Antiprobabiliſtæ mites, tenentes viam mediam inter rigorem rigidorum, requirentium certitudinem omnimodam in ſententia minùs tuta, vt quis poſſit illam ſequi, & benignitatem Probabiliſtarum recentium, affirmantium poſſe quem ſectari ſententiam minùs tutam, dummodo ſit in ſe certò probabilis licet agenti in actu 1. appareat ſimpliciter minùs veriſimilis, quàm oppoſita. Hanc viam mediam tenemus; dum aſſerimus, ad ſectandam opinionem minùs tutam requiri, quòd illa in ſe ſit certò, & indubitatè probabilis practicè, & quòd communiter loquendo, & ut plurimum ſit æqualis, vel ferè æqualis probabilitatis cum ſententia tutiori: ideſt quòd habeat pro ſe Doctores, qui ſint æqualis, vel ferè æqualis authoritatis cum Doctoribus ſententiæ contrariæ, ita ut ejus

Digitized by Google

probabilitas in communi æſtimatione non reputetur exigua reſpectu probabilitatis ſententiæ oppoſitæ; & quòd inſuper poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra culpam appareat in actu 1. notabiliter veriſimilior oppoſita; & ideirco illi, ut veræ determinatum aſſenſum præbeat. Non ſatis tunc apparuerant conſectaria ſententiæ Probabiliſtarum, nec fallacia fundamentorum illius ſatis detecta fuerat. Nam quæſtio iſta nondum fuerat diligenter examinata, & ſatis diſcuſſa, uſque ad tempora Alexandri VII. Præterea nondum fuerat obſervata differentia inter modernos Probabiliſtas,& pleroſque, ex antiquioribus; quia moderni de minùs probabili aliter loquuntur, ac illi, & ab uno ſenſu, in quo illa doctrina habet ſolidum fundamentum (nimirum loquendo de opinione minùs probabili ſpecificativè, & moraliter) tranſitum fecerunt ad alium longè diverſum, in quo ejus fundamentum eſt fallax: nimirùm intelligendo de minùs probabili formaliter, & reſpectivè ad operantem, ſeu de opinione, quæ ipſi operanti apparet antecedenter minùs veriſimilis, quàm oppoſita. Dum enim ſic apparet, non poteſt approbari ab illo per prudentem aſſenſum; ac proinde reſpectivè ad illum non eſt abſolutè probabilis practicè: illa enim dumtaxat opinio eſt apud aliquem abſolutè probabilis practicè, quæ poteſt ab illo approbari per prudentem aſſenſum, & ſic ad praxim deduci. Nam ad licitè ſectandam doctrinam nobis faventem, debemus illam prudenter priùs veram iudicare, deſtruendo intentionaliter malitiam objecti; ita ut voluntas non feratur in illud, niſi ut denudatum malitiâ, illudque eligat præcisè, quia perſuaſum habet non eſſe prohibitum, minimè electura, ſi hic, & nunc poſſet iudicare eſſe malum,& prohibitum. Nec pro regula recta operandi poſſumus aſſumere ſolam probabilitatem, ſeu apparentiam veritatis: ſed ipſam veritatem, ut enim inquit Ariſtoteles 1. Ethicor. cap. 4. *Veritatem debemus inquirere, & ſequi, quatenus poſſumus*. Et ut fatetur ipſe Terillus prima parte quæſt. 18. de Regula morum: *Certùm eſt, quòd detur obligatio, aut tutiora ſectandi, aut ad ipſam veritatem quantùm humano modo poſſumus, enitendi*. Ideo ibi hanc ſtatuit aſſertionem: *Omnes, antequam licitè ſequi poſſint partem minùs tutam, ad ipſam veritatem cognoſcendam eniti tenentur, quantùm quiſque poteſt, & debet pro rei qualitate*. Et poſtea parte 2. quæſt. 48. aſſert. 2. diſertè aſſerit; *Authores benignæ ſententiæ in omnibus veritatem ſequi, neque quieſcere donec illam inveniant*. Unde ſi non poſſumus veritatem partis minùs tutæ certò aſſequi, ſaltem ob motiva urgentiora, & veriſimiliora, debemus iudicare illam partem eſſe veram, antequam illam in praxim deducamus. Ut enim ex Ariſtotele in 1. Rhetoric. cap. 2. refert P. Comitolus in Reſponſis moralibus lib. 5. quæſt. 15. pag. 651. *Cùm ad veritatem nati ſimus, quibus coniecturis aſſequimur veriſimile, eiſdem etiam ad veritatem pervenimus; & ideo iniquum eſt certiores conjecturas contemnere, ut minùs certas captemus*. Et ideo meritò Corduba lib. 2. quæſt. 3. dixit, *eum, qui aſſentitur parti æquè, vel minùs probabili, temerè, & ſine ratione aſſentire illi potiùs quàm oppoſitæ*. Idem docet, & rectè probat P. Scildere in ſuo opere de Principiis conſcientiæ formandæ tract. 2. c. 2. §. 1.

23. Hinc Guillelmus Pariſienſis lib. de legib. cap. 21. ſapienter ajebat: *Cùm intellectus humanus creatus ſit ad inquirendam, & cognoſcendam veritatem ſalutarem, maximè de hoc debet eſſe ſtudioſus, atque curioſus. Quare negligentia ejus in hoc, atque deſidia, maximè culpabilis eſt, atque damnabilis*. Et lib. de Fide cap. 1. *Probabilitas*, inquit, *quantacumque ſit, non ingerit fidem, ſive credulitatem intelligentibus, & exercitatis ex neceſſitate, cum ipſi certi ſint, non omne, quod videtur verum, eſſe verum. Id autem eſt probabile, quod veriſimile, & idem quod id, quod videtur verum. Sapientium etiam eſt tam à veriſimilitudine, & probabilitate, quàm à ficto, falſoque colore ſemper timere, & cavere*. Quapropter, ſapienter monet Auguſtinus lib. 22. de Civitate cap. 23. *Excubandum eſſe, ne opinio veriſimilis fallat, ne decipiat ſermo verſutus, ne*

ne ſe tenebræ alicujus erroris offundant, ne quod bonum eſt, malum, aut quod malum eſt, bonum eſſe credatur; ne ab iis, quæ agenda ſunt, metus revocet, ne in ea, quæ agenda non ſunt, cupido præcipitet. Rationem verò, cur ita excubare debemus, dat S. Doctor ſerm. 12. de tempore: *Nam propenſio* (inquit) *voluntatis authoritatem vitiis quærit, & quod malum eſt bonum, aut bono proximum eſſe ſuadet.* Quare cum probabilitas, & veriſimilitudo opinionum non neceſſitet intellectum ad illis præſtandum aſſenſum, opus eſt imperio voluntatis, ad hoc ut intellectus uni parti contradictionis aſſenſum præbeat: ut autem hunc aſſenſum prudenter præbeat, debet diligenter inquirere veritatem ſine paſſione, & præcipitatione. Quòd ſi factâ hac diligentiâ, citra omnem culpam apparuit illi in actu primo pars minùs tuta ſenſibiliter magis veriſimilis, tunc prudenter imperare poterit aſſenſum veritatis illius partis: & hoc cenſemus indiſpenſabiliter requiri, ut licitè poſſimus ſequi ſententiam minùs tutam in occurſu tutioris. Eſt autem iudicium ſic conceptum quaſi moraliter certum apud ipſum operantem: ut enim inquit D. Thomas 2.2. quæſt. 70. art. 2. *Certitudo non eſt ſimiliter quærenda in omni materia: in actibus enim humanis ſuper quibus conſtituuntur iudicia... non poteſt haberi certitudo demonſtrativa, eo quòd ſint circa contingentia, & variabilia. Et ideo ſufficit probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat, etſi in paucioribus à veritate deficiat.* Quod hic dicit D. Thomas de certitudine formanda à Judice ex diſpoſitione, ſeu aſſeveratione Teſtium, dici debet de certitudine formanda ab eo, qui eligit inter opiniones probabiles minùs tutam. Debet enim priùs habere certitudinem probabilem de ejus veritate, id eſt, iudicium determinatum firmum, quod licet componi poſſit cum aliqua formidine, ſeu apprehenſione malitiæ, illa tamen formido contemnitur tamquam ſcrupulus; & non obſtante, quòd operans cognoſcat poſſibile eſſe, quòd res illa ſit illicita; nihilominùs hic, & nunc determinatè iudicat non eſſe illicitam; & per reflexionem ſupra ſuum iudicium directum, & motiva præeminentia iudicandi, poteſt pervenire ad pacem, & ſecuritatem conſcientiæ.

Digitized by Google

DISSERTATIO DECIMATERTIA.

In qua diſquiritur, an ſit ſolidum, vel potiùs ſophiſticum præcipuum fundamentum recentium Authorum benignorum, qui cum Caramuele probant, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam in occurſu probabilioris, & tutioris; quia hoc ipſum reflexè probabilius eſt.

CAPUT I.

Proponitur argumentum; & judicium gravis Theologi ſubtiliter oſtendentis, illud eſſe ſophiſticum.

1. PAter Matthæus de Moya Tom. 1. Selectarum tract. 1. qu. 6. inquirit, utrùm ſit obligatio ſequēdi tutiorem partem, ſi probabilior ſit quàm contraria; & §. 3. latè tuetur partem negativam, ſtatuendo pro concluſione: *Licitum eſſe opinionem minùs tutam, minùſque probabilem eligere, relictâ tutiore, & probabiliore*. Et num. 12. ſic ſuam ſententiam probat. *Hoc uno* (inquit) *fundamento ductus unuſquiſque poterit opinionem minùs tutam, minùſque probabilem circa honeſtatem operationis, diſſidentibus Doctoribus, eligere. Formo ſic argumentum. Licitum eſt iuxta communem Doctorum conſenſum, opinionem probabiliorem pro libertate, etſi minùs tutam eligere; ſed quando Doctores diſſident, probabilior opinio aſſerit, licitam eſſe, quam malueris, partis electionem: ergo*. Et ſtatim num. 13. ſequentem adiungit confirmationem: *Quia nullum* (inquit) *argumentum contra reflexam hanc demonſtrationem fieri poteſt, quod æquè non militet contra Doctores directè aſſerentes, non eſſe obligationem eligendi tutiorem opinionem, ſi contraria pro libertate probabilior ſit: æquè enim in uno ac in altero caſu exponitur operans periculo agendi contra legem Dei*. Hæc ibi Moya; qui, ut vides, ejuſmodi argumentum appellat Demonſtrationem.

2. Hoc fundamentum propoſuit priùs Caramuel in Apologemate num. 283. ſub his terminis: *Debeo eligere probabiliorem: ergo poſſum eligere minùs probabilem*, Probat conſequentiam: *Debeo ſequi probabiliorem per te; ſed pars, quæ docet, licere ſequi minùs probabilem, eſt probabilior (cùm ſit omnium ferè Theologorum contra paucos) ergo debeo illam ſequi. Certè poſſum: quia poſſum id, quod debeo*. Eundem diſcurſum ſub variis formis eſſe evidentem demonſtrationem, cenſet etiam Terillus q. 2. de Regula morum à n. 183. ad 186.

3. At P. Andreas Junius, vir ſubtilis ingenii, ut patet ex Tomo ipſius de Providentia, & Prædeſtinatione, & primarius olim Theologiæ Profeſſor in Provincia Toletana, in Tomo de Conſcientiâ, quem prælo paratum reliquit in Collegio Imperiali Matritenſi, ubi obiit an. 1679. ſect. 5. quæ eſt de probabilitate protegendâ cap. 3. latè oſtendit, illum

Digitized by Google

lum arguendi modum eſse ſophiſticum & fallacem. Ac poſtquam propoſuit argumentum Caramuelis ſubdit : *Mira Demonſtratio ! Probans primò, non poſſe unam contradictoriam eſſe probabilem, niſi probabilis ſit altera, & in praxi ſecura, quantamcumque habeat falſiſſimilitudinem, ob quam videatur potiùs erronea, & improbabilis, quàm digna aſſenſu prudenti. Probans ſecundò, obligationem ſequendi partem probabiliorem ſemper, & in omni materia eſſe Chimæram; quia evidenter connectitur cum obligatione, & non-obligatione vitandi partem minùs probabilem. Tertiò veritatem ſententiæ concedentis, licitum uſum partis in tutæ probabilioris, vel etiam æquè probabilis, & negantis, licitum uſum partis intutæ minùs probabilis, connecti cum veritate ſententiæ contrariæ, affirmantis, licere uſum partis intutæ minùs probabilis. Uſque adeone evidenter erravere omnes antiqui Theologi? Quartò, minorem probabilitatem inferre maiorem ejuſdem partis, & licitum uſum majoris inferre licitum minoris.*

4. *Hinc inferes, Demonſtrationem iſtam eſſe pſeudographam. Quod clariùs oſtendo: quia non probat determinatè, licere uſum opinionis intutæ minùs probabilis, ſed vel hunc licere, vel non licere uſum probabilioris; adeoque, vel licere uſum probabilitatis minimæ: vel non licere uſum maximæ: illud eſt contra pleroſque benignos; hoc contra rigidos, licet inconſequenter loquentes: ergo utrique, & pari jure, hoc ſophiſmate uti poſſunt, & tenentur illud ſolvere; quod tamen à nullo factum invenio. Iſtud autem disjunctum, cujus utrumque membrum mihi falſum eſt, ſic dato ſophiſmate demonſtro. Id, quod plerique docent eſſe verum, eſt probabile; ſed plerique docent, licere artem intutam minùs probabilẽ; ergo hoc probabile eſt: ergo vel licitè fieri poteſt id, quod eſt minùs probabile; vel nõ poteſt licitè fieri id, quod eſt magis probabile. Deinde multi dicunt, probabilitatem minimã ſufficere; & plerique dicunt ſufficere id, quod dixerint multi; & ferè omnes dicunt, ſufficere, quod dixerint plerique; ergo vel tenuiſſima probabilitas, ſive ab intrinſeco, ſive ab extrinſeco ſufficit, vel non ſufficit maxima. Et paulò ulteriùs progrediendo inferes contra omnes, vel ſufficere improbabilitatem, vel non ſufficere certitudinem: cùm multa improbabilia ſint probabiliter probabilia, & multa certa ſint probabiliter incerta.*

5. *Aliter. Id, quod ſex Authores docti graves, & moderni docent eſſe verum, eſt probabile; ſed ſex docent, unius Theologi gravis, docti, & moderni authoritatem ad probabilitatem ſufficere, etiam contra communem ſententiam: ergo quod unus contra cæteros docet, eſt probabile, & licitè fieri poteſt; vel non poteſt, quod docent ex. Probatur maior: Id, quod plures, quàm viginti tales Theologi docent, eſt probabile; ſed plures, quàm viginti docent, licere ſequi ſex contra cæteros; ergo vel hoc eſt probabile, vel non eſt probabile, quod docent viginti. Probatur ſimiliter hæc maior: Id, quod ferè omnes docent, eſt probabile; ſed ferè omnes docent, licere ſequi 20. vel 30. Authores doctos, graves, pios, & modernos: ergo communem authoritatem ſufficere, infert ſufficere viginti; & hos ſufficere, probat ſufficere ſex; & ſufficere ſex, probat ſufficere unum. Et evertendo, non ſufficere unum, probat non ſufficere omnes. Ergo probatio ſophiſtica eſt.*

6. *Sed ubinam eſt fallacia? Eam in alienis principiis rimentur alii: in noſtris liquidò aperitur. Nam obiectio fallaciter tranſit à probabilitate directâ honeſtatis obiectivæ, ad probabilitatem reflexam honeſtatis formalis: ideoque in omni formâ habet quatuor terminos mentales ſub tribus vocalibus; quorum unus æquivocus eſt. Probabilitas directa eſt exercitè in iudicio practico directo, affectum directum dirigente, quod debet eſſe activè in dirigendo, ſeu immediatè prudens ſubiectivè, & obiectivè; non merè paſſivè, & mediatè per denominationem extrinſecam à prudentia iudicii reflexi, dirigentis imperium reflexum iuxta ſect. 4. cap. 13. n. 6. Reflexa verò probabilitas eſt exercitè in iudicio reflexo, dirigente imperium reflexum directi actûs intellectûs, & voluntatis. Conſtat autem, probabilitatem reflexam ſtare ſine directa: quoniam Authores paſſim, probabiles pronuntiant ſententias*

alie-

Digitized by Google

alienas, quas directè reiiciunt, & quibus directè aſſentiri non poſſunt, ſaltem prudenter; & Confeſſarii pœnitentes abſolvunt iuxta opiniones directas ſuis contrarias, quas norunt eſſe pœnitentibus exercitè, & formaliter probabiles; non verò ſibi, niſi obiectivè, & ſignatè: neque enim probabiliter iudicant, eas opiniones eſſe veras, aſſentiendo directè earum obiectis, ſed ſolùm reflexè, & verè, vel etiam certò iudicant, eſſe probabiles.

7. *Porro authoritas fallibilis non authorizat, niſi id, quod aſſerit, vel teſtatur: idque non certificat, ſed ſolùm probabilizat. Ergo Petrus aſſerens, actionem* A. *non eſſe probibitam, ſolùm facit probabilem eius boneſtatem obiectivam, ſeu alienum eiuſdem boneſtatis aſſenſum reflexum; quem ſua authoritate, & aſſertione movet obiectivè: & Paulus aſſerens, hanc Petri aſſertionem eſſe probabilem, non probabilizat eius veritatem, ſeu boneſtatem obiectivam, ſed ſolùm probabilitatem: quam eſſe probabilem, non eſt eius veritatem eſſe pluſquam probabiliter probabilem. Ergo ex reflexa aſſertione Pauli ne probabiliter quidem ſequitur, actionem* A. *eſſe obiectivè boneſtam.* Hæc ibi P. Junius, qui alia addit ad rem explicandam, ſubtilia quidem; ſed non parum obſcura: quæ ego omitto. Illis autem præmiſſis, reſpondet ad argumentum, diſtinguendo maiorem iis verbis: *Licet opinionem probabilem minùs tutam eligere, formato iudicio practico, & prudenti ante opinionis uſum directum; concedo: non ſic formato tali iudicio, nego. Quia non licet minùs tutam contra conſcientiam ſequi, vel ex conſcientiâ dubiâ, aut imprudenti, & vincibiliter ignorante. Et diſtinguo minorem: Probabilior opinio* (nimirum reflexa) *aſſerit licere utramvis electionem, ſi ante uſum partis minùs tutæ facias, quod facto opus eſt, hoc eſt elicias directam opinionem prudentem, concedo: ſi hoc facere negligas, vel non poſſis, nego minorem; & exinde conſequentiam. Nulla enim opinio facere poteſt, ut ſine hoc iudicio liceat partem intutam ſequi, nimirum ultima conſequente voluntatis determinatione directa: de qua ſola hîc loquimur.* Ita P. Junius illo cap. 3. ſect. 5. num. 10. qui poſtmodum n. 12. aliam ſubiungit ſolutionem, diſtinguendo maiorem, hoc modo. *Licitum eſt ſequi* (nimirum ultima voluntatis determinatione) *opinionem probabiliorem probabilioritate directa, utique prudenter exercita, concedo: probabilioritate reflexa, nego maiorem, univerſaliter ſine ſubdiſtinctione ſumptam. Et diſtinguo minorem: opinio probabilior directa id aſſerit, nego; cùm ſit implicatio in terminis; reflexa concedo, vel permitto; & nego conſequentiam. Aliud enim eſt, quòd opinio reflexa dicit; aliud quod facit: nec dicit, nec facit, ne probabiliter quidem, ut facit directa, partem intutam eſſe licitam obiectivè; dicitque, ſed non facit pluſquam probabiliter eam eſſe licitam formaliter: ideoque cum vera eius formali turpitudine coniungitur. Similiter dilues alias formas ibi adiectas, in quibus eſt terminorum mentalium quaternio. Siquidem in maiori eſt probabilitas directa boneſtatis obiectivæ, conſtituens boneſtatem formalem; in minori verò probabilitas reflexa boneſtatis formalis, vel probabilitatis directa, non eam conſtituens, ſed fallibiliter affirmans.*

8. *Eadem eſt æquivocatio in formulis arguendi poſitis num. 4. & 5. Aliud enim eſt, quod communior authoritas opinionis reflexæ facit circa boneſtatem obiectivam; aliud, quod circa formalem, & probabilitatem opinionis directæ. Nam obiectivam boneſtatem non facit probabiliter veram; ſed probabiliter probabilem: quia nec probabiliter, nec improbabiliter negat prohibitionem; ſed ſolùm affirmat boneſtatem formalem affectûs directi, & probabilitatem iudicii directi, probibitionem negantis: ideoque facit utramque non certam, ſed tantùm probabilem; cum quo ſtat, iudicium directum eſſe reverà improbabile; & affectum, qui ab illo dirigitur, eſſe revera turpem formaliter ſimul, & obiectivè.* Hactenus P. Junius.

CA-

Digitized by Google

CAPVT II.

Noſtra reſponſio ad argumentum, oſtendens, falsò Authores benignos aſſerere, ſuam ſententiam eſſe probabiliorem.

§. I.

Primum caput probandi, ſententiam benignam non eſſe probabiliorem; quia pro illa non eſt invenire locum Sacrum, vel ullam Sanctorum Patrum authoritatem.

9. PRo ſententiâ moderatâ, quam defendimus (aſſerente, ad rectè operandum non prærequiri iudicium quaſi ſpeculativum omnino certum de honeſtate obiecti poſitivâ, vel negativâ; ſed ſufficere iudicium probabile conceptum ab operante ob rationem, vel authoritatem notabilem repertam pro hâc parte potiùs, quàm pro contrariâ, ſeu conceptum ob fundamenta præponderantia fundamentis ſententiæ contrariæ) inveniuntur Patrum teſtimonia; ut ego oſtendi Diſſert. 9. Hinc Auguſt. Epiſt. 19. Hieronymum alloquens, aiebat: *Alios ita lego, ut quantalibet ſanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt; ſed quia mihi vel per illos Authores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, perſuadere potuerunt.* Ubi per Probabilem Rationem intelligit rationem validam infra evidentiam, quæ partem illam reddat ita veriſimilem, ut vi illius poſſit vir ſapiens, & prudens iudicare, rem eſse verâ quod numquam facere poterit, niſi ratio illa manifeſtè præemineat rationibus partis contrariæ. Quando enim aliquid controvertitur, vir ſapiens numquam poteſt unam partem acriter propugnare, ut veram, & oppoſitam reiicere, ut falſàm, niſi pro illa parte inveniat fortiorem rationem, quàm pro contraria. Ita contigit Auguſtino, qui eâ Epiſt. 19. contra Hieronymum probat, Petrum non fictè, & ſimulatè fuiſse à Paulò reprehenſum, ſed ſeriò, verè, atque meritò. & in dictamine conſcientiæ, quo Paulus iudicabat Petrum reprehenſibilem eſse. Id autem perſuadet efficaciſſimis rationibus; ut expendimus Diſsert. 1. §. 6. At pro ſententiâ benignâ Doctorum hujus ſæculi, aſserentium, licitum eſse ſequi quamcumque opinionem probabilem, affirmantem, aliquid eſse licitum; quamvis operans judicet, eſse falſam, vel ſaltem prudenter judicare poſſit, quia videt pro ſententiâ contrariâ majus pondus authoritatis, & rationis: ſeu licitum eſse ſequi ſententiam probabilem faventem libertati adversùs legem; quamvis operanti veriſimilius ſit authoritate, & ratione, illam eſse falſam, & Legi Divinæ contrariam, quàm eſse veram, & legi æternæ conformem: pro ſententiâ, inquam, benignâ, in hoc ſenſu acceptâ, nulla eſt authoritas Patrum, nec antiquorum Theologorum: quia, ut evincimus in Introductione operis, illa ſententia fuit inaudita uſque ad finem præcedentis ſæculi. Omnes namque antiqui, ad uſum licitum partis minùs tutæ, ſeu faventis libertati adversùs legem, requirunt, quòd vel illa ſit moraliter certa, vel ſaltem abſolutè, & ſimpliciter probabilior ſententiâ tutiore. Quin etiam, loquendo de Authoribus, qui floruerunt intra ſæculum decimumſext um Eccleſiæ, Ludovicus Lopez, qui ſententiam Medinæ ſecutus eſt in Inſtructorio conſcientiæ cap. 120. dixit: *Scio communem eſſe ſententiam Soti, Cordubæ, Cajetani, Conradi, & Navarri, tenentium, non ſatis eſſe probabilem opinionem ſequi, ſed probabiliorem eſſe ſectandam.* Itaque certum eſt, illam ſententiam eſse novam. Et quamvis in terminis, quibus proponitur à Medina, habere poſſit explicationem, juxta quam ſit vera, ut nimirum ad uſum licitum opinionis minùs tutæ, non ſit neceſsarium, quòd illa ſit abſolutè in ſe probabilior, ſeu communior inter ſapientes; dummodo ſit certò probabilis, id eſt probata à viris probis, & ſapientibus, & ab illis propugnata, ut vera, poſt totius controverſiæ accuratum ſtudium; ac inſuper, ipſi operanti citra paſſionem, & culpam appareat ma-

manifeſtè veriſimilior, & idcirco ab ipſo judicetur abſolutè vera. Nihilominùs intellecta de opinione minùs tutâ, quæ non ſolùm ſit in ſe abſolutè minùs probabilis, ſed ipſi operanti appareat minùs veriſimilis, & magis falsa, quàm vera; explicationem nullam habet, pro qua allegari poſſit ulla Patrum, vel antiquorum Theologorum authoritas. Nullus enim ante finem præcedentis ſæculi unquam dixit, licitum cuilibet eſse ſequi ſententiam faventem ſuæ libertati adversùs legem; quamvis habeat majus fundamentum authoritatis, & rationis ad judicandum eſse falſam, & Legi Divinæ contrariam, quàm ad judicandum eſse veram, & Legi æternæ conformem. Legantur Bartholomæus de Medinâ, P. Vazquez, P. Thomas Sanchez, & alii ſententiæ benignæ defenſores, & manifeſtè conſtabit, illos nullam authoritatem Patrum pro illa allegaſſe; imò nec eruditiſſimus Thomas Sanchez pro illa ſententia lib. 1. Sum. cap. 9. num. 14. ullum authorem citat Mercado, & Medina antiquiorem: quia nempe nullus Patrum, antiquorumve Theologorum illam ſententiam tenuit. Unde illa ſuâ novitate ſuſpecta eſt, & ejus falſitas hinc validè oſtenditur.

10. Sanè dubitari non poteſt, ſemper in Eccleſia excitata fuiſſe dubia, & motas controverſias circa fidem, & circa mores; & ſæpe excitatas fuiſſe quæſtiones, an talis, vel talis actio ſit prohibita Jure Divino, vel naturali, necne; & Chriſtum reliquiſſe in Eccleſia modum determinandi illas contraverſias, & reſolvendi illa dubia, & Fideles ſemplices conſuluiſſe Sacerdotes, & Paſtores ſuos, vel homines literatos: hos verò habuiſſe regulas ſufficientes ad dirigendas illorum conſcientias, quas per traditionem acceperant à Patribus, & Majoribus. Conſtat autem, modum illum dirigendi conſcientias per probabilitatem opinionum, nullâ habitâ ratione de ipſarum veritate, non fuiſſe in uſu Eccleſiæ per duodecim, vel tredecim ſæcula, quæ ante D. Thomam, & Theologos Scholaſticos præceſſerunt. Nam Alexander Alenſis, S. Thomas, S. Bonaventura, & alii Scholaſtici Doctores, qui ad uſum licitum partis minùs tutæ, conſtanter docuerunt, neceſſarium eſse, quòd operans ſibi perſuadeat illam, eſſe veram, & legi æternæ conformem, neque hanc perſuaſionem poſſe ſufficienter ab eo haberi, quin illa pars, vel appareat ipſi omninò moraliter certa, vel ſaltem notabiliter probabilior, & veriſimilior, quàm pars tutior, & idcircò ab ipſo inculpatè judicetur vera: hi, inquam Doctores, hanc doctrinam ſeveram tradentes, illam acceperunt à Scripturis, & Patribus. Ideo enim hanc doctrinam ſeveram docuerunt, quia perſuaſum habuerunt, hanc eſſe doctrinam è Scripturis, & Patribus legitimè collectam.

11. Quare, ex eo, quòd nulla mentio hujus doctrinæ de licito uſu opinionis minùs tutæ in occurſu tutioris, & operanti ipſi probabilioris apud Patres reperiatur; neque à Sanctis Doctoribus Scholaſticis, qui à Patribus ſuā doctrinam acceperunt, neque à Theologo ullo, qui ante præteritum ſæculum ſcripſerit, ſit tradita; conficitur manifeſtè illam eſſe novam, & in Eccleſia ignotam uſque ad finem decimiſexti ſæculi. Hinc autem elicitur, illam eſſe falſam: quia incredibile eſt, Deum per tot ſæcula occultaſſe omnibus antiquis Theologis doctrinam veram, adeo proficuam ad facilitandam Cæli viam; & permiſiſſe, ut omnes priſci Theologi, qui hoc punctum attigerunt, per tot ſæcula erraſſent, imponendo ſuper capita hominum obligationem gravem, quam Deus non impoſuerat; nempe obligationem non ſequendi ſententiam faventem libertati adversùs legem, niſi illa ſit moraliter certa, vel notabiliter probabilior ſententiâ tutiore.

§. II.

Digitized by Google

§. I I.

Secundum caput idem probandi: quia pro noſtra ſententia, aſſerente, ad uſum licitum ſententiæ minùs tutæ omnino requiri, vel quòd illa proponatur ut moraliter certa operanti, vel, quod in idem recidit, ut clarè probabilior, ſeu veriſimilior, quàm oppoſita; & ab ipſo abſolutè judicetur vera judicio opinativo prudenti; ſunt manifeſta Patrum teſtimonia, ſcilicet Clementis, Cypriani, Chryſoſtomi, Baſilii, Nazianzeni, & Lactantii.

13. IN primis noſtra ſententia probatur authoritate S. Clementis Papæ in cap. *Relatum.* diſt. 37. ubi ſic habetur: *Relatum* (inquit) *nobis eſt, quòd quidam in veſtris partibus commorantes adverſantur ſacris doctrinis, &, prout eis videtur, non ſecundùm traditionem Patrum, ſed juxta ſuum ſenſum docere videntur. Multas enim quidam (ut audivimus) veſtrarum partium ingenioſi homines ex iis, quæ leguntur, veriſimilitudines capiunt: & ideo diligenter obſervandum eſt, ut lex Dei cùm legitur, non ſecundùm propriam ingenii virtutem, vel intelligentiam legatur, vel doceatur. Sunt enim multa verba in Scripturis Diuinis, quæ poſſunt trahi ad eum ſenſum, quem ſibi unuſquiſque ſponte præſumpſerit; ſed non oportet. Non enim ſenſum extrinſecùs alienum, & extraneum debetis quærere, ut quoquo modo ipſum ex Scripturarum authoritate confirmetis; ſed ex ipſis Scripturis ſenſum capere veritatis oportet. Et ideo oportet ſcientiam ab eo diſcere Scripturarum, qui eam à majoribus ſecundùm veritatem ſibi traditam ſervat; ut & ipſe poſſit eam, quam rectè ſuſceperit, competenter aſſerere.* Hactenus S. Clemens. Cuius documenta perſuadent, in iis, quæ ad Fidem, & bonos mores ſpectant, illam ſententiam eſſe præferendam, quam Sancti Patres ex Scripturis hauſerunt, vel per traditionem à maioribus acceperunt. Unde cùm ſententia benigna de uſu licito opinionis probabilis minùs tutæ, quam operans iudicat, vel prudenter iudicare poteſt, eſſe falſam, deſtituta ſit ſuffragio omni, & authoritate Patrum, à veritate aliena cenſenda eſt. Iſteque locus eſt valde opportunus ad improbandum modum procedendi aliquorum Caſuiſtarum, ſeu Moraliſtarum, qui ut rotundè affirment, aliquid eſſe licitum, ſatis habent adducere aliquod argumentum à paritate, ſeu ſimilitudine aliarum rerum, quæ licitæ reputantur. Conſtatque hinc, eiuſmodi opiniones ſic probatas non ſufficere ad ſecuritatem conſcientiæ, præſertim quando pro oppoſita parte ſunt argumenta deſumpta à Patribus, & à Jure Canonico.

14. Secundò, ad probandum, non ſufficere ad ſecuritatem conſcientiæ probabilitatem vagam communem ſententiis oppoſitis; ſed requiri veritatem ſaltem ut creditam, & prudenter exiſtimatam iudicio quodam præ ſe ferente moralem quamdam certitudinem, facit egregius textus S. Cypriani, quem adducit Doctor Antonius Merenda in Præfatione ad ſuum tractatum de Probabilitate pag. 239. num. 793. *In compendio autem eſt* (inquit Cyprianus) *apud religioſas mentes, & ſimplices, & errorem deponere, & invenire, atque eruere veritatem. Nam ſi ad Diuinæ traditionis originem, & caput itur, ceſſat error humanus, & ſacramentorum cæleſtium ratione perſpectâ, quidquid ſub caligine, ac nube tenebrarum latebat, luce veritatis aperitur. Perquiramus ergo* (ſubdit Merenda ex Cypriano) *quid Apoſtoli de hac re docuerint, quid diſcipuli Apoſtolorum circa hoc ſenſerint, quid exiſtimauerint Patres ab his eruditi, & denique priſcorum ſæculorum ſenſus de uſu hujus probabilitatis inveſtigemus. Sic enim perveniemus ad caput, & originem Diuinæ traditionis, cùm Dominus noſter, qui miſit per orbem Diſcipulos, ut docerent ea, quæ ipſis mandaverat, Matth. 28. 20. ipſos docuerit, quid facere oporteat, dum honeſtas operationis ſic controverſa eſt, ut utraque opinio habeat rationes validas. Si autem hoc quærere recuſaverint, quid de ipſis ſentiendum eſt?* Hactenus Merenda.

15. Tertiò, probatur noſtra ſenten-

Digitized by Google

tia authoritate S. Joannis Chryſoſtomi, quem iterum audiamus homil. 44. in Matth. ſic ſcribentem : *Si veſtimentum empturus, unum gyras negotiatorem, & alterum; & ubi meliores veſtes inveneris, & pretio viliori, ab illo comparas: annon oportet populum circuire omnes Doctores, & inquirere ubi ſincera veritas Chriſti venditatur, & ubi corrupta, & veriorem eligere, pluſquam veſtimentum?* Et homil. 13. in cap. 7. 2. ad Corinth. *Ne igitur*, inquit, *multorum opiniones habeamus, ſed res ipſas inquiramus. Quomodo autem non abſurdum, propter pecunias aliis non credere, ſed ipſas numerare, & ſupputare; pro rebus autem amplioribus aliorum ſententiam ſequi ſimpliciter, præſertim cùm habeamus omnium exactiſſimam trutinam, & gnomonem, ac regulam, Divinarum, inquam, legum aſſertionem. Ideo obſecro, & oro omnes vos, ut relinquatis, quidnam huic, vel illi videatur, deque his ab Scripturis hæc omnia inquirite, & veras diuitias diſcentes, eas ſectemur, ut æterna bona aſſequamur.* Ex quibus verbis conſtat, abſurdum eſſe, quòd homines in negotio ſalutis non ſequantur doctrinas tutiores, quando agnoſcunt eſſe veriores, ſeu probabiliores, & quòd non quærant doctrinas meliores, & magis fundatas, qui veſtes, & calceos quærunt meliores; & quòd non ſoliciti ſint inquirere, an ſint veræ doctrinæ favorabiles, quas amplecti volunt. Colligitur inſuper, nos non poſſe licitè ſequi opiniones hominum nobis faventes præcisè, quia opiniones hominum ſunt, ſed quia ſunt opiniones veræ, quæ nobis manifeſtant ſententiam Dei, eiuſque voluntatem proponunt ut regulam; ac proinde non debere nos ſimpliciter, & ſine diligenti examine amplecti doctrinas hominum, quin priùs prudenter iudicemus, illas eſſe veras, & legi æternæ conformes.

16. Quartò, probatur authoritate Baſilii Magni, qui exponens illa verba Pſalmi 61. *Mendaces filii hominum in ſtateris; En* (inquit) *tibi datur libra, quæ ſufficiens diſcrimen boni, & mali demonſtrat, corporea namque pondera in libræ lancibus comprobamus; quæ verò ad inſtituendam vitam eligenda veniunt, per liberum arbitrium, ratione ſcilicet regulatum, diſcernimus, quod & ſtateram nominamus, quòd momentum æquale ad utramlibet partem capere poſſit.* Cui conſonat Auguſtinus citatus 24. quæſt. 1. ubi inquit: *Non afferamus ſtateras doloſas, ubi appendamus, quod volumus, & quomodo volumus, pro arbitrio noſtro dicentes: hoc grave, hoc leve eſt; ſed afferamus Divinam ſtateram de Scripturis Sanctis, tamquam de theſauris Dominicis, & in illa quid ſit gravius, quid levius, appendamus; imò non appendamus, ſed à Domino appenſa recognoſcamus.* Quem locum expendens Gloſſa ad illud caput *Non afferamus*, inquit: *Nam ſunt quidam, qui ſubtilitate ſuâ ducuntur, & volunt aliter interpretari Divinas Scripturas, quàm debebant, & ita errant.*

17. Huic comparationi inſiſtens Author modernus tom. 1. Theologiæ Moralis diſput. 2. ſect. 1. §. 3. in Caramuelem, & in eos, qui cum illo docent, licitum eſſe ſequi ſententiam faventem libertati, quamvis oppoſita ſtans pro lege habeat pro ſe maius pondus authoritatis, & rationis, in hunc modum invehitur: *Si de re pecuniaria agitur, ſi pretium ſit ſolvendum uno, vel altero nummo, pluries ad lancem appenditur, & ſi vel minimâ parte unius grani levior ſit, vix admittitur. Sed has omnes leges vult Caramuel ſubmoveri à commercio ſalutis, & virtutis, eodemque genere, & ordine contineri res, de quibus opinamur; quamvis opiniones, quæ conſulunt ſaluti, & honeſto longiùs diſtent ab opinionibus, quæ ſtant pro voluntate, & commodo, quàm aurum ab ære, & plumbo; vult tamen Caramuel, omnes opiniones probabiles pares reputari ad gloriam æternam comparandam.*

18. Similiter S. Gregorius Nazianzenus orat. 27. docet, ad ſecuritatem conſcientiæ non ſatis eſſe ſcire, quòd multis ita videatur; ſed neceſſarium eſſe iudicium ferre de veritate, ſeu de veritate aſſecurari: ſic enim habet: *At pleriſque ſecus videtur, inquies. Quid verò mea intereſt, qui rei veritatem magis curo? Hoc enim vel me condemnaverit, vel abſolverit; hoc miſerum, vel beatum reddide-*

Digitized by Google

diderit. At quid aliis videtur nihil ad nos, quemadmodum neque alienum ſomnium.

19. Pariter Lactantius docuit, veritatem opinionum, & ſententiarum eſſe quærendam,& non eſſe ſiſtendum in authoritate hominum fallibilium, qui id docuerunt; ideo illis aſſenſum præbendo, quia ipſi dixerunt; ſed quia verum in ſuis aſſertis attigerunt. *Ne trahamur* (inquit lib. 2. cap.13.) *authoritate cujuſquam, ſed veritati potiùs faveamus, & accedamus. Nullus hic temeritati locus eſt: in æternum ſtultitiæ pœna ſubeunda eſt, ſi aut perſona inanis, aut opinio falſa deceperit.*

§. III.

Specialiter authoritate Auguſtini comprobatur, veritatem quærendam eſſe in doctrinis; nec aliter nos poſſe in re controverſa amplecti ſententiam faventem libertati adversùs legem, niſi quia nobis perſuademus, eſſe veram, perſuaſione excludente prudentem omnem formidinem.

20. SAnctus Auguſtinus ubique docet, nos diligenter debere quærere veritatem. Unde lib. 1. contra Academicos cap. 4. aiebat: *Quiſquis minùs inſtanter, quàm oportet, veritatem quærit, is ad finem hominis non pervenit. Quiſquis autem tantum, quantum homo poteſt, ac debet, dat operam inveniendæ veritati, etiamſi non inveniat, beatus eſt, ſeu eximitur à peccato, totum enim facit, quod ut faciat ita, natus eſt.*

21. Hinc S. Doctor lib. 12. Confeſſionum cap. 25. acriter invehitur in quoſdam, qui ſpiritu ſuperbiæ ducti, & ſuis placitis nimis adhærentes, illi obſiſtebant circa ſenſum illorum verborum: *In principio creavit Deus cælum, & terram. Superbi ſunt*, inquit, *nec nouerunt Moyſi ſententiam; ſed amant ſuam, non quia vera eſt, ſed quia ſua eſt: Alioqui & aliam veram pariter amarent, ſicut & ego amo quod dicunt, quando verum dicunt non quia ipſorum eſt, ſed quia verum eſt.* Et ideo idem S. Doctor epiſt. 6. aiebat: *Omnes aut ſumus, aut tenemur eſſe cives illius Ciuitatis, cujus Rex, & Imperator eſt veritas, ne ſimus ex alia, cui falſitas dominatur, & vanitas.*

22. Idcirco S. Doctor, quamvis ſectatus fuiſſet aliquam doctrinam, ubi primùm deprehendebat, eſſe falſam, illam deſerebat,& oppoſitam amplectebatur. Et propterea lib. 3. contra Creſconium Grammaticum cap. 3. dixit: *Sicut laudabile eſt, à vera ſententia non amoveri; ita culpabile perſiſtere in falſa, quam numquam tenere prima laus eſt; ſecunda, mutare: ut aut ex initio vera permaneat, aut mutatâ falsâ, vera ſuccedat.* Quamobrem lib. 22.de Civitate cap.23. ſolicitè admonet: *Excubandum eſſe, ne opinio veriſimilis fallat, ne decipiat ſermo verſutus, ne ſe tenebræ alicujus erroris offundant; ne quod bonum eſt, malum, aut quod malum eſt, bonum eſſe credatur.... ne in ea, quæ agenda non ſunt, cupido præcipitet.* Rationem verò, cur ſic excubare,& vigilare debemus, reddit Auguſtinus ſerm. 12. de tempore: *Nam voluntatis* (inquit) *propenſio authoritatem vitiis quærit, & quod malum eſt, bonum, aut bono proximum eſſe ſuadet.*

23. Hinc S. Doctor tom. 2. epiſt. 7. ad Marcellinum, ut exponeret quo pacto in ſuis ſcriptis unicè volebat docere veritatem; & ideo ſicubi ſe erràſſe deprehenderet, vel ab aliis de errore ſuo doceretur, ſtatim errorem corrigere ſatagebat; ſic ſapienti humilitate, humilique ſapientiâ ſenſa ſua exponit: *Ego* (inquit) *fateor, me ex eorum numero eſſe conari, qui proficiendo ſcribunt, & ſcribendo proficiunt. Unde ſi aliquid vel incautiùs, vel indoctiùs à me poſitum eſt, quo non ſolùm ab aliis, qui id videre poſſunt, meritò reprehendatur, verùm etiam à me ipſo; quia & ego ſaltem poſtea videre debeo, ſi proficio; nec mirandum eſt, nec dolendum, ſed potiùs ignoſcendum, atque gratulandum, non quia erratum eſt; ſed quia improbatum. Nam nimis perversè ſe amat, qui & alios vult errare, ut error ſuus lateat. Quantò enim melius, & utilius, ut ubi ipſe errauit, alii non errent, quorum admonitu errore careat. Quòd ſi noluerit, ſaltem comites erroris non habeat.*

 24. Qua-

Digitized by Google

24. Quapropter ex mente Auguſtini ſolicitè quærere debemus veritatem mandatorum Dei, ut ea exequamur; & ut veritatem debitè quæramus, & quæſitam inveniamus, purificare debemus affectus inordinatos voluntatis; quia unuſquiſque, prout affectus eſt, iudicat: numquamque proinde accidere poterit, ut quis rectè operetur, ſequendo opinionem faventem ſuæ libertati adversùs legem, ſi talis opinio magis illi appareat falſa, quàm vera, vel ſaltem non minùs falſa, quàm vera: illam enim nequit iudicare veram, ſaltem prudenter; cùm enim iuxta eundem Auguſtinum, *nihil fortiùs deſideret anima, quàm veritatem*, nequit amplecti opinionem ut veram, quando habet maius, vel ſaltem non minus fundamentum ad iudicandum eſſe falſam, quàm ad iudicandum eſſe veram, cùm enim natura ſua ſit ordinata ad veritatem, & in omnibus ſuis iudiciis tendat ſub ratione veri, non minùs horret falſitatem, & deceptionem, quàm amet, & deſideret veritatem; & ideo aiebat idem Auguſtinus in Enchiridio cap. 10. *Uſque adeo natura rationalis refugit falſitatem, & quantùm poteſt deuitat errorem, ut falli nolint quicumque amant fallere.* Cùm ergo iuxta Auguſtinum nemo poſſit licitè, & honeſtè amplecti ſententiam minùs tutam, niſi prudenter iudicet eſſe veram, & Divinæ legi non contrariam; & hoc nequeat prudenter, & rationabiliter iudicare, niſi pro hac parte potiùs, quàm pro contraria inveniat fundamentum urgens, & valde veriſimile: ſequitur, iuxta Auguſtinum numquam eſſe licitum, ſequi ſententiam minùs tutam in occurſu tutioris, & probabilioris.

25. Quantum diſtet doctrina Auguſtini circa uſum opinionum probabilium à doctrina eorum Theologorum, qui docent, ubi inter Theologos diſputatur, an aliqua actio ſit honeſta, vel turpis, v.g. an aliquis contractus ſit uſurarius, poſſe me ſequi partem minùs tutam, quam iudico eſſe falſam, & conſequenter inire contractum, quem iudico eſſe uſurarium, & intrinſecè illicitum, vel iudicare prudenter poſſum, quia eò inclinant maiora momenta authoritatis, & rationis: patebit expendenti verba ſequentia Sancti Doctoris lib. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 5. *Efficere* (inquit) *id, quod incertum eſt, an ſit peccatum, certum eſt peccatum.* Quare quoties dantur opiniones contrariæ Doctorum, an aliquid ſit peccatum, nemo iuxta Auguſtinum poteſt ſequi partem minùs tutam, quando illi eſt veriſimilius, eā eſſe falſam, quàm eſſe veram, vel quando eſt illi æquè veriſimile; quia tunc naturaliter vel manere debet dubius, an illa actio ſit honeſta, vel iudicare debet eſſe turpem, quia eò inclinant urgentiora fundamenta; & in neutro caſu poteſt illam exercere. Quare ut poſſit tunc licitè exercere eiuſmodi actionem, debet iuxta Auguſtinum habere quamdam moralem certitudinem, quòd actio illa non ſit mala, eò quòd pro illa parte invenit fundamenta manifeſtè præeminentia fundamentis partis oppoſitæ, & quæ illam partem reddunt notabiliter veriſimiliorem oppoſitâ; ita ut iudicium de honeſtate actionis vi illorum fundamentorum, quamvis non excedat limites opinionis, prout opinio contraponitur ſcientiæ, & fidei infallibili, nihilominus excludat formidinem prudentem, & ſolùm permittat formidinem quamdam objectivam, quæ neceſſariò comitatur actum opinionis, & conſiſtit in eo, quòd reflexè intellectus iudicet, non repugnare, quòd ſtante toto motivo aſſentiendi, aſſenſus ſit falſus; vel formidinem quamdam ſubjectivam quaſi naturalem, quæ comitari ſolet actus, qui non nituntur motivo infallibili, & quæ per modum ſcrupuli facilè poſſit contemni, & repelli per reflexionem: Quare iuxta Auguſtinum, *in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus peccaret quis vel ex eo ſolo, quòd certis incerta præponeret*; ut loquitur lib. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 3. Ac proinde iuxta ipſum nemo poteſt ſequi partem minùs tutam, niſi ex perſuaſione prudenti ſibi moraliter certâ, quòd illa pars ſit vera, & legi æternæ conformis; quin prudenter dubitare poſſit, an ſit illicita, & à fortiori, quin poſſit prudenter iudicare,

eſſe

Digitized by Google

eſſe illicitam; eò quòd pro turpitudine actionis non occurrit ratio gravis, quæ virum prudentem movere poſſit.

26. Et ſanè, quòd ſententia Probabiliſtarum, aſſerentium, licitum eſſe ſectari opinionem probabilem minùs tutam in occurſu tutioris, & probabilioris, opponatur menti S. Auguſtini, patebit conſideranti ea, quæ ſcribit lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 8. quæ habentur in Decret. diſt. 19. canone 6. nam docens, quomodo fideles ſe gerere debeant in legendis Scripturis canonicis pro regulandis iis, quæ ad fidem, & bonos mores ſpectant, inquit: *In canonicis Scripturis Eccleſiarum Catholicarum quàm plurium authoritatem ſequatur; inter quas ſanè illæ ſint, quæ Apoſtolicas Sedes habere, & epiſtolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis canonicis, ut eas, quæ ab omnibus recipiuntur Eccleſiis Catholicis, præponat eis, quæ quædam non accipiunt; in his verò, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures, grauioreſque recipiunt, eis, quas pauciores, minoriſque authoritatis Eccleſiæ tenent. Si autem alias invenerit à pluribus, alias à grauioribus haberi, quamvis hoc inveniri non poſſit, æqualis authoritatis eas habendas puto.* Ex his verbis conſtat, illam opinionem, quæ pro ſe habet plures, & graviores Authores, & idcirco eſt probabilior, præferri debere ei, quæ habet pauciores, & minoris authoritatis. Idque à fortiori ſequitur, quando pars habens pro ſe plures, & graviores Authores, eſt tutior, utpote ſtans pro lege adversùs libertatem; & oppoſita habens pauciores, & minoris authoritatis, eſt minùs tuta, utpote ſtans pro libertate adversùs legem. Ergo iuxta S. Auguſtinum nemini licet ſequi ſententiam probabilem minùs tutam, quando agnoſcit tutiorem eſſe probabiliorem, ſeu quando agnoſcit habere pro ſe plures, & graviores Authores. Et multò minùs licebit ſequi minùs tutam in occurſu tutioris, quando tutior non ſolùm in ſe eſt probabilior, quia plures habet, & graviores defenſores; ſed etiam per fundamenta intrinſeca apparet veriſimilior operanti.

27. Dices, id ex doctrina Auguſtini non ſequi; quia S. Doctor ibi loquitur de uſu canonicarum Scripturarum ſolùm in iis, quæ ſpectant ad fidem; non autem in iis, quæ ſpectant ad bonos mores. Sed contra; nam ex contextu S. Auguſtini conſtat, ipſum loqui de uſu canonicarum Scripturarum, non ſolùm in iis, quæ concernunt fidem; ſed etiam in his, quæ concernunt bonos mores. Nam poſtquam tradidit regulam adhibendi canonicas Scripturas, & harum Scripturarum libros enumeravit, ſtatim ſubjunxit: *In his omnibus libris timentes Deum, & pietate manſueti quærunt voluntatem Dei, cujus operis, & laboris prima obſervatio eſt, noſſe iſtos libros; deinde quæ in eis apertè poſita ſunt, vel præcepta vivendi, vel regulæ credendi, ſolertiùs, diligentiùſque inveſtiganda ſunt, quæ quantò quiſque plura invenit, tantò eſt intelligentiâ capacior; in iis enim, quæ apertè in Scriptura poſita ſunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moreſque vivendi.* Ergo regula, quam tradit ibi Auguſtinus de ſectanda probabiliori ſententia, & opinione, non eſt limitanda ad controverſias Fidei, ſed extendenda ad controverſias morum. Ergo ex mente Auguſtini, quando diſputatur, an aliquid ſit licitum, an ſit turpe; ſi plures, & graviores Authores, qui faciunt opinionem probabiliorem ſecundùm Auguſtinum, affirmant, rem illam eſſe turpem, non poteſt operans tutâ conſcientiâ ſequi opinionem minùs probabilem eorum, qui dicunt, rem eſſe licitam; quod à fortiori erit verum, ſi illi plures, & graviores afferunt fundamenta rationis, quæ illam partem reddunt ipſi operanti veriſimiliorem.

28. Concludo probationes ex Auguſtino illuſtri teſtimonio ex homil. 12. *Ecce dat* (inquit) *tibi ſecuritatem Procurator; quid tibi prodeſt, ſi Paterfamilias non acceptet? Procurator ſum, ſervus ſum, vis dicam tibi, vive quomodo vis: Dominus te non perdet? ſecuritatem tibi Procurator dedit; nihil valet ſecuritas Procuratoris. Utinam tibi Dominus ſecuritatem daret, & ego te ſollicitum facerem! Domini enim ſecuritas valet, etiamſi nolim:*

lim: mea verò nihil valet, ſi ille noluerit. Quæ eſt autem ſecuritas, fratres, vel mea, vel veſtra, niſi ut Domini juſſa intentè, diligenterque audiamus, & promiſſa fideliter expectemus?

29. Quæ verba expendens Eminentiſs. Cardinalis de Aguirre tom. 1. Theologiæ S. Anſelmi diſput. 2. num. 57. inquit: *Hæc audiant, & expendant, qui in rebus ſummi momenti, quales ſunt ad ſalutem æternam ſpectantes, & ad obſervantiam Divinæ legis, avidè exquirunt Doctores benignos, ut vocant, ſuæ cupiditati faventes. Quamvis enim ii procuratores ſecuritatem promittant, nullam præſtant: quoniam Dominus Judex eſt, & ſolis his ſecuritatem ſpondet, qui ipſius juſſa intentè, diligenterque audiunt, & opere exequuntur.*

30. Quamvis autem Auguſtinus numquam doceat, licitum eſse ſequi opinionem faventem libertati, quam operans falſam eſse iudicat, vel iudicare poteſt; tamen ad uſum licitum opinionis favorabilis non requirit omnimodam certitudinem; ſed contentus eſt maiori probabilitate: ut conſtat ex tom. 6. lib. 1. de Adulterinis Conjugiis, cap. 26. Tempore Auguſtini diſputabatur, an eſsent baptizandi Catechumeni in mortis articulo conſtituti, ſi nullum poſsent dare iudicium, quòd baptizari vellent. Duplexque erat ſententia, altera negans, altera affirmans, licitum tunc eſse illis adminiſtrare Baptiſmum: hanc benignam, ut probabiliorem ſectatur Auguſtinus, quia iudicavit veram; quamvis oppoſitam non audeat ut improbabilem damnare; ſed ſolùm ut falſam, & ſibi non probatam rejicere; ſic enim ait: *Catechumenis ergo in hujus vitæ ultimo conſtitutis, ſi morbo, ſeu caſu aliquo ſic oppreſſi ſint, ut quamvis adhuc vivant, petere tamen ſibi Baptiſmum, vel ad interrogata reſpondere non poſſint; proſit eis, quòd eorum in vita Chriſtiana jam nota voluntas eſt, ut eo modo baptizentur, quomodo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit. Non tamen propterea debemus damnare eos, qui timidiùs agunt, quàm nobis videtur agi oportere.* Quare licet illa ſententia Auguſtino non probaretur, nec eſset ipſi probabilis practicè, & exercitè in ordine ad uſum, quaſi ipſe illâ licitè uti poſset: nihilominus cenſet, illam in ſe non eſse abſolutè deſtitutam omni probabilitate; quia eius Authores cum aliqua probabilitate illam defendebant. Sentit ergo Auguſtinus, eligendam eſse opinionem, quæ operanti poſt diligentem veritatis inquiſitionem apparet veriſimilior, & magis fundata.

31. Poſtquam autem Auguſtinus citata verba protulit, ſtatim adducit fundamentum, quo nitebantur, qui oppoſitum ſentiebant, nimirum deſumptum ex illis Chriſti verbis: *Nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos: Iſta namque verba Salvatoris referentes* (ſubdit Auguſtinus) *baptizare non audent eos, qui pro ſe reſpondere nequiverint, ne fortè contrarium gerant voluntatis arbitrium. Quod de parvulis dici non poteſt, in quibus adhuc rationis nullus eſt uſus.* Hanc ſententiam ut falſam rejicit Auguſtinus; quia *non ſolùm incredibile* (inquit) *eſt, neque in fine vitæ hujus baptizari catechumenum velle; verùm etiamſi voluntas ejus incerta eſt, multò ſatius eſt nolenti dare, quàm volenti negare: ubi, velit, an nolit, ſic non apparet, & tamen credibilius ſit, eum, ſi poſſet, velle ſe potiùs fuiſſe dicturum ea ſacramenta percipere, ſine quibus jam credidit, non ſe oportere de corpore exire.* Et ſubinde reſpondet ad argumentum petitum ex verbis Chriſti, *quia ſi Deus, ubi ait: Nolite ſanctum dare canibus; hoc quod iſti cavendum putant, vellet intelligi, non ille ſic traditori dediſſet, quod ille in ſuam perniciem, ſine culpa dantis, cum dignis indignus accepit.* Auguſtinus ergo amplexus eſt ſententiam benignam, quia probabilius, & credibilius ipſi fuit, & quaſi moraliter certum, Catechumenum in mortis articulo conſtitutum, petiturum fuiſse Baptiſmum, ſi poſset loqui. Et quamvis incertum omnino foret, an tunc haberet voluntatem recipiendi, vel potiùs nolitionem, docet Auguſtinus, ſatius eſse dare Baptiſmum internè repugnanti; quàm negare internè deſideranti, & volenti petere Ba-

Digitized by Google

Baptiſmum, ſi poſset.

§. IV.

Tertium caput probandi, noſtram ſententiam eſſe probabiliorem ſententiâ benignâ; quia pro noſtra ſtant Doctores Theologi, qui floruerunt poſt Magiſtrum Sententiarum, quorum ſanctitatem Eccleſia declaravit: nullus autem Sanctus canonizatus allegatur pro contraria. Specialiter expenditur authoritas S. Bonaventuræ pro noſtra ſententia, & authoritas S. Bernardini, & S. Antonini.

32. MAgiſter Sententiarum, qui floruit anno 1145. fundavit methodum tradendi Theologiam Scholaſticam: quatuorque ipſius libros ſententiarum commentariis illuſtrârunt Alexander Alenſis, qui obiit anno 1245. & præceptor fuit S. Bonaventuræ, & S. Thomæ Aquinatis, & Albertus Magnus præceptor D. Thomæ, qui obiit ſex annis poſt diſcipulum ſuum, nempe 1280. item S. Thomas, & S. Bonaventura, qui obierunt an. 1274. Poſtquam ergo Theologia Scholaſtica florere cœpit, floruêre in Eccleſia Doctores ſanctiſſimi, qui noſtram ſententiam apertè docuerunt: præſertim S. Thomas, & S. Bonaventura. De S. Thoma ſeorſim ſupra Diſſertat. 9. oſtendimus, eum noſtram ſententiam apertè tradidiſſe multis locis, & docuiſſe, ad uſum licitum ſententiæ minus tutæ requiri, quòd operans ſibi perſuadeat ſine hæſitatione, & dubitatione illam eſſe veram, & legi æternæ conformem. Nunc id probandum de eius Collega, & Commagiſtro S. Bonaventura.

33. Hic autem eam docuit tom. 2. Opuſculorum pag. mihi 102. col. 2. id eſt, in opuſculo de Proceſſu Religionis proceſs. 5. cap. 3. ubi inquit: *Dubia interpretatio præcepti eſt periculoſa, ſicut pons ſemiputridus aquæ præcipitis, & profundæ, de quo dubium eſt, an ſub tranſeunte corruat, an ſubſiſtat. Velut ſi is, qui pro Chriſto majora certamina ſubire decrevit, & omnia reliquit in ſæculo, ſe periculo committeret pro modico motu propriæ voluntatis, vel pro parvo commodo in incerta opinione ſua, vel alterius. Ut ſi Deus approbet illam opinionem, euadat ſine lucro meriti, ſi autem reprobet eam, damnetur; maximè cùm tales opiniones quandoque periculoſiores ſunt, quàm apertæ tranſgreſſiones: quia ubi ſcit homo ſe delinquere, inde facilè corrigitur; ubi autem neſcit ſe peccare, & inſuper credit ſibi licere, inde nec in morte purè convertitur propter falſam ſpem, quòd fortè licuerit, vel minus in eo peccaverit, baculo arundineo, & confracto innitens. Voluntas bona, & plana viâ regiâ, & ſecurâ debet incedere, & relictis dubietatum diverticulis, quaſi ſuſpectis latronum ſemitis, apertos, & tutos juſtorum calles ambulare, ne velut pœnitens boni inchoati, quærat diverticula declinandi de via perfectionis, in qua voverat ambulare. Quid enim eſt, unde omnes in damnationem incidimus, niſi talis dubia interpretatio præcepti Dei de ligno vetito? ubi callidus ſerpens perſuaſit mulieri, non ita ſtrictè, & ſimpliciter intelligendum illud præceptum eſſe, imò, quòd ejus obſervatio nociva foret, ne fierent ſicut Dii, ſcientes bonum, & malum, & cujus tranſgreſſione, quamquam Deus ſic comminatus fuerat, nedum mortem corporis, ſed animæ mereretur. Credidit igitur inſipiens mulier falſò interpreti, & conſenſit ſuadenti, cui nequaquam conſenſiſſet, ſi conſilium ejus fallax, & inutile credidiſſet.* Hactenus ibi S. Doctor.

34. Ex cuius verbis videtur rectè colligi, neminem poſſe ſequi ſententiam minùs tutam relictâ tutiore, niſi certus moraliter ſit, illam eſſe veram; ac proinde non poſſe ſequi, quando opinativè ſolùm, & cum prudenti formidine partis oppoſitæ exiſtimat, rem eſſe licitam: quia timere tunc prudenter debet, ne forſan ſit illicita: ergo à fortiori, quando operans agnoſcit, duas eſſe ſententias æquè probabiles, alteram tutiorem ſtantem pro lege adversùs libertatem, alteram minùs tutam ſtantem pro libertate adversùs legem, non poteſt eligere minùs tutam, quia hoc foret ſe voluntariè exponere periculo magno violandi legem; tunc enim nimis caſuale foret reſpectu

ſpectu illius eligere opinionem veram; ſed re bene perpensâ debet manere dubius, an detur, vel non detur lex prohibens illam actionem; in quo dubio debet ab illa actione abſtinere, ne violet legem. Et quamvis tunc poſſet voluntas flectere intellectum ad opinandum, actionem illam non eſſe reipsâ prohibitam; tamen opinio concepta ex vi motivi non præponderantis motivo partis oppoſitæ, relinqueret magnam, & prudentiſſimam formidinem de malitia talis actionis, & operari cum hac formidine, virtualiter foret operari in dubio. Deinde multò magis à fortiori ſequitur, quòd iuxta D. Bonaventuram, quando opinio tutior eſt probabilior, idque ab operante cognoſcitur, non poteſt ille opinionem minùs tutam ſibi minùs veriſimilem amplecti.

35. Ex adductis verbis conſtat, quantum à Seraphici Doctoris mente diſtent, qui quoties dubitatur, an lex comprehendat talem, vel talem caſum, talem, vel talem actionem, ſatis habent ad deobligandum ab obſervatione legis, invenire aliquam veriſimilem interpretationem, & probabilem rationem, vi cuius veriſimile ſit legem tunc non obligare, quamvis veriſimilius, vel ſaltem æquè veriſimile ſit, talem legem tunc obligare. Ergo ſententia benigna, affirmans, licitum cuilibet eſſe amplecti ſententiam probabilem minùs tutam in occurſu tutioris, ſibi probabilioris, ſeu veriſimilioris, eſt contra S. Bonaventuram.

36. Eandem doctrinam habet idem Seraphicus Doctor in eodem Opuſculo proceſs. 6. cap. 28. pag. 115. Agens enim de gradibus obedientiæ, inquit: *Infimus obedientiæ gradus eſt, ex timore ſupplicii obedire, ſicut illi, qui tantùm obediunt ſuperioribus in iis, quæ præceptoriè juſſerint: ad alia verò tepidi ſunt, & negligentes; niſi in quantum vel communis conſuetudo tangit, vel pudoris manus impellit, vel timor temporalis caſtigationis. Sufficit iis, qui hujuſmodi ſunt, ut in peccatum mortale per inobedientiam non incidant, & damnationem non incurrant. Et tamen hoc eſt valde periculoſum in profeſſis obedientiam regularem: quia priuſquam diſcutiant, an teneantur facere quod jubetur, fortè mortalis inobedientiæ laqueum incidunt aliquando: ſicut qui nimis appropinquat præcipitio, ſubitò dum non cautè circumſpicit, in præceps labitur. Cum Deo autem diſputare velle ſtultum eſt, & quaſi velle convincere eum, ut non debeat judicare, hoc eſſe peccatum mortale, quod noſtra opinio non vult pro mortali habere. Sua exiſtimatio eſt regula juſtitiæ infallibilis, non noſtra anguloſa opinio, quam noſtram conſcientiam appellamus. Solis radius numquam facit angulum, ſemper directè in oppoſita ſibi ferit, ſiue in nobis appareat, ſive aliter exiſtimemus.* Hactenus S. Bonaventura. Quibus in locis licet in terminis non diſputet quæſtionem reflexam, an liceat ſequi opinionem probabilem minùs tutam, relictâ probabiliori, & tutiori; tamen ex eius doctrina liquidò conſtat, quòd, quando dubitatur an Deus aliquid prohibuerit, vel non, nullus excuſatur à peccato, ſi faciat id, quod reipsâ Deus prohibuit in circumſtantiis; in quibus potuit iudicare, Deum prohibuiſſe; quamvis ſequatur opinionem aliorum, vel etiam ſuam, quâ falsò exiſtimat, Deum non prohibuiſſe rem illam. Opinio enim hominum fallibilium, affirmantium, rem eſſe licitam, nequit ex mente Sancti Doctoris aſſumi, ut ſecura regula operandi ab homine, qui cognoſcit, opinionem oppoſitam eſſe vel magis, vel ſaltem æquè probabilem: quia tunc homo ille debet iudicare, rem illam eſſe malam; vel manere dubius, an ſit bona, vel mala; in utroque autem caſu tenetur ab actione illa abſtinere. Ergo ſententia benigna de uſu licito opinionis minùs tutæ, in occurſu tutioris, & probabilioris, eſt contra D. Bonaventuram.

37. Nec diſſimilia tradit in 4. diſt. 38. art. 2. quæſt. 3. in qua inquirit: *Utrum Summus Pontifex poſſit diſpenſare in voto.* Et refert duas opiniones; primam, quæ aſſerit, Papam poſſe diſpenſare in voto quatenus diſpenſatio dicit Juris relaxationem. Secundam, quæ negat, poſſe hoc pacto diſpenſare, & ſolùm admittit, poſſe diſpenſare, quatenus diſpenſatio dicit Juris declarationem. Et poſtquam retu-

Digitized by Google

lit primæ ſententiæ fundamentum: quia nimirum omnium voluntates eius ſubſunt authoritati, ac proinde omne votum imbibit tacitam conditionem, *niſi Dominus Papa de vovente aliter duxerit diſponendum.* Poſtmodum adducit fundamentum ſecundæ ſententiæ; & ſic concludit: *Et ideo alii dicunt, quòd Papa in nullo voto poteſt diſpenſare, ſecundùm quod diſpenſare, eſt Juris relaxatio: quia obligatio voti pendet ex Jure Divino, non humano: ex Jure naturali, non ex conſtitutione Patrum. Propterea Papa non habet poſſe, neque authoritatem in votum, relaxando Jus, quia illud non eſt ei ſubjectum; habet tamen poteſtatem quantùm Jus ſibi dat; & ideo diſpenſare poteſt, ſecundum quod diſpenſatio, eſt Juris declaratio: & hæc poſitio eſt rationabilior, & ſecurior, & quia per ipſam magis ſatisfit conſcientiæ.*

38. Statim autem ſubjungit: *Ad intelligentiam quæſtionis nota, quòd vis obligationis voti conſtituitur ex duplici Jure naturali, ex hoc videlicet, quòd homo debet eſſe verax in promiſſo; & ex alio, quòd nihil debeat homo promittere, niſi ſalvâ ſuâ ſalute, & Divinæ Majeſtatis honore.* Unde infert: *Ergo ex Jure naturali eſt, quòd quis per votum non impediri debet, quin facere poſſit ſibi utilius, & ideo acceptabilius; & ideo in omni voto, quod recipit compenſationem majoris boni, ſive ſimpliciter, ſive pro loco, & tempore, Dominus Papa, cujus eſt jus dilucidare, poteſt diſpenſare. Et in hoc communiter omnes conveniunt; ſed diverſificantur penes modum diſpenſandi.* His poſitis, triplicem citat ſententiam. Prima eſt eorum, qui dicunt, nullum eſſe votum, quod pro loco, & tempore non poſſit recipere compenſationem; ac proinde nullum eſſe in quo non poſſit diſpenſare Pontifex. Secunda eſt eorum, qui hoc dicunt dumtaxat de voto continentiæ. Tertia eorum, qui hoc dicunt de voto Religionis. Ipſe verò relatis his opinionibus, ſubjungit: *Qua iſtarum opinionum ſit verior, fateor me neſcire; & ſatis poteſt qualibet ſuſtineri: ideo nullam aſſero. Si quis tamen velit hanc ultimam acceptare, non occurrit ei inconveniens manifeſtum, ut dicatur: quia neque in omni, neque in nullo, ſed in quodam ſic, & in quodam non.*

39. Ex allegatis teſtimoniis conſtat, D. Bonaventuram docere, ex opinionibus contrariis præferendam eſſe ſecuriorem, quando eſt rationabilior, id eſt, validiori ratione fulcita. Quando verò ſunt opiniones probabiles, nec operanti exploratum eſt, quænam ſit ſecurior, nec illi occurrit ratio validior pro una, quàm pro alia; non debere unam præferre alteri: ſed ſatius tunc eſſe, ab aſſertione cuiuslibet abſtinere.

40. Deinde, quòd longè ſit à mente D. Bonaventuræ aſſerere, quòd quis poſſit ſententiam probabilem minùs tutam licitè ſequi; quamvis authoritate, & ratione veriſimilius ipſi ſit, eam eſſe falſam, & legi Divinæ contrariam, patebit conſideranti, quæ S. Doctor ex profeſſo docet in 2. diſt. 39. art. 1. quæſt. 3. in qua inquirit, *Utrùm teneamur ad omne illud, quod conſcientia dictat, eſſe neceſſarium ad ſalutem.* In qua quæſtione, ut patet ex concluſione, quæ præfigitur ſub titulo ipſius quæſtionis, docet, *Conſcientiam ligare ſemper* circa ea, quę ſunt *ſecundùm legem*; ſed circa ea, quæ ſunt *præter legem, ligare quamdiu manet:* quia *vel tenetur homo illam deponere, vel eam adimplere.* In iis, quæ ſunt contra legem Dei, *non ligare ad faciendum, vel non faciendum; ſed ad deponendum eam: cùm ſit conſcientia erronea repugnans legi Divinæ.* Animadvertit autem S. Doctor in reſponſione ad quæſtionem num. 19. ſe loqui hìc de dictamine per modum præceptionis, vel prohibitionis, non per modum conſilii, ſive perſuaſionis.

41. Quare cum conſcientia eſt erronea *errore repugnante* legi Divinæ, v. g. quando dictat eſſe bonum, & neceſſarium ad ſalutem illud ipſum, quod eſt malum (ut ſi dictaret, eſſe obligationem furandi ad dandum eleemoſynam, vel iurandi falſum, ad liberandum proximum à morte) non obligat ad faciendum, vel non faciendum, ſed ligat ad ſe deponendum. Redditque rationem: *Quod cùm talis conſcientia ſit erronea* (inquit) *errore repugnante legi Divinæ, neceſſariò quamdiu manet, ponit hominē extra*

Digitized by Google

tra ſtatum ſalutis; & ideo neceſſe eſt ipſam deponere; quia ſive homo faciat, quod dictat, ſive ejus oppoſitum, mortaliter peccat. Si enim faciat, quod conſcientia dictat, & illud eſt contra legem Dei; & facere contra legem Dei ſit mortale peccatum, abſque dubio mortaliter peccat. Si verò faciat oppoſitum ejus, quod conſcientia dictat, ipſâ manente, adhuc peccat mortaliter; non ratione operis, ſed quia malo modo facit; facit enim in contemptum Dei, dum credit ſibi dictante conſcientiâ, hoc Deo diſplicere, quamvis Deo placeat. Hæc eo num. 19. Poſtmodum verò num. 20. ſubjungit: *Dico, quòd facere contra conſcientiam ſemper eſt peccatum, quia ſemper eſt in Dei contemptum; tamen facere ſecundùm conſcientiam, non ſemper eſt bonum, utpote cùm conſcientia dictat aliquid, quod eſt contra Deum. Unde hæc habet duas cauſas veritatis, facere contra conſcientiam eſt peccatum: aut quia conſcientia ligat ad illud faciendum, aut quia illud non poteſt bene fieri, tali conſcientiâ manente.*

42. Hinc ibi num. 21. adjungit: *Dicendum, quòd facere contra legem Dei, poteſt eſſe dupliciter, vel verè, vel interpretativè, ſive ſecundùm veritatem, ſive ſecundùm reputationem; & utroque modo eſt peccatum mortale: utroque enim modo contemnitur Deus. Et quamvis faciens contra conſcientiam, non ſemper faciat contra legem Dei ſecundùm veritatem; facit tamen vel ſecundùm veritatem, vel ſecundùm reputationem. Quia conſcientia eſt ſicut præco Dei, & nuntius; & quod dicit, non mandat ex ſe, ſed mandat quaſi ex Deo: ſicut præco, cùm divulgat edictum Regis. Et hinc eſt, quòd conſcientia habet virtutem ligandi in his, quæ poſſunt aliquomodo bene fieri.*

43. Ex dictis à ſe in quæſtione infert S. Doctor in fine, quòd *nemo ex conſcientia eſt perplexus, niſi ad tempus, videlicet quamdiu conſcientia manet: nec tamen eſt perplexus ſimpliciter pro eo, quòd debet illam conſcientiam deponere: Etſi neſcit per ſe de illa judicare, pro eo quod neſcit legem Dei, debet ſapientiores conſulere, vel per orationem ſe ad Deum convertere, ſi humanum conſilium deeſt; alioqui ſi negligens eſt, verificatur in eo, quod dicit Apoſtolus;* Qui ignorat, ignorabitur.

44. Quare iuxta S. Bonaventuram, quoties quis per conſcientiam erroneam exiſtimat, ſe eſſe obligatum ad faciendum illud ipſum, quod eſt malum, & lege Divinâ prohibitum, durante tali errore eſt, neceſſitatus ad peccandum. Hanc neceſſitatem Deus non poteſt homini imponere; ſed homo ſuâ culpâ poteſt in talem errorem incidere: qui licet minuat culpam, quæ ex tali errore contra legem fit, non tamen omnino tollit; & ideo tenetur homo illam conſcientiam deponere. Propterea idem S. Doctor in 2. diſt. 22. art. ult. quæſt. 3. circa finem ſic ſcribit; *Ignorantia Juris, aut eſt vincibilis, aut non vincibilis: ſi vincibilis, tunc eſt ignorantia, quæ eſt culpa. Et hæc aut eſt ex conſenſu vero, aut ignorantia affectata: & iſta ſic ex una parte excuſat, quòd ex alia parte magis aggravat. Aut eſt ex negligentia, & ignavia, ſicut ignorantia craſſa, & ſupina: & iſta ſi aliquo modo excuſet, non tamen ita excuſat, ut ſempiterno igne non ardeat, ſicut dicit Auguſtinus, & Magiſter in litera. Si autem ſit ignorantia invincibilis, hæc poteſt eſſe dupliciter, &c.* Et ſtatim explicat, quòd ſi ignorantia ſit omnino antecedens, & introducta in nobis ſine omni culpa, & privet ſimpliciter cognitione Juris, excuſat totaliter à culpa id, quod ex tali ignorantia contra legem fit.

45. Locus, quem ex Magiſtro citat, ita habet: *Eſt autem* (inquit Magiſter illâ diſt. 22.) *ignorantia triplex: eorum ſcilicet, qui ſcire nolunt, cùm poſſint; quæ non excuſat, quia & ipſa peccatum eſt. Et eorum, qui volunt, ſed non poſſunt; quæ excuſat, & eſt pœna peccati, non peccatum: & eorum, qui quaſi ſimpliciter neſciunt, non renuentes, vel proponentes ſcire; quæ neminem planè excuſat; ſed fortaſſe ut mitiùs puniatur.* Unde Auguſtinus ad Valentinum; *Eis aufertur excuſatio, qui mandata Dei non noverunt: quam ſolent habere homines de ignorantia. Et licet gravius ſit peccare ſcienter, quàm neſcienter, non ideo tamen confugiendum eſt ad ignorantiæ tenebras, ut in eis quiſquam excuſationem requirat. Aliud eſt enim neſciſſe, aliud ſcire noluiſſe; quia in eis, qui intelligere*

Digitized by Google

telligere noluerunt, ipſa ignorantia peccatum eſt: in eis verò, qui non potuerunt, pœna peccati. Ignorantia verò, quæ non eſt eorum, qui ſcire nolunt, ſed qui tamquam ſimpliciter neſciunt, nullum ſic excuſat, ut æterno igne non ardeat, ſed fortaſſe ut minùs ardeat. Non igitur mulier excuſationem habuit de ignorantia, cùm & mandatum noverit, & peccatum eſſe, ſecus agere, non ignoraverit.

46. Quare iuxta D. Bonaventuram cum Magiſtro ſententiarum, & cum D. Auguſtino, quoties quis per errorem culpabilem, in quem incidit ex negligentia addiſcendi legem, quam tenebatur ſcire, iudicat eſſe bonum, & iuxta legem Dei id, quod reipsâ malum, & contra legem Dei eſt, peccat, licet operetur iuxta conſcientiam: quia illa ipſa conſcientia erronea eſt peccatum. Idque dicunt omnes Scholaſtici ſcribentes ſuper illa Diſtinctione. Ergo à fortiori peccabit is, qui ſequitur opinionem minùs tutam, ſeu faventem libertati adversùs legem, quando iudicat, vel prudenter iudicare poteſt, eſſe falſam, eò quòd agnoſcit maius pondus authoritatis, & rationis pro parte contraria. Quia iſte operatur contra conſcientiam, & ſimul contra legem, ſi reipsâ illa opinio ſit falſa: ſi autem contingat eſſe veram, nihilominus peccat, quia operatur contra conſcientiam, & ſic contemnit Legislatorem. Vult enim ſequi opinionem faventem ſuæ libertati, quando nec iudicat, nec prudenter iudicare poteſt, eſſe veram: ſive ſit conformis, ſive ſit difformis legi Dei. Sicut contemnit Legislatorem, qui operatur contra conſcientiam erroneam, quâ ſibi perſuadet, eſſe malum, & prohibitum id, quod reipsâ eſt bonum, & lege Divinâ mandatum, vel ſaltem permiſſum.

§. V.

Probatur noſtra ſententia authoritate S. Bernardini Senenſis.

47. NOſtram etiam ſententiam tenet S. Bernardinus Senenſis, qui obiit an. 1443. & canonizatus eſt an. 1450. tom. 1. feria 2. poſt Dominicam Quinquageſ. ſer. 3. art. 3. de Fide neceſſaria Prælatis, & viris doctis cap. 1. in fine pag. mihi 20. ubi ſic ait: *Secundùm Scotum, & Oſtienſem, quando ſunt diverſa Jura, & opiniones, quæ tamen non ſunt contra Deum, & bonos mores, cæteris paribus humanior præferenda eſt, Extravag. de Feriis cap. Capellanus.* Ergo in iis, quæ ſpectant ad Fidem, & bonos mores, quando dantur opiniones contrariæ, pars tutior debet eligi, ſi meliori fundamento nitatur: ergo iuxta S. Bernardinum, non licet ſequi opinionem probabilem minùs tutam relictâ tutiore, quando hæc apparet operanti meliori nixa fundamento.

48. Eandem tenet eodem tom. 1. Dominicâ 2. Quadrageſ. ſerm. 17. in Proœmio col. 2. pag. 210. ubi ait: *Qui errat per ignorantiam Juris coram Deo minimè excuſatur; ſicut ſi errat Judex per ignorantiam, quæ ad officium ſuum ſpectat, promulgatque per ignorantiam ſententiam falſam, obligatur quidem homini illi, qui inde eſt læſus ad intereſſe: & ſic de ſingulis. Extravag. de Injuriis, & Damno dat. cap. Si culpa.* Ergo iuxta S. Bernardinum peccat, qui ſequitur ſententiam falſam circa Jus naturale attinens ad ipſum: ergo à fortiori peccat, eligens opinionem faventem libertati adversùs legem naturalem, quando veriſimilius ipſi eſt authoritate, & ratione, illam eſſe falſam, & legi Divinæ contrariam: quia tunc prudenter iudicare poterat, illam opinionem eſſe falſam; ac proinde eſſe malam, & contrariam legi naturali actionem, quam exercet. Unde ſi voluntariè ſuſpendit iudicium, ideo eſt, quia noluit intelligere, ut bene ageret; ac proinde eius ignorantia eſt affectata.

49. Quare contra Authores benignos, aſſerentes, poſſe quemlibet licitè ſequi ſententiam probabilem minùs tutam, quamvis iudicet, eſſe falſam, vel prudenter iudicare poſſit, eò quòd pro contraria agnoſcit eſſe plures, & graviores Authores, & validiora fundamenta rationis; fit invictum argumentum ex ſententia communi Theologorum, aſſerente, ignorantiam craſſam non ex-

Digitized by Google

cuſare à culpa actionem, quæ ex tali ignorantia fit contra Jus poſitivum, & à fortiori contra Jus naturale. Si enim Judex ex culpabili negligentia conſiderandi iura partium, antequam ferat ſententiam, per errorem culpabilem profert ſententiam falſam, peccat graviter, & tenetur ad reſtitutionem damni, ut definivit Gregorius IX. in cap. *Si culpa*, *de Injuriis*, *& Damno dato*, his verbis: *Si culpâ tuâ datum eſt damnum, vel injuria irrogata, ſeu aliis irrogantibus, opem fortè tuliſti, aut hæc imperitiâ tuâ, ſeu negligentiâ evenerunt; jure ſuper his ſatisfacere te oportet: neque ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti, ex facto tuo injuriam veriſimiliter poſſe contingere, vel jacturam.* Si, inquam, Judex proferens ſententiam falſam, & injuſtam, peccat, quamvis ipſe exiſtimet, illam ſententiam eſſe veram, & iuſtam; quando error ille eſt craſſus, proveniens ex negligentia culpabili; idque eſt in confeſſo apud Theologos, & Canoniſtas: ergo à fortiori peccat, qui ſequitur opinionem probabilem falſam contra Jus naturale, quando ipſe iudicat, vel prudenter iudicare poteſt, illam eſſe falſam. Quia tunc non ſolùm peccat contra legem, ſed contra conſcientiam, dictantem, illam actionem eſſe malam; cùm tamen in caſu antecedentis ſolùm peccet contra legem: ſiquidem Judex ille operatur tunc iuxta conſcientiam, dictantem, illam ſententiam eſſe veram, & iuſtam; quæ conſcientia ipſum non excuſat, quia continet errorem culpabilem, & craſſum, ortum ſcilicet ex negligentia ſtudendi, vel conſulendi doctiores, & peritiores.

50. Quamvis autem S. Bernardinus cum communi Doctorum doceat, Judicem, & Confeſſarium errantem circa ea, quæ ſcire tenetur, non excuſari, dum opinione falsâ exiſtimat, eſſe licitum, quod reipsâ eſt illicitum; tamen admittit, poſſe Confeſſarium habere ignorantiam probabilem ipſum excuſantem à culpa, dum motus authoritate alicuius magni Doctoris exiſtimat, eſſe licitum, quod reipsâ eſt illicitum. Nam eodem tom. 1. feriâ 5. poſt primam Dominicam Quadrageſ. ſerm. 15. cap. 3. art. 2. pag. 98. docet, Confeſſarium habere obligationem ſciendi, an ſint liciti, vel illiciti contractus Mercatorum, qui apud ipſum exponunt ſua peccata; & an Pœnitens teneatur, vel non teneatur ad reſtitutionem, an ſit, vel non ſit diſpoſitus ad Euchariſtiam. Redditque rationem: *Si enim* (inquit) *contingat licentiare non licentiandum*, (id eſt, dare facultatem accedendi ad Euchariſtiam ei, cui debebat negare) *quia fortè judicat licitum, quod illicitum eſt, tam Confeſſor, quàm Pœnitens in foveam cadunt: quia nimirum ille error eſt culpabilis ex parte Confeſſarii; & per hunc errorem ille eſt cauſa, ut Pœnitens accedat ad Euchariſtiam malè diſpoſitus; ac proinde tam Confeſſor ignorans, quàm Pœnitens incidunt in foveam peccati.* Et ſtatim ſubjungit: *Niſi forſan probabilis ignorantia excuſet illum, nimirum, quia habuit Doctorem aliquem authenticum, & famoſum, cujus innititur opinioni.* Quibus verbis admittit S. Bernardinus, contingere poſſe, ut Confeſſarius indoctus, motus authoritate alicuius inſignis Doctoris, exiſtimet bonâ fide, eſſe licitum id, quod reipsâ eſt illicitum. Videns enim tantum Doctorem fidenter hoc aſſerere inculpatè, credit ita eſſe. Quod nec prudenter, nec bonâ fide credere poſſet, ſi ſciret, alios Doctores, qui in ipſius æſtimatione ſunt maioris authoritatis, oppoſitum docere. Nemo enim bonâ fide credere poteſt, rem eſſe licitam, dum habet maius fundamentum ad credendum, eſſe illicitam. Unde ſi rem illicitam operaretur, innixus opinioni ſibi minùs veriſimili, quam falſam eſſe prudenter poteſt credere, malitia illa eſſet ipſi voluntaria, eique iure merito imputaretur.

§. VI.

Probatur noſtra ſententia authoritate S. Antonini.

51. EAndem ſententiam tenuit D. Antoninus (qui obiit an. 1459. ſeptuagenarius) part. 1. Summæ tit. 3. cap. 10. §. 10. iis verbis ſupra ſparſim citatis: *Qui agit ſcienter id, de quo*

Digitized by Google

quo dubitat eſſe mortale, permanente dubitatione, peccat mortaliter, etiamſi illud in ſe non eſſet mortale, ſumendo ſtrictè & propriè dubitationem &c. Sed ſi dubitet leviter quis, & per modum ſcrupuli, ſicut dubitat, ſeu formidat habens opinionem de aliquo; quia ita inhæret ipſi ſententiæ, ut formidet de oppoſita, ſic agendo contra tale dubium, non peccat, dum adhæret opinioni alicujus Doctoris, & habet rationes probabiles pro ipſâ magis, quàm pro oppoſitâ opinione, etiamſi opinio, quam tenet, non eſſet vera. Et hoc, niſi opinio ſumpta eſſet contra manifeſtum teſtimonium Scripturæ, vel determinationem Eccleſiæ. Talis enim non operatur in dubio, ſed ſecundùm opinionem probabilem. Et paulò poſt: *Notandum*, inquit, *quòd cum bonâ conſcientiâ poteſt quis tenere unam partem alicujus opinionis, & ſecundùm eam operari, ſecluſo ſaltem ſcandalo, quæ ſcilicet pars habeat pro ſe notabiles Doctores; dummodò talis opinio non ſit contra authoritatem expreſſam Sacræ Scripturæ, nec contra determinationem Eccleſiæ Catholicæ; & quòd etiam ex contrarietate talium opinionum, non inducatur ad dubitandum, ſed bonam ſibi conſcientiam, & credulitatem formet de eo, quod credit, tamquam de probabiliori parte. Et præcipuè quando quis adhibet diligentiam inquirendo, an licet, nec invenit aliquid, quod eum ſufficienter moveat ad hoc, ut ſit illicitum*: ideſt ad hoc, ut iudicet eſſe illicitum.

52. Ex his conſtat, iuxta D. Antoninum quoties eſt dubium, an aliquid ſit peccatum mortale, vel non; neminem poſſe ſequi partem faventem libertati adversùs legem, quin reſolvat dubium formando iudicium ſaltem opinativum, quòd res illa ſit licita, illudque formet vi majoris probabilitatis, ſeu veriſimilitudinis relucentis pro illâ parte. Quare Sanctus Antoninus clarè requirit ad uſum licitum partis minùs tutæ, quòd illa ſit vera, ideſt, quòd operans, credat, vel opinetur eſſe veram; quia dum credit, illam partem eſſe veram, ſeu opinatur, eſſe veram vi majoris probabilitatis eius, prudenter ſibi perſuadet, rem eſſe licitam; & ſic operans non operatur propriè cum dubio, an res ſit mala, ſed cum perſuaſione, quòd ſit bona; & quia hæc perſuaſio eſt ſolùm per modum opinionis, licet non excludat formidinem de oppoſito; nihilominus excludit dubium propriè tale, quod tunc datur, quando ſuſpenditur iudicium, nec intellectus adhæret uni parti potiùs, quàm alteri; illaque formido poteſt repelli tamquam ſcrupulus. Unde Sanctus Antoninus longè eſt à ſententia Doctorum benignorum, qui ad uſum licitum partis minùs tutæ, neque requirunt, quòd operans opinetur, eſſe veram, contenti ſolo eo, quòd ſciat eſſe probabilem; nec requirunt, quòd illa pars proponatur illi ut probabilior, quàm oppoſita, imo nec ut æquè probabilis: ſed ſatis illis eſt, quòd operans ſciat eſſe probabilem, quamvis ipſi appareat minùs veriſimilis, quàm contraria. Unde D. Antoninus tenet ſententiam moderatam, quam nos defendimus: docetque, opinionem, conceptam ex maiori probabilitate, afferre ſecum moralem certitudinem: ut cum ipſo explicuimus.

§. VII.

Quartum Caput idem probandi, quia Principes duplicis illuſtris Scholæ Thomiſticæ, & Scotiſticæ, nimirum Angelicus Doctor D. Thomas, & ſubtilis Doctor Scotus, cum ſuis antiquis diſcipulis, planè omnibus conſtanter docuerunt, omnes teneri ſequi partem tutiorem, quando eſt probabilior oppoſitâ, & etiam quando eſt æquè probabilis; numquam autem licere amplecti partem minùs tutam, niſi illa ſit manifeſtè probabilior parte tutiore. Idque docuerunt reliqui omnes antiqui Scholaſtici primi nominis, & Authores Summarum.

53. QUòd hoc docuerit S. Thomas, ſeorſim iam oſtendimus Diſſert. 9. Quòd autem omnes antiqui Thomiſtæ docuerint, neminem poſſe ſequi ſententiam minùs tutam in occurſu tutioris, niſi minùs tuta

Digitized by Google

ta videatur ipſi moraliter certa, vel ſaltem probabilior, & veriſimilior ſententiâ tutiore; evincunt Authores moderni hujus Sacræ Familiæ, præſertim Vincentius Baronius Tomo 2. Theologiæ Moralis diſp.1. ſect.1. art.2. §.1. & art.5. §. 3. pag. mihi 51. & Vincentius Contenſon in ſua Theologia Mentis, & Cordis lib.6.diſp.6.de Novello Probabilitatis Commento c.2. ſpecul. 1. in ſolidis Thomiſtarum Vindiciis. Julius Mercorus in Baſi Theologiæ Moralis par.2. art.21. & art.26.& Jacobus à S.Dominico in Compendiaria Theologiæ Moralis Explicatione,Appendice altera ſect.1.pag.169.

54. Quòd autem Subtilis Doctor Scotus eandem doctrinam tradiderit, probatur; quia ille expreſsè docet, in quęſtionibus dubiis videndum eſſe quęnam pars magis veritati appropinquet; & antequam aliquid aſſeratur, priùs attentè rem inſpiciendam eſſe, prout nimirum oportet, ad deprehendendam veritatem; & dum non apparet veritas in una parte magis, quàm in alia, ſuſpendendum eſſe judicium, & abſtinendum à re illa, de qua eſt controverſia, an ſit peccatum. Patet hoc ex 3.ſentent. diſt.25. quæſt. 1.§. *Dico tunc ad propoſitum*, ubi docet, viro ſimplici tutius eſſe nulli parti fidem dare, quando Doctores altercantur de aliquo,an ſit credendũ necne quidnam, donec conſtiterit, quòd Eccleſia ut verum admittat. *Si prædicatur* (inquit) *ſpecialiter in uno loco de novo, non eſt neceſſarium ſimplici credere illud, adhærendo illi firmiter tamquam vero; imò neceſſarium eſt magis illi non adhærere, quouſque ſciat, illud credi ab Eccleſia tamquam verum; & cùm hoc ſibi conſtiterit, tenetur illi firmiter adhærere.* Ut autem hoc explicet, utitur exemplo à moralibus petito: *Sicut in moralibus* (inquit) *quando ſunt altercationes de aliquo peccato, quando primò eſt morale, ut ſi unus peritus in ſcientia dicat, quòd non licet ſic mercari, & alius dicat quòd licet, tutius eſt non procedere ſic, nec ſic, ſed expectare quoaduſque pateat aliunde. Si enim ita eſſet, quod unus Doctor diceret, aliquem peccare mortaliter, niſi ſic faceret, & alius quòd peccaret, ſi ſic faceret; tunc ruſticus foret perplexus. Ideo bene videndum eſt in moralibus, antequam aliquid aſſeratur.*

55. En, Scotus dicit, in moralibus antequam aliquis aſſerat, aliquid eſſe licitum, rem eſſe attentè inſpiciendam, quando Doctores inter ſe opponuntur. At Probabiliſtæ, quando Doctores graves, & periti in ſcientia opponuntur inter ſe, & unus affirmat, aliquid eſſe licitum,alius negat; dicunt,poſſe unumquemque ſecurè ſequi, quod voluerit; quia quilibet ex illis facit opinionem probabilem. Rurſus, Scotus affirmat, ruſticum, qui in rebus moralibus non poteſt ſuo diſcurſu aſſequi, quid liceat, ſed debet credere peritis, manere dubium, quando videt Doctores graves invicem diffidentes; ac proinde non poſſe rem illam, de qua altercantur, an ſit licita, ſecurè exequi, donec veritas illi alio ex capite innoteſcat. At Probabiliſtæ dicunt,poſſe ſecurè exequi, & operari ſequendo ductum affirmantis,rem eſſe licitam; quia ille fallit opinionem probabilem. Rurſus, ſecundùm principia Subtilis Doctoris, quando concurrunt rationes probabiles pro utraque parte æqualiter moventes intellectum, debet homo manere dubius; nam illæ rationes æquales eodem modo comparantur reſpectu hominis penetrantis earum vim, ac comparantur duo viri ſapientes contraria enunciantes reſpectu ruſtiſti, qui unicè poteſt ſcire, quid liceat in contractibus, credendo peritis in arte. Ergo ſicut ruſticus in caſu æqualium Doctorum ſibi contradicentium manet dubius iuxta Scotum; ita manet dubius iuxta ipſum ille homo, cui proponuntur rationes contrariæ æqualiter moventes; ac proinde in tali caſu non poteſt amplecti partem benignam, quin peccet. At Probabiliſtæ eo ipſo, quòd adſint rationes ęquè probabiles pro utraque parte, dicunt, poſſe ſequi partem benignam citra omnem culpam. Ergo opponuntur Scoto in modo diſcurrendi.

56. Præterea Scotus in fine quæſtionis 2. in Prologum Libri Sententiarum oſtendit,ſacram doctrinam eſſe ſufficienter

ter traditam, etiamſi plurima apud Authores remaneant dubia, v.g. utrùm hoc, vel illud ſit peccatum, necne; docetque, partem tutiorem in dubio eſſe ſectandam; nimirum quando ob contrarietatem opinionum æqualiter veriſimilium, nequit intellectus determinare, in qua parte adſit veritas. Quem Scoti textum expendens Philippus Faber inſignis Scotiſta tract. de pœnit. diſp. 6. num. 463. aſſerit, Scotum velle, quòd probabilior opinio in dubiis locum habeat, & quòd poſſimus illam ſequi, ſicut faciendo contra illam quis peccat. Oppoſitum docent Probabiliſtæ: nam in dubio proveniente ex æqualitate opinionum, aſſerunt, liberum eſſe cuilibet partem minùs tutam eligere. Rurſus, affirmant, poſſe quem agere contra opinionem magis probabilem, & magis tutam, dummodò oppoſita ſit probabilis.

57. Audiamus ipſum Scotum loquentem in fine quæſtionis ſecundæ Prologi Sententiarum, ubi ſic inquit: *Multa in actibus humanis ſunt dubia, utrùm ſint peccata mortalia, etiam ſuppoſitis omnibus doctrinis Doctorum, & Expoſitorum: tamen non eſt dubia via ſalutis; quia à talibus tamquam periculoſis debet homo ſibi cavere, & ſe cuſtodire, ne, dum exponit ſe periculo, incidat in peccatum. Quod ſi noluerit quærere ſalutem, ſed non curando exponit ſe periculo, ubi fortè actus de genere ſuo eſt peccatum mortale, tamen peccabit mortaliter, ſeſe periculo exponendo.*

58. Audiamus etiam verba Philippi Fabri in tract. de Pœnit. diſp. 6. num. 46. ubi ita ſcribit: *Scotus q. 2. Prologi in Reſponſione ad ultimum argumentum principale advertit, multas veritates neceſſarias virtualiter tantùm contineri in Sacra Scriptura, ſicut concluſiones in principiis, circa quarum inveſtigationem, non eſt inutilis labor Expoſitorum, & Doctorum. Vult ergo Scotus, quòd in rebus dubiis locum habeat labor Doctorum, & Expoſitorum; ergo, quando Doctores docent, aliquam opinionem eſſe probabiliorem alterâ, etſi ſit minùs tuta, ſtandum eſt illi definitioni abſque periculo peccandi; alioqui ſi pars tutior ſemper eſſet amplexanda, non liceret umquam recurrere ad conſilium peritorum; unuſquiſque enim per ſe cognoſcit, quænam ſit pars tutior, & quæ minùs tuta. Hoc ipſum apertè tradit Scotus in 4. diſt. 11. qu. 6. ubi ait, quòd cum dubium ſit, an materia ex amido ſit conſecrabilis, & pars negativa ſit probabilior, non ſine peccato aliquis ſe exponit tali dubio. Vult ergo Scotus, quòd probabilior opinio in dubiis babeat locum, & quòd poſſimus illam ſequi, ſicut faciendo contra illam quis peccat. Hoc autem verum eſt tam de Literato, quàm de Illiterato.* Hactenus Faber. Qui hinc deducit, eum, qui ſequitur ſententiam minùs tutam quia agnoſcit eſſe probabiliorem, & ſibi probabiliter, & prudenter perſuadet, illam eſſe veram, non peccare, quia rationabiliter dubium deponit: *Tunc enim* (inquit) *non adeſt dubitatio, per quam exponamus nos periculo peccandi: illud enim periculum adeſt, quando adeſt dubitatio, non quando ablata eſt.*

59. Ex his eſt manifeſtum, Doctorem Subtilem ad uſum licitum partis minùs tutæ ſtantis pro libertate adverſùs legem requirere, quòd operans agnoſcat, illam eſſe probabiliorem; & reſolvat dubium, abſolutè, & determinatè judicando, illam eſſe veram, & actionem eſſe licitam. Videtur autem requirere, ut pars minùs tuta in ſe ſit probabilior, ſeu habeat pro ſe plures Authores graves, & eadem aliunde ita appareat veriſimilior operanti, ut ſine formidine prudenti judicet illam eſſe veram: ac proinde videtur requirere veriſimilitudinem notabiliter maiorem, quàm ſit veriſimilitudo partis tutioris. Niſi enim exceſſus veriſimilitudinis ſit notabilis, reſultabit formido prudens ne fortè illa actio ſit mala: operari autem cum hâc prudenti formidine, non videtur licitum. Etſi ergo ad uſum licitum partis minùs tutæ; non requiratur certitudo moralis ſimpliciter talis, ſeu omnimoda certitudo, requiritur tamen juxta Subtilem Doctorem certitudo aliqua, quæ nimirum ſolùm permittat exiguam formidinem, quæ poſſit prudenter tamquam ſcrupulus repelli, ſeu contemni.

Et

Digitized by Google

60. Et hanc ſententiam tamquam genuinam Scoti, præter Philippum Fabrum, & Antonium Cordubenſem in ſuo Quæſtionario Theologico Lib. 2. quæſt. 3. aſſert. 3. defendit Eminentiſs. Cardinalis de Lauræa Tom. 2. in 3. Sentent. diſp. 11. art. 4. num. 242. Item Reverendiſs. Fr. Antonius Mannarius in Opuſculo de Opinione Probabili apud P. Eſparzam in Appendice art.68. Item Antonius Cotonius Cathedræ Metaphyſicæ moderator in Univerſitate Patavina controv. 5. q. 5.

§. VIII.

Oſtenditur, Durandum convenire cum Scoto, & D.Thoma in eadem doctrina.

61. NOſtram ſententiam tenuit etiam Durandus, qui, ob celebritatem doctrinæ, meruit, ut in præcipuis Orbis Academiis fundata ſit Cathedra Durandi, ſimul cum Cathedrâ D. Thomæ, & Scoti. Hic autem Author, qui florebat anno 1320. paulò poſt Scotum obiiſſe dicitur anno 1308. ergo Durandus in 4. diſt. 17. qu. 13. quærit, utrùm qui confitetur ſine dolore, & propoſito emendationis, debeat iterum confiteri; & ait, duas eſſe opiniones: quarum una tenet, illam confeſſionem valere ad remiſſionem culpæ, licet pœnitens tunc non recipiat effectum Sacramenti, quia illum recipiet poſtea, recedente fictione: ſecunda verò tenet, talem confeſſionem eſſe penitus inutilem, & invalidam, & non valere ad remiſſionem peccati, etiam recedente fictione. Poſtquam autem utriuſque opinionis fundamenta retulit, ſic ipſe concludit: *Qui ſic confitetur, & de facto abſolvitur, tenetur eadem denuò confiteri, & de eis abſolvi. Nec eſt dubium, quin hæc opinio ſit ſecurior, quia confitendo iteratò, nullum periculum ſequitur, ſed maxima ſecuritas; qui autem omittit iterum confiteri, committit ſe dubio, quod eſt valde periculoſum in iis, quæ tangunt ſalutem vel damnationem*. Et poſtmodum adducit rationem, ob quam putat, poſſe ſententiam illam probabiliter ſuſtineri. At vero ſubiungit: *Illud tamen quod eſt tutius ſemper eſt tenendum*. Ergo Durandus ſentit, ad ſecuritatem conſcientiæ non ſufficere, quòd opinio minùs tuta ſit probabilis, ſi opinio tutior ſit æquè vel magis probabilis; ac proinde imponit obligationem ſequendi tutiorem, ſaltem ſi ſit probabilior, vel æquè probabilis, ac minùs tuta.

62. Idem Durandus in 2. diſt. 36. q. 5. quærit, *An conſcientia erronea liget?* Et num. 8. diſtinguit conſcientiam erroneam imputabilem, & non imputabilem: *qui aut eſt* (inquit) *error imputabilis, cuius ipſe errans eſt cauſa, vel occaſio; aut non eſt imputabilis, ſicut error, vel ignorantia circumſtantiæ particularis, adhibitâ debitâ diligentiâ, qualis fuit Jacob reſpectu Liæ*. Et mox ſubiungit. *Si non ſit imputabilis, non ligat, quin homo poſſit procedere ſecundùm conſcientiam ſic errantem, quia talis error excuſat; ut viſum eſt ſupra diſt. 22. q. 4.* In illâ autem quæſt. num. 6. hæc habet, *Ignorantia cauſalis* (ideſt antecedens) *aut eſt eorum, quæ non tenemur, aut non poſſumus ſcire, quæ dicitur invincibilis; aut eſt eorum, quæ poſſumus ſcire, & tenemur, quæ dicitur vincibilis. Prima omnino excuſat, ſi ſit invincibilis ſecundùm ſe, & ſecundùm cauſam ſuam; quod dico propter ebrium ex ebrietate peccantem, cuius ignorantia eſt invincibilis ſecundùm ſe, quia tunc non poteſt iudicare quid agendum ſit, vel non agendum: tamen non eſt invincibilis ſecundùm cauſam, quia potuit ſe non inebriare, & ita non ignorare; & ideo omnino non eſt excuſatus. Ignorantia autem vincibilis &c.* Hactenus Durandus.

63. Unde colligitur à fortiori iuxta hunc Authorem, neminem poſſe ſequi ſententiam minùs tutam, quando iudicare prudenter poteſt, illam eſſe falſam, & legi Divinæ contrariam. Si enim peccat iuxta Durandum, & iuxta veritatem, qui operatur ſecundùm conſcientiam erroneam culpabilem & voluntariam in cauſâ, quâ iudicat eſſe honeſtum illud, quod reverâ eſt intrinſecè in ſe malum; quamvis non poſſit poſito illo

illo

Digitized by Google

illo errore, & in ſenſu compoſito illius iudicare, illud obiectum eſſe malum; imò licet tunc non habeat potentiam proximam antecedentem, iudicandi eſſe malum; à fortiori peccabit, qui facit rem malam in inſtanti, in quo habet potentiam proximam antecedentem, ad iudicandum eſſe malam, eò quòd ipſi veriſimilius apparet authoritate, & ratione, rem eſſe malam. Deinde mens Durandi colligitur ex egregiâ illius doctrinâ in Præfatione ad quatuor Libros Sententiarum num. 12. ubi ita ſcribit: *Modus loquendi, ac ſcribendi in cæteris, quæ fidem non tangunt, eſt, ut magis innitamur rationi, quàm authoritati cuiuſcumque Doctoris quantumcumque celebris, vel ſolemnis; & parvi pendatur omnis humana authoritas; quando per rationem eluceſcit contraria veritas. Quamvis enim captivandus ſit intellectus noſter in obſequium Chriſti, & in his, quæ fidem tangunt, plus acquieſcere debeamus authoritati Sacræ Scripturæ, quàm cuicumque rationi humanæ, quia Divina notitia, quam exprimit Sacra Scriptura, plus excedit humanam notitiam, quàm humana notitia beſtialem; tamen omnis homo, dimittens rationem propter authoritatem humanam, incidit in inſipientiam beſtialem, ut comparatus ſit iumentis inſipientibus, & ſimilis factus ſit illis. Quis enim, niſi temerarius exiſtens, audeat dicere, quòd magis ſit acquieſcendum authoritati cuiuſcumque Doctoris, quàm authoritati Sanctorum Doctorum Sacræ Scripturæ, Auguſtini, Gregorii, Ambroſii, & Hieronymi, quos celebritate condignâ Sancta Romana Eccleſia ſublimavit? Et tamen Auguſtinus, inter Doctores celeberrimus, dicit de ſe ipſo, 3. de Trinit. circa principium:* Noli meis literis, quaſi Scripturis Canonicis inſervire: ſed in illis, & quod non credebas, cum inveneris, incunctanter crede: in iſtis autem, quod certum non habebas, niſi certum intellexeris, noli firmum retinere. *Et ad Vincentium Victorem Libro ſecundo:* Negare non poſſum, nec debeo, ſicut in ipſis maioribus, ita multa eſſe in opuſculis meis, quæ poſſunt iuſto iudicio, & nulla temeritate culpari. *Et recitantur iſtæ authoritates, cum pluribus aliis ad idem pertinentibus, diſt. 9. in Decretis. Ex quibus patet, quòd compellere, ſeu inducere aliquem ne doceat, vel ſcribat diſſona ab iis, quæ determinatus Doctor ſcripſit, eſt talem Doctorem præferre Sacris Doctoribus, præcludere viam inquiſitioni veritatis, & præſtare impedimentum ſciendi, & lumen rationis, non ſolùm occultare ſub modio, ſed comprimere violenter. Nos igitur plus rationi, quàm cuicumque authoritati humanæ conſentientes, nullius puri hominis authoritatem rationi præferimus, attendentes, quòd, omnibus exiſtentibus amicis, ſanctum eſt præhonorare veritatem, quam omnis terra invocat, Cælum etiam ipſum benedicit, benedictus Deus veritatis. Amen.*

64. Ex quibus Durandi verbis, conſtat, ubi diſputatur inter Doctores Catholicos, an aliquid ſit licitum, vel illicitum, nullaque eſt authoritas infallibilis Scripturæ, vel traditionis, vel definitionis Eccleſiæ pro alterutrâ parte, ſed authoritas purè humana Doctorum, quorum alii affirmant, alii negant, illorum ſententiam eſſe præferendam, quæ validiori fulcitur ratione; & in opinionibus quærendam eſſe *Veritatem*, & non ſiſtendum in qualicumque veritatis apparentiâ, ſeu veriſimilitudine, vel probabilitate: ac proinde illam opinionem eſſe præferendam, quæ validiori ratione probatur eſſe vera; atque adeo eſſe inordinatum ſequi illam opinionem, quæ magis apparet falſa, quàm vera, ſeu quam eſſe falſam, validiores ſuadent rationes, quàm ſint illæ, quæ ſuadent eſſe veram, quando illa eſt minùs tuta. (Nam ſi ſit tutior, laudabile erit, illam in praxi, ſeu in operando ſequi, quamvis ſit exiguè, & tenuiter probabilis.) Unde neceſſariò infertur, neminem juxta Durandum poſſe licitè ſequi ſententiam faventem ſuæ libertati adversùs legem, quando iudicat, vel prudenter iudicare poteſt, eſſe falſam; nec quando prudenter dubitat, an ſit vera, vel falſa; ſed dumtaxat, quando prudenter iudicat eſſe veram: quia tunc ſolùm verificatur, quòd illam ſequatur rationabiliter, nimirum ob

lim: mea verò nihil valet, ſi ille noluerit. Quæ eſt autem ſecuritas, fratres, vel mea, vel veſtra, niſi ut Domini juſſa intentè, diligenterque audiamus, & promiſſa fideliter expectemus?

29. Quæ verba expendens Eminentiſs. Cardinalis de Aguirre tom. 1. Theologiæ S. Anſelmi diſput. 2. num. 57. inquit: *Hæc audiant, & expendant, qui in rebus ſummi momenti, quales ſunt ad ſalutem æternam ſpectantes, & ad obſervantiam Divinæ legis, avidè exquirunt Doctores benignos, ut vocant, ſuæ cupiditati faventes. Quamvis enim ii procuratores ſecuritatem promittant, nullam præſtant: quoniam Dominus Judex eſt, & ſolis bis ſecuritatem ſpondet, qui ipſius juſſa intentè, diligenterque audiunt, & opere exequuntur.*

30. Quamvis autem Auguſtinus numquam doceat, licitum eſse ſequi opinionem faventem libertati, quam operans falſam eſse iudicat, vel iudicare poteſt; tamen ad uſum licitum opinionis favorabilis non requirit omnimodam certitudinem; ſed contentus eſt maiori probabilitate: ut conſtat ex tom. 6. lib. 1. de Adulterinis Conjugiis, cap. 26. Tempore Auguſtini diſputabatur, an eſsent baptizandi Catechumeni in mortis articulo conſtituti, ſi nullum poſsent dare iudicium, quòd baptizari vellent. Duplexque erat ſententia, altera negans, altera affirmans, licitum tunc eſse illis adminiſtrare Baptiſmum: hanc benignam, ut probabiliorem ſectatur Auguſtinus, quia iudicavit veram; quamvis oppoſitam non audeat ut improbabilem damnare; ſed ſolùm ut falſam, & ſibi non probatam rejicere; ſic enim ait: *Catechumenis ergo in hujus vitæ ultimo conſtitutis, ſi morbo, ſeu caſu aliquo ſic oppreſſi ſint, ut quamvis adhuc vivant, petere tamen ſibi Baptiſmum, vel ad interrogata reſpondere non poſſint; proſit eis, quòd eorum in vita Chriſtiana jam nota voluntas eſt, ut eo modo baptizentur, quomodo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit. Non tamen propterea debemus damnare eos, qui timidius agunt, quàm nobis videtur agi oportere.* Quare licet illa ſententia Auguſtino non probaretur, nec eſset ipſi probabilis practicè, & exercitè in ordine ad uſum, quaſi ipſe illâ licitè uti poſset: nihilominus cenſet, illam in ſe non eſse abſolutè deſtitutam omni probabilitate; quia eius Authores cum aliqua probabilitate illam defendebant. Sentit ergo Auguſtinus, eligendam eſse opinionem, quæ operanti poſt diligentem veritatis inquiſitionem apparet veriſimilior, & magis fundata.

31. Poſtquam autem Auguſtinus citata verba protulit, ſtatim adducit fundamentum, quo nitebantur, qui oppoſitum ſentiebant, nimirum deſumptum ex illis Chriſti verbis: *Nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos: Iſta namque verba Salvatoris referentes* (ſubdit Auguſtinus) *baptizare non audent eos, qui pro ſe reſpondere nequiverint, ne fortè contrarium gerant voluntatis arbitrium. Quod de parvulis dici non poteſt, in quibus adhuc rationis nullus eſt uſus.* Hanc ſententiam ut falſam rejicit Auguſtinus; quia *non ſolùm incredibile* (inquit) *eſt, neque in fine vitæ hujus baptizari catechumenum velle; verùm etiamſi voluntas ejus incerta eſt, multò ſatius eſt nolenti dare, quàm volenti negare: ubi, velit, an nolit, ſic non apparet, & tamen credibilius ſit, eum, ſi poſſet, velle ſe potiùs fuiſſe dicturum ea ſacramenta percipere, ſine quibus jam credidit, non ſe oportere de corpore exire.* Et ſubinde reſpondet ad argumentum petitum ex verbis Chriſti, *quia ſi Deus, ubi ait: Nolite ſanctum dare canibus; hoc quod iſti cavendum putant, vellet intelligi, non ille ſic traditori dediſſet, quod ille in ſuam perniciem, ſine culpa dantis, cum dignis indignus accepit.* Auguſtinus ergo amplexus eſt ſententiam benignam, quia probabilius, & credibilius ipſi fuit, & quaſi moraliter certum, Catechumenum in mortis articulo conſtitutum, petiturum fuiſse Baptiſmum, ſi poſset loqui. Et quamvis incertum omnino foret, an tunc haberet voluntatem recipiendi, vel potiùs nolitionem, docet Auguſtinus, ſatius eſse dare Baptiſmum internè repugnanti; quàm negare internè deſideranti, & volenti petere

Ba-

Digitized by Google

Baptiſmum, ſi poſset.

§. IV.

Tertium caput probandi, noſtram ſententiam eſſe probabiliorem ſententiâ benignâ; quia pro noſtra ſtant Doctores Theologi, qui floruerunt poſt Magiſtrum Sententiarum, quorum ſanctitatem Eccleſia declaravit: nullus autem Sanctus canonizatus allegatur pro contraria. Specialiter expenditur authoritas S. Bonaventuræ pro noſtra ſententia, & authoritas S. Bernardini, & S. Antonini.

32. MAgiſter Sententiarum, qui floruit anno 1145. fundavit methodum tradendi Theologiam Scholaſticam: quatuorque ipſius libros ſententiarum commentariis illuſtrârunt Alexander Alenſis, qui obiit anno 1245. & præceptor fuit S. Bonaventuræ, & S. Thomæ Aquinatis, & Albertus Magnus præceptor D. Thomæ, qui obiit ſex annis poſt diſcipulum ſuum, nempe 1280. item S. Thomas, & S. Bonaventura, qui obierunt an. 1274. Poſtquam ergo Theologia Scholaſtica florere cœpit, floruêre in Eccleſia Doctores ſanctiſſimi, qui noſtram ſententiam apertè docuerunt: præſertim S. Thomas, & S. Bonaventura. De S. Thoma ſeorſim ſupra Diſſertat. 9. oſtendimus, eum noſtram ſententiam apertè tradidiſſe multis locis, & docuiſſe, ad uſum licitum ſententiæ minus tutæ requiri, quòd operans ſibi perſuadeat ſine hæſitatione, & dubitatione illam eſſe veram, & legi æternæ conformem. Nunc id probandum de eius Collega, & Commagiſtro S. Bonaventura.

33. Hic autem eam docuit tom. 2. Opuſculorum pag. mihi 102. col. 2. id eſt, in opuſculo de Proceſſu Religionis proceſs. 5. cap. 3. ubi inquit: *Dubia interpretatio præcepti eſt periculoſa, ſicut pons ſemiputridus aquæ præcipitis, & profundæ, de quo dubium eſt, an ſub tranſeunte corruat, an ſubſiſtat. Velut ſi is, qui pro Chriſto majora certamina ſubire decrevit, & omnia reliquit in ſæculo, ſe periculo committeret pro modico motu propriæ voluntatis, vel pro parvo commodo in incerta opinione ſua, vel alterius. Ut ſi Deus approbet illam opinionem, euadat ſine lucro meriti, ſi autem reprobet eam, damnetur; maximè cùm tales opiniones quandoque periculoſiores ſunt, quàm apertæ tranſgreſſiones: quia ubi ſcit homo ſe delinquere, inde facilè corrigitur; ubi autem neſcit ſe peccare, & inſuper credit ſibi licere, inde nec in morte purè convertitur propter falſam ſpem, quòd fortè licuerit, vel minùs in eo peccaverit, baculo arundineo, & confracto innitens. Voluntas bona, & plana viâ regiâ, & ſecurâ debet incedere, & relictis dubietatum diverticulis, quaſi ſuſpectis latronum ſemitis, apertos, & tutos juſtorum calles ambulare, ne velut pœnitens boni inchoati, quærat diverticula declinandi de via perfectionis, in qua voverat ambulare. Quid enim eſt, unde omnes in damnationem incidimus, niſi talis dubia interpretatio præcepti Dei de ligno vetito? ubi callidus ſerpens perſuaſit mulieri, non ita ſtrictè, & ſimpliciter intelligendum illud præceptum eſſe, imò, quod ejus obſervatio nociva foret, ne fierent ſicut Dii, ſcientes bonum, & malum, & cujus tranſgreſſione, quamquam Deus ſic comminatus fuerat, nedum mortem corporis, ſed animæ mereretur. Credidit igitur inſipiens mulier falſò interpreti, & conſenſit ſuadenti, cui nequaquam conſenſiſſet, ſi conſilium ejus fallax, & inutile credidiſſet.* Hactenus ibi S. Doctor.

34. Ex cuius verbis videtur rectè colligi, neminem poſſe ſequi ſententiam minùs tutam relictâ tutiore, niſi certus moraliter ſit, illam eſſe veram; ac proinde non poſſe ſequi, quando opinativè ſolùm, & cum prudenti formidine partis oppoſitæ exiſtimat, rem eſſe licitam: quia timere tunc prudenter debet, ne forſan ſit illicita: ergo à fortiori, quando operans agnoſcit, duas eſſe ſententias æquè probabiles, alteram tutiorem ſtantem pro lege adversùs libertatem, alteram minùs tutam ſtantem pro libertate adversùs legem, non poteſt eligere minùs tutam, quia hoc foret ſe voluntariè exponere periculo magno violandi legem; tunc enim nimis caſuale foret reſpectu

ſpectu

ſpectu illius eligere opinionem veram; ſed re bene perpensâ debet manere dubius, an detur, vel non detur lex prohibens illam actionem; in quo dubio debet ab illa actione abſtinere, ne violet legem. Et quamvis tunc poſſet voluntas flectere intellectum ad opinandum, actionem illam non eſſe reipsâ prohibitam; tamen opinio concepta ex vi motivi non præponderantis motivo partis oppoſitæ, relinqueret magnam, & prudentiſſimam formidinem de malitia talis actionis, & operari cum hac formidine, virtualiter foret operari in dubio. Deinde multò magis à fortiori ſequitur, quòd iuxta D. Bonaventuram, quando opinio tutior eſt probabilior, idque ab operante cognoſcitur, non poteſt ille opinionem minùs tutam ſibi minùs veriſimilem amplecti.

35. Ex adductis verbis conſtat, quantum à Seraphici Doctoris mente diſtent, qui quoties dubitatur, an lex comprehendat talem, vel talem caſum, talem, vel talem actionem, ſatis habent ad deobligandum ab obſervatione legis, invenire aliquam veriſimilem interpretationem, & probabilem rationem, vi cuius veriſimile ſit legem tunc non obligare, quamvis veriſimilius, vel ſaltem æquè veriſimile ſit, talem legem tunc obligare. Ergo ſententia benigna, affirmans, licitum cuilibet eſſe amplecti ſententiam probabilem minùs tutam in occurſu tutioris, ſibi probabilioris, ſeu veriſimilioris, eſt contra S. Bonaventuram.

36. Eandem doctrinam habet idem Seraphicus Doctor in eodem Opuſculo proceſs. 6. cap. 28. pag. 115. Agens enim de gradibus obedientiæ, inquit: *Infimus obedientiæ gradus eſt, ex timore ſupplicii obedire, ſicut illi, qui tantùm obediunt ſuperioribus in iis, quæ præceptoriè juſſerint: ad alia verò tepidi ſunt, & negligentes; niſi in quantum vel communis conſuetudo tangit, vel pudoris manus impellit, vel timor temporalis caſtigationis. Sufficit iis, qui hujuſmodi ſunt, ut in peccatum mortale per inobedientiam non incidant, & damnationem non incurrant. Et tamen hoc eſt valde periculoſum in profeſſis obedientiam regularem: quia priuſquam diſcutiant, an teneantur facere quod jubetur, fortè mortalis inobedientiæ laqueum incidunt aliquando: ſicut qui nimis appropinquat præcipitio, ſubitò dum non cautè circumſpicit, in præceps labitur. Cum Deo autem diſputare velle ſtultum eſt, & quaſi velle convincere eum, ut non debeat judicare, hoc eſſe peccatum mortale, quod noſtra opinio non vult pro mortali habere. Sua exiſtimatio eſt regula juſtitiæ infallibilis, non noſtra anguloſa opinio, quam noſtram conſcientiam appellamus. Solis radius numquam facit angulum, ſemper directè in oppoſita ſibi ferit, ſiue in nobis appareat, ſive aliter exiſtimemus.* Hactenus S. Bonaventura. Quibus in locis licet in terminis non diſputet quæſtionem reflexam, an liceat ſequi opinionem probabilem minùs tutam, relictâ probabiliori, & tutiori; tamen ex eius doctrina liquidò conſtat, quòd, quando dubitatur an Deus aliquid prohibuerit, vel non, nullus excuſatur à peccato, ſi faciat id, quod reipsâ Deus prohibuit in circumſtantiis; in quibus potuit iudicare, Deum prohibuiſſe; quamvis ſequatur opinionem aliorum, vel etiam ſuam, quâ falsò exiſtimat, Deum non prohibuiſſe rem illam. Opinio enim hominum fallibilium, affirmantium, rem eſſe licitam, nequit ex mente Sancti Doctoris aſſumi, ut ſecura regula operandi ab homine, qui cognoſcit, opinionem oppoſitam eſſe vel magis, vel ſaltem æquè probabilem: quia tunc homo ille debet iudicare, rem illam eſſe malam; vel manere dubius, an ſit bona, vel mala; in utroque autem caſu tenetur ab actione illa abſtinere. Ergo ſententia benigna de uſu licito opinionis minùs tutæ, in occurſu tutioris, & probabilioris, eſt contra D. Bonaventuram.

37. Nec diſſimilia tradit in 4. diſt. 38. art. 2. quæſt. 3. in qua inquirit: *Utrum Summus Pontifex poſſit diſpenſare in voto.* Et refert duas opiniones; primam, quæ aſſerit, Papam poſſe diſpenſare in voto quatenus diſpenſatio dicit Juris relaxationem. Secundam, quæ negat, poſſe hoc pacto diſpenſare, & ſolùm admittit, poſſe diſpenſare, quatenus diſpenſatio dicit Juris declarationem. Et poſtquam retu-

lit

ſit primæ ſententiæ fundamentum: quia nimirum omnium voluntates eius ſubſunt authoritati, ac proinde omne votum imbibit tacitam conditionem, *niſi Dominus Papa de vovente aliter duxerit diſponendum.* Poſtmodum adducit fundamentum ſecundæ ſententiæ; & ſic concludit: *Et ideo alii dicunt, quòd Papa in nullo voto poteſt diſpenſare, ſecundùm quod diſpenſare, eſt Juris relaxatio: quia obligatio voti pendet ex Jure Divino, non humano: ex Jure naturali, non ex conſtitutione Patrum. Propterea Papa non habet poſſe, neque authoritatem in votum, relaxando Jus, quia illud non eſt ei ſubjectum; habet tamen poteſtatem quantùm Jus ſibi dat; & ideo diſpenſare poteſt, ſecundum quod diſpenſatio, eſt Juris declaratio: & hæc poſitio eſt rationabilior, & ſecurior, & quia per ipſam magis ſatiſfit conſcientiæ.*

38. Statim autem ſubjungit: *Ad intelligentiam quæſtionis nota, quòd vis obligationis voti conſtituitur ex duplici Jure naturali, ex hoc videlicet, quòd homo debet eſſe verax in promiſſo; & ex alio, quòd nihil debeat homo promittere, niſi ſalvâ ſuâ ſalute, & Divinæ Majeſtatis honore.* Unde infert: *Ergo ex Jure naturali eſt, quòd quis per votum non impediri debet, quin facere poſſit ſibi utilius, & ideo acceptabilius; & ideo in omni voto, quod recipit compenſationem majoris boni, ſive ſimpliciter, ſive pro loco, & tempore, Dominus Papa, cujus eſt jus dilucidare, poteſt diſpenſare. Et in hoc communiter omnes conveniunt; ſed diverſificantur penes modum diſpenſandi.* His poſitis, triplicem citat ſententiam. Prima eſt eorum, qui dicunt, nullum eſſe votum, quod pro loco, & tempore non poſſit recipere compenſationem; ac proinde nullum eſſe in quo non poſſit diſpenſare Pontifex. Secunda eſt eorum, qui hoc dicunt dumtaxat de voto continentiæ. Tertia eorum, qui hoc dicunt de voto Religionis. Ipſe verò relatis his opinionibus, ſubjungit: *Quæ iſtarum opinionum ſit verior, fateor me neſcire; & ſatis poteſt quælibet ſuſtineri: ideo nullam aſſero. Si quis tamen velit hanc ultimam acceptare, non occurrit ei inconveniens manifeſtum, ut dicatur: quia neque in omni, neque in nullo, ſed in quodam ſic, & in quodam non.*

39. Ex allegatis teſtimoniis conſtat, D. Bonaventuram docere, ex opinionibus contrariis præferendam eſſe ſecuriorem, quando eſt rationabilior, id eſt, validiori ratione fulcita. Quando verò ſunt opiniones probabiles, nec operanti exploratum eſt, quænam ſit ſecurior, nec illi occurrit ratio validior pro una, quàm pro alia; non debere unam præferre alteri: ſed ſatius tunc eſſe, ab aſſertione cuiuslibet abſtinere.

40. Deinde, quòd longè ſit à mente D. Bonaventuræ aſſerere, quòd quis poſſit ſententiam probabilem minùs tutam licitè ſequi; quamvis authoritate, & ratione veriſimilius ipſi ſit, eam eſſe falſam, & legi Divinæ contrariam, patebit conſideranti, quæ S. Doctor ex profeſſo docet in 2. diſt. 39. art. 1. quæſt. 3. in qua inquirit, *Utrùm teneamur ad omne illud, quod conſcientia dictat, eſſe neceſſarium ad ſalutem.* In qua quæſtione, ut patet ex concluſione, quæ præfigitur ſub titulo ipſius quæſtionis, docet, *Conſcientiam ligare ſemper* circa ea, quę ſunt *ſecundùm legem*; ſed circa ea, quæ ſunt *præter legem, ligare quamdiu manet:* quia *vel tenetur homo illam deponere, vel eam adimplere.* In iis, quæ ſunt contra legem Dei, *non ligare ad faciendum, vel non faciendum; ſed ad deponendum eam: cùm ſit conſcientia erronea repugnans legi Divinæ.* Animadvertit autem S. Doctor in reſponſione ad quæſtionem num. 19. ſe loqui hìc de dictamine per modum præceptionis, vel prohibitionis, non per modum conſilii, ſive perſuaſionis.

41. Quare cum conſcientia eſt erronea *errore repugnante* legi Divinæ, v. g. quando dictat eſſe bonum, & neceſſarium ad ſalutem illud ipſum, quod eſt malum (ut ſi dictaret, eſſe obligationem furandi ad dandum eleemoſynam, vel iurandi falſum, ad liberandum proximum à morte) non obligat ad faciendum, vel non faciendum, ſed ligat ad ſe deponendum. Redditque rationem: *Quod cùm talis conſcientia ſit erronea* (inquit) *errore repugnante legi Divinæ, neceſſariò quamdiu manet, ponit hominē extra*

Digitized by Google

tra ſtatum ſalutis; & ideo neceſſe eſt ipſam deponere; quia ſive homo faciat, quod dictat, ſive ejus oppoſitum, mortalitèr peccat. Si enim faciat, quod conſcientia dictat, & illud eſt contra legem Dei; & facere contra legem Dei ſit mortale peccatum, abſque dubio mortaliter peccat. Si verò faciat oppoſitum ejus, quod conſcientia dictat, ipsâ manente, adhuc peccat mortaliter; non ratione operis; ſed quia malo modo facit; facit enim in contemptum Dei, dum credit ſibi dictante conſcientiâ, hoc Deo diſplicere, quamvis Deo placeat. Hæc eo num. 19. Poſtmodum verò num. 20. ſubjungit: *Dico, quòd facere contra conſcientiam ſemper eſt peccatum, quia ſemper eſt in Dei contemptum; tamen facere ſecundùm conſcientiam, non ſemper eſt bonum, utpote cùm conſcientia dictat aliquid, quod eſt contra Deum. Unde hæc habet duas cauſas veritatis, facere contra conſcientiam eſt peccatum: aut quia conſcientia ligat ad illud faciendum, aut quia illud non poteſt bene fieri, tali conſcientiâ manente.*

42. Hinc ibi num. 21. adjungit: *Dicendum, quòd facere contra legem Dei, poteſt eſſe dupliciter, vel verè, vel interpretativè, ſive ſecundùm veritatem, ſive ſecundùm reputationem; & utroque modo eſt peccatum mortale: utroque enim modo contemnitur Deus. Et quamvis faciens contra conſcientiam, non ſemper faciat contra legem Dei ſecundùm veritatem; facit tamen vel ſecundùm veritatem, vel ſecundùm reputationem. Quia conſcientia eſt ſicut præco Dei, & nuntius; & quod dicit, non mandat ex ſe, ſed mandat quaſi ex Deo: ſicut præco, cùm divulgat edictum Regis. Et hinc eſt, quòd conſcientia habet virtutem ligandi in his, quæ poſſunt aliquomodo bene fieri.*

43. Ex dictis à ſe in quæſtione infert S. Doctor in fine, quòd *nemo ex conſcientia eſt perplexus, niſi ad tempus, videlicet quamdiu conſcientia manet: nec tamen eſt perplexus ſimpliciter pro eo, quòd debet illam conſcientiam deponere: Etſi neſcit per ſe de illa judicare, pro eo quòd neſcit legem Dei, debet ſapientiores conſulere, vel per orationem ſe ad Deum convertere, ſi humanum conſilium deeſt; alioqui ſi negligens eſt, verificatur in eo, quod dicit Apoſtolus:* Qui ignorat, ignorabitur.

44. Quare iuxta S. Bonaventuram, quoties quis per conſcientiam erroneam exiſtimat, ſe eſſe obligatum ad faciendum illud ipſum, quod eſt malum, & lege Divinâ prohibitum, durante tali errore eſt, neceſſitatus ad peccandum. Hanc neceſſitatem Deus non poteſt homini imponere; ſed homo ſuâ culpâ poteſt in talem errorem incidere: qui licet minuat culpam, quæ ex tali errore contra legem fit, non tamen omnino tollit; & ideo tenetur homo illam conſcientiam deponere. Propterea idem S. Doctor in 2. diſt. 22. art. ult. quæſt. 3. circa finem ſic ſcribit: *Ignorantia Juris, aut eſt vincibilis, aut non vincibilis: ſi vincibilis, tunc eſt ignorantia, quæ eſt culpa. Et hæc aut eſt ex conſenſu vero, aut ignorantia affectata: & iſta ſic ex una parte excuſat, quòd ex alia parte magis aggravat. Aut eſt ex negligentia, & ignavia, ſicut ignorantia craſſa, & ſupina: & iſta ſi aliquo modo excuſet, non tamen ita excuſat, ut ſempiterno igne non ardeat, ſicut dicit Auguſtinus, & Magiſter in litera. Si autem ſit ignorantia invincibilis, hæc poteſt eſſe dupliciter, &c.* Et ſtatim explicat, quòd ſi ignorantia ſit omnino antecedens, & introducta in nobis ſine omni culpa, & privet ſimpliciter cognitione Juris, excuſat totaliter à culpa id, quod ex tali ignorantia contra legem fit.

45. Locus, quem ex Magiſtro citat, ita habet: *Eſt autem* (inquit Magiſter illâ diſt. 22.) *ignorantia triplex: eorum ſcilicet, qui ſcire nolunt, cùm poſſint; quæ non excuſat, quia & ipſa peccatum eſt. Et eorum, qui volunt, ſed non poſſunt; quæ excuſat, & eſt pœna peccati, non peccatum: & eorum, qui quaſi ſimpliciter neſciunt, non renuentes, vel proponentes ſcire; quæ neminem planè excuſat; ſed fortaſſe ut mitiùs puniatur.* Unde Auguſtinus ad Valentinum; *Eis aufertur excuſatio, qui mandata Dei non noverunt: quam ſolent habere homines de ignorantia. Et licet gravius ſit peccare ſcienter, quàm neſcienter, non ideo tamen confugiendum eſt ad ignorantiæ tenebras, ut in eis quiſquam excuſationem requirat. Aliud eſt enim neſciſſe, aliud ſcire noluiſſe; quia in eis, qui in-*

telligere

Digitized by Google

telligere noluerunt, ipſa ignorantia peccatum eſt: in eis verò, qui non potuerunt, pœna peccati. Ignorantia verò, quæ non eſt eorum, qui ſcire nolunt, ſed qui tamquam ſimpliciter neſciunt, nullum ſic excuſat, ut æterno igne non ardeat, ſed fortaſſe ut minùs ardeat. Non igitur mulier excuſationem habuit de ignorantia, cùm & mandatum noverit, & peccatum eſſe, ſecus agere, non ignoraverit.

46. Quare iuxta D. Bonaventuram cum Magiſtro ſententiarum, & cum D. Auguſtino, quoties quis per errorem culpabilem, in quem incidit ex negligentia addiſcendi legem, quam tenebatur ſcire, iudicat eſſe bonum, & iuxta legem Dei id, quod reipsâ malum, & contra legem Dei eſt, peccat, licet operetur iuxta conſcientiam: quia illa ipſa conſcientia erronea eſt peccatum. Idque dicunt omnes Scholaſtici ſcribentes ſuper illa Diſtinctione. Ergo à fortiori peccabit is, qui ſequitur opinionem minùs tutam, ſeu faventem libertati adversùs legem, quando iudicat, vel prudenter iudicare poteſt, eſſe falſam, eò quòd agnoſcit maius pondus authoritatis, & rationis pro parte contraria. Quia iſte operatur contra conſcientiam, & ſimul contra legem, ſi reipsâ illa opinio ſit falſa: ſi autem contingat eſſe veram, nihilominus peccat, quia operatur contra conſcientiam, & ſic contemnit Legislatorem. Vult enim ſequi opinionem faventem ſuæ libertati, quando nec iudicat, nec prudenter iudicare poteſt, eſſe veram: ſive ſit conformis, ſive ſit difformis legi Dei. Sicut contemnit Legislatorem, qui operatur contra conſcientiam erroneam, quâ ſibi perſuadet, eſſe malum, & prohibitum id, quod reipsâ eſt bonum, & lege Divinâ mandatum, vel ſaltem permiſſum.

§. V.

Probatur noſtra ſententia authoritate S. Bernardini Senenſis.

47. NOſtram etiam ſententiam tenet S. Bernardinus Senenſis, qui obiit an. 1443. & canonizatus eſt an. 1450. tom. 1. feria 2. poſt Dominicam Quinquageſ. ſer. 3. art. 3. de Fide neceſſaria Prælatis, & viris doctis cap. 1. in fine pag. mihi 20. ubi ſic ait: *Secundùm Scotum, & Oſtienſem, quando ſunt diverſa Jura, & opiniones, quæ tamen non ſunt contra Deum, & bonos mores, cæteris paribus humanior præferenda eſt, Extravag. de Feriis cap. Capellanus.* Ergo in iis, quæ ſpectant ad Fidem, & bonos mores, quando dantur opiniones contrariæ, pars tutior debet eligi, ſi meliori fundamento nitatur: ergo iuxta S. Bernardinum, non licet ſequi opinionem probabilem minùs tutam relictâ tutiore, quando hæc apparet operanti meliori nixa fundamento.

48. Eandem tenet eodem tom. 1. Dominicâ 2. Quadrageſ. ſerm. 17. in Prooemio col. 2. pag. 210. ubi ait: *Qui errat per ignorantiam Juris coram Deo minimè excuſatur; ſicut ſi errat Judex per ignorantiam, quæ ad officium ſuum ſpectat, promulgatque per ignorantiam ſententiam falſam, obligatur quidem homini illi, qui inde eſt læſus ad intereſſe: & ſic de ſingulis. Extravag. de Injuriis, & Damno dat. cap. Si culpa.* Ergo iuxta S. Bernardinum peccat, qui ſequitur ſententiam falſam circa Jus naturale attinens ad ipſum: ergo à fortiori peccat, eligens opinionem faventem libertati adversùs legem naturalem, quando veriſimilius ipſi eſt authoritate, & ratione, illam eſſe falſam, & legi Divinæ contrariam: quia tunc prudenter iudicare poterat, illam opinionem eſſe falſam; ac proinde eſſe malam, & contrariam legi naturali actionem, quam exercet. Unde ſi voluntariè ſuſpendit iudicium, ideo eſt, quia noluit intelligere, ut bene ageret; ac proinde eius ignorantia eſt affectata.

49. Quare contra Authores benignos, aſſerentes, poſſe quemlibet licitè ſequi ſententiam probabilem minùs tutam, quamvis iudicet, eſſe falſam, vel prudenter iudicare poſſit, eò quòd pro contraria agnoſcit eſſe plures, & graviores Authores, & validiora fundamenta rationis; fit invictum argumentum ex ſententia communi Theologorum, aſſerente, ignorantiam craſſam non ex-

Digitized by Google

cuſare à culpa actionem, quæ ex tali ignorantia fit contra Jus poſitivum, & à fortiori contra Jus naturale. Si enim Judex ex culpabili negligentia conſiderandi iura partium, antequam ferat ſententiam, per errorem culpabilem profert ſententiam falſam, peccat graviter, & tenetur ad reſtitutionem damni, ut definivit Gregorius IX. in cap. *Si culpa, de Injuriis, & Damno dato*, his verbis: *Si culpâ tuâ datum eſt damnum, vel injuria irrogata, ſeu aliis irrogantibus, opem fortè tuliſti, aut hæc imperitiâ tuâ, ſeu negligentiâ evenerunt; jure ſuper his ſatisfacere te oportet: neque ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti, ex facto tuo injuriam veriſimiliter poſſe contingere, vel jacturam.* Si, inquam, Judex proferens ſententiam falſam, & injuſtam, peccat, quamvis ipſe exiſtimet, illam ſententiam eſſe veram, & iuſtam; quando error ille eſt craſſus, proveniens ex negligentia culpabili; idque eſt in confeſſo apud Theologos, & Canoniſtas: ergo à fortiori peccat, qui ſequitur opinionem probabilem falſam contra Jus naturale, quando ipſe iudicat, vel prudenter iudicare poteſt, illam eſſe falſam. Quia tunc non ſolùm peccat contra legem, ſed contra conſcientiam, dictantem, illam actionem eſſe malam; cùm tamen in caſu antecedentis ſolùm peccet contra legem; ſiquidem Judex ille operatur tunc iuxta conſcientiam, dictantem, illam ſententiam eſſe veram, & iuſtam; quæ conſcientia ipſum non excuſat, quia continet errorem culpabilem, & craſſum, ortum ſcilicet ex negligentia ſtudendi, vel conſulendi doctiores, & peritiores.

50. Quamvis autem S. Bernardinus cum communi Doctorum doceat, Judicem, & Confeſſarium errantem circa ea, quæ ſcire tenetur, non excuſari, dum opinione falsâ exiſtimat, eſſe licitum, quod reipsâ eſt illicitum; tamen admittit, poſſe Confeſſarium habere ignorantiam probabilem ipſum excuſantem à culpa, dum motus authoritate alicuius magni Doctoris exiſtimat, eſſe licitum, quod reipsâ eſt illicitum. Nam eodem tom. 1. feriâ 5. poſt primam Dominicam Quadrageſ. ſerm. 15. cap. 3. art. 2. pag. 98. docet, Confeſſarium habere obligationem ſciendi, an ſint liciti, vel illiciti contractus Mercatorum, qui apud ipſum exponunt ſua peccata; & an Pœnitens teneatur, vel non teneatur ad reſtitutionem, an ſit, vel non ſit diſpoſitus ad Euchariſtiam. Redditque rationem: *Si enim* (inquit) *contingat licentiare non licentiandum*, (id eſt, dare facultatem accedendi ad Euchariſtiam ei, cui debebat negare) *quia fortè judicat licitum, quod illicitum eſt, tam Confeſſor, quàm Pœnitens in foveam cadunt: quia nimirum ille error eſt culpabilis ex parte Confeſſarii; & per hunc errorem ille eſt cauſa, ut Pœnitens accedat ad Euchariſtiam malè diſpoſitus; ac proinde tam Confeſſor ignorans, quàm Pœnitens incidunt in foveam peccati.* Et ſtatim ſubjungit: *Niſi forſan probabilis ignorantia excuſet illum, nimirum, quia habuit Doctorem aliquem authenticum, & famoſum, cujus innititur opinioni.* Quibus verbis admittit S. Bernardinus, contingere poſſe, ut Confeſſarius indoctus, motus authoritate alicuius inſignis Doctoris, exiſtimet bonâ fide, eſſe licitum id, quod reipsâ eſt illicitum. Videns enim tantum Doctorem fidenter hoc aſſerere inculpatè, credit ita eſſe. Quod nec prudenter, nec bonâ fide credere poſſet, ſi ſciret, alios Doctores, qui in ipſius æſtimatione ſunt maioris authoritatis, oppoſitum docere. Nemo enim bonâ fide credere poteſt, rem eſſe licitam, dum habet maius fundamentum ad credendum, eſſe illicitam. Unde ſi rem illicitam operaretur, innixus opinioni ſibi minùs veriſimili, quam falſam eſſe prudenter poteſt credere, malitia illa eſſet ipſi voluntaria, eique iure merito imputaretur.

§. VI.

Probatur noſtra ſententia authoritate S. Antonini.

51. EAndem ſententiam tenuit D. Antoninus (qui obiit an. 1459. ſeptuagenarius) part. 1. Summæ tit. 3. cap. 10. §. 10. iis verbis ſupra ſparſim citatis: *Qui agit ſcienter id, de quo*

Digitized by Google

quo dubitat eſſe mortale, permanente dubitatione, peccat mortaliter, etiamſi illud in ſe non eſſet mortale, ſumendo ſtrictè & propriè dubitationem &c. Sed ſi dubitet leviter quis, & per modum ſcrupuli, ſicut dubitat, ſeu formidat habens opinionem de aliquo; quia ita inhæret ipſi ſententiæ, ut formidet de oppoſita, ſic agendo contra tale dubium, non peccat, dum adhæret opinioni alicujus Doctoris, & habet rationes probabiles pro ipſâ magis, quàm pro oppoſitâ opinione, etiamſi opinio, quam tenet, non eſſet vera. Et hoc, niſi opinio ſumpta eſſet contra manifeſtum teſtimonium Scripturæ, vel determinationem Eccleſiæ. Talis enim non operatur in dubio, ſed ſecundùm opinionem probabilem. Et paulò poſt: *Notandum*, inquit, *quòd cum bonâ conſcientiâ poteſt quis tenere unam partem alicujus opinionis, & ſecundùm eam operari, ſecluſo ſaltem ſcandalo, quæ ſcilicet pars habeat pro ſe notabiles Doctores; dummodò talis opinio non ſit contra authoritatem expreſſam Sacræ Scripturæ, nec contra determinationem Eccleſiæ Catholicæ; & quòd etiam ex contrarietate talium opinionum, non inducatur ad dubitandum, ſed bonam ſibi conſcientiam, & credulitatem formet de eo, quod credit, tamquam de probabiliori parte. Et præcipuè quando quis adhibet diligentiam inquirendo, an licet, nec invenit aliquid, quod eum ſufficienter moveat ad hoc, ut ſit illicitum*: ideſt ad hoc, ut iudicet eſſe illicitum.

52. Ex his conſtat, iuxta D. Antoninum quoties eſt dubium, an aliquid ſit peccatum mortale, vel non; neminem poſſe ſequi partem faventem libertati adversùs legem, quin reſolvat dubium formando iudicium ſaltem opinativum, quòd res illa ſit licita, illudque formet vi majoris probabilitatis, ſeu veriſimilitudinis relucentis pro illâ parte. Quare Sanctus Antoninus clarè requirit ad uſum licitum partis minùs tutæ, quòd illa ſit vera, ideſt, quòd operans, credat, vel opinetur eſſe veram; quia dum credit, illam partem eſſe veram, ſeu opinatur, eſſe veram vi majoris probabilitatis eius, prudenter ſibi perſuadet, rem eſſe licitam; & ſic operans non operatur propriè cum dubio, an res ſit mala, ſed cum perſuaſione, quòd ſit bona; & quia hæc perſuaſio eſt ſolùm per modum opinionis, licet non excludat formidinem de oppoſito; nihilominus excludit dubium propriè tale, quod tunc datur, quando ſuſpenditur iudicium, nec intellectus adhæret uni parti potiùs, quàm alteri; illaque formido poteſt repelli tamquam ſcrupulus. Unde Sanctus Antoninus longè eſt à ſententia Doctorum benignorum, qui ad uſum licitum partis minùs tutæ, neque requirunt, quòd operans opinetur, eſſe veram, contenti ſolo eo, quòd ſciat eſſe probabilem; nec requirunt, quòd illa pars proponatur illi ut probabilior, quàm oppoſita, imo nec ut æquè probabilis: ſed ſatis illis eſt, quòd operans ſciat eſſe probabilem, quamvis ipſi appareat minùs veriſimilis, quàm contraria. Unde D. Antoninus tenet ſententiam moderatam, quam nos defendimus: docetque, opinionem, conceptam ex maiori probabilitate, afferre ſecum moralem certitudinem: ut cum ipſo explicuimus.

§. VII.

Quartum Caput idem probandi, quia Principes duplicis illuſtris Scholæ Thomiſticæ, & Scotiſticæ, nimirum Angelicus Doctor D. Thomas, & ſubtilis Doctor Scotus, cum ſuis antiquis diſcipulis, planè omnibus conſtanter docuerunt, omnes teneri ſequi partem tutiorem, quando eſt probabilior oppoſitâ, & etiam quando eſt æquè probabilis; numquam autem licere amplecti partem minùs tutam, niſi illa ſit manifeſtè probabilior parte tutiore. Idque docuerunt reliqui omnes antiqui Scholaſtici primi nominis, & Authores Summarum.

53. QVòd hoc docuerit S. Thomas, ſeorſim iam oſtendimus Diſſert. 9. Quòd autem omnes antiqui Thomiſtæ docuerint, neminem poſſe ſequi ſententiam minùs tutam in occurſu tutioris, niſi minùs tuta

ta

ta videatur ipſi moraliter certa, vel ſaltem probabilior, & veriſimilior ſententiâ tutiore; evincunt Authores moderni hujus Sacræ Familiæ, præſertim Vincentius Baronius Tomo 2. Theologiæ Moralis diſp. 1. ſect. 1. art. 2. §. 1. & art. 5. §. 3. pag. mihi 51. & Vincentius Contenſon in ſua Theologia Mentis, & Cordis lib. 6. diſp. 6. de Novello Probabilitatis Commento c. 2. ſpecul. 1. in ſolidis Thomiſtarum Vindiciis. Julius Mercorus in Baſi Theologiæ Moralis par. 2. art. 21. & art. 26. & Jacobus à S. Dominico in Compendiaria Theologiæ Moralis Explicatione, Appendice altera ſect. 1. pag. 169.

54. Quòd autem Subtilis Doctor Scotus eandem doctrinam tradiderit, probatur; quia ille expreſsè docet, in queſtionibus dubiis videndum eſſe quenam pars magis veritati appropinquet; & antequam aliquid aſſeratur, priùs attentè rem inſpiciendam eſſe, prout nimirum oportet, ad deprehendendam veritatem; & dum non apparet veritas in una parte magis, quàm in alia, ſuſpendendum eſſe judicium, & abſtinendum à re illa, de qua eſt controverſia, an ſit peccatum. Patet hoc ex 3. ſentent. diſt. 25. quæſt. 1. §. *Dico tunc ad propoſitum*, ubi docet, viro ſimplici tutius eſſe nulli parti fidem dare, quando Doctores altercantur de aliquo, an ſit credendũ necne quidnam, donec conſtiterit, quòd Eccleſia ut verum admittat. *Si prædicatur* (inquit) *ſpecialiter in uno loco de novo, non eſt neceſſarium ſimplici credere illud, adhærendo illi firmiter tamquam vero; imò neceſſarium eſt magis illi non adhærere, quouſque ſciat, illud credi ab Eccleſia tamquam verum; & cùm hoc ſibi conſtiterit, tenetur illi firmiter adhærere.* Ut autem hoc explicet, utitur exemplo à moralibus petito: *Sicut in moralibus* (inquit) *quando ſunt altercationes de aliquo peccato, quando primò eſt morale, ut ſi unus peritus in ſcientia dicat, quòd non licet ſic mercari, & alius dicat quòd licet, tutius eſt non procedere ſic, nec ſic, ſed expectare quoaduſque pateat aliunde. Si enim ita eſſet, quod unus Doctor diceret, aliquem peccare mortaliter, niſi ſic faceret, & alius quòd peccaret, ſi ſic faceret; tunc ruſticus foret perplexus. Ideo bene videndum eſt in moralibus, antequam aliquid aſſeratur.*

55. En, Scotus dicit, in moralibus antequam aliquis aſſerat, aliquid eſſe licitum, rem eſſe attentè inſpiciendam, quando Doctores inter ſe opponuntur. At Probabiliſtæ, quando Doctores graves, & periti in ſcientia opponuntur inter ſe, & unus affirmat, aliquid eſſe licitum, alius negat; dicunt, poſſe unumquemque ſecurè ſequi, quod voluerit; quia quilibet ex illis facit opinionem probabilem. Rurſus, Scotus affirmat, ruſticum, qui in rebus moralibus non poteſt ſuo diſcurſu aſſequi, quid liceat, ſed debet credere peritis, manere dubium, quando videt Doctores graves invicem diſſidentes; ac proinde non poſſe rem illam, de qua altercantur, an ſit licita, ſecurè exequi, donec veritas illi alio ex capite innoteſcat. At Probabiliſtæ dicunt, poſſe ſecurè exequi, & operari ſequendo ductum affirmantis, rem eſſe licitam; quia ille fallit opinionem probabilem. Rurſus, ſecundùm principia Subtilis Doctoris, quando concurrunt rationes probabiles pro utraque parte æqualiter moventes intellectum, debet homo manere dubius; nam illæ rationes æquales eodem modo comparantur reſpectu hominis penetrantis earum vim, ac comparantur duo viri ſapientes contraria enunciantes reſpectu ruſtiſti, qui unicè poteſt ſcire, quid liceat in contractibus, credendo peritis in arte. Ergo ſicut ruſticus in caſu æqualium Doctorum ſibi contradicentium manet dubius juxta Scotum; ita manet dubius juxta ipſum ille homo, cui proponuntur rationes contrariæ æqualiter moventes; ac proinde in tali caſu non poteſt amplecti partem benignam, quin peccet. At Probabiliſtæ eo ipſo, quòd adſint rationes eque probabiles pro utraque parte, dicunt, poſſe ſequi partem benignam citra omnem culpam. Ergo opponuntur Scoto in modo diſcurrendi.

56. Præterea Scotus in fine quæſtionis 2. in Prologum Libri Sententiarum oſtendit, ſacram doctrinam eſſe ſufficienter

ter traditam, etiamſi plurima apud Authores remaneant dubia, v.g. utrùm hoc, vel illud ſit peccatum, necne; docetque, partem tutiorem in dubio eſſe ſectandam; nimirum quando ob contrarietatem opinionum equaliter veriſimilium, nequit intellectus determinare, in qua parte adſit veritas. Quem Scoti textum expendens Philippus Faber inſignis Scotiſta tract. de pœnit. diſp. 6. num. 463. aſſerit, Scotum velle, quòd probabilior opinio in dubiis locum habeat, & quòd poſſimus illam ſequi, ſicut faciendo contra illam quis peccat. Oppoſitum docent Probabiliſtæ: nam in dubio proveniente ex æqualitate opinionum, aſſerunt, liberum eſſe cuilibet partem minùs tutam eligere. Rurſus, affirmant, poſſe quem agere contra opinionem magis probabilem, & magis tutam, dummodò oppoſita ſit probabilis.

57. Audiamus ipſum Scotum loquentem in fine quæſtionis ſecundæ Prologi Sententiarum, ubi ſic inquit: *Multa in actibus humanis ſunt dubia, utrùm ſint peccata mortalia, etiam ſuppoſitis omnibus doctrinis Doctorum, & Expoſitorum: tamen non eſt dubia via ſalutis; quia à talibus tamquam periculoſis debet homo ſibi cavere, & ſe cuſtodire, ne, dum exponit ſe periculo, incidat in peccatum. Quod ſi noluerit quærere ſalutem, ſed non curando exponit ſe periculo, ubi fortè actus de genere ſuo eſt peccatum mortale, tamen peccabit mortaliter, ſeſe periculo exponendo.*

58. Audiamus etiam verba Philippi Fabri in tract. de Pœnit. diſp. 6. num. 46. ubi ita ſcribit: *Scotus q. 2. Prologi in Reſponſione ad ultimum argumentum principale advertit, multas veritates neceſſarias virtualiter tantùm contineri in Sacra Scriptura, ſicut concluſiones in principiis, circa quarum inveſtigationem, non eſt inutilis labor Expoſitorum, & Doctorum. Vult ergo Scotus, quòd in rebus dubiis locum habeat labor Doctorum, & Expoſitorum; ergo, quando Doctores docent, aliquam opinionem eſſe probabiliorem alterâ, etſi ſit minùs tuta, ſtandum eſt illi definitioni abſque periculo peccandi; alioqui ſi pars tutior ſemper eſſet amplexanda, non liceret umquam recurrere ad conſilium peritorum; unuſquiſque enim per ſe cognoſcit, quænam ſit pars tutior, & quæ minùs tuta. Hoc ipſum apertè tradit Scotus in 4. diſt. 11. qu. 6. ubi ait, quòd cum dubium ſit, an materia ex amido ſit conſecrabilis, & pars negativa ſit probabilior, non ſine peccato aliquis ſe exponit tali dubio. Vult ergo Scotus, quòd probabilior opinio in dubiis babeat locum, & quòd poſſimus illam ſequi, ſicut faciendo contra illam quis peccat. Hoc autem verum eſt tam de Literato, quàm de Illiterato.* Hactenus Faber. Qui hinc deducit, eum, qui ſequitur ſententiam minùs tutam quia agnoſcit eſſe probabiliorem, & ſibi probabiliter, & prudenter perſuadet, illam eſſe veram, non peccare, quia rationabiliter dubium deponit: *Tunc enim* (inquit) *non adeſt dubitatio, per quam exponamus nos periculo peccandi: illud enim periculum adeſt, quando adeſt dubitatio, non quando ablata eſt.*

59. Ex his eſt manifeſtum, Doctorem Subtilem ad uſum licitum partis minùs tutæ ſtantis pro libertate adversùs legem requirere, quòd operans agnoſcat, illam eſſe probabiliorem; & reſolvat dubium, abſolutè, & determinatè judicando, illam eſſe veram, & actionem eſſe licitam. Videtur autem requirere, ut pars minùs tuta in ſe ſit probabilior, ſeu habeat pro ſe plures Authores graves, & eadem aliunde ita appareat veriſimilior operanti, ut ſine formidine prudenti judicet illam eſſe veram: ac proinde videtur requirere veriſimilitudinem notabiliter maiorem, quàm ſit veriſimilitudo partis tutioris. Niſi enim exceſſus veriſimilitudinis ſit notabilis, reſultabit formido prudens ne fortè illa actio ſit mala: operari autem cum hâc prudenti formidine, non videtur licitum. Etſi ergo ad uſum licitum partis minùs tutæ; non requiratur certitudo moralis ſimpliciter talis, ſeu omnimoda certitudo, requiritur tamen juxta Subtilem Doctorem certitudo aliqua, quæ nimirum ſolùm permittat exiguam formidinem, quæ poſſit prudenter tamquam ſcrupulus repelli, ſeu contemni.

Et

Digitized by Google

60. Et hanc ſententiam tamquam genuinam Scoti, præter Philippum Fabrum, & Antonium Cordubenſem in ſuo Quæſtionario Theologico Lib. 2. quæſt. 3. aſſert. 3. defendit Eminentiſs. Cardinalis de Lauræa Tom. 2. in 3. Sentent. diſp. 11. art. 4. num. 242. Item Reverendiſs. Fr. Antonius Mannarius in Opuſculo de Opinione Probabili apud P. Eſparzam in Appendice art. 68. Item Antonius Cotonius Cathedræ Metaphyſicæ moderator in Univerſitate Patavina controv. 5. q. 5.

§. VIII.

Oſtenditur, Durandum convenire cum Scoto, & D. Thoma in eadem doctrina.

61. NOſtram ſententiam tenuit etiam Durandus, qui, ob celebritatem doctrinæ, meruit, ut in præcipuis Orbis Academiis fundata ſit Cathedra Durandi, ſimul cum Cathedrâ D. Thomæ, & Scoti. Hic autem Author, qui florebat anno 1320. paulò poſt Scotum obiiſſe dicitur anno 1308. ergo Durandus in 4. diſt. 17. qu. 13. quærit, utrùm qui confitetur ſine dolore, & propoſito emendationis, debeat iterum confiteri; & ait, duas eſſe opiniones: quarum una tenet, illam confeſſionem valere ad remiſſionem culpæ, licet pœnitens tunc non recipiat effectum Sacramenti, quia illum recipiet poſtea, recedente fictione: ſecunda verò tenet, talem confeſſionem eſſe penitus inutilem, & invalidam, & non valere ad remiſſionem peccati, etiam recedente fictione. Poſtquam autem utriuſque opinionis fundamenta retulit, ſic ipſe concludit: *Qui ſic confitetur, & de facto abſolvitur, tenetur eadem denuò confiteri, & de eis abſolvi. Nec eſt dubium, quin hæc opinio ſit ſecurior, quia confitendo iteratò, nullum periculum ſequitur, ſed maxima ſecuritas; qui autem omittit iterum confiteri, committit ſe dubio, quod eſt valde periculoſum in iis, quæ tangunt ſalutem vel damnationem*. Et poſtmodum adducit rationem, ob quam putat, poſſe ſententiam illam probabiliter ſuſtineri. At vero ſubiungit: *Illud tamen quod eſt tutius ſemper eſt tenendum*. Ergo Durandus ſentit, ad ſecuritatem conſcientiæ non ſufficere, quòd opinio minùs tuta ſit probabilis, ſi opinio tutior ſit æquè vel magis probabilis; ac proinde imponit obligationem ſequendi tutiorem, ſaltem ſi ſit probabilior, vel æquè probabilis, ac minùs tuta.

62. Idem Durandus in 2. diſt. 36. q. 5. quærit, *An conſcientia erronea liget?* Et num. 8. diſtinguit conſcientiam erroneam in imputabilem, & non imputabilem: *qui aut eſt* (inquit) *error imputabilis, cuius ipſe errans eſt cauſa, vel occaſio; aut non eſt imputabilis, ſicut error, vel ignorantia circumſtantiæ particularis, adhibitâ debitâ diligentiâ, qualis fuit Jacob reſpectu Liæ*. Et mox ſubiungit. *Si non ſit imputabilis, non ligat, quin homo poſſit procedere ſecundùm conſcientiam ſic errantem, quia talis error excuſat; ut viſum eſt ſupra diſt. 22. q. 4.* In illâ autem quæſt. num. 6. hæc habet, *Ignorantia cauſalis* (ideſt antecedens) *aut eſt eorum, quæ non tenemur, aut non poſſumus ſcire, quæ dicitur invincibilis; aut eſt eorum, quæ poſſumus ſcire, & tenemur, quæ dicitur vincibilis. Prima omnino excuſat, ſi ſit invincibilis ſecundùm ſe, & ſecundùm cauſam ſuam; quod dico propter ebrium ex ebrietate peccantem, cuius ignorantia eſt invincibilis ſecundùm ſe, quia tunc non poteſt iudicare quid agendum ſit, vel non agendum: tamen non eſt invincibilis ſecundùm cauſam, quia potuit ſe non inebriare, & ita non ignorare; & ideo omnino non eſt excuſatus. Ignorantia autem vincibilis &c.* Hactenus Durandus.

63. Unde colligitur à fortiori iuxta hunc Authorem, neminem poſſe ſequi ſententiam minùs tutam, quando iudicare prudenter poteſt, illam eſſe falſam, & legi Divinæ contrariam. Si enim peccat iuxta Durandum, & iuxta veritatem, qui operatur ſecundùm conſcientiam erroneam culpabilem & voluntariam in cauſâ, quâ iudicat eſſe honeſtum illud, quod reverâ eſt intrinſecè in ſe malum; quamvis non poſſit poſito

illo

Digitized by Google

illo errore, & in ſenſu compoſito illius iudicare, illud obiectum eſſe malum; imò licet tunc non habeat potentiam proximam antecedentem, iudicandi eſſe malum; à fortiori peccabit, qui facit rem malam in inſtanti, in quo habet potentiam proximam antecedentem, ad iudicandum eſſe malam, eò quòd ipſi veriſimilius apparet authoritate, & ratione, rem eſſe malam. Deinde mens Durandi colligitur ex egregiâ illius doctrinâ in Præfatione ad quatuor Libros Sententiarum num. 12. ubi ita ſcribit: *Modus loquendi, ac ſcribendi in cæteris, quæ fidem non tangunt, eſt, ut magis innitamur rationi, quàm authoritati cuiuſcumque Doctoris quantumcumque celebris, vel ſolemnis; & parvi pendatur omnis humana authoritas; quando per rationem eluceſcit contraria veritas. Quamvis enim captivandus ſit intellectus noſter in obſequium Chriſti, & in his, quæ fidem tangunt, plus acquieſcere debeamus authoritati Sacræ Scripturæ, quàm cuicumque rationi humanæ, quia Divina notitia, quam exprimit Sacra Scriptura, plus excedit humanam notitiam, quàm humana notitia beſtialem; tamen omnis homo, dimittens rationem propter authoritatem humanam, incidit in inſipientiam beſtialem, ut comparatus ſit iumentis inſipientibus, & ſimilis factus ſit illis. Quis enim, niſi temerarius exiſtens, audeat dicere, quòd magis ſit acquieſcendum authoritati cuiuſcumque Doctoris, quàm authoritati Sanctorum Doctorum Sacræ Scripturæ, Auguſtini, Gregorii, Ambroſii, & Hieronymi, quos celebritate condignâ Sancta Romana Eccleſia ſublimavit? Et tamen Auguſtinus, inter Doctores celeberrimus, dicit de ſe ipſo, 3. de Trinit. circa principium*: Noli meis literis, quaſi Scripturis Canonicis inſervire: ſed in illis, & quod non credebas, cum inveneris, incunctanter crede: in iſtis autem, quod certum non habebas, niſi certum intellexeris, noli firmum retinere. *Et ad Vincentium Victorem Libro ſecundo*: Negare non poſſum, nec debeo, ſicut in ipſis maioribus, ita multa eſſe in opuſculis meis, quæ poſſunt iuſto iudicio, & nulla temeritate culpari. *Et recitantur iſtæ authoritates, cum pluribus aliis ad idem pertinentibus, diſt. 9. in Decretis. Ex quibus patet, quòd compellere, ſeu inducere aliquem ne doceat, vel ſcribat diſſona ab iis, quæ determinatus Doctor ſcripſit, eſt talem Doctorem præferre Sacris Doctoribus, præcludere viam inquiſitioni veritatis, & præſtare impedimentum ſciendi, & lumen rationis, non ſolùm occultare ſub modio, ſed comprimere violenter. Nos igitur plus rationi, quàm cuicumque authoritati humanæ conſentientes, nullius puri hominis authoritatem rationi præferimus, attendentes, quòd, omnibus exiſtentibus amicis, ſanctum eſt præhonorare veritatem, quam omnis terra invocat, Cælum etiam ipſum benedicit, benedictus Deus veritatis. Amen.*

64. Ex quibus Durandi verbis, conſtat, ubi diſputatur inter Doctores Catholicos, an aliquid ſit licitum, vel illicitum, nullaque eſt authoritas infallibilis Scripturæ, vel traditionis, vel definitionis Eccleſiæ pro alterutrâ parte, ſed authoritas purè humana Doctorum, quorum alii affirmant, alii negant, illorum ſententiam eſſe præferendam, quæ validiori fulcitur ratione; & in opinionibus quærendam eſſe *Veritatem*, & non ſiſtendum in qualicumque veritatis apparentiâ, ſeu veriſimilitudine, vel probabilitate: ac proinde illam opinionem eſſe præferendam, quæ validiori ratione probatur eſſe vera; atque adeo eſſe inordinatum ſequi illam opinionem, quæ magis apparet falſa, quàm vera, ſeu quam eſſe falſam, validiores ſuadent rationes, quàm ſint illæ, quæ ſuadent eſſe veram, quando illa eſt minùs tuta. (Nam ſi ſit tutior, laudabile erit, illam in praxi, ſeu in operando ſequi, quamvis ſit exiguè, & tenuiter probabilis.) Unde neceſſariò infertur, neminem juxta Durandum poſſe licitè ſequi ſententiam faventem ſuæ libertati adverſùs legem, quando iudicat, vel prudenter iudicare poteſt, eſſe falſam; nec quando prudenter dubitat, an ſit vera, vel falſa; ſed dumtaxat, quando prudenter iudicat eſſe veram: quia tunc ſolùm verificatur, quòd illam ſequatur rationabiliter, nimirum ob

Digitized by Google

veritatem, quàm in illa eſſe ſibi perſuadet.

§. IX.

Oſtenditur, reliquos Scholaſticos antiquos & Authores Summarum, qui ſcripſerunt ante ann. 1577. noſtram ſententiam tradidiſſe.

65. De Seraphico Doctore Sancto Bonaventura, qui obiit anno 1274. iam id oſtendimus ſupra; nunc dicendum eſt de eius Præceptore Alexandro Alenſi, qui obiit 1245. Vir iſte doctiſſimus ſcripſit iuſſu Innocentii Papæ IV. Summam Theologiæ egregiam, & copioſiſſimam; inquit Bellarminus. Huius operis lectionem commendat S. Bernardinus Senenſis feria 5. poſt Dominicam in Quinquageſima Concione 3.ar.3.cap.1.pag.20. Siquidem inter Scripturas ab Eccleſia approbatas, poſt opera quatuor Doctorum, item poſt Opera Cypriani, Nazianzeni, Athanaſii, Baſilii, Proſperi, Leonis, & aliorum, & opera D. Bernardi, ponit Summam Theologicam huius Doctoris his verbis: *Item opus Alexandri de Ales de Ordine Minorum, quod fecit ſuper Magiſtro Sententiarum, de quo apparet Pariſiis in noſtro Conventu authentica Bulla*. Hic Doctor parte 2. Summ. q. 112. de Ignorantia octavo caſu. *Quæritur* (inquit) *de illo, qui dubitat de aliquo contractu, utrùm ſit Simoniacus, nec ne; eò quòd quidam Doctores dicunt eſſe Simoniacum, & quidam negant. Quid ergo ſit facturus, cùm ignoret? reſpondetur, ei abſtinendum eſſe ab hoc contractu, ne ſe committat diſcrimini. Melius enim eſt, ut incidat in damnum temporale, quàm in ſpirituale*.

66. Item Henricus de Gandavo, qui obiit anno 1296. ſiquidem quodlib. 4. quæſt. 33. ſic affirmat: *Si quis ſciat, tutiorem partem defendi à viris doctis, & probis, & ipſe aliàs ſit doctus, ſciatque inter opiniones diſcernere, & rationes, atque authoritates pro illâ parte eſſe efficaciores, non poſſe contra talem opinionem agere*: ſic teſtatur Salas 1.2.tract.8.diſp.vnic.ſect 5. nu.46. Et ut ait idem Salas ibidem ſect.6. num.61. clarè noſtram opinionem tenet Henricus quodlib.4.qu.3. docens, opinionem probabiliorem, ſi damnet actum, ſequendam eſſe.

67. P. Thomas Sanchez lib.1. Summ. cap.9. citat pro noſtrâ ſententiâ affirmante, non eſſe licitum ſequi opinionem minùs tutam, quando oppoſita eſt probabilior, Gabrielem in 4.diſt.15.q.8. art. 3. dub.2. in 3. probatione primæ concluſionis, D. Antoninum 1.p.tit.3.c.10. §.10.reg.4. Sylveſtrum verb. *Dubium* q.2. Conradum de Contract. tract.7. qu.110. concl.1. Navarrum in Summ. Hiſp. c.28. addit. ad num.283. cap.27. & Cordubam in ſuo Quæſtionario lib.2. q.2. Item Ludovicus Lopez in Inſtructorio Conſcientiæ cap. 120. concluſ.2. aiebat: *Scio, communem eſſe ſententiam Soti, Cordubæ, Caietani, Conradi, Navarri, tenentium, non ſatis eſſe probabilem opinionem ſequi; ſed probabiliorem eſſe ſectandam*. Et Pater Azor. tom. 1. lib.2. cap.16. §. *Secundò quæritur*, citat, ultra prædictos, pro noſtrâ ſententiâ Authorem, Armillæ, Almaynum, S. Thomam, Alexandrum, & Adrianum: quibus relatis, ſic concludit. *Quare horum omnium eſt aperta ſententia in agendo, quando ſunt opiniones, tutiorem partem eſſe eligendam; alioqui ſe obiiceret quis peccati periculo*. Unde manifeſtum eſt hos Doctores, noſtram hanc concluſionem apertè tradere; nimirum quando ſunt opiniones contrariæ, verſantes circa praxim, eſſe eligendam tutiorem, quando illa non ſolùm eſt tutior, ſed magis probabilis, magiſque fundata, quàm oppoſita, vel ſaltem æquè. Quamvis autem videantur exceſſiſſe, obligando ſemper ad partem tutiorem; tamen ut alibi expendimus, eorum mens non fuit obligare ſemper ad tutiorem; ſi enim ſententia favens libertati nititur fundamentis validioribus, & quę manifeſtè præeminent fundamentis oppoſitæ opinionis; tunc prudenter poſſumus illi ſententiæ adhærere; quia ſecurè, & firmiter iudicamus, eſſe veram: quamvis hic aſſenſus ſit dumtaxat opinativus, quia fundamenta non ſunt evidentia. Tuetur, præter relatos, noſtram ſententiam Maior q. 2. in Prologum 4. Sentent. ubi ait: *Teneatur pro*

de-

Digitized by Google

doctrinâ tamquam eſſet celte in ſilice ſculpta, quòd in viâ morum modus certior eſt tenendus, qui enim ſe exponit periculo peccati, peccat. Adrianus item, qui floruit an. 1500. & erat Doctor Lovanienſis, & poſtea aſſumptus eſt ad Pontificatum, in quo ſedit anno uno, menſibus octo, diebus 7. & obiit ann. 1523. Vir iſte eximius in Quodlibeticis Quæſtionibus quodlib. 3. quæſt. 2. in 3. puncto aſſerit: *Nulli licere agere id, de quo dubitat, an ſit mortale peccatum, ſi certus eſt, quòd oppoſitum agendo, non peccabit; quia nulli licet, magis velle ſervare amorem creaturæ, quàm Dei, ut patet ex præcepto diligendi Deum ſuper omnia.* Et propterea hos Authores P. Vazquez 1. 2. diſp. 62. num. 7. citat cum Conrado, & Corduba, ut manifeſtos patronos ſententiæ aſſerentis, cum opinio probabilior definit, aliquid eſſe peccatum, tunc eſſe ſequendam, & ſecundùm eam operandum. Eadem defendit Joannes Tabiena verbo *Opinio* n. 3. ubi ait: *In dubiis non generatur aliquod præiudicium veritati, quando inter diverſas opiniones, à Magiſtris approbatas, illam quis amplectitur, quæ ſibi videtur magis conſona rationi.* Item Baptiſta Trovamala in Summa, quam vocant Roſellam, verb. *Opinio* eandem tuetur ſententiam ſimul cum Monaldo, cuius verba refert, & approbat. *In dubiis* (inquit) *non generatur aliquod præiudicium veritati, cum inter diverſas opiniones, à Magiſtris approbatas, illam quis amplectitur, quæ ſibi videtur magis conſona rationi.* Idem tenet Angelus Clavaſius author Summæ Angelicæ verbo *Opinio* num. 2.

68. Item Joannes Nider, qui teſte Sixto Senenſi floruit ann. 1430. in Conſolatorio timoratæ conſcientiæ 3. p. c. 11. ubi hæc habet. *Dico cum Altiſſiodorenſi, quòd regula magiſtralis, videlicet; dubitans de aliquo, an ſit illicitum, & ſtante dubio, illud agens, peccat, quia diſcrimini ſe committit; intelligenda ſit de dubio tali, quod eſt vehemens, & magis, aut æquè inducit mentem, credere illicitum, ſicut quod eſt licitum. Secus enim eſt, ubi mens plus inclinatur, & iudicat, quod eſt licitum, quàm illicitum, quamvis non habeat uſquequaque certitudinem evidentem, aut fixam; quia nec hoc ipſum requiritur.* Et citat Monaldum, dicentem in Prologo ſuæ Summæ, non generari aliquod præiudicium veritati cum inter diverſas opiniones, illam quis amplectitur, quæ ſibi videtur magis conſona rationi. Citat etiam pro ſe Hubertum, Oſtienſem, Guillelmum gloſſatorem Raymundi, Albertum Magnum, Goffridum de Fontibus, Petrum de Palude, Joannem de Gambaco, Joannem de Erdembergh, & Gerſonem, cujus ferè verbis utitur.

69. Hic enim gravis Author, noſtram ſententiam expreſsè tenet in tract. de Præp. ad Miſſam conſid. 3. ubi hæc habet. *Non omnis ſcrupulus, aut dubitatio de peccato mortali impediunt celebrantis dignitatem: patet, quia certitudo moralis, qualem diximus conſiderat. 2. ſufficere, compatitur ſecum vacillationem quamdam animi, aut hæſitationem quamdam, vel ſuſpicionem, ſeu ſcrupulos, quòd homo non ſit ſufficienter diſpoſitus.* Et paulò poſt. *Si quis oppoſuerit, quòd dubitans de aliquo, an ſit illicitum, & ſtante dubio, illud agens, peccat, quia diſcrimini ſe ſcienter obiicit. Reſpondeo cum Altiſſiodorenſi, regulam hanc magiſtralem intelligendam eſſe de dubio tali, quod eſt vehemens & magis, aut ſaltem æquè inducit mentem, credere, quod eſt mortaliter illicitum, ſicut quòd eſt licitum. Secus eſt, ubi mens plus inclinatur, & iudicat, quòd eſt licitum, quàm illicitum; quamvis non habeat uſquequaque certitudinem evidentem, aut fixam: quia nec hoc ipſum requiritur.* Ita ille: quæ ſup. expendi.

70. Ex quibus apparet, fuiſſe fixum apud Theologos antiquos, quòd, quoties dubitatur, an aliquid ſit peccatum, non poſſit homo licitè operari, ſi pars ſuadens, actionem eſſe peccaminoſam, eſt probabilior, & veriſimilior, quàm pars benigna, vel ſaltem æquè veriſimilis: ac proinde conſtans fuit illorum ſententia, requiri ad licitè operandum, quòd pars benigna proponatur ut magis veriſimilis. Ubi autem pars benigna in probabilitate, & veriſimilitudine præeminet oppoſitæ, ſufficit ſecundùm Gerſonem ad moralem quamdam certitudinem; nam qui, omnibus inſpectis, cernit, probabilius eſſe, quòd ſit licita actio, iudi-

cium prudens elicit, quòd ſibi liceat operari: & hoc iudicio ſemel habito, ſecurè ad operandum procedit. Unde Gerſon loco iam citato ait; *Dicimus quòd probabilis certitudo ſufficiat in moralibus, ut non ſe exponat quis periculo: ut dicunt Doctores de celebrante Miſſam, & ſimilibus, ubi requiritur ſtatus gratiæ, quod ſufficit probabilis coniectura. Quia certitudo alia ſine revelatione non habetur, prout in moralibus dicit Ariſtoteles, ſumendam eſſe certitudinem groſsè, & figuraliter. Quia certitudo non removet in una parte omnem probabilitatem, vel opinionem alterius partis, licet magis declinèt ad iſtam, vel ad aliam; quod ſufficit.*

71. Teſtimonia iſta tot antiquorum Theologorum, qui tam uniformiter in materiâ tam neceſſariâ ad animarum ſalutem tenuerunt, numquam eſſe licitum ſequi ſententiam minùs tutam faventem libertati adversùs legem, niſi vel illa ſit certa moraliter, vel ſaltem probabilior, quàm oppoſita, eſt magnum argumentum veritatis: quia hanc doctrinam acceperant à Patribus, & maioribus per traditionem, neque inter illos audita fuerat doctrina contraria benigna. Nec credibile eſt, Deum permiſſurum, ut omnes Doctores, qui per tot ſæcula doctrinam morum expoſuerunt, traderent hanc doctrinam ſeveram, ſi falſa foret; ſic enim omnes convenîſſent in imponendo onere gravi ſuper humeros hominum, quod Deus non impoſuit; quod videtur incredibile: quia Deus non poteſt permittere, ut omnes omnino Doctores, & Magiſtri Eccleſiæ per multos annos, imò & per multa ſæcula doctrinam falſam tradant, tamquam regulam neceſſariam ad bene operandum.

§. X.

Quintum Caput probandi, noſtram ſententiam eſſe probabiliorem; quia pro illa ſunt manifeſti textus Juris Canonici: nullus autem allegari poteſt pro ſententia benigna, aſſerente, licitum eſſe ſequi ſententiam probabilem minùs tutam, quam operans iudicat, vel prudenter iudicare poteſt, falſam eſſe.

72. Quòd pro noſtra Sententia ſint eiuſmodi textus; patet à Diſſertatione X. cap. 1. §. 5. 14. & 17. & ex Diſſertat. XII. §. 6. ubi eos produximus. Hinc Paulus Comitolus in Reſponſis Moralibus lib. 5. q. 15. meritò dixit; *In Romanorum Pontificum Reſponſis, illud animadvertas, cum de eadem re duas contrarias ſententias explicarint, eos probabiliores ſemper eſſe complexos.*

73. Quod confirmatur ex Capite *Exivi* in Clementina *de Verborum ſignificatione*; ubi cum Fratres Minores interrogaviſsent Clementem V. an tenerentur ex vi præcepti ad nonnulla, quæ continebantur in Regula ſub verbo imperativi modi, Pontifex reſpondit: *Nos itaque qui in ſinceris horum conſcientiis delectamur, attendentes, quòd in iis, quæ ad animæ ſalutem reſpiciunt, ad vitandos graves remorſus conſcientiæ, pars ſecurior eſt tenenda: dicimus, quòd licet Fratres non ad omnium, quæ verbis imperativi modi ponuntur in Regula, ſicut ad præceptorum, ſeu præceptis æquipollentium obſervantiam teneantur; expedit tamen ipſis Fratribus, ad obſervandam puritatem regulæ, & rigorem, quòd ad ea ſicut ad æquipollentia præceptis ſe noverint, obligatos, quæ hic inferiùs notantur.*

§. XI.

Sextum Caput probandi, noſtram ſententiam eſſe probabiliorem, quia Cardinalis Pallavicinus ſententiam oppoſitam, quam priùs tenuerat, & typis vulgaverat; retractavit, & noſtram amplexus eſt, poſtquam eius ſolida fundamenta ritè expendit: & ſimile quid accidit Cardinali de Aguirre, aliiſque multis.

74. Cardinalis Sfortia Pallavicinus in Tomo de Actibus humanis, Diſp. 9. q. 4. art. 4. pag. 299. id eſt in fine illius Tomi, docuit cum ſententia communi inter Doctores huius ſæculi, poſse hominem in operando ſequi ſententiam minùs tutam, ſibique minùs veriſimilem, dummodo ſciat, eſse

in

Digitized by Google

in ſe abſolutè probabilem, relictâ tutiore,& ſibi veriſimiliore.Supponit hic Author, impoſſibile omnino eſſe, ut intellectus aſſentiatur ut veræ, opinioni ſibi minùs veriſimili; ac proinde ſupponit, tunc vel præſtiturum aſſenſum parti tutiori,ſibi magis veriſimili, iudicando, ſpeculativè contractum aliquem v.g. eſſe malum & prohibitum, vel ſuſpenſurum illum aſſenſum ex imperio voluntatis. Nihilominus contendit, in utroque caſu, poſſe me formare dictamen practicum conſcientiæ rectum, quòd mihi hic,& nunc liceat exercere illum contractum, quem vel per principia intrinſeca iudico, eſſe malum; vel ſaltem non poſſum iudicare, eſſe honeſtum,& licitum;quia non poſſum aſſentiri ut veræ opinioni mihi minùs veriſimili. Redditque rationem; *Quia cùm videam* (inquit) *multos homines prudentes exiſtimaturos, non dari obligationem* (abſtinendi ab illo contractu) *atque adeo licitè operaturos, perinde ac ſi nulla eſſet obligatio; non eſt rationi conſonum, nec expedit Reipublicæ, ut ego ex mea peculiari opinione ſim obligatus ad id, ad quod alii non tenentur. Lex enim debet eſſe communis, & ex æquo obligans omnes, quibus proponuntur eadem motiva obligationis, ut in Republica ſit uniformitas operandi.*

75. Hanc Cardinalis rationem infra Diſſertatione 14.cap. 3. latiùs impugnabo, & ſolvam: quia vel nihil probat, vel nimiùm probat. Probat enim ſimiliter, non peccaturum Doctorem particularem, qui ob ſingularem ingenii perſpicaciam invenerit rationem, quæ ipſi evidens appareret ad probandum, contractum aliquem eſſe illicitum, quem ſententia probabilis communis gravium Doctorum licitum eſſe affirmat; non peccaturum, inquam, quamvis iudicio ſpeculativo ſibi evidenti iudicaret,illum contractum eſſe malum; quia per reflexionem, ob authoritatem Doctorum ſententiæ communis contrariæ, poſſet formare dictamen, quòd ſibi liceat hic, & nunc talem contractum exercere; ne ſcientia propria redderet illum deterioris conditionis, quàm ſint alii homines non ita perſpicaces.

76. Cæterùm Eminentiſſimus iſte Vir,poſtea re meliùs conſiderata,ſententiam mutavit, ut apparet ex variis eius Epiſtolis. Et omnino ſtatuerat,ſcriptionem aliquam facere, in qua priorem ſuam ſententiam publicè retractaret; ut teſtatus eſt P. Nicolaus Maria Pallavicinus noſtræ Societatis, olim in Collegio Romano Primarius Theologiæ Scholaſticæ Profeſſor, ſubinde in eodem Collegio Præfectus Generalis Studiorum,poſtea verò ex nominatione Innocentii XI. Theologus Pœnitentiariæ, Examinator Epiſcoporum,& Sancti Officii Qualificator, Romæ, totique Italiæ libris editis notus. Is à me de hoc rogatus, quod ſequitur teſtimonium, manu propriâ ſcriptum, mihi tradidit die 29. Martii 1692. *Eminentiſſimus* (inquit) *Cardinalis Pallavicinus anno ferè ante mortem, dixit mihi, ſibi eſſe fixum relinquere poſt ſe ſcripturam, in qua retractare intendebat ea, quæ ſcripſerat in libro de Actibus Humanis, nempe poſſe quempiam practicè ſequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, relictâ probabiliori: imò ſibi fixum omnino eſſe, unumquemque teneri, ſequi ſententiam illam, quam putat eſſe veram, neque poſſe ullatenus conformari ſententiæ, quam putat eſſe falſam. Hæc olim Patri Nicolao Pallavicino affirmabat Cardinalis Sfortia.* Hactenus P. Nicolaus Maria Pallavicinus in ſcripto, manu ſuâ exarato. Obiit autem Cardinalis Pallavicinus die 4. Junii an. 1667. unde illam retractationem fecit Cardinalis an. 1666. Ipſe verò P. Nicolaus,qui hoc teſtimonium dedit, piè obiit in Collegio Romano 15. Decembris anni proximè præteriti 1692.

77. Hinc validum conficitur argumentum pro maiori probabilitate, & veritate ſententiæ moderatæ, quam defendimus.Si enim tantus Vir,tam ſubtili, & profundo ingenio præditus, qui doctrinam benignam ſemper ſecutus fuerat, & typis vulgaverat, eam deſeruit, publicè retractaturus,victus pondere argumentorum, quæ contra illam militant, ſignum hoc eſt falſitatis ſententiæ benignæ, quam deſeruit, & veritatis ſententiæ

Digitized by Google

tentiæ moderatæ, quam amplexus eſt.

78. Quod accidit Cardinali Pallavicino, & ſibi accidiſſe ſæpe mihi teſtatus eſt, Cardinalis de Aguirre. Priùs enim per multos annos ſecutus eſt ſententiam benignam de uſu licito opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ in occurſu tutioris, & operanti probabilioris, ſeu veriſimilioris, nihil ambigens de eius veritate. At poſtquam animum applicuit huius controverſiæ ſtudio, eam falſam eſſe comperuit, & oppoſitam doctrinam, ut ſibi certam, amplexus eſt, tom. 1. Theolog. S. Anſelmi diſput. 2. ſect. 6. Idque ipſum mihi accidit, aliiſque multis.

79. Quod mihi ſæpe verbis conteſtatus eſt Eminentiſſimus Cardinalis de Aguirre, id ipſum literis conſignavit in Præfatione ad Tomos Conciliorum Hiſpaniæ, ſeu in ratione operis ad lectorem pium, & eruditum, ac Sacrorum Canonum, & Eccleſiaſticæ Diſciplinæ ſtudioſum. Poſtquam enim longum Catalogum contexuit Authorum, & Epiſcoporum, qui ſententiam benignam Probabiliſtarum in hoc ſæculo impugnârunt, ſubdit pag. 6. num. 31. *Ab iis præſtantiſſimis Epiſcopis, & Scriptoribus variis inſtructus, paucis poſt annis cœpi dubitare de ſecuritate illa, quam nobis plurimi alii pollicebantur in uſu opinionum quarumlibet probabilium. Eò uſque enim communi ferè ſenſu, aut præjudicio abductus, in Probabiliſmo, veluti in pulvino, molliter quieſcebam, & plerumque ſtudium meum (ita ingenuè fateor) ſitum erat in examinando potiùs, an aliquid eſſet probabile, quàm in inveſtigando, an eſſet verum. Detectâ enim probabilitate, nullatenus dubitabam, me poſſe illud in praxi ſequi, aut aliis conſulere. Unde & in Theologia Florulenta, quam edidi Salmanticæ anno* 1667. *Ludo V. præſertim à num.* 70. *uſque ad* 98. *tota mihi cura fuit in examinandis conditionibus opinionis ab uno Doctore pio, & docto traditæ adverſùs communem aliorum, neceſſariis, ac ſufficientibus, ut illa probabilis cenſeatur. Hoc enim ſemel ſtatuto, non dubitabam, licitum eſſe ipſius uſum, adbuc poſtquam Alexander VII. anno* 1666. *damnaverat XLV. Propoſitiones, & in iis illam numero viceſimam ſeptimam*, Si liber ſit alicuius iunioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis; dum non conſtat, reiectam eſſe à Sede Apoſtolica ut improbabilem. *Hanc ipſam theſim, per ſe ſpectatam, ibidem latè impugnavi, ſicuti & nimiam licentiam opinandi circa doctrinam morum: quam in rem memoravi num.* 79. *ea ferè ipſa, quæ paulò antea protuli de Illuſtriſſimis Epiſcopis Calaguritano, Oxomenſi, & Placentino.*

80. *Nec proceſſi ulteriùs ad quærendum, an dato, quòd opinio aliqua ſit probabilis, liceat omnino illam ſequi in praxi, aut aliis conſulere, relictâ probabiliore, aut tutiore. De hoc enim nemo tunc Salmanticæ dubitabat, uſque adeo invaluerat Probabiliſmus ibidem, quamvis paulò antea Magiſter Joannes Martinez de Prado, & Vincentius Baronius, ambo Dominicani, ſcriptis editis impugnâſſent longè, ac latè Caramuelem, & rejeciſſent uſum opinionis minus probabilis, faventis libertati, in concurſu probabilioris, ſtantis pro præcepto. Nulla enim ferè ratio utriuſque laudati Scriptoris babebatur in ea parte, ob multitudinem innumerabilium aliorum liberiùs ſcribentium: ut poſſent ii dicere cum Poeta:* Obruimur numero.

81. *Cœpi itaque rem maturiùs examinare ab anno circiter* 1671. *uſque modò, lectis, ac relectis, ultra prædictos, plurimis Authoribus recentibus, qui binc, & inde controverſiam hanc graviſſimam profligârunt ex inſtituto. Deprebendi verò ingens periculum ſalutis in ſectando, aut conſulendo aliis Probabiliſmo, ſive uſu cujuslibet opinionis minùs probabilis, faventis libertati, in concurſu alterius probabilioris, adbærentis præcepto. Idem mibi altè inſedit, ubi utraque apparet probabilis æquè, aut circiter. Manet enim adbuc res verè dubia, & incertum omnino, an actio, vel omiſſio ſit contraria legi æternæ, necne, quidquid plerique recentiorum diſtinguant inter dubium ſpeculativum, & practicum. Hanc enim diſtinctionem quoad controverſiam præſentem, plurimi alii à triginta circiter annis uſque modò, doctiſſimè rejecerunt. In dubiis autem, & ſpectantibus ad æternam ſalutem, eligendam*

Digitized by Google

dam eſſe tutiorem partem, jura clamant, & prudentia, ac lex charitatis divinæ de propria, & aliorum ſalute, palam dictat.

82. *Certè nemo prudens vitam corporis ita negligit, ut audeat uti cibo, aut pharmaco ſolùm probabiliter ſano, quod tamen æquè, aut magis probabiliter cenſeatur noxium, & exitiale futurum. Quare ne exponat ſe probabili, aut probabiliori periculo mortis, eligit aliud certò innoxium, aut ſalutiferum. Idem ferè accidit circa rem familiarem ſervandam, & honores aſſequendos. Cur ergo vita animæ, & ſalus æterna, longè pretioſior, paſſim exponatur probabili periculo opinionum liberiorum? Nec reflexiones aliquæ, ſeu judicia reflexa ad auctoritatem alienam, videntur prodeſſe, aut ſufficere, ad formandum judicium moraliter certum, & neceſſarium de uſu licito opinionis benignæ, quoad bona animi potiùs, quàm corporis, vel fortunæ, ubi opinio ſeverior æquè, aut magis urget. Non enim voluntas habet vim imperandi intellectui, ut judicio reflexo cenſeat verum, aut certum moraliter id, quod directo judicio æſtimat falſum, aut dubium, aut minùs probabile.*

83. *Quare reflexiones illæ ad ſummum poſſunt habere locum, & prodeſſe, ubi vir doctus, & prudens, rectâ intentione placendi Deo, aut ipſum non offendendi, & nullo præjudicio, paſſione, aut utilitate abductus, diligenter inquirit veritatem pro qualitate materiæ, & debitis circumſtantiis, quando concurrunt invicem contrariæ opiniones inter Scriptores Catholicos, doctos, & pios. Si poſt rem examinatam inveniat ſententiam benignam longè, ac palam prævalere opinioni auſteriori, tum auctoritate, & numero Patronorum, tum rationibus, & plenè reſpondere argumentis contrariis; videtur, poſſe formare judicium moraliter certum de illius veritate, & licito uſu, aut nihil curare rigidiorem aliorum opinionem, vel eam reputare ortam ex inani ſcrupulo. Dato enim, aut permiſſo, quòd ſententia illa benignior eſſet falſa in re, agens excuſaretur à peccato, ſaltem gravi, ob rectam intentionem, bonam fidem, & ignorantiam venialem ex infirmitate humana. Si autem poſt diligentem inquiſitionem inveniat, opinionem auſteriorem æquale pondus habere, aut etiam majus, ac proinde veritatem rei eſſe ſpeculativè dubiam, non poterit ullâ reflexione formare ſibi judicium moraliter certum de illius veritate, aut uſu licito. Quare abſtinendum erit ab opinione benigniore, & adhærendum tutiori, ſive ſtanti pro præcepto.*

84. *Hæc videtur fuiſſe praxis aſſidua Sanctorum Patrum, Pontificum, ac Theologorum, doctrinâ, & pietate inſignium à tempore naſcentis Eccleſiæ, uſque ad finem ferè ſæculi præcedentis, quo cœpit reputari ſecurus uſus opinionis benignæ probabilis in concurſu opinionis auſterioris æquè probabilis, aut probabilioris per reflexiones antiquis ignotas. Sequebantur enim veteres illi, quod intra ſinum Eccleſiæ Catholicæ poſt rem maturè examinatam, oratione, ac ſtudio competenti, videbatur verum, aut moraliter certum. Et licet ipſi Sancti Patres, aut Doctores celebres aliter, atque aliter circa varias quæſtiones morum cenſerent, unuſquiſque tamen pius, ac prudens id agebat, vel conſulebat aliis, quod poſt debitum examen judicabat verum, aut ſaltem longè conformius Canonibus Sacris, rationi, & æquitati. Neque enim ampliùs exigi putabat ab homine mortali, infirmo, & ignorantiis obnoxio. Alioqui ſequebatur tutiorem partem. Exempla plurima poſſent hoc loco produci, ni quæſtionem hanc graviſſimam potiùs excurrendo libandam, quàm ex inſtituto dirimendam, recepiſſemus.*

85. Hactenus Eminentiſſimus Aguirre, nobis exponens motiva, quibus inductus eſt ad retractandam opinionem benignam, quam priùs ſecutus fuerat. Hoc ſanè eſt magnum argumentum veritatis noſtræ ſententiæ, quòd nullus eam deſeruit, poſtquam ſemel illam amplexus eſt, & in oppoſitam abiit. Ex adverſo quotidie videmus ſententiam benignam deſerentes, qui priùs eam tenuerant; & noſtram amplectentes, dum ſolidiſſima conſiderârunt fundamenta, quibus nititur. Et idcirco, quia poſt Decreta Alexandri VII. & Innocentii XI. contra opiniones laxas Theologi profundiùs hanc controverſiam examinârunt, quotidie creſcit numerus eorum,

Digitized by Google

rum, qui ad uſum licitum opinionis minùs tutæ requirunt, quòd illa ſit probabilior, ſeu veriſimilior operanti; & decreſcit numerus eorum, qui cum Caramuele docent, ſatis eſſe, quòd opinio favens libertati ſit in ſe probabilis, ut omnes poſſint illâ licitè uti, quamvis ipſis appareat minùs veriſimilis, quàm oppoſita favens præcepto.

§. XII.

Septimum caput probandi, noſtram ſententiam eſſe probabiliorem: quia ſententia benigna, affirmans, licitum eſſe cuilibet ſequi ſententiam probabilem minùs tutam relictâ tutiori, & ſibi probabiliori, ſeu veriſimiliori, non eſt ita communis inter Authores hujus ſæculi, ut vulgò creditur.

86. FUndamentum, quo Authores benigni contendunt, ſuam ſententiam de uſu licito opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ, in occurſu probabilioris, & tutioris, eſſe probabiliorem oppoſitâ, eſt, quia exiſtimant, eſſe communem inter omnes ferè Scriptores huius ſæculi ex omni Religioſa familia, & ex omni Univerſitate Orbis Catholici. Hoc tamen fundamentum falſum eſſe, conſtat ex Diſſertatione ſecunda. Nam multi ex Authoribus, aſſerentibus, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam, non loquuntur de opinione aliena, quæ ipſi operanti in actu primo magis apparet falſa, quàm vera, ſeu de qua operanti veriſimilius ſit, eſſe falſam, quàm eſſe veram. Pauci enim ſunt, qui clarè, & diſtinctè pronuntient, licitum eſſe ſequi ſententiam alienam minùs tutam, ſeu faventem libertati adversùs legem, quando quis judicat, eſſe falſam, ſeu prudenter iudicare poteſt, eò quòd experitur urgentiora motiva ad illi diſſentiendum ut falſæ, quàm ad illi aſſentiendum ut veræ; v. g. quando videt plures, & graviores Authores illam rejicere ut falſam, & ipſorum fundamenta videntur ipſi urgentiora, quàm fundamenta eorum, qui illam amplectuntur ut veram: ſed loquuntur multi de opinione propria, ſeu ſubjectivè, & phyſicè exiſtente in mente operantis; quæ ſi verè probabilis eſt, ſemper reſpectu operantis eſt veriſimilior, quàm oppoſita. Nemo enim verè probabiliter, & prudenter iudicare poteſt, aliquem contractum eſſe honeſtum, quin invenerit maius fundamentum ad hoc affirmandum, quàm ad affirmandum oppoſitum. Quæ tamen opinio quia inter Sapientes eſt minùs communis, in communi æſtimatione habetur pro minùs probabili, & dicitur minùs probabilis abſolutè, & ſimpliciter; & qui operatur ſecundùm illam, dicitur operari ſecundùm minùs probabilem. Unde multi ex Authoribus, aſſerentibus, licitum eſſe ſequi opinionem probabilem minùs tutam, relictâ probabiliore, & tutiore, ſolùm docent, poſſe quem licitè operari ex opinione probabili propria, ſeu ſubjectivè exiſtente in ipſius mente, per quam probabiliter iudicat, aliquam actionem eſſe licitam; quamvis ſciat, opinionem oppoſitam eſſe communiorem inter Authores claſſicos, & communiter haberi pro magis probabili. Et in hoc ſenſu loquitur Baſſæus apud P. Scildere in opere de Principiis Conſcientiæ Formandæ tract. 2. cap. 2. §. 3. num. 25. & apud Goſſar in Compendio Bonacinæ verb. *Opinio*, dicens, quòd *ſolus ille, qui judicat, opinionem probabilem eſſe veram, poſſit illam ſequi contra probabiliorem.* Nos autem ſolùm impugnamus eos Authores, qui dicunt, licitum eſſe cuilibet ſequi opinionem probabilem alienam faventem libertati adversùs legem, quamvis illi appareat in actu primo magis falſa, quàm vera; ſeu quamvis veriſimilius ipſi appareat, illam eſſe falſam, quàm eſſe veram. Item eos, qui dicunt, nos poſſe ſequi opinionem eiuſmodi, quamvis in actu primo illa non magis nobis appareat vera, quàm falſa; ſed potiùs æquè propinqua falſitati, ac veritati. Et indiſpenſabiliter requirimus ad uſum licitum opinionis minùs tutæ, quòd operans ſibi prudenter perſuadeat, illam eſſe veram, & legi æternæ conformem. Quam perſuaſionem numquam poteſt habere,

quin

Digitized by Google

quin pars illa repræſentetur illi in actu primo ut magis veriſimilis, quàm contraria. Unde, licet univerſaliter doceamus, licitum eſſe ſequi omnem opinionem verè probabilem, licet ſit minùs tuta, dummodo ſubjectivè, & phyſicè exiſtat in mente operantis; ſi tamen ſermo ſit de opinione probabili aliena minùs tuta, dicimus, tunc ſolùm nobis licitum eſſe illam ſequi, quando illam facimus noſtram per prudentem aſſenſum: aſſerimus autem, neminem licitè poſſe illam facere ſuam, quin poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra paſſionem, & culpam appareat illi magis veriſimilis, quàm contraria. Quamvis enim poſſimus ſequi opinionem probabilem alienam minùs tutam, quæ ſit in ſe abſolutè minùs probabilis, quia nimirum defenditur à paucioribus Authoribus claſſicis ex iis, qui faciunt opinionem probabilem; non tamen poſſumus ſequi opinionem minùs communem, & minùs tutam, ſi inſuper eſt minùs fundata, quàm oppoſita; ita ut per principia extrinſeca & intrinſeca nobis appareat in actu primo magis propinqua falſitati, quàm veritati: quia tunc non poſſumus iudicare, illam eſſe veram, & legi Divinæ conformem; ſed poſſumus, & debemus prudenter iudicare, eſſe falſam, & legi Divinæ contrariam. Neque ſatis eſt ad hoc, ut ego poſſim licitè amplecti ſententiam probabilem alienam, quòd ego ſciam illam defendi ut veram ab Authoribus claſſicis, qui faciunt opinionem probabilem, ſi illa opinio mihi non probatur, ſed potiùs mihi apparet magis falſa, quàm vera: tunc enim habet in meo intellectu ſtatum diverſiſſimum ab eo, quem habuit in intellectu ſuorum Authorum. Quare opinio probabilis minùs tuta propugnata ab Authoribus facientibus opinionem probabilem, ſolùm poteſt eſſe ſecura regula pro his, qui prudenter approbaverint illam opinionem ut veram; non autem pro illis, qui improbaverint ut falſam, vel ſuſpenderint iudicium, & dubitaverint, an ſit vera, vel falſa. Unde, quòd quis certus ſit, aliquam opinionem faventem libertati adversùs legem defendi ut veram ab Authoribus gravibus facientibus opinionem probabilem, non ſufficit, ut illam in praxi ſequatur, ſi ſciat oppoſitam defendi ut veram ab Authoribus æquè gravibus, vel gravioribus; ac proinde non poteſt eam ſequi, niſi inveniat pro illa rationem, vi cuius ſibi perſuadeat, eos Authores verum dixiſſe. Quòd quis ergo certificetur de probabilitate abſoluta opinionis, ſolùm deſervit ad hoc, ut licitè poſſit illam ſequi, ſi approbaverit ut veram: quia parum refert ad ſecuritatem meæ conſcientiæ, quòd ego ſciam, aliquos Authores probabiliter docuiſſe, talem, vel talem contractum eſſe licitum, ſi iudico, vel prudenter iudicare poſſum, illos deceptos fuiſſe, & aberràſſe à vero. Tunc ergo ſolùm deſervit ad ſecuritatem meæ conſcientiæ, quòd ego ſciam, Authores facientes opinionem probabilem defendere, talem, vel talem contractum eſſe licitum, quando ego poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra paſſionem, & culpam iudico, talem contractum eſſe licitum: quia ſi hoc iudico, & aliunde ſcio, hoc ipſum iudicàſſe viros ſapientes, qui faciunt opinionem probabilem, reddor ſecurus, quòd meum iudicium ſit probabile, & prudens; ac proinde quòd ſine ſcrupulo poſſim operari. At velle, quòd ſatis ſit ſcire, Authores aliquos graves, facientes opinionem probabilem docuiſſe, aliquem contractum eſſe licitum, ut omnes licitè poſſint illum contractum exercere, ſive iudicent illos Authores verum dixiſſe, ſive iudicent, dixiſſe falſum, ideſt, ſive iudicent, illos rectè iudicàſſe, ſive iudicent, iudicàſſe malè, & erràſſe; hoc enimvero videtur nobis planè falſum, & ſine fundamento tribui communi conſenſui Scriptorum huius ſæculi.

87. Sanè cùm Probabilia iuxta Ariſtotelem 1. Topic. cap. 1. ſint illa, *quæ videntur Sapientibus, vel pleriſque, vel maximè conſpicuis*, ideſt, quæ iudicantur vera à Sapientibus; illa opinio cenſetur probabilior abſolutè, & in communi æſtimatione, quæ habet pro ſe plures Sapientes, vel plures ſapientiâ maximè conſpicuos viros; illa minùs probabilis, quæ habuerit pro ſe pauciores ſapientiâ

Digitized by Google

claros, & maximè conſpicuos. Unde illa ſententia communiter cenſetur magis probabilis, quæ eſt communior inter Authores claſſicos, qui ex profeſſo quæſtionem verſârunt; illa minùs probabilis, quæ eſt minùs communis inter eiuſmodi viros. Jam verò, quòd quis poſſit licitè ſequi ſententiam probabilem minùs tutam, quamvis ſit minùs communis, quando illi videtur magis fundata, ſeu validioribus rationibus nixa, vi quarum prudenter iudicat, eſſe veram, & legi æternæ conformem; hoc bene intelligitur, & nobis verum abſolutè videtur. At verò quòd quis poſſit licitè ſequi ſententiam probabilem minùs tutam, non ſolùm quando ſcit, eſſe minùs communem, ſed etiam quando manifeſtè experitur, eſſe minùs fundatam (quia videlicet rationes illam ſuadentes, ipſi videntur minùs validæ, quàm rationes ſententiæ contrariæ) hoc nobis videtur planè falſum. Nam tunc, operans prudentiſſimè poteſt iudicare, ſententiam magis tutam eſſe veram; quia videt eſſe magis communem, & melioribus nixam rationibus: & conſequenter prudentiſſimè poteſt iudicare, eſſe falſam ſententiam minùs tutam; & nequaquam poteſt iudicare, ſaltem prudenter, eſſe veram. Implicat enim, ut tutâ conſcientiâ poſſit quis ſequi ſententiam minùs tutam, quando iudicat, eſſe falſam, vel prudenter iudicare poteſt, eſſe falſam, & non poteſt prudenter iudicare (forſan nec imprudenter) eſſe veram.

88. Unde, quamvis ſententia, affirmans, licitum eſſe ſequi ſententiam probabilem minùs tutam, relictâ probabiliore, & tutiore, ſub iis terminis ſit communi inter Authores huius ſæculi, exiſtimo ſine ſufficienti fundamento dici, eſſe communem ſententiam eorum Probabiliſtarum, qui dicunt, licitum eſſe cuilibet ſequi ſententiam alienam probabilem minùs tutam, quamvis iudicet eſſe falſam, vel prudenter iudicare poſſit, eò quòd videt maiora fundamenta authotatis, & rationis habere ſententiam contrariam. Pauci enim erunt, qui diſtinctiùs interrogati, audeant affirmare, licitum eſſe cuilibet ſequi ſententiam probabilem minùs tutam, quamvis ſit minùs communis, & minùs fundata, ideſt, quamvis ſit minùs communis, & eius fundamenta videantur ipſi minùs urgentia fundamentis ſententiæ contrariæ; ſeu quamvis illa ſententia ab extrinſeco, & ab intrinſeco appareat illi minùs veriſimilis in actu primo, quàm contraria; ſeu quamvis in actu primo videatur illi magis ſimilis falſæ, quàm veræ. Falsò ergo ſupponitur, eſſe communem inter Authores huius ſæculi ſententiam benignam de uſu licito opinionis minùs tutæ, quæ ipſi operanti repræſentatur ut minùs veriſimilis, quàm ſententia tutior; præſertim quando ab extrinſeco, & ab intrinſeco, ab authoritate ſcilicet, & ratione apparet in actu primo minùs veriſimilis, quàm contraria.

§. XIII.

Octavum caput probandi majorem probabilitatem noſtræ ſententiæ: quia pro oppoſita nullus citatur Cardinalis Sanctæ Eccleſiæ; noſtram autem tenuerunt quinque præſtantiſſimi Theologi Cardinales, nimirum Cajetanus, Bellarminus, Pallavicinus, Lauræa, & Aguirre: eamque quotidie alii Eminentiſſimi ſectantur in Sacris Congregationibus.

Cardinalis Cajetanus.

89. EXploratum eſt, Cardinalem Caietanum in Summa ſua morali, verb. *Opinione uti*, ſententiam tenuiſſe oppoſitam opinioni benignæ Probabiliſtarum. Sic enim ibi loquitur: *In operandis, niſi tutiorem partem eligendo non licet opinionem cujuſcumque aſſumere ut regulam operis: quoniam eo ipſo, quòd operatio regulanda committitur opinioni, committitur regulæ ambiguæ, quia omnis opinio ambigua eſt, utpote cum formidine alterius partis...... Et hæc intellige de opinione propriè dicta, quæ eſt cum formidine alterius partis... Non enim propterea aliquid opinione tenetur, quia diverſi Doctores contraria ſentiunt; quoniam cum bujuſmodi contrarietate ſtat, quòd una pars ſit ratione ſufficiente ad certitudinem*

mo-

Digitized by Google

moralem fulta; & jam non eſt opinio apud capientes rationem illam. Sed quia neſciunt multi diſcernere inter certitudinem moralem, & mathematicam, omnia quodammodo locant ſub opinionibus. Hactenus Caietanus, cuius mentem explicavimus Diſſert. 10. cap. 1. §. 1.

Cardinalis Bellarminus.

90. CArdinalis autem Bellarminus eandem ſententiam tenuit ad finem libelli de Regimine Principis, in opuſculo, cui Titulus: *Admonitio ad Epiſcopum Theanenſem* nepotem ſuum; in quo agit de iis, quæ neceſſaria ſunt Epiſcopo, qui ſalutem ſuam in tuto ponere velit; materiam integram octo controverſiis comprehendens. In prologo autem huius opuſculi ſic inquit: *Quare ſi quis velit in tuto ſalutem ſuam collocare, & ſimul oporteat eum Epiſcopali officio fungi, is omnino debet de octo controverſiis certam veritatem inquirere, & non reſpicere, quid multi hoc tempore dicant, aut faciant. Et ſi rei certitudo non poſſit ad liquidum apparere, debet omnino tutiorem partem ſequi, & nullâ ratione, nullius imperio, nullâ temporali utilitate propoſitâ ad minùs tutam partem declinare. Agitur enim de ſumma rei, cùm de ſalute æterna tractatur; & facillimum eſt, conſcientiam erroneam exemplo aliorum induere, & eo modo conſcientiâ non remordente, ad eum locum, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur, deſcendere.*

91. Dum autem Bellarminus dicit: *Si rei certitudo non poſſit ad liquidum apparere, debet omnino tutiorem partem ſequi*; non intendit, ad ſecuritatem conſcientiæ requiri certitudinem omnimodam fundatam in evidentia veritatis; ſed certitudinem quamdam moralem fundatam in veriſimilitudine authoritatis, & rationis clarè præeminenti veriſimilitudini partis oppoſitæ, vi cuius operans prudenter abſque anxietate, & formidine cenſet, illam partem eſſe veram: quia licet ſciat, dari opinionem de oppoſito, videt tamen fundamenta illius clarè, & dilucidè diſſipari; nec poſſe ſe ab illis prudenter moveri ad iudicandum, rem eſſe prohibitam; ac proinde licet videat, doctrinam oppoſitam eſſe probabilem in ſe, & de facto probatam eſſe viris gravibus, non eſt tamen probabilis ipſi, quia non poteſt ab illo probari per prudentem aſſenſum, ex quo agnoſcit, eius fundamenta eſſe parum ſolida, & in comparatione aliorum ipſi apparent manifeſtè minùs veriſimilia. In rebus enim moralibus, de quibus eſt controverſia inter Doctores, non exigitur maior certitudo, quàm illa, quæ fundatur in fundamentis clarè præeminentibus apud eum, qui operatur, ſi ille omnem adhibuit diligentiam, quam debuit ad inquirendam veritatem. Jamque poſt Decretum Alexandri VIII. damnantis hanc propoſitionem; *Non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam*, videtur inferri, ſecuritati conſcientię ſufficere opinionē inter probabiles probabiliſſimam, etiam faventem libertati: ac proinde licitum eſſe ſequi ſententiam minùs tutam, quando illa eſt clarè, & manifeſtè longè veriſimilior oppoſitâ, & ut talis proponitur operanti citra omnem ipſius culpam. Tunc enim prudenter poteſt iudicare, rem illam non eſſe prohibitam; & non poteſt iudicare oppoſitum, neque prudenter dubitare: quia nequit intellectus, etiam ex imperio voluntatis prudenter aſſentiri, ut veræ, illi parti, quæ illi proponitur clarè, ut minùs veriſimilis, quàm oppoſita. Si autem appareret magis veriſimilis pars favens libertati, vel ex negligentia culpabili inquirendi veritatem, vel ex paſſione obcæcante, tunc aſſenſus illi præſtitus non eſſet iudicium prudens, ſed error culpabilis; ac proinde, qui ex illo errore operaretur, peccaret. Nam ſecundùm principium verum D. Thomæ quæſt. 17. de Veritate, articul. 3. ad 4. *Tunc conſcientia errans non ſufficit ad abſolvendum, quando in ipſo errore peccatur; ut cùm errat circa ea, quæ ſcire tenetur.* Similiter quodlib. 8. art. 15. *Error conſcientiæ habet quandoque vim abſolvendi, ſive excuſandi; quando ſcilicet procedit ex ignorantia ejus, quod quis ſcire non poteſt, vel non tenetur. Quandoque*

error conſcientiæ non habet vim abſolvendi, & excuſandi, quando ſcilicet ipſe error peccatum eſt; ut cum procedit ex ignorantia ejus, quod quis ſcire tenetur, & poteſt. Idem docet 1.2.quæſt.76. art.2. & lect.7. in cap. 1. Epiſt. ad Romanos.

Cardinalis Sfortiæ Pallavicini ſententia ex ipſius Epiſtolis.

92. QUòd Cardinalis Pallavicinus noſtram ſententiam tradiderit, conſtat ex retractatione ſententiæ benignæ, quam fecit, & iam nos exhibuimus §. 11. in ſexto capite probandi noſtram ſententiam. Et hoc ipſum conſtat ex ipſius Epiſtolis Familiaribus, quas ſcripſit ad P. Elizalde de hoc argumento: quæ ſimul cum aliis, typis vulgatæ ſunt anno 1678, Venetiis. Earum unam Latinè redditam hic exhibemus, ut conſtet, magnum iſtum Virum, quamvis olim tenuerit ſententiam benignam, eamque typis vulgaverit anno 1651. quatuor ſcilicet, vel quinque annis antequam Alexander VII. tot opiniones laxas damnâſſet: nihilominus poſtquam animadvertit conſectaria, quæ ex illa doctrina ſequuntur, attentiùſque, & profundiùs hanc controverſiam diſcuſſit, ſententiam mutavit; & in iis Epiſtolis mentem ſuam aperuit.

Epiſtola Cardinalis Pallavicini ad P. Michaëlem de Elizalde Neapoli degentem data 27. Maii anno 1662. in qua mentem ſuam circa uſum opinionum probabilium aperit. Extat pag. 88. libri Epiſtolarum.

93. R*Eſpondebo nunc ad quæſita Rev. Veſtræ mihi à multis hebdomadis propoſita: de quibus idem iudico, quod, quantum ex iis colligo, ipſa iudicat.*

94. *Primò igitur cenſeo, ad peccandum haud eſſe neceſſariam illam Legis æternæ evidentiam, quam præſumunt multi. Nam vel de Lege naturali ſermo eſt, vel de poſitiva Divina, vel de humana. Si de naturali; dum quis (licet cum dubitatione quadam, & ratione in contrarium) indicat actionem eſſe ſibi vetitam, non poteſt formare iudicium practicum, eſſe permiſſam. Alioqui naturam, ideſt ipſum Deum condemnaret inſipientiæ; intendentem ſcilicet prohibere quiddam, nec tamen ita ſe explicantem, ut eius prohibitio ad id cavendum obliget. Idem de Lege poſitiva Divina dicendum: unde ad ſummum in poſitiva humana locum obtinere poteſt facultas, in praxi ſequendi id, quod qui ſequitur, ſpeculativè, & quodammodo conditionatè (ſi nimirum ſatis eſſet nota voluntas Legislatoris) illicitum cenſet. Sed hæc ipſa facultas reſtrictione duplici limitanda eſt. Alterâ, quando Legislator ſuam voluntatem ea patefecit ratione, quæ communiter inter homines, ut intelligatur, ſufficit; ita ut ſtupidus haberetur, qui non perciperet, & ſophiſta, qui aliter explicaret. Altera eſt, quando cognoſcerem, quòd Legislator conatus ſit notam facere intentionem ſuam, ſed ſatis non potuerit ob impedimenta violenter oppoſita: ut ſæpe accidit in Legibus Pontificiis.*

95. *Secundò cenſeo, ignorantiam invincibilem non eſſe tàm communem, quàm à multis præſumitur. Si enim omnis famulus conari debet, ut in materia gravi ſedulò inveſtiget voluntatem Domini ſui, ne tranſgrediatur eam; quantò magis ad eiuſmodi diligentem inquiſitionem obligatur homo reſpectu Dei? Hoc certè ſi non eſſet ita, in quem finem toties in Sacra Scriptura, Libriſque Sanctorum rogaretur Deus tanta ſolicitudine, ut notam nobis faciat voluntatem ſuam; ne ſinat ignoranter delinquere; ut præteritas ignorantias condonet? Id etiam clariùs apparet in ignoratia Juris. Nec enim ſeu in Scriptura Sacra, ſeu in Patribus legitur, ullum opus ex tali ignoratione profectum accepiſſe remunerationem aut laudem à Deo; ac proinde ſimile præmium (quæ tamen tot recentiorum opinio eſt) non videtur promereri potuiſſe. Igitur, ut ſummum, eiuſmodi ignorantia quando eſt invincibilis, excuſare à peccato poterit; non verò etiam honeſtum reddere opus, dum obiectum formale honeſtum non eſt. Poterit tamen includere aliquem affectum honeſtatis*

Digitized by Google

ſtatis erga virtutem generalem aliquam, à qua ad agendum incitemur; & ſecundùm hoc poterimus recipere quiddam præmii.

96. *Tertiò, planè mihi perſuadeo, quòd, ut opinio quædam fiat probabilis, non ſufficiat eam defendi à laxioribus nonnullis, parumque accuratis Scriptoribus. Aliàs enim omnis penè licentia, atque indecentia fieret probabilis; omneſque leges interirent. Igitur ad bonum Reipublicæ regimen, bonamque diſciplinam creaturarum rationabilium debet probabilitas requirere Sectatores authoritatis tantæ, ut homo non dubitaret ſequi illos in negotiis momenti maximi, in quibus error, etiam materialis tantùm, afferret damnum non leve.*

97. *Denique magni peccati reos judico Authores illos, qui ut potentibus hominibus, vel multitudini placeant, tradunt opiniones morales, quas eſſe cenſent falſas. Hoc enim eſt non modò homines in re gravi decipere, ſed etiam legitimo Superiori facere iniuriam. Cui ut iure licet obligare per legem ſubditos, ita etiam ius eſt, ne in ea re interturbetur, ſeu diſtortis verborum ſuorum interpretationibus, ſeu iniqua diminutione ſuæ iuriſdictionis.*

98. *Excuſarem obſcuram, compendioſamque ſcriptionem, niſi loquerer Veſtræ Rev. cui me ex toto corde offero &c. Romæ 27. Maii 1662.*

99. In hac itaque Epiſtola quatuor approbat Cardinalis. Primum, nullatenus ad peccandum requiri illam evidentiam de exiſtentia legis, quæ à multis præſupponitur, ſeu requiritur. Secundum, ignorantiam invincibilem iuris, non eſſe tàm communem quàm à multis præſumitur: & talem ignorantiam, cùm invincibilis fuerit, excuſare quidem poſſe à culpa formali id, quod agitur contra legem; non tamen poſſe illud honeſtum, & meritorium reddere dum obiectum formale honeſtum nō eſt &c. Tertium, ad probabilitatem, quæ ſit tuta conſcientiæ regula, non ſufficere quoslibet Scriptores; ſed requiri tales, ac tantæ authoritatis, quos in aliis negotiis magni momenti, & ubi error materialis nobis perniciem pareret, parati eſſemus habere Duces. Ultimum, ſe gravi culpâ non abſolvere eos Scriptores, vel Conſultores, qui in morali diſciplina docent aliqua, quæ falſa eſſe ipſimet opinantur. Sic enim non ſolùm homines in re gravi decipiunt, verùm etiam fiunt in legitimum Superiorem iniuſti.

Cardinalis de Laurea.

100. Quid ſentiat Eminentiſſimus Cardinalis de Lauræa Ordinis S. Franciſci, id conſtabit legenti eruditiſſimum tractatum de Recto Uſu Opinionum Probabilium, quem anno 1668. edidit in lucem in Commentariis in librum tertium Sententiarum. Ubi Tom. 2. in 3. ſentent. diſput. 11. agens de Muneribus Prudentiæ artic. 4. controverſiam hanc copiosè, & doctiſſimè tractat, & in ea ſententiam in hoc opere à nobis ſtabilitam, egregiè tuetur. Nam in illo articulo §. 3. inquirit; An prudentia in conſultatione opinionum dictet, *eligendam ſemper probabiliorem*? & ibi num. 242. hanc ſtatuit concluſionem: *Quando aliquid agibile non eſt à lege determinatum, ſed eſt ſub opinione, tunc in concurſu opinionis probabilis pro una parte, & probabilioris pro aliâ, prudentia dictat, ſolam probabiliorem eſſe eligendam, numquam verò minus probabilem. Eſt Scoti, ut ſupra, & D. Thomæ quodlib. 8. art. 13. Colligitur etiam ex D. Bonaventura, & aliis adducendis in probationibus. Hæc concluſio probatur pluribus modis à priori, ab abſurdis, ab exemplo, ab authoritate.* Hæc ibi; & ſtatim omnibus his mediis concluſionem probat. Et in 4. probatione ſic arguit: *Quando opinio eſt dubia, nempe cùm eſt æqualis ponderis cum alia, prudentia dictat, vel neutram eligendam, vel tutiorem, ſi oportet operari. Ergo multò minùs, quando concurrit probabilis cum probabiliori, poterit eam dictare, ſed debet dictare probabiliorem, quando eſt tutior.*

101. Poſtea autem nu. 256. docet, eum, qui ſequitur opinionem minùs tutam, quando eſt clarè, & manifeſtè probabilior, ſeu veriſimilior, non ſe exponere

ponere periculo formali: quia error tunc erit materialis, & invincibilis. *At in electione minùs probabilis* (inquit) *eſſet formale...... Hinc cenſeo, operantem cum probabili, relictâ probabiliori, periculo formali ſe exponere, & ignorantiâ vincibili erroris laborare.*

102. Ibi etiam rectè probat, ad electionem ſententiæ minùs tutæ non eſſe neceſſarium, quòd eius veritas certò innoteſcat; ſed ſatis eſſe, quòd poſt diligentem veritatis inquiſitionem ob maiorem probabilitatem, & veriſimilitudinem clarè præponderantem veriſimilitudini partis oppoſitæ, prudenter iudicetur vera: *Sufficit nunc* (inquit) *ſcire, quòd aliquando notitia, ſeu ſententia, quæ non habet veritatem mathematicè evidentem, eligi poteſt pro regula ad operandum; ſi nequit haberi evidenter vera, & illa facto examine, putatur vera; & hoc modo totus mundus regitur in judiciis ferendis...., omnes enim Juri, ſeu naturæ, ſive Divino, ſive humano, adhærere cupiunt, cùm aliquid decernunt; & tamen non ſemper evidenter illud percipiunt.* Hactenus Eminentiſſimus Lauræa, moderatam ſententiam tradens, mediam inter extrema nimii rigoris, & nimiæ benignitatis; quam in hoc opere nos etiam tenemus.

Cardinalis de Aguirre ſuum, & aliorum Cardinalium ſenſum exponens.

103. Quid in hoc puncto ſentiat ſapientiſſimus Cardinalis, iam vidimus §. XI. in 6. capite probandi maiorem probabilitatem noſtræ ſententiæ: mentem ſuam priùs ipſe expoſuerat Tomo 1. Theologiæ S. Anſelmi diſp. 2. ſec. 6. Ubi inter alia inquit: *Sanè inſigni Dei beneficio tribuendum, quòd non multis annis poſt incboatam, aut iam graſſantem licentiam opinandi in rebus moralibus prætextu ſpecioſo illius probabilitatis, cœperint non pauci viri, pietate, ac doctrinâ inſignes ſcribere contra illam ad hæc uſque tempora*. Ita ibi. Verùm copioſiùs ſenſum ſuum aperuit in Prologo ad Tomos Conciliorum Hiſpaniæ; ubi poſtquam pro ſua, & noſtra ſententia citaverat Cardinalem Bellarminum, & Cardinalem Pallavicinum, num. 24. ſubiungit: *Verùm prolixus eſſem, ſi omnes Dominos Cardinales Probabiliſmi illius laxi inimicos, & tutiorum, aut ſaltem palam probabiliorum ſententiarum tenaces tam factis, quàm ſcriptis iam vitâ functos nominare vellem. Inter tam multos eorundem, qui uſque modo ſanctitate, aut doctrina inſigni floruerunt, vix (credo) invenietur aliquis, qui aliter ſenſerit, aut docuerit. Imò & ex iis, qui modo ſuperſtites ſunt, tam intra, quàm extra Urbem, præſtanti pietate, & eruditione conſpicuis, ac toti Orbi Chriſtiano notis, quorum iudicia, ac ſententiæ mihi frequenter colloquio, ac variis congreſſibus innoteſcunt, nemo eſt (quantum capio) qui tam in theorica, quàm in praxi non cenſeat, ſequendam omnino eſſe ſententiam tutiorem, vel ſaltem longè veriorem ac probabiliorem. Atque in Sacris hiſce Congregationibus quotidie occurrunt innumeræ cauſæ, quarum deciſio ex Sacris Conciliorum Canonibus pendet. Ubi autem variæ Authorum occurrunt ſententiæ, illa omnino præfertur, quæ omnibus hinc inde conſideratis, tutior videtur, aut iuri, & æquitati conformior. Lege interea Eminentiſs. ac Reverendiſs. D. Cardinalem Lauræam Tom. 4. in librum 3. ſententiarum diſp. 14. n. 254. & latiùs tom. 2. art. 4. per totum.*

104. *Nimirum hic fuit ſemper Spiritus Eccleſiæ, tàm in Pontificibus Romanis, Cardinalibus, Epiſcopis, quotquot Canones Conciliorum ediderunt, quàm in iis, qui pietatis, & doctrinæ laude illos uſque modo imitati ſunt. Unde ab initio ferè Pontificatûs laudati Alexandri VII. mirum eſt quo zelo, qua eruditione, & conſtantia quàm plurimi Epiſcopi præſtantiſſimi nominis, partim vita functi, partim ſuperſtites, Probabiliſmum luxuriantem repreſſerint &c.* Ita Cardinalis de Aguirre.

Ulti-

Digitized by Google

§. XIV.

Ultimum caput probandi, noſtram ſententiam moderatam eſſe probabiliorem ſententiâ benignâ de uſu licito opinionis probabilis minus tutæ, in occurſu tutioris, & probabilioris, atque operanti ipſi veriſimilioris: quia longè ſuperat oppoſitam à fundamentis intrinſecis.

105. Quæ hucuſque diſſeruimus, ſatis oſtendunt, falſum eſſe, quòd ſententia Probabiliſtarum ſit probabilior ab authoritate extrinſecâ, quàm ſententia, quam tuemur: ſed quamvis diſputandi gratia permitteremus, & largiremur gratis, ſententiam Probabiliſtarum habere pro ſe plures Authores; malè inde inferretur, illam eſſe abſolutè probabiliorem noſtrâ. Namque ex Probationibus noſtræ ſententiæ conſtat, noſtra fundamenta eſſe multò ſolidiora: imò exiſtimo, aliqua eſſe concludentia. Opinio autem probabilior eſt, quæ firmiori, & efficaciori fundamento fulcitur (inquit P. Caſtro-Palao Tom. 1. tract. 1. diſp. 2. punct. 1. n. 7.) non quæ à pluribus Authoribus defenditur. Sic docet Navarrus Sum. cap. 27. nu. 289. Thomas Sanchez lib. 3. de matrim. diſp. 44. num. 2. Villalobos Tom. 1. Summæ Tract. 1. difficul. 4. n. 2. Azor lib. 2. cap. 10. q. 2. poſt medium, & multis allegatis docet Maſcardus de probationibus concl. 1143. n. 3. & 5. & conſtat ex textu vulgari in l. 1. §. *neque. C. de Veteri Jure enucleando*, ibi; *Sed neque ex multitudine Authorum, quod melius & æquius eſt, judicare debet; cùm poſſit unius forſan & deterioris ſententia, & multos & maiores aliqua in parte ſuperare*. Quem textum commendat maximè Abbas c. 1. de conſtit. verſ. *Secundo caſu principali*. Et ibi Joannes Andreas, & alii relati à Maſcardo ſupra. Et ex Jure Canonico eſt pro hâc parte textus expreſſus in cap. *Capellanus de feriis:* Ubi duæ fuerunt opiniones Pontifici propoſitæ, & poſteriorem elegit. *Quia*, inquit Pontifex, *meliori, & ſubtiliori ratione nitebatur*. Unde non ea opinio probabilior cenſenda eſt, quæ plures pro ſe numerat Authores; ſed quæ ſolidioribus nititur fundamentis. Et ideo ſapienter Durandus in præfatione Commentariorum in Libros Sententiarum ſupra citatâ dixit: *In opinionibus ſeligendis rationem præferendam eſſe authoritati puræ humanæ. Modus* (inquit) *loquendi, ac ſcribendi in cæteris, quæ fidem non tangunt, eſt, ut magis innitamur rationi, quàm authoritati cujuſcumque Doctoris, quantumcumque celebris vel ſolemnis; & parvi pendatur omnis humana authoritas, quando per rationem eluceſcit contraria veritas. Quamvis enim captivandus ſit intellectus noſter in obſequium Chriſti; & in iis, quæ fidem tangunt, plus acquieſcere debeamus authoritati Sacræ Scripturæ, quàm cuicumque rationi humanæ; quia Divina notitia, quàm exprimit Scriptura Sacra, plus excedit notitiam, quàm humana notitia beſtialem: tamen omnis homo dimittens rationem propter authoritatem humanam, incidit in inſipientiam beſtialem, ut comparatus ſit jumentis inſipientibus, & ſimilis factus ſit illis ... Nos igitur plus rationi, quàm cuicumq; authoritati humanæ conſentientes, nullius puri hominis authoritatem rationi præferimus, attendentes, quod omnibus exiſtentibus amicis ſanctum eſt honorare veritatem, quàm omnis terra invocat, cœlum etiam ipſum benedicit. Benedictus Deus veritatis.*

106. Et ſanè ſi fundamenta fundamentis comparemus, nullum ego video pro ſententiâ Probabiliſtarum, quod non clariſſimè diſſolvatur. Pro noſtrâ autem ſententiâ multa ſunt, quæ videntur rem ſatis demonſtrare, ſatiſque convincere. Quoad numerum Authorum recentium, uſque ad tempora Alexandri VII. videtur ſententia benigna longè ſuperior. Nam ex omni Religioſâ Familiâ hoc ſæculo pro ea videntur ſtare omnes ferè Doctores. Elenchum contexuit Mercorus par. 2. ar. 26. in quo pro ſententiâ benignâ quinquaginta novem numerat. Sed Terillus quæſt. 22. ait mancum eſſe hunc Elenchum; & ipſe pro eadem ſententiâ præter jam citatos numerat

Digitized by Google

merat ultra ſexaginta. Sed jam ſupra Diſſert. 3. & alibi oſtenſum, pleroſque Doctores Claſſicos hujus ſæculi, non loqui in ſenſu noſtræ Quæſtionis; ac proinde nobis contrarios non eſſe.

107. Sed permittendo nunc, ſententiam benignam habere pro ſe plures longè Authores; non propterea cenſenda eſt probabilior: nam quamvis regulariter ea ſententia cenſenda ſit probabilior, quæ à pluribus, & doctioribus defenditur; id tamen inde fit, quia præſumi debet, efficaciorem rationem pro ſe habere. Unde ſi poſtea deprehendatur, eorum fundamenta eſſe debiliora, & parum firma, jam ſententia illa communior, non eſt cenſenda probabilior, ſed omnino deſerenda, ſi firmo fundamento carere demonſtretur à poſterioribus Doctoribus. Sic olim communior ſententia docebat, peccatum mortale eſſe celebrare Miſſam ante matutinas preces peroratas; pro quâ refert Zenedus quæſtion. Canon. quæſt. 3. ultra triginta Doctores: qui numerus ingens erat eo tempore, in quo tanta non erat Scriptorum copia, ac noſtrâ ætate; pluſque erat habere tunc pro ſe aliquam ſententiam triginta Authores, quàm modò centum. Et tamen poſtquam Magiſter Soto lib. 10. de Juſtitia q. 5. art. 4. concl. 2. & in 4. diſt. 13. q. 2. art. 2. ad finem, eam ſententiam examinavit, & nervosè impugnavit, jam ab ab omnibus deſeritur, & non ſolùm ut minùs probabilis, ſed ferè ut improbabilis relinquitur. Conſulatur Magiſter Bañez 2. 2. qu. 62. art. 5. dub. 4. ?. *Ad argumentum*, ubi ſimili argumento petito à multitudine Doctorum, eamdem ſolutionem præbuit, his verbis: *Ad primum, quod erat ex multitudine Doctorum, reſpondetur, quòd in rebus moralibus obſcuris, & difficillimis decidendis non mirum eſt, ſi alicui Viro docto, ſeſe offerat nova aliqua ratio, ut opinetur contra communem ſententiam meritò, & non temerariè: & iſto modo ſunt introductæ plurimæ opiniones contrariæ aliis, quæ ſolebant eſſe communes.* Quare quamvis concederem, ſententiam benignam habere pro ſe ferè omnes hujus ſæculi Scriptores, non propterea probabilior cenſenda eſt. Nam ut ait Gloſſa in cap. *Ad noſtram.* de Conſuetud. *Interdum revelatur minori, quòd major neſcit.*

108. Denique quamvis ſententia Probabiliſtarum ingentem ſectatorum numerum habuerit; plerique tamen ex illis rem ex profeſſo non diſputarunt, nec fundamenta ſententiæ contrariæ ſatis expenderunt, ſed ex præjudicio, & perſuaſione, quòd ſententia communior inter Theologos hujus ſæculi, falſa eſſe non poſſit, illam amplexi ſunt. Ut autem ſapienter admonet Doctor Navarrus in Manuali cap. 27. in Miſcell. 6. *Quæ opinio deligenda*, num. 289. *Non videtur una opinio appellanda communis ad effectum præjudicandi alteri, eo ſolo, quòd plures eam ſequantur, tamquam oves aliæ alias, quæ procedunt ſine judicio ſequentes; velut aves, quæ unam volantem aliæ omnes ſequuntur, ſecundùm Decium ... Communiorem enim ad hoc exiſtimarem illam, quàm ſex, vel ſeptem Authores Claſſici rem ex profeſſo tractantes aſſererent, quàm probatam à quinquaginta ſolâ ferè authoritate priorum ductis. Opinio enim communis, non ex numero opinantium, ſed ex pondere authoritatis fit, ut dicit Alexand. relatus à Ludovico Gomez in q. 2. Proœmii Regul. Cancellariæ. Quin & arbitror, utramque ad hoc poſſe dici communem, quando utraque habet octo, vel decem Aſſertores graves, & cum judicio eam diligentes. Quo fit, ut non ſit multùm laudanda diligentia quorumdam recentiorum, inquirentium, utram teneant plures.* Ita ibi Navarrus.

CA-

Digitized by Google

CAPUT ULTIMUM.

Infertur ex dictis, non poſſe nobis officere ſententiam recentium Probabiliſtarum, eò quòd illa facta ſit communis ob falſam ſuppoſitionem: nimirum quia multi falsò ſuppoſuerunt, omnes ferè Doctores hujus ſæculi aſſeruiſſe, licitum eſſe unicuique ſequi ſententiam in ſe probabilem faventem libertati contra præceptum, quamvis oppoſita appareret ei in actu primo abſolutè veriſimilior; cùm tamen hoc ſit apertè falſum.

109. POſt hæc ſcripta legens Doctoris Navarri Commentarium ad cap. *Si quis autem*, de Pœnit.diſt.7. inveni in eo doctrinam, qua valde minuitur authoritas ſententiæ recentium Probabiliſtarum: qui ideo tam tenaciter tenent, licitum eſſe unicuique ſequi quamcumque opinionem practicè probabilem, ſeu affirmantem, aliquid eſſe licitum, quamvis ipſi appareat minùs veriſimilis, quàm oppoſita; quia ſibi perſuadent, hoc docuiſſe communiter primos Theologos hujus ſæculi. Cùm tamen hæc perſuaſio ſit falſa; ut patet ex iis, quæ adduximus Diſſert.2. ubi ſpecialiter ſeorſim oſtendimus, Patrem Suarez non locutum fuiſſe in hoc ſenſu, ſed in alio longè diverſo; nimirum de opinione minùs probabili ſpecificativè, & materialiter ſumpta; ſeu quæ communiter habetur pro minùs probabili: cùm tamen ab operante prudenter iudicetur vera, eo quòd fundamenta illius partis apud ipſum præponderent fundamentis oppoſitæ. Doctor igitur Navarrus in illo Commentario num.35. refert ſententiam communem Canoniſtarum, qui cum Panormitano docent, dictum illud: *Tutior pars eſt eligenda*; locum habere in interiori foro, non autem in exteriori; idque colligunt ex Innocentio III. in cap. *Ad audientiam* de Homicidio: in quo loco Panormitanus exiſtimavit, traditam eſſe hanc doctrinam ab Innocentio. Quærit ergo ibi Navarrus num.36. an vera ſit differentia tradita à Panormitano, quòd ſcilicet in rebus dubiis; *In foro interiori pars ſit eligenda tutior; in foro verò exteriori pars mitior*. Tum probat illam differentiam non eſſe veram; ac poſtquam hoc probavit, poſtea num. 38. ſubjungit: *Nec obſtat, quòd Panormitanus, & poſt eum communis opinio contra teneat; quia illa ideo eſt communis, quia alius poſt alium, ita dicere Innocentium credidit. Ille autē non illud, ſed longè aliud, & ſua eruditione digniùs ait, ſcilicet &c.* Et ſtatim oſtendit ſententiam Innocentii non eſſe illam, quam illi falsò tribuit communis conſenſus Canoniſtarum cum Panormitano, cui crediderunt; ſed longè aliam.

110. Ita accidit in noſtra quæſtione. Caramuel pro ſententiâ, aſſerente, licitum eſſe ſequi quamcumque opinionem probabilem, verſantem circa praxim, ſeu affirmantem rem aliquam eſſe honeſtam, vel ſaltem non prohibitam; quamvis ipſi operanti appareat minùs probabilis, minùſque veriſimilis quàm oppoſita; imò quamvis appareat ipſi exiguè probabilis, exiguèque veriſimilis; citavit omnes Doctores huius ſæculi: eò quòd illi communiter dicant, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem & minùs tutam, relictâ probabiliore, & tutiore. Et hoc ſecuti ſunt poſteriores Probabiliſtæ; licet cordatiores, ut P. Eſparza, & P. Terillus, limitaverint illam doctrinam; ſolùmque voluerint eſſe veram, quando opinio minùs tuta non multùm exceditur in probabilitate à parte tutiore, ſed ſunt ferè æquales. Cæterùm, cùm hæc ſuppoſitio ſit falſa, ut iam oſtenſum eſt; quia plerique ex Probabiliſtis huius ſæculi loquuntur in longè alio ſenſu: non poteſt communis ſenſus Recentiorum nobis officere. Communis ergo ſenſus Doctorum huius ſæculi ſolùm eſt, licitum eſſe unicuique ſequi in praxi ſententiam quamcumque certò probabilem practicè, ſeu verſantem circa praxim; quamvis illa ſit minùs tuta, & in ſe ſit minùs probabilis, quàm oppoſita; ideſt, pauciores habens pro ſe Authores, vel aliquantò minùs graves, ſed probos & ſapientes, & qui poſt maturam rei diſcuſſionem ſine paſſione, & præcipitatione iudicaverint,

Digitized by Google

rint, rem eſſe licitam. Si enim ſupponatur, aliquam eiuſmodi ſententiam eſſe abſolutè in ſe certò probabilem; & mihi veritatem diligenter inquirenti citra paſſionem, & culpam appareat illa ſententia ſimpliciter veriſimilior, quàm oppoſita; tunc videtur, quòd prudenter iudicare poſſim, rem eſſe abſolutè licitam, & ex hac ſuppoſitione licitum mihi ſit, illam eligere.

111. Hæc dicta ſint, ad oſtendendum, falſam eſse communem inter modernos Probabiliſtas perſuaſionem, quòd nimirum omnes ferè Doctores hujus ſæculi docuerint, licitum eſse ſequi quamcumque opinionem practicam, certò probabilem, ſeu affirmantem aliquid eſse licitum, quamvis operanti poſt diligentem veritatis inquiſitionem appareat ſimpliciter minùs probabilis, quàm opinio tutior. Illa namque perſuaſio eſt magna tentatio, ad ſectandas opiniones minùs probabiles, & minùs tutas. Ut enim ſapienter ſcripſit Cicero in Paradoxis: *Nihil eſt tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile*. Unde ſi aliquis verum putet, quòd ille ſit ſenſus communis Theologorum hujus ſæculi, facilè inducetur ad ſequendas opiniones minùs tutas, quamvis agnoſcat, eſse minus probabiles: quod tamen ipſum non excuſabit à peccato, ut latè à nobis oſtenſum eſt.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO DECIMAQUARTA.

In qua ſolvuntur fundamenta alia ſententiæ benignæ.

CAPUT I.

Solvitur fundamentum recentium Authorum benignorum, contendentium, non poſſe eſſe licitum uſum opinionis minus tutæ, quando eſt probabilior, ſi non eſt licitus, quando eſt minùs probabilis.

1. PATER Matthæus de Moya in Selectis tract. 1. q. 5. §. 3. confirmat argumentum illud reflexum ſupra poſitum, & ſolutum; quia ſi non licet ſequi opinionem probabilem in occurſu probabilioris & tutioris, nec etiam licebit ſequi opinionem benignam faventem libertati, quamvis ſit probabilior opinione rigida, quæ eſt tutior. Sequelam probat; quia æquè in uno, ac in altero caſu exponitur operans periculo faciendi contra legem: ergo ſicut in primo caſu periculum ſolùm eſt mali phyſici, non moralis; & ideo opinio probabilior de honeſtate actûs excuſat operantem à malitiâ formali, & à peccato; ita ſimiliter excuſabit opinio probabilis.

2. Reſpondeo tamen, magnam eſſe diſparitatem inter unum, & alium caſum. Nam ubi factâ ſufficienti diligentiâ ad inquirendam veritatem citra omnem paſſionem, & affectum inordinatum, proponitur mihi ſententia benigna, ut magis veriſimilis, tunc prudenter poſſum iudicare illam eſſe veram, illi aſſenſum præbendo directè: unicuique autem licet exequi, quod prudenter iudicat ſibi licitum eſſe. Unde ſi contingat illam opinionem eſſe reipsâ falſam, excuſabor à culpâ; quia habeo ignorantiam invincibilem legis prohibentis eam actionem. At ubi factâ eâ diligentiâ, pars rigida proponitur tamquam magis veriſimilis, non poſſum ego aſſentiri parti benignæ. Non licet autem mihi ſequi, ſeu in praxim deducere opinionem, cui non poſſum aſſentiri; ut latè à nobis probatum eſt. Itaque in eligendis ſententiis non eſt obligatio attendendi, quænam ſit rigida, vel benigna; ſed quænam ſit vera. Ubi autem habeo ſolidum fundamentum ad credendum, veritatem eſſe potiùs in ſententiâ benignâ, quàm in rigidâ, prudenter id iudico; nec poſſum iudicare oppoſitum. Nemo autem peccare poteſt in deſerenda ſententiâ rigidâ, quàm prudenter iudicat eſſe falſam.

3. Rurſus, ſententia adverſariorum hoc ipſo, quòd admittat ut licitum uſum opinionis minùs probabilis in occurſu probabilioris, & tutioris, tenet probabilitatem, ut eſt communis opinioni veræ, & opinioni falſæ, eſſe rectam regulam honeſtè operandi; nec eſſe ne-

Digitized by Google

ceſſarium inſpicere ad rectè operandum, an opinio ſit vera; ſed an ſit probabilis: quod nos ſupra oſtendimus eſſe abſurdum. At ſententia noſtra affirmans, licitum eſse uſum opinionis probabilioris ſtantis pro libertate, in occurſu opinionis minùs probabilis, ſtantis pro præcepto, oppoſitum docet. Dum enim id affirmat, docet, propterea licitum eſse ſequi opinionem illam probabiliorem, quia illa probabilioritas eſt motivum ſufficiens ad judicandum illam eſse veram. Unde non probabilitas, quę eſt communis utrique parti; ſed veritas, quæ in una tantùm parte contradictionis reperitur, aſſignatur ut recta regula operandi. Hæc ſufficienter probant, argumentum illud non urgere; cùm detur manifeſta diſparitas inter opinionem minùs tutam, quando eſt minùs probabilis; & inter opinionem minùs tutam, quando eſt magis probababilis. Infra autem latè oſtendendum nobis eſt, ſufficere probabilitatem ſenſibiliter maiorem ad licitum uſum opinionis minùs tutæ. Hucuſque enim ſolùm ex profeſſo oſtendimus, non ſufficere probabilitatem minorem, vel æqualem in parte minùs tuta, ut illam licitè poſſimus ſequi: ac proinde probavimus, requiri maiorem probabilitatem. An verò hæc ſufficiat, nondum pro dignitate oſtendimus. Id autem præſtabimus, poſtquam argumenta Probabiliſtarum diluerimus.

CAPUT II.

Solvitur obiectio contendens, noſtram ſententiam conſcientias torquere, & intolerabile eis onus imponere. Ubi praxis eligendi opiniones declaratur.

4. Authores benigni opponunt nobis, noſtram ſententiam imponere graviſſimum, & intolerabile onus ſupra humeros hominum; dum eis imponit obligationem ſectandi probabiliora, quando ſunt tutiora. Eſſet enim intolerabile onus, & multis ſcrupulis expoſitum, ſi opiniones probabiliores inveſtigare teneremur, inquit P. Moya tract. 1. quæſt. 5. num. 14. Quod confirmat; quia judicium de honeſtate actûs eliciendi nequit à principiis intrinſecis probabilius eſſe omnibus operantibus; ſed iis tantùm, qui in re morali non parum verſati, opinionum fundamenta diſcuſſerint, & rationibus undique perpenſis, maturo conſilio partem præferendam diſcreverint: rariſſimi autem ſunt, qui hoc judicium formare poſſint. Ergo viros tantùm doctiſſimos in re morali, lex illa eligendi probabiliorem opinionem ligare poterit.

5. Verùm, hoc argumentum dumtaxat probat, nos non obligari ad ſequendas ſententias, quæ in ſe abſolutè, ſimpliciter ſunt probabiliores: quod nos libenter fatemur. Sic enim obligaremur ad inquirendum, quænam ſint probabiliores, librando omnium fundamenta rationis, & authoritatis; quod ſanè eſſet jugum minùs grave. Nam licet unicuique facile ſit ſcire, quid ſibi probabilius, ſeu veriſimilius videatur, difficillimum tamen eſt ſcire, quid videatur aliis; & conſequenter, quænam ex opinionibus probabilibus oppoſitis ſit in ſe abſolutè, & ſimpliciter probabilior tum authoritate, tum ratione: cùm judicia hominum ſint varia, & quod uni videtur probabilius, aliis ſæpe videatur minus probabile.

6. Unde, ut quis licitè poſſit ſequi ſententiam minùs tutam faventem libertati adversùs legem, non tenetur inveſtigare, & comperire, quòd illa in ſe ſit abſolutè probabilior. Ad hoc enim comperiendum neceſſarium foret, ſcire numerum, & qualitatem omnium Authorum, qui illam ſententiam tenuerunt; quàm docti, & probi fuerint, & quam diligentiam adhibuerint in diſcutienda quæſtione; an ad ſcribendum acceſſerint ex deſiderio placendi hominibus, & faciendi ſibi nomen, an ex ſolo deſiderio inveniendi veritatem; & an judicium tulerint poſt expenſa, & ſoluta fundamenta omnia, vel ſaltem præcipua. Nam certum eſt, ſententiam illam meritò cenſeri probabiliorem, quæ plures,

Digitized by Google

res, & ſanctiores, & doctiores pro ſe Authores claſſicos habet, qui ex profeſſo, & pro dignitate quæſtionem tractarunt. Neceſſarium inſuper foret, expendere omnia fundamenta rationis militantia pro unâ, & alterâ ſententia; & judicium prudens ferre, quænam ex illis ſint placitura pluribus ſapientibus, & ab illis judicanda probabiliora oppoſitis; quod eſt ſummè difficile, quando utriuſque partis fundamenta ſunt gravia. Non ergo hoc requiritur, ut licitè poſſimus ſequi ſententiam faventem libertati adversùs legem: ſed ſatis eſt, quòd poſt diligentem veritatis inquiſitionem, & poſt expenſa utriuſque ſententiæ fundamenta citra paſſionem, & culpam fundamenta partis benignę nobis appareant clarè, & ſenſibiliter urgentiora; ſi aliunde ſciamus, illam ſententiam propugnari ab Authoribus claſſicis paris, vel ferè paris authoritatis cum Authoribus ſententiæ contrariæ, & quorum ſententia communiter cenſetur certò in ſe probabilis. Quare argumentum minimè probat, nos non obligari ad ſectandam ſententiam tutiorem, ſi factâ ſufficienti diligentiâ ad inquirendam veritatem, nobis apparuerit veriſimilior; quod nos dumtaxat aſſerimus. Neque hoc onus eſt grave, & humanas excedens vires. Nam omnes fateri debemus, neminem poſſe tutâ conſcientiâ exequi rem, de qua dubitat, an ſit mala; quin adhibeat ſufficientem diligentiam ad dignoſcendum, an ſit prohibita, necne. Quod ita eſt lumine naturæ notum, ut P. Salas 1. 2. tract. 8. Diſp. unica ſect. 5. num. 44. meritò dixerit, peccatum eſſe ſequi ſententiam probabilem, vel etiam probabiliorem ſimpliciter, vel reſpectu operantis, ſi facta non eſt debita, & requiſita diligentia pro qualitate negotii, & oportunitate temporis, & loci ad inveſtigandam veritatem. Iam verò, ſi factâ hac ſufficienti diligentiâ, pars rigida, & tutior operanti repræſentetur, ut abſolutè veriſimilior, vel ob motivum rationis, vel ob motivum ſolius authoritatis, vel ob utrumque ſimul; durum non eſt quòd ad illam ſectandam obligetur.

7. Hinc ad Confirmationem reſpondeo, nos ad rectè operandum non exigere, vt operans per principia intrinſeca cognoſcat, probabiliorem eſſe ſententiam benignam, ſecundùm quam vult operari, vel aliis conſilium dare; judicium enim ferre inter ſententias, quænam ſit ab intrinſeco probabilior, attinet dumtaxat ad viros doctos: ſed ſolùm aſſerimus, ſi factâ ſufficienti diligentiâ ad inquirendam veritatem, repræſentetur ipſi, ut magis veriſimilis ſententia rigida, quàm ſententia benigna (ſive ita repræſentetur propter maiorem authoritatem, quàm videt pro ſententia rigida; ſive quia pro illa occurrit ratio validior) non poſſe tunc eligere ſententiam benignam, nec ſecundùm illam conſilium dare conſulenti: quia nequit tunc illi aſſentiri, ac proinde nequit judicare rem illam eſſe licitam. Implicat autem, ut quis poſſit licitè rem exequi, ubi nequit judicare rem eſſe licitam.

8. Omnes fateri debemus, cunctos homines, ſive doctos, ſive indoctos habere obligationem adhibendi aliquam diligentiam ad inquirendum, quid Deus requirat à ſeſe; nec poſſe rem aggredi, de qua occurrit aliquod dubium, an ſit prohibita, quin aliquam diligentiam adhibeant ad cognoſcendam veritatem. Veritatem autem poſſunt cognoſcere judicio ſaltem opinativo, vel expendendo fundamenta rationum, vel conſulendo viros doctos, & aſſenſum præbendo ob ipſorum authoritatem. Factâ hac ſufficienti diligentia, vel operanti proponitur vnicè pars benigna, ut veriſimilis; ut quando ruſticus interrogans virum doctum, an ſibi liceat talem contractum celebrare, audit ab ipſo licitum eſſe: vel proponitur unicè, ut veriſimilis, ſententia rigida; ut quando ruſticus audit à viro docto, contractum eſſe illicitum: vel proponitur pars benigna, ut magis veriſimilis, quàm oppoſita, ſive propter fundamenta rationis, ſive propter authoritatem, ſive propter utrumque, vel proponitur, ut minùs veriſimilis, vel ut æquè veriſimilis. Si primo, vel tertio modo proponatur, licitè poterit ſententiam benignam ſequi; quia tunc prudenter judicat eſſe veram: ſi ſecundo, vel quarto, vel quinto modo; non poterit: quia in quarto modo, vel debet

ſuſ-

ſuſpendere utriuſque partis aſſenſum, vel judicare, ſententiam benignam eſſe falſam, & rigidam eſſe veram. Et in neutro caſu poteſt benignam in praxim deducere abſque peccato. Et in quarto modo neceſſariò manet dubius, ac in dubio tenetur amplecti tutiorem partem. In ſecundo autem, extra controverſiam eſt, non poſſe amplecti ſententiam benignam; ſiquidem non apparet illi probabilis.

9. Quanta autem debeat eſse hæc diligentia, docet P. Thomas Sanchez lib. 1. ſum.cap.6.num.36. P. Suarez Tom. 5. in 3.par.diſp.4.ſect.8.num.16.& 17.& 18. & P. Vazquez 1.2.diſp.123.cap.2.& communiter docent Doctores; ſi vir indoctus ſit, debere conſulere viros doctos, & carentes morali ſuſpicione malè ſuadendi ex malitia, aut ex negligentia. Animadvertit autem P.Sanchez, aliquos excuſari conſulendo aliquem, alios tamen non excuſari conſulendo eundem. Nam vetula, vel ruſticus excuſabitur conſulendo Parochum, præſertim in rebus facilibus, & obviis; non excuſabitur autem vir urbanus, præcipuè in rebus difficilibus.

10. Ponamus, virum indoctum de re magni momenti conſulere duos Theologos; & alterum affirmare, alterum negare, contractum aliquem eſse licitum; authoritatem autem negantis eſse maiorem in æſtimatione ipſius conſulentis: tunc iam repræſentatur ei ut magis veriſimilis ſententia rigida; proinde non poterit benignam amplecti. Si autem authoritas affirmantis maior ſit apud ipſum, benignam poterit amplecti; quia tunc motus illa maiori authoritate prudenter credere poteſt, rem illam eſſe licitam. Si verò neutra ſit apud illum major; anceps manebit, & dubius: & ſtante hoc dubio, tenetur amplecti tutiorem partem; nec licitè poterit amplecti benignam, niſi alios viros ſapientes, & probos conſulendo, majus inveniat fundamentum ad exiſtimandum, contractum eſſe licitum, quàm ad oppoſitum. Si autem vetula interroget Parochum, an licita ſit talis actio, & audiat ab illo, quòd ſit licita, impunè operabitur; quia tunc prudenter judicat rem eſſe licitam. Quamvis autem decipiatur, non peccabit; quia illa ignorantia non eſt culpabilis, cùm ſit error probabilis: ſiquidem factâ ſufficienti diligentiâ ad inquirendam veritatem, exiſtimavit rem eſſe licitam; & propterea eam facit; non factura, ſi agnoſceret eſſe illicitam.

11. Itaque dicimus, virum doctum, qui expenſis utriuſque partis fundamentis agnoſcit, ſententiam rigidam eſſe abſolutè magis veriſimilem, non poſse amplecti benignam, nec ſecundùm illam conſilium dare. Si autem Confeſſarius ſit indoctus, qui nequeat librare fundamenta ſententiarum, nec per principia intrinſeca dignoſcere, quænam ſit probabilior; debet hoc pacto ſe gerere, ut vel conſulat virum doctum, & probum, & id faciat, quod vir ille, rebus maturè conſideratis dixerit eſſe abſolutè verum; vel conſulat ſcripta Doctorum. Quòd ſi videat Doctores claſſicos aſſerere talem, vel talem contractum eſſe licitum, & non referre ſententiam in contrarium; vel ſi referant, eam parvi pendere, & reiicere, ut falſam; poterit eorum dictis acquieſcere: quia ipſorum authoritas illum movere poteſt ad prudenter judicandum, rem illam eſſe licitam. Si autem videat Doctores graves amplecti ſententiam rigidam, ut magis veriſimilem, & referre pro ſententia benigna quoſdam alios Doctores, quorum tamen authoritas non ſit tanti ponderis apud ipſum, ac authoritas eorum, qui rigidam ſententiam tuentur, tunc non poterit ſequi benignam.

12. Pariter, ſi videat aliquem Summiſtam referre duas ſententias, & pro ſententia rigida plures, & graviores Doctores referre, quàm pro ſententia benigna, quam ipſe ſequitur; non poterit acquieſcere ſententiæ benignæ: quia ſolùm movetur ab authoritate; & majus authoritatis pondus videt pro ſententia rigida. Quòd ſi aliquis Doctor modernus ſit vir magni nominis, qui profundè, & latè rem diſcuſſit, & teſtatur ſe adducere fundamenta nova, quæ antiquiores Theologi non attigêre, & quæ ipſum convincunt, ac facilè diluere fundamen-

ta

Digitized by Google

ta oppoſita; tunc ſi Confeſſarius indoctus prudenter præſumere poteſt, hunc Authorem modernum veritatem attigiſſe, pluſque momenti habeat quoad hoc punctum apud ipſum eius authoritas, quàm authoritas multorum, quos citat pro contraria, ſecurè tunc poterit eius placitum ſequi; Si modo ille Theologus magni nominis pro ſua etiam ſententia referat graves Authores.

13. Quòdſi Summiſta, quem conſulit, refert duas ſententias oppoſitas, & dicit eſſe æquè probabiles, & nihil amplius dicit; tunc debet partem tutiorem amplecti. Quòdſi dicat ſententiam rigidam eſſe probabiliorem, oppoſitam verò eſſe probabilem; rigidiorem debet amplecti: nec umquam poteſt benignam ſequi, niſi videat majus fundamentum rationis, vel authoritatis, ad judicandum eſſe veram, quàm ad judicandum eſſe veram ſententiam rigidam.

14. Maneat igitur fixum, probabilitatem non eſſe regulam rectè operandi, ſed veritatem; ideſt, non ſufficere ad rectè operandum, quòd quis judicet opinionem eſſe probabilem; ſed requiri, ut judicet eſſe veram. Unde cùm evidens ſit, veritatem eſſe non poſſe penès utramque ſententiam contrariam, ſed penès unam dumtaxat; numquam habet operans optionem eligendi inter opinionem benignam, & rigidam pro libitu ſuo: ſed dumtaxat poteſt eligere benignam, quando habet fundamentum aliquod præponderans ad credendum, illam eſſe veram, & ſententiam rigidam eſſe falſam. Quod numquam habet, niſi quando ſententia benigna proponitur, vel ut unicè veriſimilis, vel ut manifeſtè veriſimilior contrariâ. Quare ut ſapienter ſcribit Gerſon de Reg. moral. ſub titulo de Superbia: *Ambulandum in virtutis doctrina viâ regiâ, ut nec ſtrictius fiat Dei mandatum, nec latius, quàm ipſe mandaverit.*

15. Noſter itaque ſcopus, in quem collimare, & ſtella polaris, quam inſpicere debemus, eſt veritas. Nec in quæſtionibus decidendis attendi debet, quæ opinio ſit rigida, & quæ benigna, ſed quæ vera. *Supereſt ergo* (inquit ſapienter P. Eſparza in appendice art. 42.) *ut omnes unanimi conſenſu enitamur quãtum poſſumus, ad veritatẽ, & ea circa rem quamlibet teneatur ſententia, quæ vera eſſe convincetur, aut omnibus hinc inde conſideratis videbitur ad veritatem propiùs accedere: ea verò reiiciatur, ac reprobetur, quæ falſitatis convincetur, aut ad falſitatem vergere potiſſimùm videbitur.* Ita enim fiet, *ut veritatem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus*: ut loquitur Apoſt. Eph. 4.

CAPUT III.

Solvitur ſpecialis ratio, quâ Cardinalis Pallavicinus probat, licitum eſſe ſequi opinionem minùs tutam, etiamſi oppoſita appareat operanti veriſimilior.

16. Contra noſtram doctrinam in hoc opuſculo probatam, poterit quis obiicere fundamentum, quo Eminentiſſimus Pallavicinus Tom. de actibus humanis Diſp. ultima quæſt. 4. art. 4. ductus eſt ad aſſerendum, licitum eſſe ſequi in operando ſententiam minùs probabilem, relictâ probabiliore, & tutiore. Supponit hìc Author, impoſſibile omnino eſſe, ut intellectus tunc aſſentiatur opinioni minùs veriſimili; ac proinde ſupponit, tunc vel præſtiturum aſſenſum parti veriſimiliori, judicando ſpeculativè contractum aliquem eſſe prohibitum, vel ſuſpenſurum illum aſſenſum ex imperio voluntatis. Et nihilominus contendit, in utroque caſu poſſe me formare dictamen practicum, quòd mihi hìc, & nunc liceat exercere illum contractum: redditque rationem: *Quia cùm videam* (inquit) *multos homines prudentes exiſtimaturos, non dari obligationem* (abſtinendi ab illo contractu) *atque adeo licitè operaturos, perinde, atque ſi nulla eſſet obligatio: non eſt rationi conſonum, nec expedit Reipublicæ, ut ego ex mea peculiari opinione ſim obligatus ad id, ad quod alii non tenentur. Lex enim debet eſſe communis, & æquè obligans omnes, quibus proponuntur eadem motiva obligationis; ut in Republica ſit*

ſit uniformitas operandi. Ita Pallavicinus.

17. Quod confirmare & nos poſſumus: nam ubi Doctores communiter affirmant, aliquem contractum eſſe licitum, Doctori particulari non debet nocere ſua in diſcurrendo perſpicacia, & in ſtudendo diligentia, quibus rationem efficacem novam adinvenit, perſuadentem, contractum eſſe illicitum; nec illum reddere deterioris conditionis, quàm alios, quibus lux illa non affulſit.

18. Verùm Subtilis hic Author debilitatem huius ſui fundamenti poſtea agnoſcens, doctrinam hanc revocavit; ut conſtat ex teſtimonio P. Nicolai Mariæ Pallavicini, adducto ſupra Diſſertat. 13. §. 11. In quo ſanè ſapientiam ſuam manifeſtavit, imitatus S. Auguſtinum, qui cùm retuliſſet unam illam laudem, quam Lucanus de Tullio decantat, quod *nullum umquam verbum, quod revoçare vellet, emiſerit*, ſubjunxit: *Ab hac ego excellentia tam longè abſum, ut ſi nullum verbum, quod revocare vellem, protulero, fatuo ſim, quàm ſapienti ſimilior. Ego proinde fateor, me ex eorum numero eſſe conari, qui proficiendo ſcribunt, & ſcribendo proficiunt.*

19. Impugnatur ergo illa doctrina: nam, ut oſtendimus, qui operatur id, quod, penſatis omnibus, iudicat, eſſe illicitum, agit contra conſcientiam, & peccat: qui autem aſſentitur opinioni, affirmanti, aliquem contractum eſſe intrinſecè illicitum, iudicat, illum contractum eſſe omnibus illicitum; cùm eſſe intrinſecè illicitum, & eſſe omnibus illicitum, idem ſint. Ergò qui aſſentitur opinioni, affirmanti, aliquem contractum eſſe intrinſecè illicitum, peccat exercendo illum contractum.

20. Impugnatur ſecundò: quia illa ratio vel nihil, vel nimium probat. Probat enim, ſimiliter minimè peccaturum Doctorem particularem, qui ob ſingularem ingenii perſpicaciam invenit rationem, quæ ipſi evidens apparet ad probandum, aliquem contractum eſſe illicitum, quem ſententia communis licitum eſſe affirmat. Nam is, qui certum iudicat, aliquem contractum eſſe illicitum, certò cognoſcit, ſententiam contrariam eſſe falſam; ac proinde iam ab illa nequit prudenter moveri: ut eſt in confeſſo apud omnes Probabiliſtas. Sicut ergo huic homini ſua ſcientia in cauſa eſt, ne licitè faciat id, quod alii ob ignorantiam inculpabilem licitè exequuntur; ita in noſtro caſu opinio, quâ quis credit, contractum eſſe peccaminoſum, abſque abſurdo ei occaſio erit peccandi. Quod peccatum non committeret, ſi iudicium prudens eliceret de non-exiſtentia legis, prohibentis illum contractum. Nam ut Chriſtus Dominus ait Luc. 12. 47. *Ille ſervus, qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non præparavit, & non fecit ſecundùm voluntatem ejus, vapulabit multis.* Cognoſcit autem voluntatem Dei prohibitivam contractûs, quicumque prudenter iudicat, contractum eſſe prohibitum; etſi iudicium hoc non ſit evidens, ſed dumtaxat opinativum. Ergo ſi ex ſuppoſitione huius cognitionis init contractum illum, peccat.

21. Impugnatur tertiò: quia ſi opinio minùs tuta, eò quòd appareat mihi minùs veriſimilis, non eſt digna, ut ei accommodem intellectum per aſſenſum; nec digna erit, ut ei accommodem voluntatem per electionem, & praxim. Nam cùm plus ſit operari ſecundùm aliquam opinionem, & per eam gubernari in agendo, quàm eidem ſpeculativè aſſentiri: qui rectè, & verè iudicat, opinionem illam dignam non eſſe ſuo aſſenſu, nequit verè iudicare, dignam eſſe, cui in agendo conformetur.

22. Impugnatur quartò: quia ſi abſurdum eſt, dari aliquam legem, quæ non obliget omnes, qui ſufficientem diligentiam adhibuerunt ad cognoſcendam eius exiſtentiam; potiùs dicendum eſt, peccare eos, qui iudicant, non extare talem legem, & ex ſuppoſitione huius iudicii erronei exequuntur actum reipsâ prohibitum; quàm excuſari à peccato eos, qui prudenter iudicant, exiſtere legem prohibitivam operis, & nihilominus opus illud exequuntur. Nam hoc ſecundum eſt contra Euangelium loco jam citato: illud autem primum eſt conforme Euangelio ibidem. Poſtquam enim Chriſtus dixerat, dignum eſſe

eſſe magnis plagis ſervum, qui cognoſcens voluntatem domini ſui, non facit ſecundùm illam; immediatè ſubjunxit: *Qui autem non cognovit, & facit digna plagis, vapulabit paucis*: apertè ſignificans, illam ignorantiam non eſſe invincibilem; ac proinde non excuſare à culpa, licet culpam minuat, & conſequenter pœnam. Nam ſi ignorantia voluntatis domini eſſet invincibilis, licet ſervus faceret digna plagis, id eſt, opera reipsâ prohibita per voluntatem domini, non vapularet ullis plagis; ſed eſſet immunis ab omni pœna, ſicut ab omni culpa. Et ſanè abſurdiſſimum eſt dicere, quòd ſufficiat iudicium probabile, quo quis iudicat, legem non exiſtere, ad excuſandum ipſum à culpa, quamvis iudicium illud falſum ſit, & operatio reipsâ ſit contra legem; & non ſufficere ad inducendam culpam, iudicium probabile, & prudens, quo quis iudicat, legem exiſtere, quamvis iudicium illud ſit verum, & vi illius quis ſciens, & volens exerceat contractum reipsâ prohibitum.

23. Quare dicendum eſt, legem omnem debere eſſe communem, & omnes pariter obligare, ſi omnibus ſit ſufficienter propoſita; at verò legem prohibitivam contractûs, de cuius exiſtentia dantur opiniones probabiles oppoſitæ inter Doctores, non eſſe ſufficienter propoſitam omnibus: quia iis, qui poſt ſufficientem diligentiam adhibitam ad inquirendam illius exiſtentiam, prudenter iudicant non exiſtere, non eſt ſufficienter propoſita. Hi enim non habent potentiam proximam antecedentem ad iudicandum, legem illam exiſtere; imò habent impotentiam antecedentem: quia ipſis impoſſibile eſt, aſſentiri objecto, quod illis apparet minùs veriſimile, quàm eius contradictorium. Illi verò, qui iudicant, legem illam exiſtere, vel id prudenter iudicare poſſunt, eò quòd exiſtentia talis legis ob validas rationes ipſis repræſentetur ut veriſimilior, quàm non-exiſtentia; ſanè habent ſufficienter propoſitam legem; ac proinde peccant, ponendo actionem reipsâ prohibitam. Non enim operatur cum ignorantia inculpabili legis is, qui operatur iudicans prudenter, vel ſaltem potens prudenter iudicare, legem exiſtere, & impotens iudicare oppoſitum.

24. Si objicias, abſurdum eſse dicere, quòd Deus ab æterno cudat legem, cuius poſſint homines, etiam ſapientes habere ignorantiam, poſt adhibitam diligentiam debitam ad inquirendam exiſtentiam eius: Reſpondeo, hoc argumentum non eſſe contra nos; nec probare, quòd ab obligatione talis legis excuſentur illi, qui cognoſcunt cognitione probabili, talem legem exiſtere; ſed potiùs probare, non excuſari eos, qui iudicant, talem legem non exiſtere. Nam hæc eorum ignorantia non eſt invincibilis; ſed provenit ex eo, quòd non fecerunt diligentiam debitam ad inquirendam talis legis exiſtentiam. Noſtra ergo aſſertio eſt conditionalis; ſolùm enim aſſerimus, quòd, ſi poſt factam ſufficientem diligentiam, ad inquirendam veritatem, pars favens libertati apparet in actu primo innocenter, & citra culpam ſenſibiliter veriſimilior oppoſitâ, poterit quis licitè illam ſequi: quia tunc licitè poteſt iudicare, rem eſſe licitam, & non poteſt iudicare oppoſitum. Unicuique autem licitum eſt facere id, quod licitè iudicat, omnibus eſſe licitum. Unde ſi contingat, illam opinionem eſſe reipsâ falſam, tunc tranſgreſſio legis non imputabitur operanti, quia habet ignorantiam probabiliter excuſantem. In ſententia eorum, qui dicunt, non poſſe dari ignorantiam invincibilem Juris naturalis attinentis ad unumquemque, etiam quoad concluſiones remotas, quæ controvertuntur inter Doctores, fieri non poteſt, ut quis adhibeat omnem diligentiam, quam tenetur, ad inveniendam veritatem, & ut poſt hanc diligentiam, pars favens libertati in actu primo citra culpam veriſimilior appareat; quin illa pars ſit vera.

25. Si autem pars favens libertati in actu primo appareret veriſimilior oppoſitâ, vel ob negligentiam inquirendi veritatem, vel ob aliquem affectum pravum, & ob hanc cauſam iudicaretur vera, tunc iudicium opinativum formatum eſſet error culpabilis, & actio facta con-

contra legem ex hoc errore culpabili eſſet peccatum: quia *conſcientia erronea non excuſat, quando in ipſo errore peccat.* Nec iudicium opinativum tunc formatum eſt opinio verè probabilis: quia opinio probabilis debet eſſe iudicium conceptum innocenter, & ſine culpa, poſt ſufficientem veritatis inquiſitionem ex motivo gravi, ex quali vir prudens in negotio magni momenti moveri ſolet, ad ſumendam reſolutionem. Nec ad probabilitatem opinionis ſatis eſt, quòd eius fundamentum appareat magnum opinanti; ſic enim error Hæreticorum foret opinio probabilis; ſed requiritur, ut tale appareat poſt diligentem veritatis inquiſitionem ſine paſſione, & præcipitatione ſuſceptam; & ut illa apparentia motivi tamquam magni, & digni, ut ab illo moveatur vir prudens, non fundetur in pravo aliquo affectu voluntatis(*unuſquiſque enim prout affectus eſt, judicat*) ſed in vi, atque merito ipſius rationis, quæ talis ſit, ut citra omnem culpam præponderet motivo partis oppoſitæ. Tunc ergo ſolum iudicium opinativum à me conceptum eſt opinio verè probabilis, quando concipitur innocenter, & inculpatè poſt ſufficientem veritatis inquiſitionem, ob motivum grave, quod clarè, & citra culpam, citraque paſſionem præponderet motivo partis oppoſitæ in exiſtimatione ipſius operantis. Nullus enim Author ſapiens, & probus defendit aliquam opinionem ut veram, ita ut reddat illam verè probabilem, quin diligenti ſtudio ex amore veritatis ſuſcepto quæſtionem diſcutiat, & poſt totius cauſæ cognitionem inveniat, citra paſſionem, & culpam, ſenſibiliter maius fundamentum pro illa parte, quàm pro contraria; & ideo iudicet veram: quia poſt diligens ſtudium, & totius cauſæ cognitionem invenit pro illa maius fundamentum, quàm pro oppoſita.

CAPUT IV.

Solvuntur fundamenta ſententiæ benignæ, prout propoſita à M. Bartholomæo de Medina.

26. Hic Author primariæ olim Cathedræ apud Salmanticenſes Præfectus è Sacra Prædicatorum Familia, in expoſitione 1. 2. quæſt. 19. ar. 6. prope finem illius Commentarii proponit hanc quæſtionem: *An teneamur ſequi opinionem probabiliorem relictâ probabili; an ſatis ſit, ſequi opinionem probabilem?* Et poſtquam retulit Sotum, Conradum, Sylveſtrum, & Caietanum pro parte obligante ad ſequendam probabiliorem, quando illa ſtat pro præcepto, eorumque fundamenta, ipſe ſubjungit quæ ſequuntur; *Sed mihi videtur, quod, ſi opinio eſt probabilis, licitum eſt, eam ſequi, etſi oppoſita ſit probabilior.*

27. *Nam opinio probabilis in ſpeculativis ea eſt, quam poſſumus ſequi ſine periculo erroris, & deceptionis: Ergo opinio probabilis in practicis ea eſt, quam poſſumus ſequi ſine periculo peccandi. Secundò; opinio probabilis ex eo dicitur probabilis, quòd poſſumus eam ſequi ſine reprehenſione, & vituperatione: Ergo implicat contradictionem, quòd ſit probabilis, & quòd non poſſimus eam licitè ſequi. Antecedens probatur. Nam opinio non dicitur probabilis ex eo, quòd in ejus favorem afferantur rationes apparentes, & quòd habeat aſſertores, & defenſores (nam iſto pacto omnes errores eſſent opiniones probabiles) ſed ea opinio probabilis eſt, quam aſſerunt Viri ſapientes, & confirmant optima argumenta, quæ ſequi nihil improbabile eſt. Ita definit Ariſtot. 1. Ethic. cap. 4. & 1. Topic. cap. 1. Tertiò; opinio probabilis eſt conformis rectæ rationi, & exiſtimationi Virorum prudentum, & ſapientum: ergo eam ſequi, non eſt peccatum. Conſequentia eſt evidens, & probatur antecedens: nam ſi eſt contra rationem, opinio probabilis non eſt; ſed error manifeſtarius. Si dicas, eſſe quidem rectæ rationi conformem, tamen quia opinio probabilior eſt conformior, & ſecurior, obligamur eam ſequi:* con-

contra eſt argumentum; nam nemo obligatur ad id, quod melius, & perfectius eſt. Perfectius eſt, eſſe virginem, quàm eſſe uxoratam; eſſe Religioſum, quàm eſſe divitem; ſed nemo ad illa perfectiora obligatur. Quartò; licitum eſt, opinionem probabilem in Scholis docere, & proponere: ergo licitum eſt, eam conſulere. Idem confirmatur: nam licitum eſt, interiùs aſſentiri huic concluſioni: ergo licitum eſt, exteriùs eam proponere. Item non poteſt Confeſſarius cogere pœnitentem, ut ſequatur opinionem probabiliorem: ergo non eſt obligatio ad ſequendam opinionem probabiliorem. Antecedens probaverat concluſio 3. ex eo, quòd Confeſſarius ſcit, vel ſcire debet, quòd pœnitens in tali caſu non peccat; ſiquidem ſcit, vel ſcire debet, quòd, quando ſunt duæ opiniones probabiles de aliquo contractu, licitum eſt utrique adhærere: ſi autem pœnitens non peccat ſequendo talem opinionem, non poteſt illi abſolutionem denegare. Ultimò; quia oppoſita ſententia cruciat animos timoratos: nam ſemper opòrtet inquirere, quænam ſit opinio probabilior; quod timorati viri numquam faciunt. Hucuſque Medina.

28. Cuius argumenta non difficulter ſolvi poſſunt ex dictis inter probandum noſtram ſententiam. Oportet autem præ oculis habere, opinionem aliquam dici probabilem ex eo, quòd à viris ſapientibus, & probis vera reputetur, habeatque proinde fundamenta magni momenti, qualia oportet eſſe ea, quibus viri magni permoti ſunt. Unde fundamenta opinionis probabilis dicuntur magna relativè ad illorum ſapientium intellectum, qui illis perducti ſunt ad eam ſententiam propugnandam; non autem dicuntur magna relativè ad omnium ſapientium intellectum. Siquidem ſæpe contingit, ut fundamenta, quæ aliquibus magna, & gravia apparent, aliis parva, & levia videantur. Sicut enim ad opinionem probabilem non requiritur, ut omnes ſapientes eam defendant; ſed ſufficit, aliquos eam tueri, & nihil dari convincens adversùs ipſam: ita non requiritur ad opinionem probabilem, ut motiva ipſius ſint gravia, & magna relativè ad omnium ſapientium intellectum; ſed reſpectivè ad intellectum aliquorum. Rurſus, præ oculis habendum, aliud eſſe, opinionem eſſe reipsâ minùs probabilem, quia à paucioribus, vel minùs claſſicis Authoribus defenditur, & aliud, eſſe minùs probabilem apud ipſum operantem, & in exiſtimatione ipſius.

29. His poſitis, ad Primum reſpondeo; ſicut ad opinionem ſpeculativam non requiritur, ut omnes ſapientes illam poſſint ſequi (quia poteſt apparere falſa multis ſapientibus, qui illam proinde nequeunt defendere; ut patet in ſententiis, in quibus Thomiſtæ, & Scotiſtæ opponuntur) ita in practicis ad opinionem probabilem non requiritur, ut omnes illam poſſint ſequi ſine periculo peccati in omni eventu, & occurſu rerum. Sed ſatis eſt ad opinionem probabilem, quòd eam aliquando poſſimus ſequi ſine periculo peccati; nimirum quando nobis proponitur eo modo, quo propoſita fuit ſuis Authoribus, quibus apparuit veriſimilior, quàm oppoſita, & qui propterea illi adhæſerunt. Cuicumque autem ſic appareat, is illi prudenter aſſentitur.

30. Hinc ad Secundum, diſtinguendum eſt antecedens. Opinio ex eo dicitur probabilis, quòd poſſimus eam ſequi ſine reprehenſione, ſemper, & in omni occurſu rerum, nego; aliquando, nimirum quando nobis proponitur in eo ſtatu, quem habuit, vel habet in mente ſuorum Authorum, quibus propoſita eſt ut veriſimilior oppoſitâ, concedo antecedens. Et ſimiliter diſtinguendum eſt conſequens, & ſub ea diſtinctione concedenda, vel neganda eſt conſequentia. Peccat itaque argumentum: quia ex eo, quòd opinio aliqua in aliqua circumſtantiâ approbata ſit ab aliquibus viris ſapientibus, arguit, poſſe approbari ab omnibus, & in omni occurſu rerum; quod eſt arguere à ſingulari ad univerſale. Namque opinionem eſſe probabilem, eſt, illam reputatam fuiſſe veram à viris probis, & ſapientibus, eò quòd ipſis repræſentata ſit ut veriſimilior oppoſitâ, & ut unicè vera. Ex eo autem, quòd aliqui viri ſapientes illam ap-

Digitized by Google

probaverint, non ſequitur, quòd ego poſſim eam prudenter approbare, & reputare veram, quando video, viros alios ſapientes, vel ſapientiores eam reprobare, falſamque reputare, iſtorumque fundamenta mihi apparent urgentiora.

31. Jam ad Tertium, conceſſo antecedente, diſtinguendum eſt conſequens: non eſt peccatum eam ſequi, ſi in meo intellectu exiſtat eadem ratio, & exiſtimatio de ipſius veritate, quæ extitit, vel exiſtit in mente illorum virorum prudentum, concedo; aliter, nego conſequentiam. Eſt quidem opinio probabilis conformis rectæ rationi, (quæ nempe vel recta ſit in ſe, vel eſſe putetur) & exiſtimationi virorum prudentum, quia viri aliqui prudentes iudicârunt, eam eſſe veram, eò quòd ipſis repræſentata ſit ut veriſimilior, quàm contraria: ſed etiam eſt difformis rectæ rationi (vel verè, vel imaginariè) aliorum virorum prudentum, qui illam exiſtimant falſam, eò quòd ipſis propoſita ſit ut minùs veriſimilis opinione contrariâ. Ex eo ergo, quòd ſit conformis rectæ rationi aliquorum virorum prudentum, ſolùm ſequitur, non eſſe peccatum, quòd eam ſequantur illi viri prudentes, qui eam reputant veram, & omnes alii, in quorum intellectu habuerit eundem ſtatum: non ſequitur autem, non eſſe peccatum, quòd illam ſequantur alii viri prudentes, quibus apparet falſa.

32. Ad Quartum reſpondeo, licitum quidem eſſe opinionem probabilem in ſcholis docere, quando illa opinio docenti apparet veriſimilior oppoſitâ, & abſolutè vera reputatur; & etiam ſic licitum eſſe ſecundùm illam conſilia dare: verùm non eſſe licitum eam docere, quando docenti videtur minùs veriſimilis, quàm oppoſita, & quando propterea falſa exiſtimatur, vel exiſtimari debet; nec tunc licere ſecundùm illam conſilia dare. Ad illud autem de Confeſſore, & Pœnitente dicam ſeorſim in hac Diſſertatione. Ad Ultimum reſpondimus cap. 2. nos nullum onus imponere difficile, quia non obligamus ad quærendas opiniones reipsâ probabiliores, ſed ad illas eligendas, quando factâ ſufficienti diligentiâ nobis in mentem veniunt.

33. Si ergo Medina his argumentis contendat, licitum eſſe ſequi opinionem minùs probabilem faventem libertati, quando ipſi operanti apparet minùs veriſimilis, minùſque probabilis quàm oppoſita; eius argumenta ſunt fallacia, & æquivocatione plena. Si autem contendat, licitum eſſe cuique ſequi opinionem, quæ communiter reputatur minùs probabilis, ſi ſit certò probabilis in ſe, & propugnata ut vera ab Authoribus gravibus; & aliunde poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra paſſionem, & culpam, ipſi operanti repræſentetur ut magis veriſimilis, ſunt ſanè argumenta illa gravia. Vera itaque erit opinio Medinæ de opinione minùs probabili, ſumptâ minore probabilitate materialiter, non autem ſumptâ formaliter, & in exiſtimatione ipſius operantis. Quando enim opinio benigna operanti apparet minùs veriſimilis, quàm ſententia rigida, non eſt probabilis ipſi pro illis circumſtantiis; quamvis illa opinio abſolutè ſit probabilis in ſe: nempe relatè ad alios, quibus apparet magis veriſimilis, quàm contraria: quia operans in illis circumſtantiis nequit illi aſſenſum præſtare; & quamvis phyſicè poſſet, non poſſet prudenter. Quando autem opinio benigna apparet operanti veriſimilior oppoſitâ, prudenter poteſt ſecundùm illam operari, hoc ipſo, quòd ſciat propugnari ut veram à viris probis, & ſapientibus poſt diligentem controverſiæ diſcuſſionem, etſi non habeat fundamentum ad ſuſpicandum, illos tuliſſe iudicium ſine ſufficienti examine, vel motos paſſione: ſeu hoc ipſo, quòd ſciat, illam eſſe certò probabilem in ſe ob gravitatem, ſeu authoritatem Doctorum, qui illam defendunt ut veram poſt maturum totius quæſtionis ſtudium: de quibus præſumi non poteſt, non iudicâſſe, ut decet viros probos, & ſapientes. Præſertim ſi ſciat, illam defendi à Doctoribus claſſicis, & magni nominis; & in communi æſtimatione reputari valde probabilem; licet in gradu aliquo inferiori ad probabilitatem ſententiæ oppoſitæ; dummodo probabilitas eius comparati-

vè

Digitized by Google

vè ad probabilitatem alterius adhuc maneat magna. Quamvis enim ſciat, illam opinionem communiter reputari ſimpliciter minùs probabilem; nihilominus ad ſecuritatem conſcientiæ eius ſatis videtur eſſe, quòd ſciat, illam eſſe abſolutè probabilem, & veram reputari à viris probis, & ſapientibus: hoc enim ſufficit, ut ille aſſenſus non ſit imprudens, & temerarius. Foret autem imprudens, & temerarius, ſi ipſe agnoſceret, illam ſententiam ab omnibus, vel pleriſque ſapientibus rejici, & reprobari: quamvis enim tunc ipſi proponeretur ut veriſimilior, deberet exiſtimare, illam apparentiam eſſe fallacem, & provenire ex ignorantia propria. Medina verò, & alii graves Doctores videntur loqui de opinione minùs probabili, minore probabilitate; materialiter ſumptâ ſeu ſpecificativè; non autem ſumptâ reduplicativè, & formaliter: & ſic non ſunt nobis contrarii, ut ſupra expoſui.

CAPUT V.

Quo ſenſu verum ſit, quòd Jura monent, Opinionem ſcilicet benigniorem eſſe præferendam.

34. Aliqui ex Adverſariis noſtris ad probandum, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs tutam, in occurſu tutioris, & probabilioris, arguunt ex Jure l. *Benignius.* ff. de legibus. & l. *Semper.* ff. de regulis Juris. & cap. final. de tranſactionibus, ubi dicitur: *Opinio benignior, & ſuavior præferri debet.*

35. Nihil tamen hæc nobis officiunt. Nam quod dicitur in lege citata: *Benignius leges interpretandæ ſunt, quò voluntas earum conſervetur*: & in regulis Juris, regulâ 55. *Semper in dubiis benigniora præferenda ſunt*: intelligendum eſt iuxta expoſitionem Gloſſæ ad illam regulam, nempe de dubiis facti, & in infligendis pœnis: nam in iis dubiis ſemper pars benignior eſt tenenda. Ut enim docet regula 11. Juris in 6. *Cùm ſunt partium jura obſcura, reo favendum eſt potiùs, quàm actori.* In dubio namque favendum eſt reo potiùs, quàm actori. Id autem provenit ex veritate alterius regulæ fusè à nobis expoſitæ Diſsert. 11. cap. 2. quòd *in dubiis tutior pars eſt eligenda.* Tutius enim eſt favere reo, quàm actori: nam favens actori exponitur periculo condemnandi innocentem: favens verò reo exponitur periculo abſolvendi delinquentem. Condemnare autem innocentem eſt intrinſecè malum; & ideo in Deum cadere non valet. Abſolvere verò delinquentem non eſt ex ſe malum; & ideo Deus paſſim delinquentibus, & peccatoribus parcit.

36. Secundò reſpondeo; quòd Legiſlatores humani nequeant condere leges, quæ iuſtæ ſint pro omni caſu particulari, ſi iuxta rigorem verborum ſumantur, ut docet D. Thomas 2.2. quæſt. 120. art. 1. *Quia cùm humani actus, de quibus leges dantur, in ſingularibus contingentibus conſiſtant, quæ infinitis modis variari poſſunt, non fuit poſſibile, aliquam regulam legis inſtitui, quæ in nullo caſu deficeret, ſed Legiſlatores attendunt ad id, quod in pluribus accidit; ſecundùm hoc legem ferentes.* Ideo meritò leges diſpoſuerunt, ut quoties in caſu particulari circumſtantiæ occurrentes oſtendant, legem fore injuſtam, ſi iuxta ſonum verborum obſervaretur, tunc explicari poſſit à Judice iuxta intentionem iuſtam Legiſlatoris, vel emendari. Atque hic eſt ſenſus illius legis *Benignius.* Ideo enim in legibus humanis datur locus Epikeiæ, id eſt, emendationi legis pro caſu particulari, in quo lex ipſa foret injuſta, ſi caſum illum comprehenderet; ut tradunt Theologi cum D. Thoma ibidem.

37. Tertiò (& in idem fermè recidit) reſpondeo cum P. Suarez lib. 6. de leg. cap. 1. num. 17. mentem illius legis *Benignius*, eſſe, quòd, ſi lex iuxta proprietatem verborum intellecta, contineret injuſtitiam, vel ſimilem abſurditatem, trahenda ſint verba eius ad ſenſum etiam improprium, in quo lex ſit iuſta, & rationabilis. *Quoties verborum proprietas* (inquit eximius Doctor) *induceret injuſtitiam, vel ſimilem abſurditatem circa mentem Legiſlatoris, trahenda ſunt* ver-

Digitized by Google

verba ad ſenſum etiam improprium, in quo lex ſit iuſta, & rationabilis; quia hæc præſumitur, eſſe mens Legislatoris: ut multis Juribus declaratum eſt in titulo de Legibus. Nam in Lege 18. dicitur: Benigniùs leges interpretandæ ſunt, quò voluntas earum conſervetur: *Ergo ſi neceſſaria ſit etiam impropria interpretatio, ut voluntas ſit, vel præſumatur iuſta, eo ſenſu accipienda eſt lex, quia aliàs non conſervabitur voluntas Legislatoris, cum lex iniuſta non ſit lex. Et in lege 19. additur*: In ambigua voce legis ea potiùs accipienda eſt ſignificatio, quæ vitio caret; præſertim cùm voluntas legis ex hoc colligi poſſit. *Quia nimirum ſine vitio eſſe præſumenda eſt*. Hucuſque Suarez.

38. Ex dictis conſtat, nihil ex illis Textibus contra nos probari. Nam ſi ſemel lex ſupponatur eſse iuſta, & dubium non ſit de iuſtitiâ, vel iniuſtitiâ legis, ſed de exiſtentiâ ipſius; denturque argumenta valde veriſimilia ad probandum, legem illam exiſtere, & quę ſufficiunt ad hoc, ut quis prudenti iudicio cenſeat illam exiſtere; tunc dicendum eſt, legem illam obligare. Cæterùm ſi dubium non eſset circa exiſtentiam legis, quæ ex ſe ſupponitur eſse iuſta, ſed circa eius iuſtitiam, adeſsentque argumenta valde probabilia ad iudicandum eſse iniuſtam, & fortiora, quàm ad iudicandum oppoſitum; tunc deberet Judex amplecti partem benignam, ne onus iniuſtum imponeret innocenti. Et hæc eſt opinio benigna, quam ſequi debet Judex, quæ verſatur circa interpretationem legis, favens innocentiæ contra iniuſtitiam: opinio autem reflexa affirmans tunc non dari obligationem obſervandi legem; non eſt opinio benigna, ſed maligna, utpote, quæ partes concupiſcentiæ fovet contra præceptum.

39. Quartò reſponderi poteſt ex Sylueſtro, Opinionem Piam apud Juriſperitos eam appellari, quæ favet Teſtamento, Matrimonio, Religioni, aut Sacramento, vel, ut alii interpretantur, quæ favet Viduis, Pupillis, Egenis, & Peregrinis; non verò illam, quæ favet libertati, & concupiſcentiæ contra legem: hujuſmodi namque opinio maligna potiùs, & laxa appellari debet.

CAPUT VI.

Ex Diſpenſationibus conceſſis à Summis Pontificibus licet inferatur, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, ideſt minùs communem, quando eſt magis fundata, ſeu fortioribus nixa rationibus: non tamen, quando eſt minùs communis, & inſuper operanti apparet minùs veriſimilis, quàm contraria.

40. DOminus Caramuel in Apologemate de Probabilitatibus contra Fagnanum Epiſt. 4. reſol. 11. num. 136. diſertè affirmat, opinionem hucuſque à nobis propugnatam, quòd non liceat ſequi opinionem minùs probabilem in occurſu probabilioris, & tutioris, accuſare ſceleris innumeras Sanctiſſimorum, & prudentiſſimorum Pontificum operationes, diſpenſationes, leges &c. Aſſumptum autem probat. Nam opinio probabilior eſt, quæ docet, Summum Pontificem non poſſe diſpenſare in voto ſolemni caſtitatis, ut tenet S. Thomas 2.2.q.88. ar.11. Et eſt ſententia tutior; nam in non diſpenſando non eſt periculum, & forſan eſt in diſpenſando. Et nihilominus, ut narrant nonnulli, diſpenſavit Alexander III. cum Juſtiniano Monacho Profeſſo, ut à Religione ad nuptias tranſiret: & cum Conſtantia Rogerii Regis filia Sanctimoniali Profeſſa diſpenſavit Celeſtinus III. ut cum Henrico Sexto contraheret matrimonium; ex quo genuit Fredericum Secundum.

41. Rurſus, opinio probabilior eſt, quæ tenet non poſſe Pontificem diſpenſare in matrimonio rato, pro quâ triginta ſex numerat Authores Caramuel; & eſt opinio tutior, quia in non diſpenſando nullum eſt periculum. Conſtat autem ſępe Pontifices in hoc diſpenſaſſe. Nam ut narrat Author Additionum ad Manuale Navarri, cap. 28. Pius V. diſpenſavit quater, vel quinquies, & Gregorius XIII. tredecim eiuſmodi diſpenſationes una die conceſſit. Item eſt opinio

nio communior, & probabilior, quòd ad conſecrandum Epiſcopum, tres debeant Epiſcopi convenire ex Jure Divino; proindeque eſſe nullam conſecrationem ab uno ſolo factam. Et tamen graves Authores referunt, diſpenſaſſe Gregorium I. cum Anglis, ut ab uno Epiſcopo poſſet in Epiſcopum aliquis ritè conſecrari. Et ut refert P. Henriquez, Gregorius XIII. hanc facultatem conceſſit Patriarchæ Abyſſinorum. Epiſcopus etiam electus Aſſumptionis in Paraquaria, ab Alexandro VII. facultatem petivit, ut ab uno Epiſcopo poſſet conſecrari: & conceſſit hanc facultatem Alexander. Verùm antequam ad eius notitiam hæc conceſſio perveniret, conſecrationem acceperat ab uno Epiſcopo aſſociato duobus Canonicis. Poſtea autem Sacra Rituum Congregatio, decimo quarto Decembris anno 1657. declaravit ſupradictam Conſecrationem Epiſcopi Paraquarienſis, quantùm ſpectat ad Sacramentum, & impreſſionem characteris, fuiſſe validam; quantùm verò ſpectat ad licitum &c.

42. In his, & ſimilibus caſibus, Pontifices in concedendis his diſpenſationibus ſecuti ſunt ſententias minùs probabiles, & minùs tutas; & tamen dicendum non eſt eos peccaſſe: ergo licitum eſt ſequi opinionem minùs probabilem in occurſu probabilioris, & tutioris.

43. P. Joannes Baptiſta Gonet reſpondet huic argumento in Diſſertatione de Opinionum Probabilitate ar.4. ex teſtimonio Proſperi Fagnani utriuſque Signaturæ Referendarii, & in negotiis Romanæ Curiæ verſatiſſimi, tam in Sacrâ Rotâ, quàm in Sacrâ Congregatione Concilii exactè ſervari regulam Juris quæ aſſerit in dubiis tutiorem partem eſſe eligendam; & in opinionum diſcrepantia ſemper eligi eam, quæ apparet verior, & probabilior. Unde credibile eſſe, idem obſervari à Summis Pontificibus in diſpenſationibus concedendis: ſi ſecus faciant, *Reddent*, inquit, *rationem villicationis ſuæ*, cùm in exercitio ſuæ poteſtatis, non ſint impeccabiles. Id ipſum P. Paulus Comitolus in Reſponſis Moralibus lib.5. q. 15. pag. 651. ſupponit. Nam ad probandum, licitum non eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem relictâ probabiliore, & tutiore, inter alias conficit hanc ratiocinationem. *Contra naturam electionis eſt*, inquit, *atque eſt in eligendo perverſitas, ſumere minus bonum, maiore bono omiſſo; at minùs probabile eſt minus bonum humanæ intelligentiæ; igitur illud ſumere numquam licet. Denique in Romanorum Pontificum Reſponſis illud animadvertas, cùm de eadem re duas contrarias ſententias explicarint, eos probabiliorem ſemper eſſe complexos*. Hactenus Comitolus.

44. Ego tamen facillimè reſpondeo, hoc argumento non probari intentum. Nam quamvis concedamus Pontifices ſecutos fuiſſe ſententias, quæ minùs communes erant, & communiùs reputabantur minùs probabiles, inde non probatur eos ſecutos fuiſſe ſententias, quæ ipſis apparerent minùs veriſimiles. Nec mihi credibile eſt, eos dubitantes de valore diſpenſationis à ſe concedendæ, & veriſimilius exiſtimantes fore invalidam, nihilominus eam voluiſſe concedere. Quare quando in concedenda aliquâ diſpenſatione diſcrepârunt à ſententiâ communiore; ideo hoc præſtiterunt, quia illa per principia intrinſeca apparuit ipſis minùs veriſimilis, & oppoſita propoſita eſt ipſis ut probabilior. Itaque diſpenſarunt, quia crediderunt falſam eſſe ſententiam communiorem, negantem ſibi poteſtatem ad diſpenſandum, & veram ſententiam minùs communem, quæ hanc facultatem concedebat. Cùm enim evidens ſit, aliquando ſententias communiores eſſe falſas, & poſſe earum falſitatem deprehendi, ſicut contingit multis opinionibus, quæ ante fuerunt communiores, & modò iam ſunt antiquatæ (ut patet in opinione obligante ſub mortali ad non faciendum Sacrum ante horas matutinas perſolutas, quæ uſque ad Magiſtrum Sotum fuit communis) nihil mirum, quòd Pontifices exiſtimaverint eſſe falſas ſententias communiores, quæ eis negabant poteſtatem diſpenſandi. Poſtquam autem diſpenſationes toties conceſſerunt, iam facto iſto reddidere ſen-

Digitized by Google

ſententiam, quam ſecuti ſunt, valde probabiliorem oppoſitâ. Eſtque hoc argumentum efficaciſſimum, ad probandum eſſe falſas ſententias oppoſitas huic praxi.

45. Et ſanè argumenta, quæ facta ſunt poſtea à Theologis ad probandum, poſſe Papam diſpenſare in voto ſolemni caſtitatis, & in matrimonio rato, ſatis oſtendunt, iure merito potuiſſe apparere ut veram ſententiam tunc minùs communem; ut videre eſt in P. Leſſio lib. 2. de Juſt. & Jure Cap. 40. Dub. 19. ubi inquit, eſſe ferè communem ſententiam Theologorum contrariam ſententiæ D. Thomæ.

46. Conſtatque ex alio capite, fallax eſſe argumentum illud à diſpenſationibus petitum; plus enim probat, quàm Probabiliſtæ intendere poſſint. Ipſi namque communiter concedunt, non eſſe licitum ſequi ſententiam minùs probabilem relictâ probabiliore, & tutiore, quando imminet damnum proximo ab uſu opinionis minùs probabilis; unde docent, nec Judicem in ferendâ ſententiâ, nec Medicum in applicandis medicinis, nec Sacerdotem in adminiſtrandis Sacramentis, poſſe uti ſententiâ minùs probabili relictâ probabiliore, & tutiore. Argumentum autem illud vel nihil probat, vel probat, Pontificem uſum eſſe ſententiâ minùs probabili in materiâ reſpiciente valorem Sacramentorum, & cedente in graviſſimum damnum animarum. Si enim Conſecratio facta ab uno Epiſcopo ſit invalida, graviſſima inde reſultant amimarum pericula. Nam hoc ipſo invalidi ſunt ordines collati ab Epiſcopo ſic conſecrato, & invalidæ abſolutiones datæ à ſic ordinatis. Unde ſi Papa diſpenſavit, animadvertens eſſe minùs probabilem ſententiam aſſerentem, ſe poſſe diſpenſare, & ipſi ut magis veriſimilis propoſita fuit ſententia negans; graviſſimè deliquit exponens fideles tot malis, & detrimentis ſpiritualibus. Qui enim diſpenſat cognoſcens veriſimilius eſſe, quòd invalida ſit futura diſpenſatio, hoc ipſo virtualiter vult damna ſecutura ex tali diſpenſatione. Cùm ergo nefas ſit hoc aſſerere, dicendum eſt, dum Pontifex diſpenſavit in caſu conſecrationis, ideo diſpenſaſſe, quia ſibi perſuaſit, falſam eſſe ſententiam negantem hanc poteſtatem, & veram oppoſitam. Quam perſuaſionem non habuiſſet, ſi ſententia negans appareret ipſi magis veriſimilis. Ergo ex his diſpenſationibus nequit probari licitum eſſe, ſequi ſententiam minùs probabilem in occurſu probabilioris, & tutioris.

CAPUT VII.

Expenditur Breve Urbani VIII. ex quo P. Terillus contendit probare, licitum eſſe uſum opinionis benignæ, etiam quoad partem minùs probabilem.

§. I.

Proponitur argumentatio Terilli, & ejus ſolutio ab accurato quodam Theologo noſtræ Societatis adhibita.

47. Pater Terillus in Tomo de Regula Morum par. 1. q. 8. aſſerit, praxim & Decreta Pontificum Romanorum favere ſententiæ benignæ de uſu licito opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ, in occurſu probabilioris, & tutioris: nihil tamen adducit, quod ex dictis non maneat diſſipatum, præter illud, quod primo loco refert num. 3. his verbis. *In primis Urbanus VIII. videtur abſolutè declaraſſe, uſum opinionis benignæ etiam quoad partem minùs probabilem, eſſe licitum.* Id ut probet, deſcribit integrum Caput decimumquintum Libri decimi Hiſtoriæ Paraquariæ Societatis Jesu, quam deſcripſit P. Nicolaus del Techo eiuſdem Societatis Sacerdos, & in illa Provincia Miſſionarius, & quæ typis mandata eſt Leodii anno 1673. Ibi ſic Hiſtoricus narrat.

48. *Guaranæ* (inquit) *gentis primores ſolebant tot pellices alere, quot eorum libido, & authoritas à popularibus ſuis impetrabat; nec aliud erat majus capeſſendæ Religionis noſtræ impedimentum, quàm cùm*

Digitized by Google

cùm monerentur, unicâ uxore Chriſtianos ex lege Divinâ contentos eſſe debere. Acceſſit huic obſtaculo nimia quorumdam Sociorum religioſitas, ejuſmodi homines ad primam uxorem adigere volentium. Alii, dempto ſcrupulo, religionem Chriſtianam ineuntibus quamcumque vellent ex pellicibus, pro uxore permittebant. Ob earum opinionum diverſitatem inde natam, quòd Doctores Scholaſtici de eâ re inter ſe diſſentiant, ad ſummum Legum Interpretem recurſum eſt, & Joannes Lugo, poſtmodum Cardinalis, rem totam his verbis Urbano VIII. Pont. Max. expoſuit.

49. Sanctiſs. Pater: in Provinciâ, & Regno Paraquariæ, in India Occid. maxima difficultas ſuboritur in converſione infidelium ad fidem noſtram, quando aliqui ex Miniſtris volunt illos cogere ad recipiendum, & retinendum primum conjugem, quem in infidelitate habuerunt. Gens quippe ex innatâ barbarie paſſim conjuges (ſi verè conjuges dicendi ſunt) dimittunt, non aliter, quàm noſtri famulas, & famulos. Et hoc ſolùm, quia conjux infirmatur, nec coquere cibos poteſt, aut veſtes conſuere, vel domûs curam habere, vel quia jam ſeneſcit: imò frequenter non unam ſolùm uxorem accipiunt, ſed ſimul cum eâ omnes ejus filias, vel ſorores, ſi quas habet. Ex quibus poſtea donat amicis aliquam, vel famulo, in gratiam obſequii; quam poſtea repetit, ſi famulus diſcedat: aliis ſola loci mutatio cauſa eſt deſerendi conjugem, ne eam ſecum ferat. Itaque plerique putant, non eſſe, ſaltem communiter, apud illos verum matrimonium, ſed concubinatum: atque ideo permittunt, quòd conjugem baptizatum accipiant, quando ad fidem convertuntur. Alii tamen ſcrupulum habent & cogunt eos ad repetendam primam conjugem; ex quo magna incommoda ſequuntur. Primò, quòd multi hoc terrore Baptiſmum averſantur. Secundò, quòd mentiuntur, dicentes, ſe nullum alium conjugem habuiſſe, & malâ fide cum alia contrahunt. Tertiò, quòd fingunt ſe repetere primam uxorem, ſed reverâ aliam habent, nec de primâ curant. Quartò, quòd frequenter difficillimum eſt primam agnoſcere, quia vix recordantur in tantâ multitudine, quæ fuerit prima, & illâ inventâ, oportet rurſum inquirere, an illa priùs habuiſſet viros: & rurſum de iis viris, an priùs alias habuiſſent uxores. His accedit, quòd frequenter in iis conjugiis non utantur ſigno aliquo externo & ſpeciali, diverſo ab eo, quo concubinam ad hebdomadam, vel menſem accipiunt. Quare ſæpe non invenitur ſignum externum expreſſivum conſenſûs ad matrimonium requiſiti. Unde attentâ eorum praxi, & conſuetudine, multi pii, & docti viri putant communiter, non fieri apud ipſos verum contractum matrimonii. Cæterùm ad tollendos ſcrupulos, & dubia, & ad hoc graviſſimum impedimentum auferendum illius gentis, converſionis ad Fidem, à Sanctitate Veſtrâ humiliter petitur, ut (quandoquidem juxta virorum Doctorum doctrinam, Sedes Apoſtolica ex gravi cauſâ poteſt aliquando matrimonium infidelium diſſolvere, prout Sanctitas Veſtra declaravit in Brevi ſuo expedito, die vigeſima Octobris anno 1626. & rurſus in alio ſimili die 17. Septembris anno 1627. his verbis: Nos attendentes hujuſmodi infideliū matrimonia non ita cenſeri, quin neceſſitate ſuadente diſſolvi poſſint &c. Et quidē in hoc graviſſimæ cauſæ ſunt, imò neceſſitas ad converſionem illorum infidelium) dignetur Sanctitas Veſtra ex benignitate Apoſtolicâ concedere Provinciali Societatis IESU facultatem, ut ipſe, & ii ex Societate, quibus ipſe converſionem gentis demandaverit, & communicandam cenſuerit, poſſint occurrente caſu, & facto examine, & manente dubio de valore prioris matrimonii in infidelitate facti, vel magnâ difficultate inveniendi veritatem, vel magnâ difficultate repetendi primum conjugem jam dimiſſum; poſſint, inquam, ad converſionem faciliorem reddendam, vel ad converſorum manutentionem in fide, & obedientiâ legum Eccleſiaſticarum, diſpenſare cum ejuſmodi converſis, ut poſſint poſt Baptiſmum contrahere verum matrimonium in facie Eccleſiæ. Hoc enim modo Sanctitas Veſtra infidelibus illis aditum ad Eccleſiam patefaciet, quem Dæmon occludere conatur: prout de Veſtræ Sanctitatis benignitate ſperare jubet. Quam Deus &c. His ſubdit Hiſtoricus:

50. Urbanus VIII. indicto ſapien-

ſuum Virorum ſuper ea re conſulto, pronuntiavit, non videri ſibi ſpeciali ſuâ diſpenſatione opus eſſe, ubi Doctorum ſententiæ utrimque probabiles intercederent: ſequerentur opiniones pro conditione locorum, ac hominum, Barbaris favorabiliores; ſalvâ interim utriuſque partis auctoritate, ſinerent doctis hominibus ſentiendi libertatem. Conſtans igitur Sociorum, plerorumque in his terris degentium, opinio praxi confirmata fuit, horum barbarorum matrimonia, ob rationes ſupra relatas, nulla eſſe, & poſſe barbaros ad Fidem converſos, quamcumque baptizatam, rejectis aliis, in conjugem ſumere. Quamquam eam ſemper adhibuêre cautelam, quam rei gravitas poſtulabat. Hactenus P. Nicolaus del Techo.

51. Poſtquam hæc attulit Terillus, ſubjungit: *Ex hac narratione multa ſciuntur. Primum eſt, Urbanum VIII. à Miſſionariis Euangelicis interrogatum fuiſſe, quomodo in re difficili, ad Jus naturæ, atque matrimonii validitatem ſpectante, ſe gerere deberent. Hi enim, ut abſque ſcrupulis, ac tutiùs procederent, ſuppliciter rogarunt, ut facultatem cum infidelibus illis ad fidem converſis diſpenſandi tribuere dignaretur, quando poſt factum examen dubium adhuc eſſet, an matrimonium in infidelitate contractum eſſet validum &c. Pontifex, quòd ſui muneris erat, eos directurus, ac ſaluti, & conſcientiis tam Miſſionariorũ, quàm infidelium converſorum conſulturus, examen peritorum adhibuit, illoque præmiſſo, reſpondit, ſibi videri, opus non eſſe ſpeciali diſpenſatione, quando probabiles hinc inde Doctorum ſententiæ exiſterent; ſequerentur proinde opiniones Barbaris favorabiliores, ſic enim tutos fore, nec alio opus eſſe ad dubia ſcrupuloſque tollendos. Hoc reſpondit Pontifex; & niſi hoc reſpondiſſet, quæſtioni petitæ non ſatisfeciſſet, nec oves anxias, quod humillimè petebant, direxiſſet. Hæc autem reſponſio prorſus docet, licitum illis eſſe ſectari quamcumque opinionem certò probabilem barbaris favorabiliorem, quamvis illa minùs probabilis fuerit. Ergo Urbanus VIII. quoad omnia benignam ſententiam eſſe veram non tam cenſuit, quàm curam ovium exercens, fideleſq; requiſitus poſt maturam conſultationem paſcens, declaravit.* Hec Terillus

52. Sed, cùm primùm Tomus ille novus Terilli de rectâ Regulâ morum in Hiſpaniam advectus eſt; quidam Profeſſor ex noſtris in hac controverſia de uſu & abuſu opinionum probabilium accuratè verſatus, illum totum avidiſſimè evolvit, ut videret, an Terillus aliquid denuo afferret, quo efficaciter ſententiam benignam ſuaderet. Nihil autem novum invenit maiori conſideratione dignum, quàm ſupradictum argumentum, ex reſponſione Urbani VIII. petitum. Sed tamen re bene inſpectâ, deprehendit magnam in eo latere æquivocationem, neque deciſionem Pontificis ullo modo benignæ ſententiæ patrocinari. Quare Diſſertationem concinnavit ſolidam, & valdè eruditam, in quâ fundamentum illud Terilli, quod primo aſpectu videri poterat magni momenti, penitus evertit. Vidi ego Diſſertationem illam, & mihi maximè placuit, fecique deſcribi, illamque ſervavi. Et quia circa hoc punctum nihil efficacius adduci poſſe exiſtimo, illam hic exhibeo ad confirmationem veritatis, quam unicè quæro.

53. In ea ergo Diſſertatione, propoſitâ priùs Deciſione Urbani VIII. quam Terillus refert ex Hiſtoria Paraquariæ circa matrimonia Gentilium Guaranæ gentis; tria præcipuè notat, & ſigillatim oſtendit prædictus Recentior. Primum eſt, nullum in præſenti Decretum authenticum Summi Pontificis à Terillo adduci, quod certam fidem efficiat, aut in toto rigore verborum explicari & accipi à nobis debeat. Secundum, in eâdem Pontificis Declaratione, congruenter expoſitâ, nihil omnino contineri noſtræ Doctrinæ contrarium; ideſt, nihil ex quo poſſit inferri benigna ſententia de uſu licito opinionis minùs probabilis & minùs tutæ, in concurſu probabilioris & tutioris. Tertium, interpretationem Deciſionis Pontificiæ à Terillo factam nullo modo poſſe ſubſiſtere. Quæ omnia ordine ſuo, & eiſdem formalibus verbis quibus ab eo ſcripta ſunt continenter ſubiicio.

Nul-

Digitized by Google

§. II.

Nullam hìc authenticam Deciſionem Summi Pontificis allegari, quæ certam fidem faciat, & in toto rigore verborum accipi debeat.

54. DIco igitur primò, nullum hìc textum, aut Decretum authenticum Summi Pontificis à Terillo adduci, cui certam fidem habere neceſſarium ſit; ſed tantummodo allegari vocale quoddam Reſponſum Urbani, relatum à P. Nicolao del Techo, qui tamen formalia verba Summi Pontificis non ſcribit, aut notat, ſed ſuo modo, aut ſenſu illud reſponſum enarrat, fortè diſcrepans à vera, & ſincera Pontificis mente, & intelligentia. Nam neque rem ipſam ſatis calluiſſe videtur, neque rationem, & cauſam recurrendi ad Summum Pontificem ſatis aptè, & congruenter exponit, ut ſtatim videbimus. Certè optandum maximè fuerat, ut ſicut hìc Hiſtoricus refert formalia verba, quibus Joannes de Lugo, poſtmodum Cardinalis difficultatem ſubortam in Paraquaria Provincia Urbano expoſuit, ita etiam referret formalia verba, quibus Pontifex eidem difficultati reſpondit, & rem expedivit: quia quod ipſe Pontificem reſpondiſſe tradit, non ſatis videtur rei petitæ congruere.

55. Sed quoquomodo ſe res habeat: illud eſt certum, Terillum in præſenti non tam arguere ex Decreto aliquo, aut textu authentico Summi Pontificis, cujus determinata verba conſtent, quàm ex relatione, & verbis P. Nicolai del Techo. Declarationes verò Summorum Pontificum, aut Reſponſa vocalia, quæ non ſunt edita authenticè, ſed in aliquibus hiſtoriis circumferuntur, nullo modo cenſentur firmam fidem efficere; ut patet inter alia, ex declarationibus trium Summorum Pontificum circa potionem Chocolaticam, quas plerique Theologi parvi pendunt, etiamſi illæ referantur in hiſtoriis non minùs fide dignis, quàm ſit Hiſtoria Paraquariæ Provinciæ. Id videre eſt in Leandro à Sanctiſſimo Sacramento part. 3. Tract. 1. §. 2. Ibi enim quærit: an potio Chocolatica ſit abſolutè, & ſimpliciter licita in die jejunii ex conceſſione Summi Pontificis? & affirmantis ſententiæ Authores, eorumque fundamenta proponit; nempe, quòd ita declaraverant tres Summi Pontifices: præcipuè verò Gregorius XIII. cujus declarationem refert Illuſtriſs. D. D. Fr. Auguſtinus de Padilla Archiepiſcopus Hiſpanicæ in India, lib. 2. Hiſtoriæ Regni Mexicani cap. 84. his ipſis verbis: *Yo hè viſto la conſulta, que ſe hizo al Papa Gregorio XIII. por mano del Doctor Aſpizcueta Navarro, à inſtancia de la Provincia de Chiapa, donde ſe comenzò eſta bebida; y con ſer la relacion harto encarecida, reſpondiò el Papa por dos vezes, que no quebrantaba el ayuno.* Et tamen hoc non obſtante, ſubdit Leander: *Negant verò alii; putantes, neque ex hoc capite eſſe licitam potionem Chocolaticam in die jejunii quia putant dictas declarationes Pontificum, in quibus continentur*, que el Chocolate es bebida, *vel non dari, vel de illis non conſtare authenticè: & ſic nullum habere vim.* Sic etiam cenſet Murcia q. 15. num. 12. & 22. ubi huic argumento reſpondet. *Al quinto ſe reſponde, que las declaraciones, que alegan de los Summos Pontifices, no ſon authenticas; y aſſi no deben ſer admitidas (aunque ſean verdaderas) para el gobierno de la Igleſia: porque, ſi ſe admitieſſen tales declaraciones, Reſcriptos, y Decretos del Papa no authenticos, ſe ſiguieran infinitos abſurdos en la Igleſias.* Ita ille, & alii: ergo ex hoc capite non ſit licita potio Chocolatica in die jejunii. Hæc Leander. Obſecro autem, cur magis fidendum nobis eſt in præſenti, relationi P. Nicolai del Techo, quàm relationi Illuſtriſs. Archiepiſcopi D. D. Fr. Auguſtini de Padilla, qui ſe vidiſſe declarationem Gregorii XIII. teſtatur? Si ergo hæc declaratio Summi Pontificis, quia non eſt authentica, nullam vim habet, idem dici debet de Reſponſione Urbani, quam Terillus adducit ex P. Nicolao del Techo.

56. Deinde, quamvis declarationes Pontificiæ, de quibus non conſtat au-

thenticè, admittendæ forent; tamen in præſenti, cùm Nicolaus del Techo non curaverit ſignanter exprimere formalia verba Summi Pontificis, & fortè Reſcriptum eius non viderit, ſed ex ſolo auditu narraverit, non eſt, cur ejus relatio, quoad omnem apicem æſtimanda, & in omni rigore verborum accipienda ſit. Quin potiùs videtur non admodum ei fidendum eſſe; quia caſum ipſum, ſive difficultatem in Paraquaria ſubortam, & Supplicationem factam Summo Pontifici non aptè refert, & opiniones contrarias Doctorum Scholaſticorum comminiſcitur, ubi nullæ ſunt. Primò enim refert, quòd *Guaranæ Gentis primores ſolebant tot pellices alere, quot eorum libido, & authoritas à popularibus ſuis impetrabat: nec aliud erat majus capeſſendæ Religionis noſtræ impedimentum, quàm cùm monerentur unica uxore Chriſtianos ex Lege Divina contentos eſſe debere*. Poſtea verò ſubdit: *Acceſſit huic obſtaculo nimia quorumdam Sociorum Religioſitas, ejuſmodi homines ad primam uxorem adigere volentium. Alii, dempto ſcrupulo, Religionem Chriſtianam ineuntibus, quamcunque vellent, ex pellicibus, pro uxore permittebant*. Sed enim ſi prima uxor verè fuerat uxor, & non concubina, non erat nimia Sociorum religioſitas, aut ſcrupulus; ſed neceſſaria religio, & Jus Divinum, ejuſmodi homines ad primam uxorem adigere, quando illa non recuſaret Fidem Chriſtianam: neque Summus Pontifex matrimonium illud in infidelitate contractum diſſolveret. Si verò nulla erat uxor legitimo matrimonio copulata, ſed omnes habitæ erant ut pellices, prout ipſe ait: optimè illi faciebant, qui, dempto ſcrupulo, Religionem Chriſtianam ineuntibus, quamcumque vellent ex pellicibus pro uxore permittebant. Neque in hac re diſſenſio ulla inter Socios eſſe poterat circa Jus aliquod dubium, & controverſum, ſed unicè circa Factum: An aliqua ex illis fœminis verè fuiſſet uxor legitima, an non? Quæ cùm ita ſint, nihilominus ita immediatè ſubiungit: *Ob earum opinionum diverſitatem, inde natam, quòd Scholaſtici Doctores de eâ re inter ſe diſſentiant, ad ſummum Legum Interpretem recurſum eſt*. Hic autem duo errata committit. Primum eſt quod ait, *earum opinionum diverſitatem inde natam, quòd Doctores Scholaſtici de ea re inter ſe diſſentiant*. Nam reverà, nulla ibi circa Jus, opinionum diverſitas intercedebat, quæ nata eſſe poſſet ex contrariis Doctorum Scholaſticorum opinionibus; ſed ſiqua erat inter Socios diſſenſio, verſabatur circa Factum illud particulare, de quo Doctores Scholaſtici minimè agunt: An ſcilicet Guaranæ Gentis primores, qui tot ſolebant pellices alere, verum matrimonium cum prima, vel aliqua ex illis fœminis contraxiſſent? Hoc unum in genere Scholaſtici tradunt, quod certum eſt, nempe eſſe etiam inter infideles vera coniugia, & matrimonia legitima, dummodo adſit conſenſus ad valorem matrimonii requiſitus, & ſecundùm leges eorum naturali legi nõ repugnantes peragantur; tametſi Sacramenti vim nullam habeant, niſi in Eccleſia Catholica, & Baptiſmo ſuſcepto, rata fiant. An verò in Guaranæ Gentis hominibus adfuiſſet ejuſmodi conſenſus, fuiſſetque in illis moralis coniunctio viri, & mulieris individuam conſuetudinem retinens, ſive mutua obligatio ad hanc vitæ ſocietatem, & generationis uſum, orta ex eorum conſenſu, verbis, aliiſve ſignis expreſſo, ubinam quæſtio, aut diſſenſio eſt inter Doctores Scholaſticos? Idcirco Card. de Lugo in Supplicatione facta Summo Pontifici, nullatenus meminit diverſarum opinionum, quæ in re præſenti eſſent inter Doctores Scholaſticos; ſed unicè expoſuit quâ ratione in Provincia Paraquariæ *multi pii, & docti viri putarent, attentâ eorum infidelium praxi, non fieri apud ipſos communiter verum contractum matrimonii*; ſed ſolùm eſſe concubinatum; ac proinde ipſis ad fidem converſis, quamcumque vellent uxorem ducere, permitterent: alii tamen ſcrupulum haberent, & cogerent eos ad repetendum primum coniugem; ex quo magna incommoda ſequebantur. Errat ergo Nicolaus del Techo in ipſa narratione caſûs, cùm ponit in-

Digitized by Google

inter Socios opinionum diverſitatem inde natam, quòd Doctores Scholaſtici de ea re inter ſe diſſentiant.

57. Similiter errat, aut certè non congruenter loquitur, dum ait: *Ob earum opinionum diverſitatem, ad ſummum Legum Interpretem recurſum eſſe*. Non enim tunc ad Summum Pontificem recurſum eſt, tamquam ad Legum Interpretem, ut ſcilicet rem aliquam dubiam declararet, ac definiret, legemve aliquam, aut Jus obſcurum interpretatione ſua, & luce, ac ſenſu donaret; ſed præcisè ut facultatem diſponendi concederet, ſeu matrimonium infidelium diſſolvendi in caſu dubii de valore ipſius matrimonii in infidelitate initi; ut conſtat apertè ex eadem ipſa Supplicatione facta Summo Pontifici à Patre de Lugo, cujus formalia verba ſunt: *A Sanctitate Veſtra humiliter petitur.. ut dignetur ex benignitate Apoſtolica concedere* Provinciali *Societatis JESU facultatem, ut ipſe, & hi ex Societate, quibus ipſe converſionem gentis demandaverit, & communicandam cenſuerit, poſſint, occurrente caſu, & facto examine, & manente dubio de valore prioris matrimonii in infidelitate facti, vel magna difficultate inveniendi veritatem, vel magna difficultate repetendi primum coniugem jam dimiſſum; poſſint, inquam, ad converſionem faciliorem reddendam... diſpenſare cum ejuſmodi converſis, ut poſſint poſt baptiſmum contrahere verum matrimonium in facie Eccleſiæ*. Hæc eſt tota Supplicatio facta Summo Pontifici. Hoc autem non eſt recurrere ad ſummum Legum Interpretem, & ad claves ſcientiæ pro deciſione aliqua doctrinali in re dubia, aut controverſiâ de Jure aliquo naturali, aut Divino; ſed ad claves Apoſtolicæ Sedi conceſſas pro facultate diſpenſandi in quodam caſu dubii circa Factum.

58. Malè igitur rem hanc expoſuit P. Nicolaus del Techo, & manifeſtè deceptus eſt, cum dixit: *Ob earum opinionum diverſitatem, inde natam, quòd Doctores Scholaſtici de ea re inter ſe diſſentiant, ad Summum Legum Interpretem recurſum eſſe*. Ergo neque magna ei fides haberi poteſt, aut debet, cum Sanctitatis ſuæ Reſponſum refert; præſertim, cùm illud, prout ab hoc Scriptore traditur; non ſatis videatur Supplicationi factæ à Joanne de Lugo congruere. Certè nullo jure requirere à nobis Terillus poteſt; ut in omni rigore ſtemus verbis, & apicibus hujus hiſtoriæ P. Nicolai del Techo, quandò ille circa cauſam recurrendi ad Summum Pontificem; tam parum aptè locutus eſt, & Reſponſum Sanctitatis Suæ non ſcribit; ſed ex ſuo ſenſu, & intelligentia refert; neque propria verba Pontificis tradit, ſed ſermone ſuo uſus eſt fortè improprio, & ad Pontificis mentem declarandam parum idoneo.

§. III.

Quòd in prædicta Deciſione nihil omnino contineatur Doctrinæ noſtræ contrarium.

59. Aſſero ergo, etiam admiſſo, quòd Summus Pontifex Supplicationi ſibi factæ reſponderit eo tenore verborum, quo ipſius Reſponſum adducitur à P. Nicolao del Techo, nihil tamen inde inferri adversùs doctrinam noſtram. Propoſitum namque fuit Summo Pontifici, Guaranæ Gentis coniugia nullatenus videri legitima; gens quippe ex innata barbarie paſſim coniuges dimittunt, non aliter, ac noſtri famulas, & hoc ſolùm, quia coniux infirmatur, nec coquere cibos poteſt, ac veſtes conſuere, vel domûs curam habere, vel quia jam ſeneſcit; imò frequenter non unam ſolùm uxorem accipiunt, ſed ſimul cum ea omnes ejus filias, vel ſorores, ſi quas habet; ex quibus poſtea donat amicis aliquam, vel famulo in gratiam obſequii, quam poſtea repetit, ſi famulùs diſcedit. Aliis ſola loci mutatio cauſa eſt deſerendi coniugem, ne eam ſecum ferat. His accedit, quod frequenter in his coniugiis non utantur ſigno aliquo externo ſpeciali diverſo ab eo, quo concubinam ad hebdomadam, vel menſem recipiunt, & ita ſæpe non invenitur ſignum externum expreſſivum conſenſûs ad matrimo-

monium requiſiti. Quare pleroſque exiſtimare, non eſſe ſaltem communiter apud illos verum matrimonium, ſed concubinatum, & hanc eſſe multorum piorum, & doctorum virorum opinionem: alios autem ſcrupulum habere, & eos ad Fidem converſos cogere ad repetendum primum coniugem, ex quo magna incommoda ſequerentur. Supplicatum proinde fuit eidem Summo Pontifici ad tollendos ſcrupulos, & dubia, & ad hoc impedimentum auferendum ad illius gentis converſionem ad fidem, ut dignaretur Sanctitas Sua concedere Provinciali Societatis JESU, & his ex Societate, quibus ille communicandam cenſeret, facultatem diſponendi occurrente caſu, & facto examine, & manente dubio de valore matrimonii in infidelitate facti, ut ejuſmodi converſi in facie Eccleſiæ ritè contraherent matrimonium. Pontifex autem huic Supplicationi reſpondiſſe dicitur: *Non videri ſibi ſpeciali diſpenſatione opus eſſe, ubi Doctorum ſententiæ utrimque probabiles intercederent: ſequerentur opiniones pro conditione locorum, ac hominum, Barbaris favorabiliores; ſalvâ interim utriuſque partis autboritate, ſinerent doctis hominibus ſentiendi libertatem.*

60. Sanè verò in hoc pronuntiato evidens eſt, ſermonem non eſſe de opinionibus contradictoriis utrimque probabilibus, quæ inter Doctores extarent circa Jus aliquod dubium, & controverſum; quia neque Joannes de Lugo in Relatione, & Supplicatione facta Summi Pontifici ullas hujuſmodi opiniones retulit, neque reverâ ullæ ſunt inter Doctores Scholaſticos ſententiæ utrimque probabiles, quæ ad rem præſentem ſpectarent, ut infra oſtendam. Solummodo ergo Pontifex loquitur de opinionibus illis variis, quæ hinc, & inde inter Socios JESU Paraquariæ intercedebant circa Factum illud, an ſcilicet matrimonia infidelium Guaranæ Gentis fuiſſent legitima, & valida? An potiùs nulla, ex defectu conſensûs ad matrimonium requiſiti, vel ex defectu omnis ſigni externi expreſſivi conſensûs interni? Nam multi pii, & docti viri putabant communiter non fieri apud ipſos verum matrimonium, & omni ſcrupulo dempto Religionem Chriſtianam ineuntibus, quamcumque vellent, in uxorem ducere permittebant: alii autem ſcrupulum habebant, ac proinde cogebant eos ad repetendum primum coniugem. Et poterant quidem eſſe illorum varię opiniones, quæ non tam eſſent contrariæ, quam diverſæ, pro diverſitate circumſtantiarum, locorum, & hominum. Poterat etiam fieri, ut unus, & idem ex Noſtris ſimpliciter opinaretur, & crederet, matrimonium unius, in infidelitate factum, fuiſſe nullum, alterius verò coniugium fuiſſe validum, & legitimum; & utrumque rectè judicaret: quia factum ipſum non erat unum, ſed multiplex, & varium; circa quod poterant eſſe multorum piorum, & doctorum virorum ſententiæ probabiles utrimque, imò etiam veræ, quia non erant oppoſitæ, ſed variæ. Quo poſito rectè illis iniunctum fuit: *ut ſequerentur opiniones pro conditione locorum, ac hominum barbaris favorabiliores*: opiniones ſcilicet, quas ipſi in ſingulis caſibus haberent barbaris favorabiliores. Nam quandocumque facto examine ſufficienti in ordine ad inquirendam veritatem, ſimpliciter opinabantur, & abſolutè cenſebant, prius matrimonium in infidelitate contractum fuiſſe nullum, poterant tutâ conſcientiâ ſequi hanc opinionem barbaris favorabiliorem, & iuxta eam abſolutè permittere, ut uxorem ducerent, quamcumque vellent. Simul autem eiſdem iniunctum eſt, ne alios, ſi qui eſſent, qui ſcrupuloſiùs agerent, ea de cauſa vexarent, *ſed ſalvâ interim utriuſque partis autboritate, ſinerent doctis hominibus ſentiendi libertatem.*

61. Hæc cuncta ſunt, quæ in prædicta Urbani ſententia continentur, & nihil prorſus aliud. In his autem nihil eſt doctrinæ noſtræ contrarium; Quippe id ſolùm ex Deciſione Summi Pontificis inferri legitimè poteſt, non requiri in rebus omnibus certitudinem ad rectè, & prudenter agendum, neque ſemper debere nos tutiora ſectari, ſed acquieſcere poſſe, cùm poſt diligentem in-

Digitized by Google

inquiſitionem veritatis, ſimpliciter opinamur aliquid nobis licere, etſi de hoc non habeamus omnimodam certitudinem; ut contingebat in præſenti caſu piis illis, & doctis viris, qui poſt factum examen putabant, communiter non fieri apud infideles Guaranæ Gentis verum contractum matrimonii: & ex hujuſmodi opinione, quam veram cenſebant, permittebant eiſdem, quamcumque vellent, uxorem accipere; quem agendi, & procedendi modum Pontifex approbavit, dixitque ad id non opus eſſe ſpeciali ſua diſpenſatione. Hoc autem non eſt contra nos; quia nullo modo aſſerimus, homines obligatos eſſe ad ſequendum ſemper opiniones tutiores, ideſt ſtrictas, & rigidas omnes; neque volumus eos teneri ſemper certò ſcire veritatem; ſed potiùs dicimus, probabile rectè explicatum ſufficere pro regula morum, neque neceſſarium eſſe dictamen evidens ad non peccandum. Quare duo extrema volumus eſſe vitanda. Primum, aliquorum obligantium ad ſciendum certò, & ſemper veritatem; quod eſt nimium. Secundum, aliorum aſſumentium pro regula obiectiva morum probabile quoddam, conveniens utrique parti contradictionis, æquè indifferenter ſe habens ad verum, & falſum; quod etiam eſt nimium.

§. IV.

Refutatur prima illatio Terilli: atque inde explicatio Deciſionis Pontificiæ à nobis tradita, denuo confirmatur.

62. Videamus quæ, & qualia ſint conſectaria, quæ Terillus ex prædicta Urbani deciſione deducit. *Ex hac narratione*, inquit, *multa ſequuntur. Primum eſt, Urbanum VIII. à Miſſionariis Evangelicis interrogatum fuiſſe, quomodo in re difficili ad Jus naturæ, atque matrimonii validitatem ſpectante ſe gerere deberent. Hi enim, ut abſque ſcrupulis, & tutiùs procederent, ſuppliciter rogarunt, ut facultatem, cum infidelibus illis ad fidem converſis diſpenſandi tribuere dignaretur, quando poſt factum examen, dubium adhuc eſſet, an matrimonium in infidelitate contractum eſſet validum*. Jam hic Auctor videtur confundere res omnino diverſas. Nam rogare Pontificem, ut facultatem illam tribuere dignaretur, non eſt ipſum interrogare, quomodo in re difficili, & controverſa ſe gerere deberent: neque quæſtionem proponere ab ipſo decidendam; ſed facultatem petere, quam ipſi non habebant. Proſequitur, & ait; *Pontifex, quod ſui muneris erat, eos directurus... reſpondit, ſibi videri opus non eſſe ſpeciali diſpenſatione, quando probabiles hinc inde Doctorum ſententiæ intercederent; ſequerentur proinde opiniones Barbaris favorabiliores: ſic enim tutos fore, &c. Hoc reſpondit Pontifex. Hæc autem reſponſio* (inquit Terillus) *prorſus docet, licitum illis eſſe ſectari quamcumque opinionem certò probabilem barbaris favorabiliorem, quamvis illa minùs probabilis fuerit*. Hactenus ille.

63. Sed hæc non ſubſiſtunt: primò enim Terillus ponit, vel ſupponit Pontificem locutum eſſe de contrariis Doctorum opinionibus utrimque probabilibus, circa Jus aliquod dubium; cùm tamen Pontifex loquatur ſolùm de opinionibus, quas Miſſionarii Paraquariæ pii, & docti viri habebant circa matrimonia infidelium Guaranæ Gentis; meritò approbans, quòd ſequerentur opiniones barbaris favorabiliores, quandocumque eas haberent; ideſt, quando, attenta eorum praxi, & conſuetudine, & facto examine, ſimpliciter opinarentur, & verum cenſerent eorum matrimonia non fuiſſe vera, & valida. Tunc enim licitum erat, & prudentiſſimum conſilium, permittere ipſis, ut aliud denuo matrimonium contraherent.

64. Secundò, non rectè aſſerit, Pontificem prorſus docere, licitum eſſe illis ſectari quamcumque opinionem certò probabilem Barbaris favorabiliorem, *quamvis illa minùs probabilis fuerit*. Hoc enim additum non extat in Reſponſione Pontificis, ſed illud Terillus addit de ſuo, ut patet. Non ergo Pontifex

præ-

præſcripſit, aut approbavit, ut ſequerentur opinionem minùs probabilem, ſed ut ſequerentur opinionem barbaris favorabiliorem. At quam opinionem? utique illam, quâ multi pii, & docti viri, & plerique ex Miſſionariis Paraquariæ putabant non fieri ab infidelibus Guaranæ Gentis verum contractum matrimonii, ſed eſſe ſolùm concubinatum; ac proinde nullum extare impedimentum, quò minùs illi ad fidem converſi, poſſent, quamcumque vellent, in uxorem ducere. Hæc autem opinio non videbatur ipſis minùs probabilis, ſed cenſebatur longè veriſimilior, & abſolutè vera; neque Romæ viſa eſt minùs probabilis; quin imò attentâ eorum infidelium praxi, & conſuetudine, & relatione factâ à Joanne de Lugo, videri ſanè potuit moraliter certa, eâ omni certitudine, quæ in hujuſmodi rebus haberi poteſt. Cùm ergo Pontifex ſolummodo approbaverit, ut ſequerentur hujuſmodi opinionem barbaris favorabiliorem, quando ipſi Miſſionarii, homines docti, & pii, illam haberent; neque ullo modo affirmaverit in univerſum, licitum illis eſſe ſectari quamcumque opinionem certò probabilem, licet illa minùs probabilis fuerit; neque dixerit, permittendum eſſe, ut infideles illi ad fidem converſi aliud de novo matrimonium contraherent, quando veroſimilius cenſeretur, eorum prius matrimonium in infidelitate contractum fuiſſe legitimum: Cùm, inquam, hæc ita ſint, unde, aut quomodo infert Terillus, Pontificem declarâſſe, licitum eſſe uſum cujuſcumque opinionis certò probabilis, etiamſi illa minùs probabilis fuerit, & opinio contraria tutior ſit, & ab operante cenſeatur, aut abſolutè vera, aut longè veriſimilior?

65. Tertiò: Interpretatio Terilli nullo modo poteſt ſubſiſtere: quia exinde fieret, Summum Pontificem docuiſſe propoſitionem, quæ poſtea authenticè damnata eſt à Sede Apoſtolica. Hoc patet: quia tota diſſenſio, & quæſtio in caſu præſenti erat circa rem, ex cujus veritate pendebat neceſſariò valor, aut nullitas Sacramenti; atque ita ipſe Terillus ait, Urbanum VIII. *interrogatum fuiſſe à Miſſionariis, quomodo in re difficili ad Jus naturæ, & validitatem matrimonii ſpectante, ſe gerere deberent?* Aliunde verò contendit Pontificem, ut ſaluti, & conſcientiæ tam Miſſionariorum, quàm infidelium converſorum conſuleret, & quæſtioni petitæ ſatisfaceret, reſpondiſſe, *licitum illis eſſe, ſectari quamcumque Opinionem, certò probabilem, Barbaris favorabiliorem; quamvis illa minùs probabilis fuerit*: ergo ex reſponſione Summi Pontificis, ut explicatâ à P. Terillo, ſequeretur, licitum eſſe in ſuſcipiendis, & conferendis Sacramentis ſequi opinionem etiam minùs probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore. Atqui hæc eſt doctrina authenticè jam damnata à Sede Apoſtolica; ut conſtat ex Decreto Innocentii XI. edito anno 1679. die 2. Martii, in quo damnavit, & prohibuit 65. propoſitiones, *ut minimùm tamquam ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas*; quarum prima hæc eſt: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi.* Ergo illatio Terilli non ſubſiſtit.

66. Quartò: prædicta illatio Terilli non ſolùm eſt falſa, ſed ipſi etiam Terillo contraria. Ille enim quæſt. 24. de Conſcientia Probabili, & in hoc ipſo tract. de Regula Morum, ſæpiſſimè docet, non licere Sacramentorum Miniſtro in re ſpectante ad Sacramenti valorem, ſequi opinionem minùs probabilem, minùſque tutam: & ejuſmodi probabilitatem eſſe purè ſpeculativam, non practicam: *Nam licet probabile ſit*, inquit ille quæſt. 24. num. 6. *Sacramentum ex materia, vel forma probabili confectum, eſſe validum Sacramentum, non tamen eſt probabile, quòd Sacramentum extra caſum neceſſitatis confici poſſit ex tali materia, & forma.* Ergo dum ait, *Pontificem à Miſſionariis Evangelicis interrogatum, quomodo in re difficili ad Jus naturæ, atque matrimonii validitatem ſpectante ſe gerere deberent, reſpondiſſe, licitum eis eſſe in eo caſu ſectari quamcumque Opinionem, certò probabilem,* bar-

barbaris favorabiliorem, *quamvis illa minus probabilis fuerit*, planè hic Author ſecum ipſo pugnat, & priorem ſuam doctrinam evertit.

67. Sed ut hæc omnia clariora fiant, & rei veritas, atque explicatio Reſponſionis Pontificiæ à nobis tradita ampliùs eluceſcat, rogo nunc Terillum, aut quemvis alium Terilli ſtudioſum, ut palam nobis dicat, quænam eſset quæſtio de Jure ad præſentem caſum ſpectans, in qua Doctorum ſententiæ utrimque probabiles intercederent, & in qua Summus Pontifex opinionem barbaris favorabiliorem ſectandam eſse duxerit, quamvis illa minùs probabilis fuerit? Certè Terillus nullam ejuſmodi quæſtionem aſſignat, neque ullo modo determinat, aut inſinuat, quænam eſset opinio illa probabilis, quam Miſſionarii tutò ſequi poterant in præſenti caſu, etiamſi non de veritate, ſed de ſola ejus probabilitate conſtaret. Ego non aliam hujus ſilentii cauſam agnoſco, niſi quòd talem opinionem nullibi reperire potuit, neque reverâ extat apud Doctores opinio illa merè probabilis, quam Miſſionarii Euangelici in re præſenti, tutâ conſcientiâ ſequi poſsent.

68. Et quidem poſtquam ex ſinceriſſimo veritatis ſtudio rem hanc diligenter evolvi, ſolùm inveni, duplicem hìc excogitari poſſe quæſtionem de Jure. Prima eſt, an in dubio Facti, & diſsenſione orta circa valorem, aut nullitatem matrimonii in infidelitate contracti, poſſent converſi ad fidem aliud denuo matrimonium pro libito ſuo contrahere, etiamſi æquè probabile, vel probabilius cenſeretur, prius matrimonium fuiſſe validum, neque illud authoritate Pontificis diſſolveretur? Secunda eſt; an in præſenti caſu ſufficeret habere opinionem moraliter certam de nullitate prioris matrimonii (qualem reipsâ Miſſionarii habebant) ut omni ſcrupulo dempto, quamcumque vellent, uxorem ducere barbaris illis permitterent?

69. Fortè igitur erit aliquis Terilli ſtudioſus, qui dicat, primam illam quæſtionem eſſe inter Miſſionarios Paraquariæ agitatam; & in ea quidem probabiles Doctorum ſententias utrimque intercedere. Nam quærunt Doctores, an dubius de impedimento dirimente contrahere matrimonium poſſit? Et in hac quæſtione inveniuntur duæ ſententiæ oppoſitæ; prior, & communior eſt, quam ſequitur Layman lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 3. num. 23. & Caſtro-Palao de Conſc. diſput. 3. part. 8. num. 10. nempe, dubitantem de impedimento dirimente non poſſe licitè matrimonium contrahere: excipiunt aliqui dubium de impotentia: quia illud vix aliter ſuperari poteſt, quàm per uſum matrimonii. Poſterior ſententia eſt, quam primus docuit Thomas Sanchez lib. 8. de Matrim. diſput. 6. num. 18. & ſequitur Diana part. 10. tract. 13. reſol. 1. nempe, in eo dubio, etiamſi magis propendeatur in eam partem, ut ſit impedimentum, ſtandum eſſe pro libertate contrahendi matrimonium. Hanc igitur anſam arripiet aliquis, & dicet, diſſenſionem inter Miſſionarios Paraquariæ inde natam fuiſſe, quòd facto examine, & manente dubio de impedimento dirimenti, probabilis ſit opinio Doctorum, poſſe quem licitè matrimonium contrahere, & ſic nonnulli contenderent in dubio de nullitate, aut valore prioris matrimonii, permittendum eſſe barbaris novum conjugium ex hac opinione probabili: alii verò opinionem contrariam, ut probabiliorem, & tutiorem ſectandam eſſe vellent. Urbanum autem ea de re conſultum pronuntiâſſe, non videri ſibi ſpeciali ſuâ diſpenſatione opus eſſe, ubi Doctorum ſententiæ utrimque probabiles intercederent. Ac ſi res ita eſſet, planè Terillus triumpharet.

70. Sed inopinabile prorſus eſt, hanc fuiſſe diſſenſionem inter Miſſionarios ſubortam, ac deciſionem ab Urbano traditam. Primò: quia ex relatione, & ſupplicatione facta Summo Pontifici, conſtat apertè, eos ſolummodo Miſſionarios permiſiſſe barbaris, quamcumque vellent ex pellicibus, pro uxore, qui putabant, eas pellices fuiſſe, neque fieri apud ipſos verum contractum matrimonii. Nemini autem venit in mentem permittere, ut in caſu dubii, & manente dubio

de valore prioris matrimonii, aliud denuo conjugium pro libito inirent, abſque ulla diſpenſatione Pontificis, quâ prius matrimonium diſſolveretur, ſi fortè fuiſſet validum; quod eſſet enormis error, & ſcelus immane à piis, & doctis viris omnino alienum.

71. Secundò: quia in dubio de nullitate, aut valore prioris matrimonii, ſi quis novum in Eccleſia conjugium inire vellet, non ſolùm exponeret Sacramentum periculo invaliditatis abſque ulla cauſa, ſed etiam ſeipſum exponeret voluntariè periculo incontinentiæ materialis committendæ in redditione debiti, ſi alter, opinans matrimonium eſſe validum, poſtea debitum petat; tenebitur enim petenti reddere, ne ſe periculo maioris peccati exponat: cap. *Dominus*; de Secundis nuptiis. Quin imò, & ſe etiam exponeret graviſſimo periculo incontinentiæ formalis committendæ in petitione debiti, quandoquidem cohabitatio eiuſmodi periculum creet. Quomodo igitur non ſit illicitum in eiuſmodi laqueos, & pericula ſe ſponte conjicere?

72. Tertiò: quia is, qui dubitat, an aliqua puella ſit ſua proles, ducere eam non poteſt, etiamſi Jus in ordine ad alimenta, & ſucceſſionem præſumat, ipſam eſſe alterius, l. *Adoptivus*. §. 2. ff. de Ritu nuptiarum. *Dicendum eſt, ut pater filiam non poſſit ducere ... etſi dubitetur, patrem eum eſſe.* Nefas ergo eſt contrahere matrimonium, quando adeſt dubium de impedimento dirimente ex lege naturæ.

73. Quartò: quia Authores illi, qui docuerunt, poſſe quem in dubio de impedimento dirimente licitè matrimonium contrahere, excipiunt caſum, in quo dubium ſit de impedimento ligaminis, ſeu vinculi alterius matrimonii iam contracti, ut videre eſt apud P. Ludovicum Scildere de Conſcientia tract. 6. cap. 7. §. 2. num. 64. Et ratio diſcriminis eſt, quia in dubio, an ſubſit aliquod aliud impedimentum dirimens præter ligamen, poſſeſſio dicitur ſtare pro dubitante; & hoc eſt unicum fundamentum, quo P. Sanchez, & alii nituntur, ut dicant, in eo dubio ſtandum eſſe pro libertate ad contrahendum matrimonium: quoniam homo ex ſe libertatem hanc poſſidet, & nemo eſt tali poſſeſſione ſpoliandus, donec impedimentum probetur: *Nemo enim*, inquiunt, *abſque certo jure debet ſpoliari poſſeſſione ſuâ.* Quamvis autem hæc ratio (quæ abſolutè eſt prorſus inefficax) aliqualem vim cenſeatur habere, quando quis dubitat de aliis impedimentis præter ligamen; nullam tamen vim habet in dubio, an ſubſit impedimentum ligaminis; quin potiùs efficaciter probat oppoſitum. Nam quando quis dubitat, an matrimonium cum alia initum, & conſummatum, fuerit validũ, cenſendus iam eſt ei alligatus tamquam uxori, & poſſeſſio, & favor, & præſumptio ſtat pro matrimonio; ita ut non liceat dubitanti de valore matrimonii iam contracti ab eo recedere: ut inter alios demonſtrat P. Cardenas in Criſi Theologica diſput. 17. cap. 7. & 9. quia ubi poſſeſſio eſt certa, nemo poteſt iure ab ea deturbari ob ſolas rationes probabiles circa proprietatem, præſertim ſi poſſidenti faveant pares aliæ, aut etiam efficaciores rationes pro dominio, & proprietate ſua. Sed in matrimonio, præcipuè conſummato, alter conjux habet poſseſſionem certam in corpore alterius: ergo non poteſt deturbari à tali poſseſſione ob ſolas rationes probabiles de proprietate, id eſt, de nullitate, aut valore matrimonii. Minor, & conſequentia ſunt indubitabiles, inquit Cardenas, ubi ſupra num. 38. Maior autem, quam ipſe ait à ſe demonſtratam eſse, demonſtratione non eget: eſt enim indubitatum utriuſque Juris effatum: *In dubio, aut pari cauſa potius eſſe, & melius jus poſſidentis*; nempe ubi ſermo eſt, ut in præſenti caſu, de poſseſſione bonorum, quæ Juſtitia adminiſtrat; non verò de commentitiis poſseſſionibus, quas moderni Probabiliſtæ ubique obtrudunt in materia cuiuſcumque virtutis, altercantes etiam de iure poſseſſionis dierum, & horarum.

74. Hinc P. Thomas Sanchez lib. 1. de Matrim. diſp. 18. num. 5. quaſi principium certum ſtatuit cum communi Canoniſtarum ſententia, cauſam matrimonii contracti eſse valde favorabilem,

atque

Digitized by Google

atque adeo in dubio ſtandum eſse pro matrimonii valore. Id enim conſtat ex cap. *Ex literis*. de probation. & ex cap. fin. de Sententia, & re iudicata. Neque ullâ ratione probat, aut probabile reputat, quod ſolus P. Henriquez ſcripſiſse videtur lib. 2. de Matrim. cap. 11. nempe dubitantem de conſenſu, ut olim poſt ſponſalia, an acceſserit affectu conjugali, liberum ſe exiſtimare poſse in conſcientia ab onere matrimonii; ſicut ab onere dubii voti: id enim eſt contra omnes, neque ullam veriſimilitudinem habet, vel ſpeciem. Nam illud de voto in dubio non obligante locum habet, ut ſummum in voto ſimplici, ubi nulla eſt traditio; & ſic non eſt poſseſſio ex parte alterius, quæ prævaleat: qualis eſt in matrimonio.

75. Eandem Juris Eccleſiaſtici evidentem eſse, ait P. Cardenas tract. 1. diſp. 19. cap. 7. num. 72. adeoque certam, & evidentem eſse deciſionem, quæ tradit, in quovis dubio, aut merâ probabilitate circa valorem matrimonii ſtandum eſse pro eius valore. Deinde verò num. 66. ſtatuit, non eſse merè Juris humani hunc favorem matrimonii, ſed Juris Divini naturalis, vel poſitivi, quod egregiè probat num. 69. ex cap. *Licet ex quadam*. de teſtibus, & atteſt. ubi Innocentius III. in Concilio Lateranenſi reddit rationem, quare in dubio potiùs ſtandum ſit pro valore. matrimonii, quàm pro libertate contrahentium, his verbis: *Tolerabilius eſt enim, aliquos contra Statuta hominum* (teſtimonia atteſtantiũ de impedimento, aut nullitate matrimonii) *dimittere copulatos, quàm conjunctos legitimè contra Statuta Domini ſeparare*. Cujus ſenſus eſt, cùm adſunt teſtimonia, vel ſigna non ſatis certò probantia, impedimentum dirimens, ex quibus reſultat dubium, vel incertitudo nullitatis, è duobus malis minus eligendum eſse, & à majori cavendum. Etenim ſi aliqui dimittantur copulati, qui coram Deo non ſint legitimi conjuges, imminet inde malum fornicationis; ſi verò ſeparentur, qui coram Deo ſunt legitimè conjugati, inde imminet malum injuſtitiæ contra fidem matrimonii indiſsolubilem: eſt autem majus malum, & potiori jure vitandum, quod eſt contra id genus juſtitiæ, quàm quod pugnat contra caſtitatem. Ubinam ergo ſtat, aut umquam fuit opinio illa Doctorum probabilis, quæ aſſerat, licitum eſſe alicui novum matrimonium contrahere, quando poſt factum examen, dubium adhuc eſt, an prius matrimonium ab eo contractum fuerit invalidum.

76. Quintò, certum eſt, conjugem, qui poſt adhibitam diligentem inquiſitionem veritatis manet dubius de nullitate, aut valore matrimonii, teneri ad reddendum debitum alteri conjugi petenti: ergo pariter certum eſt, non poſſe à matrimonio recedere, & alteri nubere. Hæc conſequentia eſt evidens, quia reddere debitum, & recedere à matrimonio non ſunt compoſſibilia. Antecedens autem patet: quia ita definitur in cap. *Inquiſitioni*: de Sent. excom. ubi Innocentius III. rogatus, quid conjux dubius de morte prioris conjugis facere deberet, reſpondit: *Cùm conſcientia pulſat animum ex credulitate probabili, & diſcretâ, quamvis non evidenti, & manifeſtâ, debitum quidem reddere poteſt, ſed poſtulare non debet: ne in alterutro, vel contra legem conjugii, vel contra judicium conſcientiæ committat offenſam.* Ubi illud *reddere poteſt*, ſignificat ex neceſſitate contextûs idem quod, *reddere debet*. Ait enim, *ne in alterutro, vel contra legem conjugii, vel contra judicium conſcientiæ committat offenſam.* Unde patet manifeſtò, quòd ſi conjux in eo caſu probabilis nullitatis negat debitum, peccat contra legem conjugii, atque adeo definit Pontifex, quòd in eo caſu, ne peccet contra legem conjugii, tenetur reddere debitum. Et ideo P. Thomas Sanchez lib. 2. de Matrim. diſp. 44. num. 3. qui non dedit formalia verba, attendens potiùs ad ſenſum, in prædicto textu appoſuit, *reddere debet*. Idem etiam habetur cap. *Dominus*, de Secundis nuptiis; his verbis: *Si verò aliquis, vel aliqua id hactenus non ſervavit, & de morte prioris conjugis adhuc ſibi exiſtimat dubitandum, ei, quæ ſibi nupſit, debitum non deneget poſtulanti; quod à ſe tamen noverit nullatenus exigendum.*

Digitized by Google

77. Sextò; ſi ſufficeret quælibet probabilitas de nullitate matrimonii, ut poſſit quis validè, & licitè recedere ab eo, ſufficeret etiam eadem probabilitas de diſſolutione prioris matrimonii, ut poſſit quis ad ſecundum matrimonium tranſire: nam eadem prorſus ratio eſt, ut utrobique cenſeatur ligatus. Sed ad hoc non ſufficit quævis probabilitas, aut æqualis, aut minor de diſſolutione prioris matrimonii; ſed requiritur certitudo moralis: ergo neque ſufficit quælibet probabilitas de nullitate matrimonii, ut quis licitè, & validè poſſit ab eo recedere. Major videtur evidens, & conſequentia eſt legitima. Minor autem clariſſimè continetur in Sacris Canonibus: nam cap. *Dominus*, de Secundis nuptiis. dicitur: *Sanè ſuper matrimoniis, quæ quidam ex vobis (nondum habitâ obeuntis conjugis certitudine) contraxerunt, id verbis reſpondemus, ut nullus amodò ad ſecundas nuptias migrare præſumat, donec ei conſtet, quòd ab hac vita migraverit conjux ejus.* Ubi non expreſsè poſtulari certitudinem, eò quòd conſtet de morte prioris conjugis. Et cap. *In præſentia*, de Sponſalibus. dicitur; *Quòd mulieres, à quibus mariti etiam ultra ſeptennium abfuerint, non poſſunt ad aliorum conſortium convolare, donec certum nuntium recipiant de morte virorum.* Ubi etiam notanda eſt certitudo nuntii, quam lex poſtulat. Quòd ſi aliqui dixerint, ſufficere probabilitatem de obitu conjugis, ut quis tranſeat ad ſecundas nuptias, intelligendi ſunt de probabilitate maxima ingenerante abſolutum judicium, & opinionem certam, ut in humanis; non de probabilitate minori, aut æquali, vel ferè æquali. Nam quis rationabiliter dicat, quòd in dubio poſitivo, an prior conjux vivat, inire quivis poſſit matrimonium cum alia, etiamſi æquè probabile, aut probabilius ſit, priorem conjugem vivere.

78. Tandem ſi quis eſt, qui exiſtimet in præſenti caſu probabilem eſſe opinionem, quòd infidelibus ad fidem converſis licitum eſſet, aut permittendum aliud denuo matrimonium contrahere, quando, poſt factum examen, dubium adhuc eſſet, an matrimonium prius in infidelitate contractum fuiſſet validum, & illud authoritate Pontificis non diſſolveretur, interrogo ipſum, cuinam ille tunc conjugale debitum reddere teneretur? An poſteriori uxori? At cur non magis priori? Nam illa erat in poſſeſſione, & aliunde par erat cauſa utriuſque in hoc dubio circa proprietatem, ſeu valorem matrimonii: quia ſi prius matrimonium fuiſſet validum, ſecundum certiſſimè erat nullum, eò quòd ſimul plures habere uxores repugnat manifeſtè Juri naturæ, ac Divino. Ergo in dubio æquali de nullitate, aut valore matrimonii prioris, dubium pariter erat de nullitate, aut valore ſecundi; ergo non erat cur ſecundum matrimonium præferendum eſſet priori; quin potiùs præferenda videbatur prima uxor; cùm in dubio, aut pari causâ potius ſit, aut melius ius poſſidentis. An ergo in eo eventu conjugale debitum reddendum eſſet priori conjugi? At ſi ita futurum erat, ſtultiſſimè illis permitteretur, novam ducere uxorem, à qua neque petere conjugale debitum, neque petenti reddere licitè poſſent. An ergo in eo dubio de valore utriuſque matrimonii utrique uxori debitum conjugale reddendum eſſet? Heu monſtrum! Hoc ſolum jam supereſt, ut ſcilicet admittantur ſimul duo matrimonia probabiliter valida, & probabiliter invalida, atque ut beneficio probabilitatis inveniatur modus inter Catholicos, quo unus vir potiatur duabus uxoribus. Hoc modo poterant Miſſionarii amovere ab Ethnicis illis difficultatem, quam reperiebant in amplectenda religione, eò quòd pluralitatem uxorum interdicat, à qua ſe arceri ægrè ferrent. Atque uno verbo dicere poſſènt, quod imperitus quidam Theologus hæreticè, & ſtultè aſſeruit, nempe Indis, pluralitatem uxorum eſſe concedendam in Eccleſia; ut refert Pater Acoſta lib. 6. de Procuranda Indorum Salute capite 21.

79. Evidens ergo ex his omnibus eſt, neque Miniſtros Paraquariæ voluiſſe, ut infidelibus illis ad Fidem converſis permitteretur inire novum conjugium, quan-

Digitized by Google

quando, poſt factum examen, dubium adhuc eſſet, an prius matrimonium fuiſſet validum: neque Pontificem declaráſſe, id licitum eſſe abſque ſpeciali diſpenſatione ſua, quâ prius matrimonium in infidelitate contractum diſſolveretur, ſi fortè validum fuiſſet. Hoc enim eſſet prorſus irrationabile, injuſtum, ſacrilegum, & contra definitionem expreſſam Sacrorum Canonum. Supereſt igitur, ut ſolùm potuerit eſſe inter Miſſionarios diſſenſio aliqua de Jure circa ſecundam partem ſupra poſitam, videlicet, an ſufficeret, habere opinionem moraliter certam de nullitate prioris matrimonii, ut omni ſcrupulo dempto, permitteretur infidelibus ad fidem converſis novum pro libito matrimonium contrahere? Et iſtud quidem eſt, quod P. Joannes de Lugo propoſuit Summo Pontifici, Nempe quòd multi docti, & pii viri omnino cenſebant, non eſſe ſaltem communiter apud Ethnicos illos verum matrimonium, ſed ſolùm concubinatum; ideoque permittebant, quòd conjugem baptizatum reciperent, quando ad fidem convertebantur. Alii verò ſcrupulum habebant, & eos cogebant ad repetendum primum conjugem; ex quo magna incommoda ſequebantur. Ideoque ad tollendos ſcrupulos, & dubia, & ad hoc impedimentum auferendum illius gentis ad fidem, deſiderari, & humiliter peti à Sanctitate ſua, ut facultatem diſpenſandi in caſu dubii tribuere dignaretur. Et Pontifex cenſuit, in eo caſu non opus eſſe ſpeciali diſpenſatione ſuâ; quia ſatis conſtare viſum eſt prædicta infidelium matrimonia fuiſſe nulla. Atque id ſolum eſt, quod Patres Miſſionarii ex Deciſione Summi Pontificis, tandem ſtatuerunt, ut Pater Nicolaus del Techo in ſua Hiſtoriâ concludit his verbis: *Conſtans igitur Sociorum plerorumque in his terris degentium opinio, praxi confirmata fuit, horum Barbarorum matrimonia ob rationes ſupra relatas nulla eſſe; & poſſe Barbaros ad fidem converſos quamcumque baptizatam, rejectis aliis, in conjugem ſumere. Quamquam eam ſemper adhibuere cautelam, quam rei gravitas poſtulabat*. Hæc ergo fuit totius rei concluſio: non quòd alicui liceret, præſertim in re ſpectante ad Sacramenti valorem, quamlibet opinionem ſequi, etiam minùs tutam, & minùs ſibi probabilem. Hucuſq; ſupra laudatus Recentior contra primam illam conſequentiam à Terillo deductam ex reſponſione, quam dedit Sanctiſs. D. N. Urbanus VIII.

80. Cui hoc ſolùm nos ſuperaddere oportet, matrimonia Guaranæ gentis, de quibus in præſenti ſermo eſt, eſse longè diverſa ab aliis infidelium matrimoniis, de quibus latè, & eruditè diſſerit, P. Martinus de Eſparza lib. 10. de Sacram. quæſt. 116. & 117. Et valida eſse contendit, non obſtante, quòd apud eos vigeat conſuetudo repudii: dummodo in ipſo contractu matrimoniali non ſignificetur ullo modo voluntas retinendi poteſtatem, ad repudiandum pro aliquo eventu; nam ſi hæc voluntas aliquâ ratione ſignificetur, eo ipſo deficit forma eſsentialiter requiſita ad verum matrimonium; ut ipſe P. Eſparza, tamquam indubitatum ſtatuit, quæſt. illa 116. ar. 1. Itaque prædicta matrimonia Guaranæ gentis, qualia deſcribuntur in Hiſtoria Paraquariæ Provinciæ à P. Nicolao del Techo, & propoſita ſunt Urbano VIII. à P. Ioanne de Lugo poſtmodum Cardinali, potiùs revocanda ſunt ad ea, de quibus ipſe Pater Eſparza quæſt. 117. art. 16. in hunc modum ſcribit. *Dicendum poſtremò eſt, ſeu potius advertendum, in partibus infidelium aſſuetis repudio, præſertim quæ ſunt admodum barbaræ; nulliuſque, aut vix ullius regiminis, & modi agendi politici, adjungi non rarò conjunctioni, quam putant, & vocant matrimonialem, circumſtantias perabſurdas, ratione quarum matrimonia evadunt nulla. Ex. gr. quòd paciſcantur parentes pro filio, & filia; nullo ipſius præeunte, vel ſubſequente conſenſu &c. Quòd vir, & fœmina invicem copulandi paciſcantur ita, ut mutuæ traditioni ſuperaddatur conditio de recedendo, ſi tale, vel tale quid contigerit, nempe ſterilitas, adulterium, infirmitas incurabilis, ſævitia, occurſus commodioris, aut delectabilioris conſortis; idque vel deducatur in pactum exterius, vel ſit volitum purè internè tam-*

Digitized by Google

quam conditio contractûs, & mutuæ traditionis. In iis enim, & ſimilibus caſibus, & multò magis quando adeſt animus dimittendi pro libito, & qualibet cauſa abſque agnitione ullius juris, aut vinculi mutui, manifeſtum eſt matrimonium evadere nullum ... De matrimoniis modo prædicto ſpecialiter vitiatis, accipiendus eſt Auguſtinus de Bono Conjug. c. 5. Similiter accipiẽdos eſſe puto nonnullos rerum Indicarum Hiſtoricos, dum de matrimoniis earum partium inter Infideles loquuntur contemptim, quaſi de nullis & irritis: id quod cautè, & doctè inſinuatur in Hiſtoria Provinciæ noſtræ Philippinæ conſcriptâ à P. Franciſco Colin par. 1. lib. 2. cap. 21. §. 5. Hæc P. Eſparza: quæ adnotare placuit, ne fortè aliquis exiſtimet eum eſſe nobis contrarium; cùm potiùs in caſu præſentis Diſſertationis (in quo ſcilicet manifeſtè apparet ex conſuetudine ipſa illius Barbaræ gentis, animus dimittendi pro libito, & ex qualibet leviſſima cauſa fœminam conſortem, abſque agnitione ullius iuris, aut vinculi mutui) manifeſtum eſſe velit, nullum intercedere verum matrimonium. Unde tandem idem P. Eſparza eàdem qu. 117. art. 26. componit Illuſtriſs. Dominum Alphonſum Mendez ultimum Æthiopiæ Patriarcham, cum Illuſtriſs. Andrea Oviedo pariter Patriarcha, quorum ſententiæ in hac re videri poſſent contrariæ. Nam Mendez ſtatuit, matrimonia apud Tunkinenſes, aliaſque earum partium gentes eſſe invalida ob defectum intentionis ſufficientis: At Andreas Oviedo Matrimonia Abyſſinorum, Tunkinenſibus ſimilia, cenſuit eſſe valida. Aſſerit ergo Pater Eſparza loco jam citato. *Utrumque accipiendum eſſe cum diſtinctione, & attributione accommoda, ut alter reſpexerit ad ea matrimonia præcisè, quatenus ſubſunt conſuetudini repudii, ideoque meritò illa eatenus approbaverit; alter verò reſpexerit ad abuſus alios enormes, frequenter apud eam gentem ſuperadditos conſuetudini repudii, ideoque etiã ipſe meritò eatenus reprobaverit*. Ejuſmodi autem abuſus enormes, nullibi frequentiùs, aut enormiùs committi, aut excogitari poſse videntur, quàm apud infideles Guaranæ gentis committerentur, ut patebit conſideranti ea omnia, quæ Ioannes de Lugo Summo Pontifici expoſuit. Ergo neque videtur dubitandum, quin eorum matrimonia plerumque forent invalida.

CAPUT VIII.

An Subditus, relictâ opinione probabiliore propriâ magis tutâ, poſſit, vel debeat ſequi opinionem minùs probabilem, minùſque tutam Prælati.

§. I.

Proponitur argumentum pro parte affirmativa.

81. PATER Antonius Terillus in tom. de Conſcientia Probabili quæſt. 23. num. 79. ſic pro ſua ſententia argumentatur. *Omnis Subditus maximè Religioſus, licitè obtemperat Prælato in omnibus, quæ ſunt certò probabiliter honeſta; quod locum habet, etſi probabilius Subdito appareat, quòd res præcepta ſit materialiter illicita*: Ergo licitum eſt ſequi opinionem probabilem minùs tutam in occurſu probabilioris & tutioris. Antecedens latè ibi probat authoritate antiquorum, & recentium Theologorum; & myſticæ Theologiæ Magiſtrorum.

82. Eodem argumento utitur Pater Bardi in Apologia contra Candidum Philalethum lib. 2. Selectarum Moral. §. 9. & ſic arguit ex Epiſtola S. Patris Noſtri Ignatii Religioſos inſtruentis: *Ad ea facienda quæcumque Superior dixerit, ex quodam impetu voluntatis parendi cupidæ ſine ulla prorſus diſquiſitione feramini.* Sit ergo caſus. Aliquis Religioſus laicus magis probabile credat, non eſſe licitum laborare in die feſto per duas horas: ei autem Prælatus præcipiat laborare per duas horas in die feſto: ſtatim obtemperabit. Ergo licitum eſt ſequi opinionem minùs probabilem, relictâ probabiliore, & tutiore. Rurſus: ut Religioſus ille licitè operetur, neceſſe eſt, ut aſſen-

ſum

Digitized by Google

ſum præſtet opinioni Prælati, iudicantis, licitum eſse operari in die feſto per duas horas: niſi enim id ſibi licere iudicet, peccabit operans in dubio, an liceat, vel non liceat; vel operans cum judicio oppoſito, quòd non liceat. At opinio Prælati eſt minùs veriſimilis reſpectu ipſius: ergo licitum eſt aſsentiri opinioni minùs veriſimili, ex imperio nimirum voluntatis, cæco modo obtemperantis Prælato.

§. II.

Fruſtra Probabiliſtæ, ad defendendam virtutem Obedientiæ, recurrunt ad ſententiam benignam de uſu licito opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ; cùm potiùs ex illa doctrina labefactetur maximè obedientia, debita præceptis Superiorum.

83. ITaque Authores benigni, ad defendendam perfectionem obedientiæ, & ſubordinationem, quam debent Subditi habere erga Prælatum, dicunt neceſſarium eſſe defendere, quòd poſſit homo licitè ſequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, relictâ probabiliori, & tutiori. Cæterùm vera doctrina tenet, ſententiam illam benignam, univerſaliter aſſerentem, licere ſequi quamlibet opinionem practicè probabilem, etiamſi ſit minùs tuta, & concurrat cum probabiliori, & tutiori, viam aperire ad eludenda præcepta Superiorum, & vim legum, & conſtitutionum Eccleſiæ enervandam. Ut enim ſapienter Julius Mercorus in Præfatione *Baſis totius Theologiæ moralis* notat; *ſi quando pro morum reformatione prodire contingat novam Conſtitutionem Eccleſiæ; ſtatim Theologi nimis benigni cavillis, limitationibus, interpretationibus, diſtinctionibuſque illam adoriuntur; cum quibus alii plurimi ſtatim dilabuntur incauti, timentes deſeri in ſuis conſiliis,* ſi aliquantò ſeveriores ſe oſtendant: *ſubindeque poſt paucos menſes lex illa inermis, ſauciaque relinquitur ... Hinc meritò hæc opinandi libertas ſemper fuit Eccleſiæ ſuſpecta; ſiquidem pia Mater ſuorum Decretorum indemnitati conſulens, in iiſdem interpretationes quaſcumque edi ſæpiùs inhibuit, ſicuti teſtatus eſt Pius IV. in Bulla confirmationis Conc. Trid. Ad evitandam (inquit) perverſionem, & confuſionem, quæ oriri poſſet, ſi unicuique liceret, prout ei liberet, in Decreta Concilii Commentaria, & Interpretationes ſuas edere Apoſtolica authoritate &c. Namque Summorum Pontificum poſtmodum eſt cura non levis, cùm propterea Prædeceſſorum Conſtitutiones, aliaſque Eccleſiaſticas Sanctiones pro fidelium regimine, à gloſſis tot Interpretum penitus enervatas, renovare coguntur, ab importuniſque opinionibus eas novis clauſulis vindicare, quibus apponendis, inſerendiſque, etiam Datariis ipſis, ſeu aliis, quibus incumbit, quamvis ſapientiſſimis, nunc haud facile negotium faceſſit. Teſtis ſit Conſtitutio de Datis, & Promiſſis, pro juſtitia, vel gratia apud Sedem Apoſtolicam obtinenda, à Bonifacio VIII. olim edita, innovata à Gregorio XIII. & ab Alexandro VII. noviſſimè confirmata, atque contra Interpretes pluſquam centum clauſulis, tum declarativis, tum extenſivis communita: hujus namque diligentiæ in eadem Bulla hæc una obſervatur aſſignata neceſſitas. Cùm ſubinde* (inquit) *variæ evulgatæ fuerint prædictorum Bonifacii, & Gregorii Conſtitutionum Interpretationes, quarum aliquæ ipſarum Conſtitutionum rigorem non ſine earum utilitatis diminutione, & boni publici detrimento contra eorumdem Prædeceſſorum mentē nimis relaxent &c.* Ita ibi P. Julius Mercorus. Senſu non admodum diverſo Antonius Epiſcopus Gandvenſis in Epiſtola Paſtorali ad Clerum ſuæ Diœceſis, adversùs laxiores quorumdam Theologorum ſententias his verbis invehitur. *Experimur* (inquit) *quotidie tantâ paſſim licentiâ novas, ac laxas in doctrina morali excogitari opiniones, & commenta, ut vix quidquam poſthac illicitum facturum ſit, ſi quorumdam placitis acquieſcimus; nec ullum præceptum naturale, aut poſitivum, quod quæſtuoſis illorum probabilitatibus obnoxium non ſit, & eludatur.*

84. Cavere debent fideles, ne facilè cre-

credant Theologis, ſuggerentibus laxas legum interpretationes; timere debent ne illis accidat, quod accidit Prophetæ illi, qui 3. Reg. cap. 13. miſſus eſt ad Regem Jeroboam in Bethel, cui Deus præcepit, ne comederet panem, nec biberet aquam in terra illa, ille verò ſeductus à pſeudo-Propheta, comedit panem cum illo in Bethel, & in pœnam huius inobedientiæ occiſus eſt à Leone. Hunc locum exponens P. Cornelius à Lapide, ad illa verba verſûs 19. *Fefellit eum, & reduxit ſecum: comedit ergo panem in domo ejus*; ſic diſſerit. *Peccavit hic Propheta; quia nimis facilè, & temere credidit alteri Prophetæ mentienti, Deum revocaſſe ſuum præceptum ei datum de non comedendo in Bethel: debuiſſet enim magis eum, ejuſque oraculum ſuo contrarium examinare. Cùm enim Deus ipſe ipſimet clarè juſſiſſet non comedere in Bethel, non debebat credere alteri Prophetæ dicenti Deum hoc præceptum revocaſſe. Poterat enim, & debebat cogitare: Deus mentiri nequit, hic homo mentiri & fallere poteſt: cur ergo, Deo meo relicto, credam homini mendaci? cur pro certo incertum, & dubium amplectar? Certò enim mihi conſtat, Deum abſolutè mihi vetuiſſe comedere in Bethel; quare hic homo, dicens, contrarium à Deo eſſe decretum, utique de fraude & de mendacio ſuſpectus eſt. Nam, ut notat Abulenſis, Deus omnia, quæ præceptis ejus ſupervenire poſſunt, prævidet, & præcogitat. Quare in ejus præceptis non eſt utendum interpretatione & Epiikia: ſecus eſt in mandatis hominum, qui omnia futura prævidere nequeunt, ideoque patiuntur Epiikiam.*

85. Quod autem ſententia illa Probabiliſtarum tamquam principium ſtatuens, licitum eſſe in operando ſequi quamcumque opinionem practicè probabilem, quamvis concurrat cum opinione tutiore, & probabiliore, non deſerviat ad manutenendam, ſed potiùs ad labefactandam obedientiam, facilè probabitur, ſi in medium proferamus ſententiam illam, inter Authores benignos primæ notæ celebrem, qua tamquam principium ſtatuitur, quòd *ſi daretur opinio probabilis docens in aliquo caſu non teneri Subditum obedire Superiori; tunc Subditus, qui credit, eam opinionem eſſe probabilem, non teneretur obedire, licet poſſet: quia poteſt alterutram opinionem tutò ſequi*. Ita in terminis P. Thomas Sanchez lib. 6. in Decal. cap. 3. num. 7. citans Sayrum. Idque tamquam certum ſtatuit Caſtro-Palao p. 1. d. 2. q. 6. ubi inquirit, *An Subditus contra propriam opinionem poſſit, ac debeat Superioris præſcripto obedire*, nam immediatè ſubiungit: *Non eſt controverſia, quando daretur opinio probabilis ex parte Subditi, quòd non teneatur obedire, etiamſi contraria ſit probabilior; tunc enim licitum eſt ex ſupradictis amplecti, quæ ſibi gratior fuerit*. Et ſtatim, præter Sayrum, & Thomam Sanchez, citat Torres, Joannem Sanchez, & Navarrum. Aliunde verò datur opinio probabilis plurium Authorum, quòd Subditus non teneatur Superiori præcipienti obedire, quando opinionem probabilem habet, quòd ſit illicita res imperata. Nam hoc eſſe valde probabile, affirmat idem Caſtro-Palao eo puncto 6. nu. 5. his verbis: *Audeo affirmare, valde probabile eſſe, te obligatum non eſſe Superiori præcipienti obedire, quando opinionem habes probabilem, illicitam eſſe rem imperatam, vel excedentem eius iuriſdictionem*. Idque probat hoc ſyllogiſmo: *Licitum Subdito eſt, non parere Superiori præcipienti, quando eſt opinio probabilis, non eſſe obligatum parere; ſed quando eſt opinio probabilis, non eſſe licitum, quod imperat, vel eſſe extra ejus juriſdictionem, eſt opinio probabilis, non eſſe obligatum parere*: Ergo licitum ſubdito eſt, non parere Superiori præcipienti, quandò eſt opinio probabilis, non eſſe licitum quod imperat, vel eſſe extra eius iuriſdictionem. Minorem probat; *Quia probabilitas opinionis deobligantis Subditum obedire, in nullo alio capite efficaciori fundari poteſt, quàm in eo, quod probabile ſit, rem imperatam illicitam eſſe, vel extra Superioris juriſdictionem*. Ergo &c.

86. Et hanc eſſe probabiliorem ſententiam, defendit P. Franciſcus de Lugo in Diſcurſu prævio ad Theologiam Moralem, ſive de Principiis Moralibus

actuum

actuum humanorum par. 1.cap.3.q.13. n.19. atque ut abſolutè veram defendit. Eandem latiſſimè probat Joannes Sanchez in Selectis diſp. 33. per totam: tenet item Petrus de Ledeſma in tractatu de Statibus, ubi de Religioſis in communi cap. 4. Item P. Stephanus Spinula in Opuſculo de Electione opinionum diſp. ultima ſec. 4. per totam: Januarius part. 1. Reſol. Moral. reſolut. 44. Giragus de regimine Regular. part. 3. dub. 30. Rocafull in Praxi Theologiæ moralis part. 3. dubit. 14. n. 146. quorum omnium rationes, & argumenta affert Diana part. 9. tract.9. reſol. 45.

87. Doctrina ergo illa Probabiliſtarum univerſaliter affirmans, licitum cuilibet eſſe, ſequi opinionem probabilem minùs tutam, etiam in concurſu probabilioris, & tutioris, labefactat obedientiam debitam Superiori præcipienti: ſiquidem Subditus imbutus hâc doctrinâ, non tenebitur obedire Superiori præcipienti rem, de qua ſunt opiniones probabiles contrariæ, an ſit licita, vel illicita. Nam hoc ipſo, quòd ſciat dari opinionem probabilem, quòd res ſit illicita, quamvis ſciat dari opinionem probabiliorem, quod ſit licita; non tenebitur obedire, quamvis poſſit. At in noſtris principiis, quòd nemo poſſit licitè ſequi opinionem minùs probabilem & minùs tutam, in occurſu probabilioris & tutioris, & quòd minùs tutam poſſit ſequi quando eſt probabilior, & operanti ipſi apparet clarè veriſimilior, Subditus non ſolùm poteſt, ſed debet obedire, quando probabilius eſt eſſe licitam rem, quæ præcipitur. Nam tunc poteſt obedire: ſi autem poteſt, tenetur; quia duriſſimum eſt aſſerere, Subditum non eſſe obligatum obedire Superiori præcipienti rem, quam ipſe Subditus antecedenter ad præceptum iudicabat, vel prudenter iudicare poterat, eſſe licitam.

88. Ex alio etiam capite apparet, quantùm labefactet obedientiam doctrina Probabiliſtarum Recentium, etiam primæ notæ: nam aliqui, magni nominis, apud Patrem Caſtro-Palao tract. 1. diſp. 3. punct.13. in fine, affirmant, in dubio, an præceptum ſit de re licita, vel illicita, & ſupra iubentis poteſtatem, cuius executio ſit facilis, teneri ſubditum obedire; ſecus verò, ſi ſit valde moleſta ac difficilis. Quis autem non videat hanc doctrinam non conſulere obedientiæ, ſed libertati ac commoditati?

89. Inſuper nonnulli apud Patrem Thomam Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 3. n. 4. docent, in dubio, an res præcepta ſit licita, teneri quidem Subditum obedire, ſecus in dubio an excedat regulam, & limites poteſtatis Superioris. Quos tamen Thomas Sanchez rectè ibi impugnat; nam potiùs minorem authoritatem habet Superior in res, de quarum honeſtate dubitatur, quàm dum ſolùm dubitatur, an excedat limites eius iuriſdictionis.

Reſponſio ad Argumentum.

90. AD argumentum propoſitum §. 1. reſpondet P. Ludovicus Scildere in ſuo opere de Principiis conſcientiæ formandæ tract. 2.c.4. §. 1. num. 57. Adrianum ſecutus, *Subditum probabiliter opinantem, actum imperatum eſſe peccaminoſum, non poſſe obedire, licet Superior opinetur, eum eſſe licitum. Et, ut poſſet, non teneri. Prima pars ſequitur* (inquit) *ex cap. 2. §. 3. Aſſert. 1. Ubi oſtenſum eſt, quòd quivis in formanda conſcientia, debeat ſequi opinionem propriam contra alienam. Unde Subditus, qui actum opinatur eſſe malum, judicare practicè debet, ſe peccaturum formaliter, ſi actum ponat.* Secundam partem probat; *Quia Subditus talis probabiliter opinatur, quòd res imperata poteſtatem Superioris excedat; cùm nemo actum malum imperare poſſit.*

91. Verùm hic diſcurſus ſolùm probat, non poſſe Subditum obedire in ſenſu compoſito opinionis propriæ, quâ iudicat, actum imperatum eſſe peccatum; non autem, quòd non poſſit, ac debeat obedire abſolutè; deponendo ſcilicet propriam opinionem, & ſe conformando iudicio Superioris prudenter iudicantis rem eſſe honeſtam, & ex hoc iu-

dicio illam imperantis. Non enim Superior in præcipiendo ſe debet conformare iudicio, quod Subditi formarunt de rebus, ſed quod ipſe omnibus inſpectis maturè format: cùm ſit regula certa ex Scripturis, & ex SS. Patribus, Superiori legitimè præcipienti debere Subditum obedire, niſi illi conſtet malum eſſe, quod præcipitur; ſeu debere obedire in rebus omnibus, in quibus non cernitur manifeſtè peccatum: quales ſunt illæ omnes, de quibus eſt controverſia inter Doctores Catholicos, an ſint licitæ an illicitæ. Quare authoritas, & ratio Superioris præcipientis obligat Subditum, ut deponat iudicium illud probabile, quo iudicabat, rem illam eſſe malam; quia illi hæc pars repræſentata fuerat tamquam probabilior, ſeu veriſimilior, quàm pars oppoſita, quam Superior ſequitur: neque enim poteſt obligare Subditum ad executionem illius rei, dum retinet iudicium opinativum prudens, quo ſibi perſuadet rem eſſe malam; quia nequit obligare illum ad operandum contra conſcientiam: nam id foret obligare ad peccandum. Nec ſolùm debet obligare ad deponendum iudicium poſitivum, quo iudicabat rem eſſe malam; ſed ad deponendum dubium, an res illa ſit licita, vel illicita: quia Superior nequit obligare Subditum, ut rem, de qua prudenter dubitat, an ſit licita, vel illicita, exequatur, permanente illo dubio: ſiquidem hoc foret obligare ad peccandum; nam operari immediatè poſt dubium an res ſit licita vel illicita, non depoſito prius dubio, eſt manifeſtè peccatum. Unde Cardinalis de Lugo lib. 3. Reſponſorum moralium dub. 19. n. 19. meritò ſic definit. *Si authoritas, & ratio Prælati non habent pondus, & vim ad ſuperandum dubium, quod Subditus habet de turpitudine rei præceptæ, non poteſt, nec tenetur obedire:* ſiquidem operari cum illo dubio foret manifeſtè peccatum, & nemo poteſt obligari ad peccandum.

92. Eſſe autem regulam certam ex Scripturis, & Patribus, quòd Subditus poſſit, imò & teneatur obedire legitimo Superiori præcipienti in rebus omnibus, in quibus non cernitur manifeſtè peccatum; Probatur 1. egregiâ doctrinâ D. Bernardi tract. de Præcepto & Diſpenſat. cap. 12. Ubi cùm priùs dixiſſet: *Sive Deus, ſive homo Vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit, pari profectò obſequendum eſt curâ, pari reverentia deferendum: ubi tamen Deo contraria non præcipit homo*: cùmque hoc dictum expoſuiſſet; poſtea ſic diſſerit: *Quòd ſi tantopere cavenda ſunt ſcandala parvulorum, quantò amplius Prælatorum, quos ſibi Deus æquare quodammodo in utraque parte dignatus, ſibimet imputat illorum, & irreverentiam, & contemptum, ſpecialiter conteſtans eis. Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit? An non denique hoc ipſum & Regula noſtra perhibet, ubi ait: Obedientia, quæ majoribus præbetur, Deo exhibetur? Quamobrem quidquid vice Dei præcipit homo, quod non ſit tamen certum diſplicere Deo, haud ſecus omnino accipiendum eſt, quàm ſi præcipiat Deus.* Et paulò poſt cum ſibi objeciſſet, *Sed homines, inquis, facilè falli in Dei voluntate de rebus dubiis percipiendâ; & in præcipienda fallere poſſunt*: ſtatim reſpondet. *Sed enim quid hoc refert tuâ, qui conſcius non es; præſertim cùm teneas de Scripturis, quia labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem ex ore eius requirunt, quia Angelus Domini exercituum eſt? Requirunt, dixerim, legem, non quam vel authentica ulla Scriptura tradiderit, vel ratio manifeſta probaverit; de huiuſmodi quippe nec præceptor expectandus, nec prohibitor auſcultandus eſt: ſed quod ita latere, aut obſcurum eſſe cognoſcitur, ut in dubium venire poſſit, utrumnam Deus ſic, aut aliter fortè velit, ſinon de labiis cuſtodientibus ſcientiam, & ex ore Angeli Domini exercituum certum reddatur &c. Ipſum proinde, quem pro Deo habemus, tamquam Deum in his, quæ non ſunt apertè contra Deum, audire debemus.* Tum aſſerit hanc ſuam reſolutionem non contrariari effato Heli 1. Reg. cap. 2. dicentis: *Si peccaverit vir in virum, placari ei poteſt Deus; ſi autem in Domino peccaverit, quis orabit pro eo?* Concludit autem ſic: *Siquidem quod nos aſſerimus de dubiis, hoc ille negat de manifeſtis, ut cum ait* (1. Reg. 2.) *Si peccave-*

Digitized by Google

caverit vir in virum, ſubaudiatur, propter Deum: cui apertè contraria homines hominibus frequenter mandare præſumunt. Hactenus Bernardus, qui ſupra attulerat verba illa Samuelis: *Si peccaverit vir in virum, propitius ei poterit eſſe Deus: Si autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo?* Quæ verba, ſic expoſuerat, ut cùm dicitur: *Si peccaverit vir in virum; ſubaudiendum ſit, propter Deum.* Alioqui contradiceret Samuel Paulo, qui ait 1. Corinth. 8. *Sic enim in fratrem peccantes, in Chriſtum peccatis.*

93. Probatur 2. authoritate S. Ignatii, qui parte 6. Conſtitut cap. 1. ſic ait: *Obedientia tum in executione, tum in voluntate, tum in intellectu ſit in nobis ſemper omni ex parte perfecta; cum magna celeritate, ſpirituali gaudio, & perſeverantia, quidquid nobis iniunctum fuerit, obeundo; omnia iuſta eſſe, nobis perſuadendo; omnem ſententiam, ac iudicium noſtrum contrarium cæcâ quadam obedientiâ abnegando: & id quidem in omnibus, quæ à Superioribus diſponuntur, ubi definiri non poſſit, aliquod peccati genus intercedere.* Paulò autem antea in eodem capite 1. dixerat: *In omnibus rebus, ad quas poteſt cum charitate ſe obedientia extendere, ad eius vocem, perinde ac ſi à Chriſto Domino egrederetur ... quàm promptiſſimi ſimus. Huiuſmodi* (ut explicat ibi Lit. B.) *Sunt illæ omnes, in quibus nullum manifeſtum eſt peccatum.*

94. Et in cœleſti Epiſtola de Virtute Obedientiæ n. 18. ſic concludit: *Eſt igitur hæc ratio ſubiiciendi proprii iudicii, ac ſine ulla quæſtione ſanciendi, & collaudandi apud ſe quodcumque Superior iuſſerit, non ſolùm Sanctis Viris uſitata, ſed etiam perfectæ obedientiæ ſtudioſis imitanda in omnibus rebus, quæ cum peccato manifeſto coniunctæ non ſunt.*

95. Secundò probatur iis rationibus, quibus utitur Sanctus Parens in illa Epiſtola num. 3. & 4. ad perſuadendum Societatis Religioſos debere in hac eſſe Obedientia conſpicuos; *Ejuſdemque Societatis veram, germanamque ſobolem hac quaſi nota diſtingui, qui numquam intueantur perſonam ipſam, cui obediunt, ſed in ea Chriſtum Dominum, cuius causâ obediunt. Siquidem Superiori, nec ſi prudentiâ, bonitate, cæteriſve quibuslibet divinis donis ornatus, inſtructuſque ſit, propterea obtemperandum eſt; ſed ob id ſolùm quòd vices gerat Dei, eiuſdemque authoritate fungatur, qui dicit:* Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. *Nec contra, ſive conſilio, aut prudentiâ minùs valeat, quidquam idcirco de obedientia remittendum, quatenus ille Superior eſt: quando illius perſonam refert, cuius ſapientia falli non poteſt: ſupplebitque ipſe, quidquid Miniſtro defuerit; ſive probitate, aliiſque ornamentis careat. Siquidem diſertis verbis Chriſtus Dominus cùm dixiſſet:* Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi, *protinus addidit:* Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite, ſecundùm verò opera eorum nolite facere.

96. *Quocirca ſedulò vos in eam curam, atque exercitationem incumbere cupio, ut Chriſtum Dominum in Superiore quolibet agnoſcere ſtudeatis; in eoque Divinæ Maieſtati reverentiam, atque obedientiam, ſumma cum religione præſtare. Quod vobis minùs mirum videbitur, ſi adnimadverteritis præceptum eſſe ab Apoſtolo, ut Superioribus, etiam ſæcularibus, Ethniciſque pareamus ut Chriſto ex quo omnis poteſtas benè inſtituta deſcendit. Sic enim ſcribit ille ad Epheſios:* Obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto: non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes; ſed ut ſervi Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo; cum bona voluntate ſervientes, ſicut Domino, & non hominibus. *Atque hinc exiſtimare poteritis ipſi, cùm ſe religioſus quiſpiam regendum, ac moderandum alteri tradidit, non ſolùm ut Superiori, ſed etiam nominatim, ut Chriſti partes agenti; quo illum loco apud animum ſuum habere, utrùm ut hominem, an ut Chriſti Vicarium debeat intueri.*

97. Probatur 3. authoritate S. Bernardini Senenſis, qui in dialogo de Obedientia aſſerit, quòd *ubi Subditus rationabiliter dubitat, an, quod præcipitur ſit peccatum, an non; tunc profectò obedire te-*

netur ... quòd ſi dubium ſit irrationabile, ut ſi dubitet de eo, quod apud omnes conſtat eſſe mortale, vel veniale peccatum; huiuſmodi dubietas, cùm ex ignorantia iuris proveniat, non excuſat ad minus à toto.

98. Probatur 4. à ſimili ex illa ſententia celebri Auguſtini lib. 22. contra Fauſtum Manichæum, quæ adducitur in capite: *Quid culpatur* 23. q. 1. Ubi ex illo: *Non eſt poteſtas niſi à Deo, ſive iubente, ſive ſinente*, ſic infert: *Ergo vir iuſtus, ſi fortè ſub Rege etiam homine ſacrilego militet, rectè poteſt illo iubente bellare, civicæ pacis ordinem ſervans, cui quod iubetur, vel non eſſe contra Dei præceptum, certum eſt; vel utrùm ſit, certum non eſt.* Unde ſic ego infero: ergo Subditus Superiori legitimo aliquid præcipienti tenetur obedire, quando quod illi iubetur, vel non eſſe contra Dei præceptum, certum eſt, vel utrùm ſit, certum non eſt. Subditus enim non tenetur ſcire, & examinare, an Superior recta præcipiat, nec ne; ſed ubi neſcit, præſumere debet, quòd recta præcipiat. Unde Humbertus Ordinis Prædicatorum Generalis quintus lib. 5. de Eruditione Religioſorum certificat; quòd, niſi apertè ſit malum, *quod à Superiore præcipitur, ſic accipiendum eſt, ac ſi à Deo præciperetur*. Idem docent S. Bonaventura in 2. diſt. 39. art. 1. quæſt. 3. Alenſis part. 2. quæſt. 121. memb. 3. ar. 2. & Gerſon de Poll. nocturna, conſid. 3.

99. Præterea Leo X. Pontifex, ut refert Caſſarubius, verbo *Declarare* n. 4. & 5. authoritate Apoſtolica conceſſit Fratribus Minoribus, qui ſcrupulis vexantur; *ut poſſint in omnibus dubiis tutâ conſcientiâ ſtare determinatione ſuorum Prælatorum*. Patet ergo Superiorem in rebus non manifeſtis tantâ pollere authoritate, ut eius determinationi Subditus tutâ conſcientiâ acquieſcere poſſit.

100. In hanc rem facit etiam caput *Ne innitaris* de Conſtitutionib. deſumptum ex Hieronymo; quod ſic habet: *Ne innitaris prudentiæ tuæ. Prudentiæ ſuæ innititur, qui ea, quæ ſibi agenda videntur, Patrum decretis præponit*. Hinc Subditus non debet inniti iudicio ſuo, illud præponendo iudicio ſui Prælati; ſed potiùs debet iudicium ſuum iudicio ſui Prælati ſubiicere.

101. Suppoſitis his probationibus noſtræ, & communis ſententiæ, iam ex illis directè ad argumentum reſpondeo, Subditum antecedenter opinantem, vel probabilius iudicantem, rem præceptam eſſe illicitam, abſolutè poſſe, ac derere obedire Prælato; non quidem retinendo opinionem ſuam, ac iudicium, quo vel abſolutè, vel probabilius exiſtimabat, rem eſſe contra præceptum Divinum (ſic enim peccaret, agendo contra conſcientiam propriam) neque item formando dictamen conſcientiæ, quòd potiùs debeat hominibus obedire, quàm Deo; aut quòd abſolutè obediendum ſit homini, etiam cum Deo contraria præcipit (quod eſſet dictamen ſtultum, & impium) neque item exiſtimando, Deum ipſum voluiſſe, per quamdam voluntatem ſecundariam & conſequentem, ut Leges ſuæ ſanctiſſimæ tamdiu ſolùm valerent & obligarent, quamdiu non adeſſet probabilitas in contrarium; hoc enim eſt intolerabile paradoxũ, novaque & hactenus inaudita Divinarum Legum relaxatio, & everſio: ſed deponendo opinionem ſuam, & iudicium ſuum Superioris iudicio humiliter ſubmittendo; itaut nullatenus credat Superiorem falli, & in ſuo præcepto errare; ſed credat potiùs Superioris præceptum eſſe rectum, & quod præcipitur, eſſe reipsâ licitum & expediens. Ita enim & obedientiam debitam in eo caſu, & modum obediendi præſcribit, & explicat uno verbo P. Suarez lib. 6. de legibus cap. 8. n. 6. *Quia Subditus* (inquit) *debet ſuum iudicium deponere; ut eſt communis doctrina, & in praxi neceſſaria*.

102. Quare, licet antecedenter ad præceptum Superioris, veriſimilius ſit Subdito, rem eſſe illicitam; poſt præceptum illius iam apparere debet veriſimilius, rem eſſe licitam; quoniam authoritas Superioris, qui vice Dei eum gubernat, ipſum ſufficienter movet ad iudicandum, iuſtum eſſe, quod ille præcipit. Cùm enim ex regulis obedientiæ perſuaſum ſibi habeat, Deum per Supe-

pe-

petiorem nobis imperare; niſi manifeſtè videat malum eſſe, quòd Superior iubet, præſumere debet eſſe honeſtum: unde iam cognitio præcepti facit, ut appareat veriſimilius, & abſolutè verum, illud, quod ſecluſâ illa cognitione apparebat minùs veriſimile, & abſolutè falſum. Quapropter Suarez tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 4. cap. 15. n. 21. pag. 240. meritò dixit; *Conſiderare oportebit, an ſecluſo præcepto res ſit utrâq; ex parte probabilis; & tunc generaliter verum erit, adjuncto præcepto obediendum eſſe; quia cum utraque pars ſupponatur eſſe probabilis adjunctâ ratione obedientiæ pars illa eligibilior fiet.* Quod ita probat, *Nam moraliter loquendo, non poteſt ille exceſſus probabilitatis tantus eſſe, quin meritò prætermittatur propter virtutem obedientiæ; præſertim, quia ipſa authoritas Superioris probabilitatem alterius partis multùm auget.*

103. Ut autem Subditus, accepto præcepto Superioris, non ſolùm ſuſpendat aſſenſum ſuum, quo opinabatur, rem eſſe illicitam; ſed etiam mente ipſa ſequatur iudicium Superioris, ſuamque faciat illius ſententiam, debet quærere rationes, ob quas iudicet rem præceptam eſſe licitam, ſicut Superior iudicat: ut ſanctiſſimus Obedientiæ Doctor Beatus Ignatius in ſua Epiſtola de Virtute Obedientiæ præſcribit num. 17. Ibi proponens media ad ſubiiciendum iudicium ſuum iudicio Superioris, ſecundo loco hanc rationem ſuggerit: *Altera* (inquit) *eſt ratio, ut quod Superior mandat, vel ſentit, defendere ſemper apud animos veſtros ſtudioſè nitamini, improbare autem nequaquam. Atque ad eam ipſam rem proderit, bene animatos, affectoſque eſſe ad id omne, quod ipſe iuſſerit.*

104. At dices: fieri poſſe, ut Subditus non inveniat rationes & motiva, *quibus probabilior illi fiat Prælati opinio: authoritatem autem Superioris minùs docti non præponderare rationibus in contrarium, & authoritati Doctorum hominum quorum ſententiam Subditus ſequitur tamquam probabiliorem. Quid ſi Subditus quærat rationes & motiva, ut probabilius ei fiat, quod Superior præcipit, & non inveniat?* Ergo tunc tenebitur ſequi ſententiam Prælati, quamvis cognoſcat eſſe minùs probabilem, minùſque tutam.

105. Reſpondeo, fieri non poſſe, ut Subditus quærat rationes, & non inveniat ſufficientiſſimas, ut ſententia Superioris appareat ſibi veriſimilior quàm propria, quam ante præceptum Superioris ſequebatur. Nam, ut inquit Sanctus Ignatius in ea Epiſtola n. 9. *Vis intellectiva noſtri animi, tametſi non eâ quâ voluntas pollet, libertate prædita eſt, atque ipsâ naturâ fertur eius aſſenſus in id, quod ſibi veri ſpeciem præbet; tamen multis in rebus, in quibus videlicet cognitæ veritatis evidentia vim illi non infert, poteſt voluntatis pondere in hanc potiùs, quàm in illam partem inclinari. Quæ res cum incidunt, debet, quiſquis obedientiam profitetur inclinare ſeſe in ſententiam Superioris.* Unde poterit voluntas applicare intellectum, ut quærat motiva, quibus maiorem veri ſpeciem apud ipſum habeat ſententia Superioris. Neque enim S. Ignatius intendit, poſſe voluntatem flectere intellectum, ut veram iudicet ſententiam Superioris in ſenſu compoſito cognitionis, quâ exiſtimat oppoſitam eſſe veriſimiliorem; nam eſt hic actus impoſſibilis; *Hæc pars contradictionis eſt vera, ſed oppoſita mihi videtur veriſimilior*: ſeu iſte: *Ego iudico hoc eſſe abſolutè verum; ſed nihilominus veriſimilius mihi eſt, hoc eſſe falſum*. Ergo hic actus erit impoſſibilis; *Ego cum Superiore meo iudico, hoc obiectum eſſe licitum; nihilominus veriſimilius mihi eſt illud eſſe illicitum*. Hinc imperium voluntatis ſupra intellectum, non eſt ad extorquendum aſſenſum immediatè circa partem, quæ in actu 1. apparet minùs veriſimilis; ſed ad movendum illum mediatè. Cum enim unuſquiſque prout eſt affectus judicet; hoc ipſo quòd Subditus deſiderium concipiat ſe conformandi cum judicio ſuperioris, occurrent motiva, quæ illam partem reddant ipſi veriſimiliorem: ſufficientia autem motiva erunt maximæ illæ, & præclara axiomata, quæ S. Ignatius adducit ex Scripturis, & Patribus; nimirùm *Superioris vocem, ac juſſa nō ſecus, ac Chriſti*

vo-

vocem eſſe excipienda: Superiorem illius perſonam referre, & ejus loco nobis eſſe, cujus ſapientia falli non poteſt; qui ſupplebit, quidquid Miniſtro ſuo defuerit. Satiſque erit attentè meditari media, quæ Sanctus Ignatius proponit ad obedientiam iudicii comparandam à num. 16. ad 19. Illa namque abundè probant, Subditum facili negotio poſſe invenire rationes, quibus judicium ſuum conformet cum judicio Superioris, & ſibi perſuadeat prudenter, rem præceptam à Superiore, eſſe licitam.

105. Nec motivum conformandi iudicium ſuum cum judicio Superioris, ſumi debet ex eius majore ſapientia; ſed ex munere Superioris: ut ajebat S. Parens num. 3. ſuæ Epiſtolæ. *Superiori nec ſi prudentiâ, bonitate, cæteriſque quibuslibet divinis donis ornatus, inſtructuſque ſit, propterea obtemperandum eſt; ſed ob id ſolùm, quod vices gerat Dei, ejuſdemque authoritate fungatur, qui dicit: Luc. 10. 16.* Qui vos audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit.

106. Dein, ut S. P. n. 16. monet, & nuper Vir doctus notavit, *Si non intueamur in perſona Superioris hominem obnoxium erroribus, atque miſeriis, ſed Chriſtum ipſum, qui eſt ſapientia ſumma, bonitas immenſa, charitas infinita, qui neque decipi poteſt, neque nos vult ipſe decipere*: cùm aliunde ipſius *Dei amore*, & ad hunc prorſus finem *obedientiæ jugum ſubierimus, ut Superioris voluntatem ſequendo, voluntatem ipſam divinam certiùs ſequeremur*; ſanè fiduciâ bonitatis, & providentiæ eius non videtur dubitandum, *quin miniſterio eorum, quos nobis præfecit*, & quibus tamquam ſibi ipſi, voluit nos morem gerere, ita nos reget, & rectis itineribus ducet, ut ſervando hanc regulam obediendi in omnibus, quæ cum peccato manifeſto conjuncta non ſunt, numquam reipsâ erremus; *nec deviemus à prima, & ſumma Regula omnis rectitudinis, quæ eſt ipſa æterna Dei ratio, & Sapientia*. Itaque etſi abſolutè falli poſſit Superior; tamen id non eſt umquam in particulari præſumendum, niſi de eo conſtet: eo quòd ſingulari modo à Deo dirigatur, utpote ab ipſo, ad alios in via ſalutis dirigendos, conſtitutus. Hæc autem ratio non militat in quolibet alio privato Theologo ex opinione ſua probabili ſuadente, vel approbante aliquid, ut licitum, quod tamen ex aliorum ſententiâ probabiliùs judicatur eſſe illicitum; Neque umquam S. Ignatius hanc regulam tradidit, ut cuilibet, etiam prudenti, & perito ſtatim, & ſine ulla diſquiſitione aſſentiamur, etiam contra alios, vel ejuſdem, vel ſuperioris notæ, & authoritatis, qui cenſent rem eſse illicitam; ſicut jubet 6. part. Conſt. cap. 1. Superiori *in omnibus* obedire, *omnia juſta eſſe nobis perſuadendo.. ac judicium noſtrum contrarium cæcâ quadam obedientiâ abnegando*. Neque ullibi Sancti Patres approbarunt, ut ſine omni alia diſquiſitione credatur rectum, & honeſtum, quod ab aliquibus tale eſse dicitur; quando alii, & ſapientiâ, & numero pares, aut majores, tradunt eſse malum, ac Divina lege prohibitum: ſicuti univerſim laudant, & ſuadent, cuilibet Subdito præſertim Religioſo, ut vel ſola authoritate Superioris commotus, ſibi perſuadeat bonum, & expediens id eſse, quod jubetur facere; etiamſi, quare, & quomodo, id bonum, & expediens ſit, ipſe non videat. Evidens ergo eſt, præceptum vel ordinationem Superioris, quicumque ille ſit, magnam vim, & momentum habere, ut probabilius, imò & unicè probandum jam appareat Subdito, quod antea minus probabile ipſi apparebat: quia ut Suarez expreſsè notat lib. 4. de Inſtituto Societatis cap. 15. num. 21. *Ipſa authoritas Superioris probabilitatem alterius partis multùm auget*. Unde deceptus eſt Terillus, dum in tomo de Regula morum 1. part. quæſt. 2. num. 124. pag. 38. palam dicit: *Præceptum Superioris minùs docti non poſſe efficere, ut probabilius appareat Subdito id, quod antecedenter ad præceptum apparebat minùs probabile*.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Concluditur ex dictis, argumentum petitum ab Obedientia, non probare, quòd liceat cuilibet ſequi ſententiam probabilem minùs tutam in occurſu tutioris, & probabilioris, ſibique veriſimilioris; ſed potiùs probare oppoſitum.

107. EX dictis conſtat, ex eo quòd Subditus poſſit, imò & debeat ſequi opinionem Prælati relictâ propriâ, quam ipſe antecedenter ad præceptum veriſimiliorem, & tutiorem exiſtimabat, malè argui, quòd poſſit quilibet ſequi opinionem probabilem minùs tutam, relictâ probabiliore, & tutiore, quam ipſe operans agnoſcit authoritate, & ratione prævalere ſententiæ benignæ. Primò, quia Subditus debet præſumere, ſententiam Prælati, quâ inductus eſt ad præceptum imponendum, eſſe veram, dum ipſi manifeſtè non conſtiterit eſſe falſam; quia debet præſumere, eſſe juſtum, quod præcepit, dum non conſtiterit clarè eſſe iniuſtum. At operans qui debet eligere inter opiniones oppoſitas, quarum altera ſtat pro lege adversùs libertatem, altera pro libertate adversùs legem, non debet præſumere, eſſe veram ſententiam faventem libertati adversùs legem, quando omnibus hinc inde conſideratis habet majus fundamentum authoritatis, & rationis ad judicandum eſſe falſam, quàm ad judicandum eſſe veram; quia videt plures, & graviores Authores ſtare pro contraria, & afferre validiora fundamenta rationis in ejus probationem; imò neque prudenter poteſt id præſumere, ſed debet præſumere eſſe falſam.

108. Secundò, licet Subditus ante præceptum Superioris, ſecutus opinionem tutiorem, quia illi viſa eſt probabilior, judicet aliquam actionem eſſe graviter illicitam, v.g. laborare in die Feſto per duas horas ſine neceſſitate; tamen adveniente præcepto Superioris in virtute Obedientiæ jubentis, vt laboret ultra duas horas, tenetur deponere propriam ſententiam. At homo, qui ob fundamenta gravia authoritatis, & rationis judicat v.g. contractum aliquem eſſe uſurarium, quia videt decem, vel duodecim Authores graves id aſſerere, & pro ſua ſententiâ afferre rationes valde probabiles, quæ ipſi infra evidentiam perſuaſerunt, illam ſententiam eſſe veram; non debet deponere hanc ſuam ſententiam, ex eo quòd videat quatuor vel quinque Authores ex iis, qui cenſentur facere opinionẽ probabilem, docere oppoſitum, ſi agnoſcat rationes iſtorum eſſe minùs validas, ſeu inferioris ponderis, quàm ſint rationes illorum duodecim: imò nec prudenter poteſt deponere ſuum judicium, donec agnoſcat pro parte benigna adeſſe momenta rationis, & authoritatis, quæ ritè, & ſine præcipitatione conſiderata, clarè præemineant fundamentis ſententiæ ſeveræ.

109. Tertiò, quia ex doctrina Euangelii, ex doctrina Pauli, & ex communi conſenſu Patrum conſtat, ut probatum eſt, dari regulam certam, quòd Superiori legitimo præcipienti tenetur Subditus obedire, dum ipſi non conſtiterit eſſe iniuſtum illud, quod jubetur; potiùſque debere Subditum conformare ſuum judicium judicio Superioris, quàm è converſo Superiorem judicio Subditi. At nec è Scripturis, neque ex Patribus, neque ex Jure Canonico, neque ex traditione, nec ex ullo loco ſacro, neque ex fundamento aliquo ſolido rationis comprobatur, hominem licitè poſſe exequi actionem, de qua diſputatur, an ſit lege naturali prohibita, vel lege naturali permiſſa; dum ipſi manifeſtè non conſtiterit eſſe prohibitam. Imò id eſt manifeſtè falſum; quia ut quis teneatur abſtinere v.g. ab aliquo contractu tamquam uſurario, ſatis eſt, quòd ipſe prudenter opinativè judicet, illum contractum eſſe uſurarium; imò ſatis eſt, quòd ſit illi manifeſtè veriſimilius authoritate, & ratione illum contractum eſſe uſurarium; ſed & ſatis eſt, quòd ſit illi æquè veriſimile: quia hoc ipſo debet manere dubius an ſit uſurarius, vel non; & in dubio debet ab illo abſtinere; ut conſtat ex toto tractatu, præſertim ex Diſſert. 6. à §. 5. Ubi oſtendimus, nullam reflexionem

nem poſſe efficere, ut ſit licitum ſequi opinionem probabilem minùs tutam, quando operans agnoſcit, eſſe authoritate, & ratione minùs veriſimilem.

110. Denique conſtat, non bene argui â paritate Subditi obligati ad ſequendam opinionem probabilem Prælati contra propriam tutiorem, & ſibi probabiliorem, ad probandum, poſſe quemlibet ſequi opinionem probabilem minùs tutam relicta tutiore probabiliore, & ſibi veriſimiliore. Nam quamvis Subdito antecedenter ad præceptum Prælati appareat evidenter veriſimilius actionem aliquam eſſe illicitam, ſi tamen ſciat graves Authores aſſerere eſſe licitam, & Prælatum nixum hac ſententiâ in virtute obedientiæ ſibi præcipere, ut rem illam exequatur, tenetur obedire. At ſecundùm ſententiam Patris Eſparza in Appendice artic. 153. & Patris Terilli in tomo de Regula morum part. 1. quæſt. 1. num. 7. quos nunc ſequuntur cordatiores Probabiliſtæ, nemo poteſt licitè ſequi opinionem faventem liberati adversùs legem, quando cognoſcit opinionem oppoſitam eſſe indubitanter, & manifeſtè probabiliorem cum exceſſu notorio: ſolùm enim docent, eſſe licitum uſum opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ in occurſu tutioris, & probabilioris, quando exceſſus probabilitatis ex parte tutioris eſt dubius, utpote exiguus; quia parum pro nihilo reputatur: ergo non bene arguitur ab uno caſu ad alium.

CAPUT IX.

An Confeſſarius contra propriam opinionem poſſit, ac debeat abſolvere Pœnitentem utentem opinione probabili contrariâ gravium Doctorum.

111. AD probandum, licitum eſſe ſequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam in occurſu probabilioris, & tutioris, ſolent Authores benigni uti hoc argumento: Poteſt Confeſſarius contra propriam opinionem magis tutam magiſque probabilem abſolvere Pœnitentem utentem opinione probabili minùs tutâ, quam Confeſſarius minùs probabilem, & abſolutè falſam judicat: ergo licitum eſt cuilibet ſequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, in occurſu probabilioris, & tutioris.

§. I.

Exponitur ſtatus Quæſtionis.

112. NON loquimur de opinione propria ſolius Confeſſarii, quàm ille ſolus excogitavit: hanc enim, regulariter loquendo, prudenter poſſet, ac deberet Confeſſarius contemnere, & ſe conformare cum opinione Pœnitentis, quam ſcit eſſe gravium Doctorum. Iniuſtum enim foret, quòd Confeſſarius ob rationem aliquam peculiarem ſibi ſoli occurrentem, vi cujus credit eſſe illicitum contractum, quem Pœnitens ſibi perſuadet eſſe licitum ob authoritatem, & rationem gravium Doctorum id aſſerentium, vellet negare abſolutionem Pœnitenti, eo quòd nolit propoſitum facere abſtinendi ab illo contractu, quem meritò Pœnitens ſibi perſuadet eſſe licitum, ob authoritatem Doctorum manifeſtè præponderantem authoritati Confeſſarii, & ob rationes, quæ illi viſæ ſunt valdè urgentes, quæq; ſine paſſione, & præoccupatione conſideratæ, illum induxerunt ad ita judicandum. Appellamus ergo *Opinionem propriam* Confeſſarii, illam, quàm Confeſſarius mente amplectitur, ſuamque fecit, & verè eſt opinio illius, quatenus motus authoritate, & rationibus gravium Doctorum, aſſerentium aliquem contractum eſſe malum, ipſe opinatur contractum illum eſſe illicitum. Et inquiritur, an Confeſſarius contra hanc opinionem phyſicè informantem ejus intellectum, poſſit, ac debeat abſolvere Pœnitentem utentem opinione probabili contrariâ, aſſerente illum contractum eſſe licitum.

113. Bifariam autem poteſt Pœnitens uti opinione illa benigna; vel quia priùs illam facit ſuam, per aſſenſum dire-

rectum (quatenus poſt diligentem veritatis inquiſitionem, motus authoritate, & ratione Doctorum affirmantium, judicat illud ipſum, quod ii judicarunt, & opinatur contractum eſſe licitum; vel ſi ſit vir indoctus, credit eſſe licitum, quia conſuluit virum probum, & doctum, qui ſine hæſitatione ei reſpondit, illum contractum eſſe licitum, & ipſe nihil habens in contrarium, bona fide credit id eſſe verum, & cum hac diſpoſitione accedit ad pedes Confeſſarii) vel poteſt uti illâ opinione benignâ, quia reflexè ſcit, illam eſſe in ſe abſolutè probabilem, utpote quæ defenditur ut vera, ab Authoribus gravibus, & communiter reputatur probabilis; quamvis ipſe agnoſcat ſententiam oppoſitam ſeveram eſſe probabiliorem, ideſt habere pro ſe plures graves Authores, & majora momenta rationum; ac proinde quamvis ipſi veriſimilius ſit authoritate, & ratione, illam opinionem eſſe falſam, quàm eſſe veram: & ita accedit ad pedes Confeſſarii, credens ſibi licere uti illâ opinione abſolutè in ſe probabili, ſibi tamen minùs veriſimili.

§. II.

Ex eo, quòd Confeſſarius contra propriam opinionem poſſit abſolvere Pœnitentem utentem opinione probabili contrariâ, non ſequitur, poſſe quemlibet uti opinione minùs probabili, & minùs tutâ, in occurſu tutioris, & probabilioris.

114. Unde, ad argumentum propoſitum in proœmio hujus capitis, admiſſo antecedente, neganda eſt conſequentia. Ex eo enim, quòd Confeſſarius poſſit abſolvere Pœnitentem utentem opinione probabili, non ſequitur, quòd poſſit quis ſequi opinionem minùs probabilem faventem libertati, in occurſu opinionis probabilioris, ſtantis pro præcepto. Nam etſi opinio Pœnitentis reſpectu Confeſſarii ſit minùs probabilis, quàm propria ipſius Confeſſarii; reſpectu tamen Pœnitentis non eſt minùs, ſed magis probabilis, quàm oppoſita. Unde ex eo, quòd Confeſſarius abſolvat Pœnitentem utentem opinione probabili, non ſequitur, quòd quis poſſit in praxim deducere opinionem benignam ſibi minùs probabilem in occurſu alterius rigidæ, ſibi magis verimilis.

115. Ponamus caſum. Sunt duæ opiniones Doctorum: altera affirmans dari obligationem reſtituendi in certo caſu, ſub quo comprehenditur Pœnitens; altera negans. Confeſſarius factâ ſufficiente diligentiâ ad inquirendam veritatem, ſententiam affirmantem amplectitur, & judicat, omnem hominem comprehenſum ſub tali caſu, obligatum eſſe ad reſtituendum. Pœnitens factâ ſincerè eâdem diligentiâ, amplectitur ſententiam oppoſitam, ac proinde judicat, ſe non eſſe obligatum ad reſtituendum. Atque ſic accedit ad Confeſſarium cum animo non reſtituendi, & ei exponit ſua peccata cum vero dolore, & propoſito non peccandi de cætero. Certè in hoc caſu, rectè diſpoſitus videtur accedere: ſiquidem animus ille non reſtituendi conceptus ex vi opinionis verè in ſe probabilis, & quæ ipſi apparet probabilior oppoſitâ, non eſt peccatum. Ergo nequit illi abſolutionem negare, eo quòd nolit reſtituere: ſiquidem ipſe prudenter judicat, ſe non eſſe obligatum reſtituere; & nemo peccat omittendo id, ad quod prudenter judicat ſe non eſſe obligatum.

116. Paritas autem ſolùm teneret, ſi ipſi Pœnitenti poſt diligentem veritatis inquiſitionem, appareret minùs veriſimilis opinio favens libertati, & deobligans ab onere reſtituendi, quàm opinio contraria Confeſſarii obligans ad reſtituendum. Si enim tunc liceret Confeſſario Pœnitentem abſolvere, etiam liceret in operando ſequi opinionem probabilem faventem ſuæ libertati adverſùs legem, quamvis veriſimilius ipſi foret illam eſse falſam, quàm eſſe veram. At nos dicimus, quòd tunc non liceret Confeſſario abſolvere Pœnitentem, quia cenſeret, illum non eſse diſpoſitum ad abſolutionem. Nam Pœnitens, qui ſcit opinionem ad reſtituendum, eſse probabiliorem, tum abſolutè, quia habet

pro ſe plures, & graviores Authores, tum reſpectivè ad ſe; quia ejus fundamenta apparent ipſi urgentiora: ſi nihilominus vellet in praxi ſequi opinionem oppoſitam faventem libertati adversùs legem, quam vel judicat eſse falſam, vel prudenter judicare poteſt falſam eſse (quia non ſolùm agnoſcit eſse minùs communem, ſed etiam minùs fundatam) ille peccaret: ſiquidem præferret lucrum temporale gratiæ Dei, & ſic accederet indiſpoſitus ad abſolutionem. Quamvis enim aliquando liceat ſequi opinionem minùs tutam, minuſque communem, nimirum quando notoriè eſt magis fundata, ſeu munita fundamentis clarè præeminentibus fundamentis ſententiæ tutioris; numquam tamen licet ſequi opinionem minùs tutam, & minùs communem, & inſuper minùs fundatam poſthabitâ opinione tutiore, & communiore, & magis fundatâ, cognitâ ut tali ab operante.

117. Nec reflexio ſupra probabilitatem alienæ opinionis, quæ probabilis dicitur, quia probata fuit viris probis, & ſapientibus, qui illam propugnaverunt, ut veram, poteſt deſervire, ut ego licitè illam poſſim ad praxim deducere, ſi mihi non probetur; ideſt ſi judicem eſse falſam, vel prudenter judicare poſsim falſam eſse, eo quòd videam ſtare pro contraria plures, & graviores Authores, & majora momenta rationis: quia non licet ſequi errantes contra legem Dei, quando judico, vel prudenter judicare poſsum, illos erraſse, quamvis certus ſim illos erraſse inculpabiliter; & illam opinionem pro illis fuiſse verè probabilem, ſeu probabiliter ab ipſis judicatam fuiſse veram. Quòd enim ii inculpabiliter erraverint, non efficiet ut ego illos inculpabiliter ſequar, poſtquam cognovi illos erraſse: ſequi enim errantes contra legem Dei poſtquam innotuit illos erraſse, eſt voluntariè velle errare contra legem Dei.

118. Hinc rejicienda eſt velut falſa doctrina Patris Antonii Terilli in tomo de Regula morum quæſt. 47. par. 2. pag. 93. n. 15. ſub fin. tradita his verbis: *Omnis Opinio probabilis de honeſtate operis habet vim deobligandi; non ſolùm quando exercitè exiſtit in ſeipſa, & enunciat, operationem hîc & nunc ponendam, eſſe bonam, atque conſcientiam conſtituit* (ideſt, quando phyſicè informat mentem operantis; & is judicat eam actionē eſſe honeſtam) *ſed etiam quando reflexè conſideratur; dum quæritur, ad quid teneamur in caſu incertitudinis, & probabilitatis faventis utrique parti contradictionis.* Id ita probat: *Omnis opinio probabilis excuſans, præbet argumenta longè potiora ad dicendum, quòd omnibus conſideratis hîc & nunc nulla detur obligatio onerans, quàm ulla opinio probabilis gravans, præbeat ad inferendum, quòd ullâ obligatione hîc, & nunc abſolutè premamur ad abſtinendum ab opere: ut fusè oſtenſum eſt, tùm in hoc, tum in tractatu de Conſcientia probabili quæſt. 22. & 23.* Hactenus Terillus. Ergo ex mente hujus Authoris, hoc ipſo, quòd aliqui Authores ex iis, qui dicuntur facere opinionem probabilem, affirment aliquem contractum eſſe licitum, reddunt illum licitum non ſolùm pro iis, quibus illa opinio probatur, ſeu pro iis, qui judicant illam eſſe veram (eo quòd ipſius fundamenta habeant in eorum intellectu eundem ſtatum, quem habent in intellectu ſuorum Authorum) ſed etiam pro iis quibus improbatur, ſeu pro iis, qui judicant eſſe falſam: benè enim componitur, quòd ego judicem, aliquam opinionem eſſe falſam, & tamen quòd ſciam illam defendi ut veram, à viris probis, & ſapientibus; ac proinde eſſe abſolutè probabilem. Quis autem non videat hanc doctrinam eſſe falſiſſimam? Quis enim dedit hoc privilegium quatuor vel quinque hominibus fallibilibus, ut hoc ipſo, quòd illi probabiliter judicaverint aliquem contractum eſſe licitum, jam omnes poſſint illum licitè exercere, etiamſi videant plures, & graviores Authores cum majori fundamento aſſerere eſſe illicitum? Quis non videat eſſe abſurdum, quòd quatuor, vel quinque Authores probabiliter aſſerentes rem eſſe licitam, illam reddant licitam omnibus, etiam iis, qui judicant vel prudenter judicare poſſunt, illos de-

ceptos

Digitized by Google

ceptos fuiſſe; & quòd decem, vel duodecim Authores, probabilius aſſerentes, illam eſſe illicitam, non reddant ipſam illicitam, etiam iis, qui judicant, vel prudenter judicare poſſunt, eos in illo ſuo judicio ſevero deceptos non fuiſſe? Adeone Deus deperit opiniones faventes carni, & ſanguini, ut hoc ipſo quòd aliqui illas tenuerint, Deus illos voluerit donare iſto magno privilegio, ut omnes illorum ſententiam poſſint tutò ſequi? Adeone averſatur opiniones faventes ſuæ legi, ut quamvis plures, & graviores Authores illas tenuerint, nihilominus nullum poſſint obligare ad legis ſuæ obſervationem? Pugnent quatuor, vel quinque pro libertate pro lucro, & commodo: hos juxta Terillum, Deus ita protegit, talique privilegio donat, ut omnes tutò poſſint illos ſequi, etiam quando judicant, vel prudenter judicare poſſunt, illos erraſſe. Pugnent decem, vel duodecim Doctores pro lege Divina prohibente rem aliquam, teſtenturque, omnes obligatos eſſe ad abſtinendum ab illa: eſtne credibile, quòd hos plures, & graviores ita Deus deſtituit viribus ad obligandum, ut nemini poſſint obligationem imponere? Eſtne credibile, Deum velle, ut quatuor minoris notæ, ſtantes pro libertate, debilioribus armis rationis prævaleant contra decem ſtantes pro lege, & pugnantes validioribus armis rationis?

119. Ratio autem, cur opinio minùs probabilis favens libertati adversùs legem, concurrens cum opinione probabiliore favente legi adversùs libertatem, non poſſit deobligare ab obſervatione legis eos, qui agnoſcunt opinionem ſtantem pro lege, eſſe authoritate, & ratione probabiliorem; eſt: quia opinio illa benigna, neque efficere poteſt, ne detur talis lex (cùm exiſtentia Legis Divinæ non dependeat à noſtris opinionibus) neque poteſt efficere, ne lex ſit ſufficienter applicata illis, qui iudicant, vel prudenter iudicare poſſunt, talem legem exiſtere, eo quòd videant plures, & graviores Authores hoc aſſerere, & adducere pro ſe majora momenta rationis. Implicat enim, Deum Lege ſuâ æternâ prohibuiſſe aliquem contractum, v.g. ut uſurarium, & voluiſſe, vel permiſiſſe, ut ejus malitia maneret ſub opinionibus; & tamen noluiſſe, ut teneantur abſtinere ab illo contractu illi, quibus authoritate, & ratione eſt manifeſtè veriſimilius, talem legem dari, talem proinde contractum eſſe uſurarium. Quod ampliùs explicatum eſt in præcedentibus.

§. III.

Examinatur, an Confeſſarius, qui judicat probabiliter Pœnitentem obligatum ad reſtituendum, poſſit eundem abſolvere, ſi advertat illum accedere cum propoſito non reſtituendi; eo quòd ductus opinione probabili contrariâ, judicat, ſe non eſſe obligatum reſtituere.

120. Reverendiſs. P. Julius Mercorus in Baſi Theologiæ moral. part. 3. art. 29. exiſtimat, ex ſententia affirmante, licitum non eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam in occurſu probabilioris, & tutioris, neceſſariò inferri, quòd Confeſſarius doctus, & prudens, qui ex opinione probabili, & ſibi veriſimiliore, iudicat Pœnitentem teneri ad reſtitutionem, debeat monere Pœnitentem, ut reſtituat; quòd ſi ille ductus opinione probabili oppoſitâ, quam veram putat, iudicat ſe non eſſe obligatum reſtituere, & ideo detrectat reſtituere, non poſſit illum abſolvere. Et hanc ſententiam tenet Fagnanus num 304. & Candidus Philalethus de Opinionum praxi quæſt. 3. pag. 74.

121. Verùm ex Authoribus, qui tenent ſententiam aſſerentem, neminem poſſe ſequi ſententiam ſibi minùs probabilem, & minùs tutam in concurſu probabilioris ſibi, & tutioris; aliqui docent Confeſſarium contra propriam opinionem magis tutam poſſe, ac debere abſolvere Pœnitentem utentem opinione probabili contraria, quam ipſe Pœnitens veram putat. Sic docet Adrianus tract. de Confeſſ. q. 5. dub. 7. ubi probat

Sacerdotem abſolvere poſſe Pœnitentem, qui probabili iudicio ſequitur opinionem Doctorum, quam ipſe Sacerdos putat eſſe falſam: nam *Si à pluribus* (inquit) *vel gravioris, ſeu etiam æqualis authoritatis Doctoribus contrarium teneatur, non adeo de ſe præſumere debet, ut totum velit in ſuam opinionem (quæ forſitan erronea eſt) concludere, ſeu coarctare, quaſi ipſe ſolus videat, & ſcientia obitura ſit cum eo.* Quod verbis jam relatis Adrianus, etiam docet Navarrus in Manuali cap. 26. nu. 4. & in c. *Si quis autem* de pœnit. diſt. 7. num 77. Sotus in 4. diſt. 18. quæſt. 2. art. 5. ad 4. Victoria in Summa, agens de Confeſſ. num. 177. & ex modernis P. Ludovicus Scildere, qui noſtram ſententiam moderatam expreſsè tradit tract. 2. de Principiis conſcientiæ formandæ cap. 2. §. 1. n. 12. poſtea tamen cap. 9. n. 120. aſſerit, quòd *quando Miniſter opinatur Pœnitentem obligari ad reſtitutionem, & Pœnitens probabiliter opinatur ſe non eſſe obligatum*, poſſit illum abſolvere, quamvis nolit reſtituere; redditque rationem; *Quia cùm ſuſcipiens* Sacramentum *adhibeat omnia ad valorem Sacramenti requiſita, & in aliis iuxta ſuam opinionem probabilem procedens, non peccet, ſed ritè diſpoſitus ſit, non eſt cur Sacramentum ipſi conferri non poſſit.* Quare ex ſententia aſſerente, neminem poſſe ſequi ſententiam faventem libertati adversùs legem, quando iudicat eſſe falſam, vel prudenter iudicare poteſt falſam eſſe, non videtur legitimè inferri, quòd non poſſit Confeſſarius abſolvere Pœnitentem ſequentem opinionem probabilem minùs tutam, deobligantem ab onere reſtituendi, quam ipſe Confeſſarius falſam eſſe ſibi perſuadet. Nam hoc non eſt poſitivè uti opinione minùs tuta, quam falſam iudicat, ſed permittere, ut illâ utatur Pœnitens; quia probabiliter iudicat eſſe veram; quod non poſſet permittere, ſi ſciret, ab ipſo etiam Pœnitente judicari falſam, vel iudicari prudenter poſſe.

122. Idque poteſt hac ratione explicari. Nam ſi Confeſſarius dubitet prudenter, an aliquis contractus ſit uſurarius, quia conſiderans motiva ſententiarum probabilium oppoſitarum, quarum una affirmat, altera negat contractum illum eſſe uſurarium, invenit illa omnino paria in vi movendi, ac proinde nequit prudenter determinare, quænam ex iis ſit vera; ſi, inquam, Confeſſarius ſic dubitet, non poterit ipſe durante eo dubio exercere licitè talem contractum: & tamen ſi Pœnitens, qui probabiliter ſibi perſuaſum habet, illum contractum eſſe licitum, illumque propterea exercet, accedat ad Confeſſionem cum illo faciendam, non poterit iuſtè ei negare abſolutionem, ſi non proponat abſtinere: ſiquidem hic dubius non eſt; ſed ob momenta rationis, & authoritatis præeminentia motivis partis contrariæ, ſibi prudenter perſuaſit, illum contractum eſſe licitum. Durum enim videtur, quòd Confeſſarius obliget Pœnitentem, ut abſtineat à contractu, quem ipſe Confeſſarius nequit prudenter (& forſan nec imprudenter) iudicare eſſe illicitum, quando ſcit Pœnitentem prudenter iudicaſſe eſſe licitum; nec habet in promptu rationem, quâ poſſit eundem obligare ad ſuſpendendum rationaliter iudicium ſuum. Ergo pariter, licet Confeſſarius poſitivè opinetur, contractum illum eſſe uſurarium, ſi tamen videat Pœnitentem opinari probabiliter oppoſitum, & cum hac diſpoſitione accedere ad Confeſſionem; poterit illum abſolvere, permittendo ut utatur opinione, quam ipſe Confeſſarius iudicat falſam; eò quòd cognoſcit ab illo bona fide reputari veram. Ergo ex noſtra ſententia de uſu illicito opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ in occurſu probabilioris, & tutioris, minimè per neceſſariam conſequentiam inferri videtur, quòd Confeſſarius contra propriam opinionem magis tutam nequeat abſolvere Pœnitentem, tenentem opinionem contrariam minùs tutam. His poſitis noſtram mentem aperiamus.

§. IV.

§. IV.

Noſtra ſententia variis aſſertionibus expoſita.

123. Mihi in primis non probatur ſententia illorum Doctorum, qui diſtinguunt inter Confeſſarium, qui eſt proprius Paſtor Pœnitentis, & eum qui proprius Paſtor non eſt; ac dicunt, priorem licitè poſſe abſolvere Pœnitentem; ſecus poſteriorem. Nam differentia proprii Paſtoris ab alio ſolùm ſita erit in eo, quòd proprius Paſtor tenebitur excipere Confeſſionem Subditi volentis illi exponere ſua peccata; ſecus verò alius. At verò qui illius Confeſſionem audire voluit, poteſt, ac debet abſolvere, ſi accedat rectè diſpoſitus, non ſecus, quàm ſi eſſet proprius Paſtor: nec enim maior diſpoſitio requiritur in Pœnitente ad confitendum cum alieno, quàm ad confitendum cum proprio Parocho. Unde ſicut Confeſſarius ordinarius tenetur ex officio Subditis ritè ſuſcipere volentibus, conferre Sacramenta; ita Delegatus tenetur ex pacto; eo enim ipſo, quo Pœnitentem ad confeſſionem admiſit, nullum caſum excipiens, tacitè illi abſolutionem promiſit, ſi deprehendatur habere requiſita.

124. Secundò, Dicendum eſt: quando Pœnitens eſt valde doctus, & Confeſſarius non ita; bene, & prudenter poterit Confeſſarius deponere iudicium ſuum, quo cenſet talem, vel talem contractum eſſe uſurarium, & ſequi iudicium Pœnitentis, iudicantis oppoſitum ex ſententia gravium Doctorum; & ſic illum abſolvere: quamvis non proponat ab illo contractu abſtinere. Dummodo Confeſſarius, expenſis fundamentis Pœnitentis, poſſit iure præſumere, eum non duci pravo affectu.

125. Tertiò, Dicendum eſt, quòd, quando opinio Confeſſarii eſt paucorum, opinio autem, quam ſequitur Pœnitens eſt multorum, graviumque Doctorum; poſſit, regulariter loquendo, Confeſſarius prudenter deponere ſuum iudicium, præferendo tot Doctorum authoritatem rationi, quæ ſibi videtur urgentior. Niſi fortè pauci illi Doctores, quos ſequitur, ſint magni nominis, & qui profundè, & ex profeſſo examinarint quæſtionem, eâque examinatâ, dilucidè ſolverint omnia fundamenta ſententiæ benignæ, quam ſequitur Pœnitens, & invenerint pro ſententia contraria rationem valdè urgentem, quam Authores ſententiæ benignæ non tetigerunt, quæ ita præemineat rationibus ſententiæ contrariæ, ut illas quaſi offuſcet, & veluti ad nihilum redigat; itaut fundamenta contraria comparativè ad illam rationem, jam leviter moveant ad aſſenſum. Tunc enim non poterit Confeſſarius prudenter deponere ſuam opinionem, & mente amplecti opinionem Pœnitentis. Nam, licet, ubi plures graves Authores tenent aliquam ſententiam, illa abſolutè cenſeatur probabilior, cùm præſumatur tot graves Doctores non conveniſſe in eamdem ſententiam ſine urgenti fundamento; quia tamen homines ſunt fallibiles, ſi ſuperveniant pauci aliqui Doctores profundi, & acuti ingenii; qui poſt exactam quæſtionis diſcuſſionem detexerint debilitatem fundamentorum illius ſententiæ communis, & invenerint pro contraria rationem valde urgentem, ab aliis non tactam; iam opinio iſtorum paucorum manebit evidenter probabilior apud eos, qui penetraverint illam rationem, ac citra paſſionem, & culpam iudicaverint, illam, infra evidentiam, eſse manifeſtè, & clarè præeminentem omnibus fundamentis ſententiæ contrariæ.

126. Quartò, Dicendum eſt; quòd, quando opinio Confeſsarii eſt in ſe probabilior, ſeu communior inter Authores claſſicos, & aliunde poſt diligentem veritatis inquiſitionem, citra paſſionem, & culpam, ille iudicat eſse veram ob fundamenta rationis, quæ ipſi videntur manifeſtè urgentiora omnibus rationibus, quibus nititur Pœnitentis opinio; tunc non poſſit abſolvere Pœnitentem, quamvis ille bona fide amplexus fuerit ſententiam contrariam: ſed debet Pœnitentem illuminare, aperiendo illi falſitatem ſententiæ benignæ, quam ſequitur,

tur, & veritatem ſententiæ ſeverioris, quam ſectatur Confeſsarius. Quòd ſi Pœnitens nolit acquieſcere, dicens ſe habere opinionem probabilem de contrario, non poteſt illi impertire abſolutionem; quia hoc ipſo cognoſcit, non eſse rectè diſpoſitum. Qui enim ita adhæret opinioni faventi libertati contra legem, ut, licet Confeſsarius doctus, & prudens, illum certiorem faciat de majore probabilitate ſententiæ ſeveræ, & de debilitate fundamentorum, quibus ſententia benigna innititur, nihilominus nolit hanc deſerere, non bona fide ſequitur opinionem faventem libertati. Nam qui bona fide eam ſequitur, quia iudicat veram, ita ſequitur, ut, ſi iudicaret eſse falſam, vel ſi prudenter iudicare poſset falſam eſse, illam deſereret. Ut enim oſtendimus Diſsert. 3. & 6. non poteſt excuſari à culpa formali, qui ſequitur opinionem faventem ſuæ libertati adversùs legem, quando habet majus fundamentum authoritatis, & rationis ad iudicandum eſse falſam, quàm ad iudicandum eſse veram: præſertim quando ille exceſsus probabilitatis eſt manifeſtus, & evidens, quia eſt notabilis.

127. Idque confirmatur; quia opinio favens libertati non manet probabilis practicè relativè ad operantem, quando oppoſita repræſentatur illi, ut manifeſtè probabilior, ſeu veriſimilior authoritate, & ratione. Ut enim ſapienter notat P. Eſparza in Appendice art. 112. *Fieri non poteſt, ut opiniones invicem contradicentes maneant ambæ probabiles apud eum, cui eſt manifeſtum, ac indubitabile, alteram opinionum niti motivo abſolutè, & ſimpliciter, omnibuſque binc, & inde conſideratis majori*. Unde ipſe etiam Adrianus, qui docuit, à Sacerdote abſolvi poſse Pœnitentem, qui probabili iudicio ſequitur opinionem Doctorum, quam ipſe Sacerdos putat eſse falſam, quando illa ſcilicet: *à pluribus, vel gravioris, ſeu etiam æqualis authoritatis Doctoribus traditur:* immediatè ſubiungit hanc limitationem. *Si autem à paucioribus, vel minoris authoritatis, vel debili admodum fulcitis ratione, ut non poſſit ea in parte confitens dici rationabiliter errare, tenetur confitentem erudire, & partem, quam ipſe tenet, ſuadere.*

128. Neque refert, quòd Pœnitens ſæpe bona fide putet, ſe non eſse obligatum reſtituere, vel abſtinere à tali, vel tali contractu, cùm accedit ad pedes Confeſsarii: quia contingere poteſt, quòd Pœnitens hoc inculpabiliter iudicet, & tamen Confeſsarius doctus, & prudens teneatur illum monere, quia certus moraliter ſit illum errare, ac ſciat rationes, quibus nititur opinio Pœnitentis eſse debiles, rationes verò ſententiæ contrariæ eſse validiſſimas. Nec ad ſecuritatem conſcientiæ Pœnitentis ſatis eſt, conſuluiſse aliquem hominem, & ab illo audiſſe, rem eſse licitam, ut dicatur habere ignorantiam invincibilem, ſeu probabilem; ſi ſciat alios viros doctos tenere oppoſitum. Ut enim ſapienter docet P. Valerius Reginaldus parte 1. lib. 11. cap. 3. num. 28. inter alia, quæ agere oportet, ut ignorantia in dubio cenſeatur invincibilis, & à peccato excuſet: *Cùm res eſt gravis... de qua non convenit inter omnes, ſive ignorantia ſit Juris Divini, ſive humani, non eſt ſatis unum conſulere, & illius conſilium ſequi, ſi alius oppoſitam ſententiam docere audiatur; ſed opus eſt multos interrogare, conſilioque melioris partis acquieſcere: perinde ac in gravi morbo non ſolet quis contentus eſſe unius Medici conſilio, ſed pro morbi qualitate plures adhibet. Atque ut ſequens eorum conſilium, ſi medicamentum mortiferum ſumeret, excuſaretur à peccato, ita faciens, quod multorum virorum doctorum, proborum, & Catholicorum conſilio didicit eſſe licitum, quantumcumque deciperetur, à peccato excuſaretur per ignorantiam invincibilem... dummodo non noverit, contrarium operari, vel plures, vel ſapientiores, vel meliores, cæteris paribus. Nam licet ex communiori Theologorum ſententiâ, licitum ſit in agendo conformare ſe cuilibet opinioni probabili, id tamen, quod paucioribus, vel minùs ſapientibus videtur, non cenſetur opinio probabilis, ſi plures, vel ſapientiores contrarium affirment.*

Digitized by Google

129. Quapropter, ubi Confeſſarius doctus ſcit, opinionem, quam ſequitur Pœnitens, eſſe in ſe manifeſtè minùs probabilem, quia habet pro ſe pauciores Authores, & minoris authoritatis; ipſiuſque fundamenta ritè expenſa, Confeſſario videntur clarè minùs urgentia, quàm fundamenta ſententiæ, quam Confeſſarius veram cenſet; non poteſt Pœnitentem abſolvere: quia nequit prudenter tunc ſententiam ſuam deponere; ac proinde Pœnitentem debet paternè admonere, & palam illi ſignificare, ſe non poſſe illum abſolvere. Quòd ſi ille reponat, ſe habere opinionem probabilem, quam licitè cuilibet liceat ſequi, reſpondeat, ſe non poſſe tali ſe accommodare ſententiæ, quam falſam eſſe ſibi ob urgentia argumenta perſuaſum habeat: quæ fundamenta, ſi Pœnitens expendat, vel debet ipſe etiam falſam iudicare, vel ſaltem dubius manere, an ſit vera, vel ſit falſa; in quo vtroque caſu debet à praxi illius ſententiæ diſcedere. Dicat etiam Pœnitenti, illud quo nititur, principium, quòd liceat ſequi quamcumque opinionem probabilem, etiam quando concurrit cum probabiliore, & tutiore, eſſe planè falſum.

130. Ratio autem quaſi à priori, cur Confeſſarius nequeat contra propriam opinionem magis tutam, magiſque probabilem, Pœnitentem abſolvere, ſumitur ex natura Sacramenti Pœnitentiæ: nam ut conſtat ex Tridentino ſeſſ. 14. cap.6. abſolutio eſt ad inſtar actûs iudicialis, quo à Sacerdote, veluti à Judice ſententia pronuntiatur. Et quamvis hoc iudicium non ſit inſtitutum ad condemnandum, ſed ad abſolvendum reum legitimè ſe accuſantem de ſuis peccatis; tamen ibi Sacerdos ſe gerit, ut Judex, & ut Superior: Judex autem non poteſt proferre ſententiam iuxta opinionem, quam ipſe iudicat eſſe falſam; ſed iuxta ſuam opinionem. Nam quamvis litigans habeat ſententiam probabilem, quòd Majoratus v. g. ad ſeſe pertineat; ſi tamen Judex oppoſitum judicet verum, nequit ei Majoratum adiudicare; ſed ejus competitori: ergo Sacerdos nequit proferre ſententiam juxta opinionem Pœnitentis contra propriam. Tametſi enim Pœnitens ex opinione probabili judicet, rem aliquam ad ſe attinere, ac proinde ſe non eſſe obligatum illam reſtituere Petro; ſi tamen Confeſſor doctus, re maturè perpenſa, judicat Pœnitentem falli, ac proinde rem attinere ad Petrum, nequit ipſum abſolvere, niſi proponat reſtituere. Quia quamvis Confeſſor debeat credere Pœnitenti in iis, quæ ad eum, ut Pœnitens eſt, attinent, nempe in quæſtione facti, an commiſerit, vel non commiſerit talia, vel talia crimina, cum his, vel cum illis circumſtantiis; non tamen debet credere Pœnitenti in iis, quæ ad ipſum, ut Pœnitens eſt, non attinent; nempe in quæſtione juris: an ſcilicet detur, vel non detur obligatio reſtituendi; an talis actio ſit, vel non ſit peccatum mortale; ſed potiùs ipſe Pœnitens in iis debet credere Confeſſario: ad hunc enim ſpectat harum rerum cognitio. Alioqui ad rectè obeundum munus ſuum, non eſſet neceſſaria Confeſſario harum rerum ſcientia; ſed poſſet illud rectè obire, ſtando judicio Pœnitentis.

131. Hinc ſi Confeſſarius judicet, aliquam actionem eſſe peccatum mortale; quia ita docet ſententia communior, & probabilior; & Pœnitens ex ſententia probabili judicet eſſe dumtaxat veniale, ac propterea nolit fugere occaſionem proximam committendi illam actionem, non poterit Confeſſarius illum abſolvere, niſi dimittat eam occaſionem. Quia quamvis in exiſtimatione ſua accedat Pœnitens ritè diſpoſitus; non accedit tamen ritè diſpoſitus juxta exiſtimationem, ac judicium ipſius Confeſſarii: hic autem ſolùm poteſt abſolvere Pœnitentem, quem ipſe judicat ritè diſpoſitum. De diſpoſitione enim Pœnitentis, an ſit legitima, non debet judicare Pœnitens; ſed Judex, qui profert ſententiam.

132. Nec refert, quòd propoſitum illud non reſtituendi, vel non abſtinendi à tali occaſione proxima non ſit peccatum mortale, ut dicamus Confeſſarium poſſe ac debere abſolvere. Alioqui ſimiliter dici deberet, Confeſſarium poſſe, ac debere abſolvere Pœnitentem con-

Digitized by Google

contra ſuam ſententiam, etiam certam. Si enim Pœnitens ex ignorantia invincibili exiſtimaret, ſe non obligari ad abſtinendum ab aliqua actione, & hac bona fide accederet ad Confeſsorem, poſset illum Confeſsarius abſolvere, quamvis haberet animum non abſtinendi ab actione, quam Confeſſarius certò ſcit eſse prohibitam; quia nimirum Pœnitens accedens cum illo animo, accederet ſine peccato; excuſante illum ignorantiâ. Sicut ergo quando Confeſsarius judicat judicio certo, Pœnitentem decipi, nequit ſe accommodare opinioni Pœnitentis; ita nec poteſt ſe accommodare, quando id judicat judicio certò probabili (id enim numquam tale eſt, quin concipiatur ex motivo clarè præeminente motivo partis oppoſitæ) quia utrobique judicat abſolutè Pœnitentem decipi, & eſſe voluntatem Dei, ut abſtineat à tali actione; ſeu dari legem Divinam prohibentem actionem, à qua Pœnitens abſtinere non vult. Ergo in utroque caſu debet Pœnitentem cogere, ad abſtinendum ab illa actione. Quod enim in uno caſu ſententia Confeſſarii ſit dumtaxat probabilis, & in alio ſit certa, nihil refert: quia licet, dum ſententia eſt dumtaxat probabilis, Confeſsarius cognoſcat ſe poſse decipi, ſimul tamen affirmat, ſe de facto non decipi; de Pœnitente autem affirmat, non ſolùm poſse decipi, ſed de facto decipi.

133. Confirmatur: quia quamvis opinio Pœnitentis ſit probabilis, poteſt eſse falſa, & id innoteſcere Confeſsario. Ponamus ergo Pœnitentem ex motivo probabili, ſed falſo, judicare, ſe non eſse obligatum ad reſtituendum: Confeſsarium verò cognoſcere cognitione certa, Pœnitentem decipi. In hoc caſu, quamvis Pœnitens ſine culpa habeat animum non reſtituendi; quia tamen Confeſsarius certò cognoſcit ipſum decipi, darique voluntatem Divinam illum reipsâ obligantem ad reſtituendum, nequit illum abſolvere, quin concipiat propoſitum efficax adimplendi illam Dei voluntatem præceptivam. Pariter ergo nequit abſolvere, quando idipſum abſolutè judicat, licet motivum iudicii non ſit infallibile. Utrobique enim abſolutè cenſet, Pœnitentem in non reſtituendo agere contra id, quod Deus reipsâ jubet; & credit, abſolutè ſe non decipi.

134. Et ſanè, cùm neceſse ſit, vel Pœnitentem conformari Confeſsori, vel Confeſsorem Pœnitenti circa judicium de reſtitutione, vel non reſtitutione; de obligatione, vel non obligatione evitandi occaſionem, & ſimilibus; dicendum eſt, potiùs Reum Judici, Subditum Superiori, & Peccatorem Miniſtro Chriſti debere conformari, quàm contra. Quemadmodum S. Parens Ignatius de Obedientia loquens dicit: *Jam, ſi unum eumdemque oportet eſſe membrorum ſenſum, & capitis facilè cernitur, utrum ſit æquius, caput membris, an membra capiti conſentire.*

CAPUT ULTIMUM.

Illatio ex dictis, de obligatione Confeſſarii ad non relinquendum Pœnitentem in ignorantiâ ſuâ.

135. EX dictis infero, falſam eſse aliquorum Theologorum ſententiam, qui dixerunt, Confeſsarium diſſimulare debere, quando videt Pœnitentem bona fide procedere, & per errorem ſequi ut veram, opinionem non ſolùm falſam, ſed improbabilem; atque adeo in dubio, an admonitio profutura ſit, conſultius eſse, illum in ſua ignorantia relinquere; ne ſcilicet poſtea ſcienter peccet, qui priùs ratione ignorantiæ non peccabat: juxta quam ſententiam ubi Pœnitens per errorem exiſtimat, ſe non eſse obligatum reſtituere, quamvis Confeſsarius certum putet illum habere obligationem reſtituendi, non tenebitur illum admonere de tali obligatione, ſi timeat, ne, etiam admonitus non reſtituat. Infero, inquam, eſse falſam hanc doctrinam: quia Confeſsarius nequit abſolvere Pœnitentem, quin priùs judicet illum eſse ritè diſpoſitum ad abſolutionem: quomodo autem poteſt judicare eſse ritè diſpoſitum hominem illum, quem ita addictum, ac affixum lucro, & commodo cenſet, ut quamvis admoneatur de obligatione reſtituendi, non ſit reſtituturus, nec ex animo concepturus pro-

propoſitum efficax reſtituendi. Qui enim ita affectus eſt, ut etiamſi ſciret ſe eſſe obligatum ad reſtitutionem, nihilominus non reſtitueret, non eſt immunis à culpa, neque legem Dei habet in medio cordis ſui, nec habet virtualem voluntatem ſubeundi potiùs quævis mala hujus vitæ, quàm committendi peccatum mortale.

136. Solent Authores illi in confirmationem illius ſuæ ſententiæ citare verba S.Auguſtini, quæ leguntur in Jure Canonico in capite, *Si quis autem* de Pœnitentia diſt.7. *Si ſcirem non tibi prodeſſe, non te admonerem, non te terrerem*: quæ exiſtimantur dicta ab Auguſtino tom.10.in libro quinquaginta Homiliarum Homil.41. Verùm neque illa verba habentur in Auguſtino, neque opportunè adducuntur ad præſentem controverſiam: ſunt quidem opportuna ad probandum, neminem ex lege caritatis obligari ad correctionem fraternam faciendam, quando ſcit correctionem non profuturam; non tamen ſunt opportuna ad noſtrum caſum. Licet enim is, qui ſolùm ex communi lege caritatis tenetur corrigere proximi errorem, potiùs diſſimulare debeat, & tacere, quando videt fore, ut proximus de veritate ſibi manifeſtatâ ſcandalum ſumat, ſeu occaſionem accipiat committendi novum aliquod peccatum: tamen alia longè eſt ratio de Confeſſario, qui jubetur abſolutionem non impendere indignis, & indiſpoſitis; quales ſunt omnes, qui de veritate ſcandalum ſumunt, nec volunt intelligere, ut bene agant. Quare debet Confeſſarius Pœnitentem de errore ſuo admonere, & illi patefacere obligationem, quam habet reſtituendi, & abſtinendi à tali, vel tali contractu; quem ipſe per errorem, licitum eſſe exiſtimabat, & ſine ullo ſcrupulo exercebat. Quòd ſi audire, & obedire paratus ſit, illi abſolutionem impertiatur; ſi autem nolit, illum ſine abſolutione à ſe dimittat, ejuſque duritiem arguat.

137. Quòd autem illa verba non ſint Auguſtini, & quod Authores graves decepti à Collectore Canonum falsò citent illa verba velut Auguſtini (quod ante nos obſervarunt ſapientes Recentiores) patebit legenti contextum Auguſtini: non enim S. Doctor ait, *Si ſcirem tibi non prodeſſe, non te admonerem*; ſed potiùs ait, *Si ſcirem tibi prodeſſe, non te admonerem*. Agit S.Auguſtinus de iis, qui pœnitentiam differunt uſque ad mortem; de quibus dicit, ſe prorſus neſcire, an tunc agant veram pœnitentiam, & ſalventur; an fucatam, & damnentur: & hoc timet; quia *Si tunc* (inquit) *vis agere pœnitentiam ipſam, quando peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa.* Quia verò certus non eſt, pœnitentiam tunc factam non profuturam, dat pœnitentiam moribundo; ideſt, docet, admittendum etiam tunc ad Sacramentum Pœnitentiæ, eique confitenti in extremis peccata, de quibus antea non pœnituit, impertiendam eſſe abſolutionem: *Nam ſi ſcirem*, inquit, *tibi nihil prodeſſe, non tibi darem. Item ſi ſcirem tibi prodeſſe, non te admonerem, non te terrerem*; ideſt, ſi ſcirem tibi nihil prodeſſe pœnitentiam actam adeo ſerò, non tibi darem abſolutionem Sacramentalem; item ſi ſcirem pœnitentiam tunc actam prodeſſe, *non te admonerem, non te terrerem*; ideſt, non ita exaggerarem pericula differendi pœnitentiam uſque ad tempus ultimæ infirmitatis. Subdit immediatè: *Duæ res ſunt: aut ignoſcitur tibi, aut non ignoſcitur*. Et quia incertum eſt, an pœnitentia tunc facta proſit, ut Deus ignoſcat; ideò ſummè periculoſum eſt uſque ad illud tempus confeſſionem differre, & ideo de tam gravi periculo, & æternæ ſalutis diſcrimine te moneo ac terreo, quò perſuadeam, ut agas pœnitentiam quando ſanus es, & peccare potes. Ex quibus patet, in illo loco nihil docere Auguſtinum, unde colligi poſſit, Confeſſarium non debere monere Pœnitentem de ſuo errore, & ignorantia, quâ putat eſſe licitum, quod turpe eſt, ſi ſciat non profuturam admonitionem, ſed debere relinquere illum in ſuo errore. Ex verbis, inquam Auguſtini id non ſequitur.

138. Ex eodem tamen loco rectè colligitur, moribundo exponenti ſua peccata, & oſtendenti ſigna doloris, abſolutionem quam flagitat, non eſſe negandam, niſi Confeſſarius certus ſit, il-

Digitized by Google

illam non profuturam, quia certò ſcit, illum non eſſe diſpoſitum ad illam recipiendam. Si autem certus non ſit, abſolutionem non profuturam, ſed aliqua affulgeat ſpes, vel probabilitas, fore ut proſit moribundo, eam impertire debet, ſaltem ſub conditione. Unde Confeſſarius quantamcumque probabilitatem habeat, cùm non ſit omnino certus, Pœnitentem per hoc, quòd in ſua ſententiâ permaneat, culpabiliter errare, imò nec abſolutè, & ſimpliciter errare, (quia ſcilicet ita ipſe adhæret opinioni ſuæ, ut tamen ſciat ſe eſſe fallibilem, & poſſe in ea falli) ſi non poſſit Pœnitentem moribundum ab opinione ſuæ contrariâ dimovere, nec ipſe ſuam ſententiam deponere poſſit (eo quòd ſuâ utrique poſt totam illam diligentiam alibi deſcriptam probabilior videatur) debebit tamen, ſaltem ſub conditione, moribundum abſolvere; ne anima illa ex denegatâ abſolutione periculo æternæ damnationis exponatur.

FINIS.

IN-

Digitized by Google

INDEX ALPHABETICUS

Rerum præcipuarum, quæ in hoc Tractatu de recto uſu Opinionum Probabilium continentur.

Litera D. ſignificat Diſſertationem : P. Paginam : I. Introductionem ad has Diſſertationes : N. Numerum marginalem.

A

ABſolutio. *An poſſit abſolutio Sacramentalis impendi moribundo, qui illam petere non poteſt. Vide locum Auguſtini. pag.*286. & *pag.* 361. *à n.*136.

Abuſus opinionum, *vid.* opinio. *Principium maximè neceſſarium ad cohibendum abuſum*; *quòd* nemini liceat ſequi opinionem faventem libertati adversùs legem, quando habet majus fundamentum ad judicandum eſſe falſam, quàm ad judicandum eſſe veram. *Diſſert.*3. *per totam à p.*30. *ad* 66. & *Diſſ.*4. *à p.*67. *ad* 98. & *Diſſ.*6. *à p.*112. *ad* 134.

Academici. *Eorum Axioma propoſitum, & impugnatum ab Auguſtino. p.*271.

*Modus diſcurrendi quorumdam Probabiliſtarum videtur affinis doctrinæ Academicorum. p.*272.

Adrianus. *Ad uſum licitum partis minùs tutæ requirit certitudinem moralem de ejus veritate. p.*199. *n.*11. *p.* 299. *n.*67.

Quomodo exponat illam Maximam D. Thomæ: Illud, quod agitur contra legem ſemper eſt malum, licet ſit juxta conſcientiam. *p.*194. *à n.*24.

*Quomodo explicet Ignorantiam invincibilem. p.*117. *n.*13.

*Quid ſentiat de obligatione Confeſſarii abſolvendi Pœnitentem, utentem opinione probabili, quam ipſe Confeſſarius judicat falſam. p.*356. *n.*121.

Cardinalis Aguirre. *Eminentiſſimi Cardinalis gravis admonitio circa electionem doctrinæ ſolidæ in moribus. p.*286. *n.*29.

*Quid olim ſenſerit circa probabilia, & qua occaſione mutaverit ſententiam, & quid poſtea tradiderit. à p.*302. *ad* 304. *à n.* 78. *ad* 86.

Albertus Magnus. *Agnoſcit Ignorantiam inculpabilem Juris naturalis, quoad concluſiones remotas valde diſtantes à primis principiis. p.*249. *n.*17.

Alexander Alenſis. *Ad uſum licitum ſententiæ minùs tutæ exigit, ut illa proponatur operanti, tamquam moraliter certa. p.*298. *n.*65.

Alexander VIII. *Damnavit extremum nimii rigoris circa uſum Opinionum Probabilium: ſicut* Innocentius XI. *damnavit extremum nimiæ indulgentiæ. p.*221.

Explicatur Decretum Alexandri VIII. *quo damnavit hanc propoſitionem:* Non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam. *Diſſ. X. cap.* 2. *à p.*221. *ad* 226.

Ex Decreto Alexandri *infertur, Judicem licitè poſſe ferre ſententiam ſecundùm opinionem manifeſtè veriſimiliorem. D. X. p.*225. *n.*76.

Ex eodem legitimè colligitur, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs tutam, quando eſt manifeſtè probabilior ſententiâ tutiore, & citra paſſionem, atque culpam ut talis proponitur operanti. D. X. cap. 2. *toto* §. 2. *à p.*222. *ad* 226. *præſertim à n.* 76. *ad* 79.

Per *Decretum* Alexandri VIII. *non tangitur doctrina Cajetani, & illorum Doctorum, qui affirmant opinionem minùs tutam non eſſe ſecuram regulam. D.X. cap.2.§.4.p.229.& ſequentibus à n.91. Nam Cajetanus loquitur de Opinione fundante prudentem timorem, & anxietatem, ne ſubſit peccatum, & non loquitur de illa prout diſtinguitur à Scientia, & ſolùm habet annexam formidinem logicam conſiſtentem in judicio reflexo, quòd abſolute poſſit ſubeſſe falſum tali judicio. p.229.à n.92.*

An ex propoſitione damnata ab Alexandro VIII. legitimè inferatur, poſſe hominem aliquando ſequi ſententiam probabilem minùs tutam, quamvis non ſit omnino certus de ipſius veritate? p.222. toto §.2.

Almainus. *Requirit certitudinem moralem de veritate opinionis minùs tutæ ad licitum ejus uſum. D.X. p.199. n.11.*

Altiſſidorenſis. *Hic Author docet licitum eſſe ſequi ſententiam minùs tutam, quando eſt probabilior quàm oppoſita, & ab operante judicatur vera, citra omnem culpam. p.208. n.30.*

Ambroſius. *S. Ambroſij ſententia circa obligationem Judicis. p.81. n.43.*

Explicat timorem Dei ſecundùm ſcientiam. *p.220.n.63.*

P. Andreas Junius S. I. *Omnino certum judicat, neminem poſſe licitè ſequi ſententiam probabilem minùs tutam, quin illam faciat ſuam per aſſenſum directum. p.177.n.17. Docet, non eſſe reſpectu mei probabilem opinionem, quæ mihi apparet minùs veriſimilis, quàm contraria. p.32.n.7. Omnino indubitatum cenſet, nemini licitum eſſe ſequi ſententiam minùs tutam, quando illi proponitur, ut minùs probabilis, ſeu minùs veriſimilis, quàm ſententia tutior. p.178. toto §.2. præſertim n.20. & 22. Docet, utrique Juri contrarium eſſe, quòd quis poſſit ſectari partem minùs tutam, & minùs ſibi probabilem. p.179. n.21.*

Angelus Clavaſius. *Requirit majorem probabilitatem in opinione minùs tuta, ad licitum ejus uſum. p.299. n.67.*

Antiqui. *Ad uſum licitum ſententiæ minùs tutæ, vel exigunt, ut illa proponatur operanti tamquam moraliter certa, vel ſaltem, ut probabilior, quàm oppoſita. p.68. à n.3. uſque ad §. p.271. n.15. & p.272. n.18. vide p.208. & ſequentibus verba multorum. Videri etiam poteſt p.198. n.7. & ſeqq.*

Antiqui Authores, paucis exceptis, docuerunt, ad uſum licitum partis minùs tutæ ſatis eſſe, quòd quis judicio opinativo prudenti judicet, actionem eſſe licitam. Totâ D.X. à p.197. Vide Antiquorum catalogum. p.298.

S. Antoninus. *Quomodo exponat illud axioma D. Thomæ:* Illud quòd agitur contra legem, ſemper eſt malum, licet ſit juxta conſcientiam. *p.193.*

Quomodo hoc ipſum exponat Adrianus. p.194. n.23. & 24.

S. Antoninus docet, licitum eſſe ſequi opinionem probabilem minùs tutam, dummodo ſit probabilior oppoſitâ, & ab operante judicetur vera. p.168. n.99.

Certitudo, quæ ſecundùm S. Antoninum requiritur in re morali, non eſt certitudo evidentiæ, ſed probabilis conjecturæ. *p.209. n.35.*

Quomodo S. Antoninus exponat conceptum Opinionis. p.211. n.37. Admittit Ignorantiam invincibilem Juris naturalis quoad concluſiones remotas. p.250. n.20.

Antonius Terillus. *Vide Terillus.*

Ariſtoteles. *Quomodo definiat Probabile. p.11. n.27.*

Dubium ſecundùm Ariſt. eſt contrariarum rationum æqualitas. p.134. n.4.

Quid juxta ipſum ſit prudentia. p.56. n.86.

Armilla. *Quam certitudinem requirat ad uſum licitum ſententiæ minùs tutæ. p.199. à n.10. uſque ad 16.*

Argumenta Probabiliſtarum. *Solvuntur D.XIV. per totam.*

Argumentum illud Probabiliſtarum, quòd liceat ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam, quia hoc ipſum reflexè probabilius eſt, *eſſe ſophiſticum, latè oſtenditur. D.XIII. totâ.*

Aſſenſus. *Quamvis poſſet intellectus ex imperio voluntatis aſſentire, ut veræ, par-*

parti minùs tutæ, quando oppoſita apparet ei æquè veriſimilis, ille aſſenſus non ſufficeret ad licitè operandùm. D.7.p.163.n.88.

Nec item ſufficeret, ſi exceſſus veriſimilitudinis eſſet exiguus ex parte opinionis minùs tutæ. p.164.n.91.

Aſſentire probabiliter alicui concluſioni, non eſt judicare illam eſſe probabiliter veram. p.2.n.5.

Aſſenſus probabilis fertur abſolutè in veritatem objecti, licet cum formidine. p.3. à n.6.uſque ad 10.

Intellectus nequit aſſentire parti illi contradictionis, quæ in actu primo apparet illi minùs veriſimilis. D.3. toto cap.1.à p.33.ad 40.& D.8.§.2.à p.178.

Nec poteſt aſſentire, ut vera, uni parti contradictionis, quando oppoſita proponitur ipſi ut æquè veriſimilis. D.7. latiſſimè à p.134.

Author hujus Operis. *Ejus ſententia breviter delineata, & in compendium redacta, hìc exhibetur pro commoditate Legentium.*

1. *Ex fronte Libri, & ex toto Opere conſtat, illum ad uſum licitum Opinionis minùs tutæ in occurſu tutioris, indiſpenſabiliter requirere, ut operans citra paſſionem, & culpam, poſt ſufficientem veritatis inquiſitionem ſibi perſuadeat, Opinionem minùs tutam, ſeu faventem libertati adversùs legem, eſſe veram; oppoſitam, autem ſtantem pro lege adversùs libertatem, eſſe falſam, & imponere hominibus onus, quod Deus non impoſuit: item, ut hanc perſuaſionem concipiat ex vi motivi manifeſtè præponderantis motivo partis oppoſitæ; vi cujus, judicium conceptum ſit ſtabile, & fixum infra evidentiam, utpote conceptum magno pondere authoritatis, & rationis; & à quo dimoveri prudenter non poſſit, dum pro parte contrariâ non producitur nova ratio valida, quæ illum faciat titubare. Vide D.1.p.16. à n.45. uſque ad 48.& D.8. p.176. toto §.1. & p. 23.n.15. p. 26. n.24.p.27. n. 25.& 26. p.96.à n.81.& à p.246.ad 248.*

2. *Cùm* Probabilia ſint illa, quæ videntur vera ſapientibus; *illa Opinio abſolutè, & in communi æſtimatione cenſetur Probabilior, quæ habet pro ſe plures ſapientes, qui ex profeſſo quæſtionem illam tractarunt; quia præſumitur habere majora fundamenta authoritatis, & rationis illa ſententia, in quâ aſſerendâ tot ſapientes convenêre. Unde, ſi illa aliunde ſit tutior, ſeu ſtans pro lege adversùs libertatem, nemo poteſt agere contra illam, niſi priùs elidat illam præſumptionem: ideſt, niſi priùs ſibi prudenter perſuadeat fundamenta illius ſententiæ eſſe fallacia, vel ſaltem clarè, & manifeſtè minora fundamentis ſentētiæ contrariæ (quæ eſt minùs communis inter ſapientes, & propterea in communi æſtimatione habetur pro minùs probabili) eo quòd aliqui Authores profundi ingenii poſt diligens examen controverſiæ, invenerunt pro parte minùs tuta rationem aliquam validam, quam Authores ſententiæ communioris non tetigerant; & vi illius prudenter judicarunt, ſententiam illam benignam, quæ eſt minùs communis, eſſe unicè veram; & oppoſitam communiorem, ac tutiorem eſſe falſam, & imponere hominibus onus, quod Deus non impoſuit.*

3. *Hinc Author hujus Operis cenſet, ad uſum licitum ſententiæ minùs tutæ non requiri, quòd illa ſit in ſe abſolutè probabilior, ſeu communior inter Authores graves, qui exactè controverſiam examinarunt; ſed ſatis eſſe, quòd ſit in ſe certò probabilis: ideſt, quòd defendatur ut vera, ab Authoribus claſſicis, & gravibus, qui ex profeſſo rem examinarunt, & viſis, ac ſolutis fundamentis omnibus ſententiæ communioris, ſtantis pro lege adversùs libertatem, ipſi prudenter judicarunt, rem eſſe licitam, ob fundamenta, quæ ipſis viſa ſunt magna, & quæ ab Authoribus ſententiæ communioris, vel non fuerunt tacta, vel non ritè ponderata: ita ut prior ſententia, licet minùs communis, ab omnibus communiter cenſeatur probabilis. Ac proinde exiſtimat Author hujus Tractatûs, aliquando licitum eſſe ſequi ſententiam minùs tutam, & minùs communem, dummodo ſit in ſe certò probabilis, & homo poſt diligens examen citra paſſionem & culpam, invenerit illam eſſe*

ma-

manifeſtè magis fundatam, ſeu nixam fundamentis clarè præeminentibus fundamentis ſententiæ contrariæ, & abſolutè judicaverit eſſe veram, legique æternæ conformem. Unde ſe ex diametro opponit illis Authoribus benignis, qui dicunt, licitum eſſe ſequi opinionem probabilem minùs communem, ſimulque minùs fundatam, & minùs tutam, in occurſu communioris, & magis fundatæ, magiſque tutæ, quam operans prudentiſſimè poſſet judicare eſſe veram.

4. *Regulariter tamen loquendo, ad uſum licitum opinionis minùs tutæ, requirit quòd non multùm excedatur in authoritate extrinſeca à ſententia tutiore; ſed quòd ſit ferè æqualis illi, eo quòd habeat Authores graves pro ſe, ferè paris authoritatis cum Authoribus ſententiæ tutioris. Si enim pauci ſint, & inferioris notæ Authores aſſerentes rem eſſe licitam, multi verò, & graves qui aſſerunt eſſe illicitam, quamvis rationes adductæ ab illis paucis videantur operanti urgentiores, debent eſſe illi ſuſpectæ, nec poterit tunc prudenter judicare, rem eſſe licitam. Quare regulariter ad uſum licitum opinionis probabilis minùs tutæ requirit, quòd ſit æqualis, vel ferè æqualis authoritatis cum ſententia tutiore, ſeu quod ſit ferè æquè communis inter Authores claſſicos, ſeu quòd non multùm excedatur in authoritate extrinſeca Authorum; & quod aliunde clarè, & manifeſtè excedat in fundamentis rationis. Conſtat ex p.246. toto cap.3.& p.247.cap.4.& p.16. n.46.& p.17.n.47.& 48.& p.111.n.37.p.204.toto §.3.& p.207.n.28.& p.29.n.30. & p.196. n.1.p.27.n.26.p.98.n.84.& 85. & p.203. n.18. & 19.& p.69.n.10.& p.70.n.11, p.50.n.62.vide p.357.n.15.*

5. *Dixi,* regulariter *ad uſum licitum partis minùs tutæ requiri, quòd habeat pro ſe Authores æqualis, vel ferè æqualis authoritatis cum Authoribus partis tutioris. Abſolutè enim poteſt contingere, quòd ſententia ſatis communis teneat aliquam actionem eſſe illicitam; & ſuperveniat Doctor acuti, & profundi ingenii, qui diſcutiat fundamenta ſententiæ communis, & oſtendat eſſe inefficacia, & pro parte minùs tuta inveniat validiſſimum fundamentum, vi cujus ſibi prudenter perſuadeat rem eſſe licitam: ut probat P. Vazquez citatus p.109.n.31.& Author probat p.69.n.10. Nam quamvis multi ſint Authores, qui ſtant pro parte tutiore, illi ſunt fallibiles, & poteſt contingere, ut illorum ſententia ſit falſa, ejuſque falſitatem oſtendat Doctor modernus, detegendo aliquod fundamentum novum validiſſimum ab aliis non tactum, & manifeſtè ſolvendo fundamenta ſententiæ communis. Sed hoc rariſſimè poteſt contingere. Unde qui penetrare non poteſt momenta rationum, debet præſumere eſſe veram ſententiam communem, ac proinde non poteſt contra illam operari, quando eſt tutior. Vide p.357.n.125.*

6. *Quo ſenſu dicat Author licitum ſemper eſſe ſequi opinionem propriam, ſi ſit certò probabilis, etiamſi ſit minùs tuta; non tamen ſemper licitum eſſe ſequi ſententiam alienam minùs tutam, quamvis ſit in ſe certò probabilis. Vide verbo* opinio *n.53.& 54.& 55. Vide etiam Diſſertationem XIII.§.12. à p. 304.ad 306. ubi ſententia Authoris dilucidè exponitur.*

Ut poſſimus ſequi ſententiam probabilem minùs tutam, non requiritur, quòd operans certificetur, illam eſſe abſolutè in ſe probabiliorem; ſed ſatis eſt, quòd ſciat illam eſſe in ſe certò probabilem, & aliunde illam ipſe prudenter approbet, ut veram, & quòd ipſi ab intrinſeco appareat manifeſtè veriſimilior. à p.316. ad 319.

Authores *antiqui Summarum ſtant pro ſententia, quam defendit Author hujus Operis. Vide à p. 298. ad 300.*

S. Auguſtinus, *Apud Auguſtinum* Opinari, & Opinantes *non idem ſignificant, ac apud Theologos Scholaſticos. p.1.n.2.*

Apud Auguſtinum non eſt alicui probabile, quod ipſi non probatur. p.13.n.35.

Auguſtinus non plus deferendum cenſet authoritati Scriptoris fallibilis, quàm mereantur rationes, quibus ſuam ſententiam probat. p.11.n.30.

Contra authoritatem Scripturæ nulla ratio,

*tio, quantumvis videatur evidens, probabilis eſſe poteſt, teſte Auguſtino. p.*11. *n.*29.*& p.*46.

*Ejus ſententiam contrariam Hieronymi ſententiæ, quòd Paulus non ſimulatè, ſed ſeriò reprehenderit Petrum, tota Eccleſia amplexa eſt. p.*12.*n.*31.

Juxta Auguſtinum autboritas Eccleſiæ movet ad credendum Evangelio. Ibid.

Inſigni Sancti Auguſtini teſtimonio oſtenditur, comparativum Magis probabile *non probare, quòd pars oppoſita maneat abſolutè probabilis apud eum, cui pars tutior proponitur ut probabilior, ſeu veriſimilior. D.*3.§.3.*p.*47.

Apud Auguſtinum idem eſt ratio recta, ac ratio vera, *& rectitudo rationis eſt veritas. p.*184.*n.*34.

In cauſa ſalutis hoc ipſo quis peccat, quòd certis incerta præponat, *inquit Auguſt. p.*152.*n.*60.*in fine.*

*Tantumdem cenſet Auguſtinus tribuendum eſſe Authoribus fallibilibus, quantum probaverit eorum ratio. p.*50.*n.*61.

Jugum *Chriſti non dicitur* ſuave *apud Aug. ex eo quòd Chriſtus noluerit obligare ad tutiora, quando ſunt magis, vel ſaltem æquè probabilia, ac minùs tuta; ſed quia oleum caritatis illud reddit ſuave. D.*3.*à p.*57.*ad* 60. *incluſivè.*

Ipſe per ſe error *eſt* malum *intellectûs juxta Auguſtinum. p.*93.*n.*74.

*Quomodo explicet neceſſitatem Gratiæ ad cognoſcendam veritatem, p.*255.*n.*35. *& p.*254.*n.*32.

Quomodo impugnet illud Axioma Academicorum: Cùm agit quiſque, quod ei probabile videtur, nec peccat, nec errat. *p.*271.*n.*15.

Doctrina hæc Auguſtini, videtur urgere Probabiliſtas Chriſtianos. Ibidem.

Modus diſcurrendi Probabiliſtarum: Probabile eſt talem actionem non eſſe prohibitam; ergo licet eam exercere; *videtur reprobatus ab Auguſtino in Philoſophis Academicis. p.*272.*n.*17.

Multiplici Auguſtini teſtimonio oſtenditur veritatem *quærendam eſſe in Doctrinis, nec aliter nos poſſe in re controverſa amplecti ſententiam faventem libertati adversùs legem, niſi quia nobis perſuademus eſſe veram, perſuaſione excludente prudentem omnem formidinem à p.*283. *ad* 287.

Iuxta S. Doctorem debemus amare, quod noſtri Authores dicunt; non quia ipſorum eſt, ſed quia verum eſt. *p.*283. *n.*21.

*Quàm ſit laudabile juxta eum, falſam ſententiam retractare p.*283.*n.*22.*&* 23.

Quantùm natura rationalis refugiat falſitatem, *& amet veritatem. p.* 284.

Quem modum ſervare debeat Doctor Catholicus in diſcernendo, quænam Verſio Scripturarum ſit præferenda. p. 285. *num.*26.

Quanta ſit obligatio ſequendi tutiora in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus. *p.*284.*n.*25.*& p.*285.*n.*28.

*Quamvis Auguſtinus contrarius ſit Doctrinæ recentium Probabiliſtarum; tamen ad uſum licitum opinionis faventis libertati, non requirit omnimodam certitudinem, ſed contentus eſt maiori probabilitate. p.*286. *n.*30.

Opportunus locus D. Auguſtini ad determinandum, an poſſit impendi abſolutio moribundo, qui loqui non poteſt, neque explicare deſiderium ſuum confitendi ſua peccata. Ibid.

In c. Si quis autem *de Pœnit. d.*7.*malè citatur textus Auguſtini:* Si ſcirem non tibi prodeſſe, non te admonerem. *p.* 361. *ubi exponitur mens Auguſtini.*

P. Azor. *Illam regulam:* Melior eſt conditio poſſidentis, *docet ſolùm tenere in materia Juſtitiæ. p.*155.*n.*68.

*Quomodo exponat ſententiam Caietani, Armillæ, Adriani, & Almaini, & D. Thomæ circa uſum Opinionum Probabilium. p.*199.*n.*11.

B

BAptiſmus. *An poſſit adminiſtrari Catechumeno conſtituto in mortis articulo, qui Baptiſmum petere nequit? Vide de hoc inſignem locum Auguſtini. p.*286.*n.*30.

P. Bardi *quomodo probet licitum eſſe ſequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam p.*181.*n.*27.

*Ejus probationem eſſe fallacem oſtenditur. p.*182.*toto* §.4.

S.Ba-

S. Baſilius. *Ejus doctrina contraria doctrinæ recentium Probabiliſtarum. p. 282. n. 16.*

Bellarminus Cardin. *Ad uſum licitum ſententiæ minùs tutæ exigit certitudinem non evidentiæ, ſed moralem. p. 307. n. 90. & 91.*

Benigna ſententia, *ſub his terminis concepta*: Si opinio favens libertati ſit probabilis, licitum eſt eam ſequi, etſi oppoſita ſit probabilior; *ſub quibus illam tradidit M. Bartholomæus de Medina citatus. pag. 322. n. 26.*

Vel ſub iſtis: Per ſe licet ſequi opinionem probabilem circa honeſtatem actûs, relictâ probabiliori; *ſub quibus P. Suarez t. 4. de Religione p. 540. teſtatur eſſe communem inter Authores hujus ſæculi:*

Benigna, *inquam*, ſententia *ſic concepta, ſi intelligatur de Opinione certò probabili ſubjectivè exiſtente in mente operantis, videtur vera: eſt autem falſa, ſi intelligatur de Opinione aliena, quæ operanti ipſi apparet minùs veriſimilis, quàm contraria. D. III. p. 48. à n. 59. & D. I. à p. 15. à n. 42. ad 48. D. II. per totam à pag. 19. præſertim toto §. 5. à p. 27.*

Quamvis licitum aliquando ſit ſequi ſententiam minùs communem faventem libertati adversùs legem, ſi ſit clarè magis fundata, & ut talis proponatur operanti; numquam tamen licitum eſt ſequi ſententiam minùs communem faventem libertati adversùs legem, ſi ſit minùs fundata, quàm oppoſita; & operanti ipſi appareat magis falſa, quàm vera. p. 44. & 45. n. 52. & 53. & totâ D. VIII. à p. 176. ad 185. Item D. I. à p. 16.

Benigna ſententia, *quatenus docet ſufficere ad ſecuritatem conſcientiæ judicium probabile de honeſtate objecti, conceptum ob motivum grave, clarè præponderans motivo partis oppoſitæ, quàm ſolidis nitatur fundamentis. p. 219. à n. 59. Communis eſt, non modo inter Theologos hujus ſæculi, ſed etiam inter antiquos. p. 198. n. 8. & 9.*

Latiſſimè probatur eo ſenſu illa ſententia. Totâ D. X. à p. 197.

Benignæ ſententiæ *Authores dum à priori probant, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, relictâ probabiliore, & tutiore, nituntur merâ æquivocatione vocum* prudenter operans. *D. III. cap. 3. toto §. 1. 2. & 3. à p. 43. ad 49. & D. VIII. à p. 180. §. 3. ad p. 184. incluſivè.*

Æquivocatio autem conſiſtit in eo, quòd volunt eſſe grave, & prudens pro omnibus motivum illud, quod fuit grave, & prudens pro illis, quibus perſuaſit, rem eſſe licitam, eo quòd apud illos præponderavit motivis ſententiæ contrariæ. p. 182. n. 30. p. 183. n. 31. & 32. & p. 44. n. 52. & p. 45. à n. 53.

Multi Authores hujus ſæculi bona fide docuerunt, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam in occurſu probabilioris, & tutioris. p. 269. n. 13.

Hinc tamen non licet inferre, non peccare eum, qui in operando ſequitur minùs tutam, quando oppoſita apparet illi veriſimilior. p. 269. n. 13. & 14.

Doctrina, ſeu opinio directa, ſi verè probabilis ſit, & ab operante judicetur vera, excuſat à culpa actionem, quæ ex tali opinione ab opinante fit, quamvis ſit minùs tuta, & reipsâ ſit falſa: verùm opinio reflexa, affirmans, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam, ſi reipsâ ſit falſa, per ſe non excuſat. Ibid.

Nimia benignitas aliquorum Probabiliſtarum, licitum faciens uſum cujuſcumque opinionis probabilis, eſt contraria doctrinæ Sanctorum Patrum D. XII. à p. 271.

Sententia benigna de uſu licito opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ incœpit apparere in Scholis ſub finem præcedentis ſæculi. In Introduct. hujus Operis n. 2.

Michaël Salonius anno 1592. dixit eam eſſe multorum, & graviſſimorum Theologorum. In Introduct. hujus Operis n. 3.

P. Gregorius de Valentia anno 1595. citat illam ſententiam, ut communiorem Ibidem n. 4.

P. Gabriel Vazquez anno 1598. teſtatus eſt, illam tunc eſſe communem. In Introduct. Ibid.

Quàm celeriter ea creverit. Anno 1611. P. Tho-

P. Thomas Sanchez pro illa citavit 17. *Authores.*
Diana anno 1628. *addit alios* 14.
Julius Mercorus anno 1658. *citavit* 59.
P. Antonius Terillus anno 1669. *addidit alios plures.*
P. de Moya anno 1670. *citavit* 80.
Evidens eſt evidentiâ Facti, illam ſententiam non prodiiſſe è Societate. Introduct. n. 7. *p.* 3.
Certum eſt è Societate prodiiſſe primos ejus impugnatores. Ibid. n. 8.
Immeritò Janſeniſtæ illam appellant propriam Jeſuitarum, & Caſuiſtarum. *Ibidem n.* 8. *In illam ſub his terminis propoſitam:* Per ſe licet ſequi opinionem probabilem circa honeſtatem actûs relictâ probabiliore, *abierunt primi Theologi Scholaſtici bujus ſæculi. Ibidem.*
Cur habuerit tot Sectatores ſapientiâ, & virtute inſignes. Introd. p. 4. *n.* 11.
A tempore Alexandri VII. cœpit illa doctrina valde decreſcere. Ibidem. n. 12.
Contra illam vexillum extulit Sacra Prædicatorum Familia. Ibid.
Item Doctor Antonius Merenda, & Doctor Proſper Fagnanus. Introd. n. 13. & 14.
Poſt Alexandrum VII. illam impugnarunt è Societate P. Ludovicus de Scildere, & multi Recentiores in Belgio. Ibid. p. 5. *n.* 16.
P. Eſparza, P. Terillus, & P. Andreas Junius eam valde limitarunt. Introd. à n. 21. *ad* 24.
Per nullam Reflexionem poſſe excuſari à culpa formali eum, qui ſequitur opinionem minùs tutam, quando habet majus fundamentum authoritatis, & rationis ad judicandum eſſe falſam, quàm ad judicandum eſſe veram, latè oſtenditur Diſſ. 6. *à p.* 112. *ad* 133.
Sententia benigna cur tàm citò invenerit tot Sectatores p. 273. *n.* 22.
Ejus Sectatores falsò dicunt, illam eſſe probabiliorem ſententiâ noſtrâ. Id omni genere argumentorum oſtenditur D. 13. *à p.* 279.
Argumentum, quo Caramuel, atque alii exiſtimant demonſtrativè probari, quòd licitum ſit ſequi opinionẽ minùs probabilem, & minùs tutam in occurſu probabilioris, & tutioris, quia hoc ipſum Reflexè probabilius eſt, eſſe merum ſophiſma, probat inſignis Theologus modernus à p. 276. *ad* 279.
Sententia benigna in eo ſenſu, in quo defenditur à recentioribus Probabiliſtis poſt Caramuelem, nullam habet pro ſe authoritatem Patrum. Diſſ. 13. *cap.* 2. *p.* 279.
Sententia benigna accepta in eo ſenſu, in quo illam impugnat Author (quatenus nimirum affirmat ea, licitum eſſe ſequi opinionem probabilem minùs tutam in occurſu tutioris, & probabilioris, & quæ operanti ipſi apparet magis veriſimilis) non eſt ita communis inter Theologos hujus ſæculi, ſicut recentes Probabiliſtæ vulgo exiſtimant. D. 13. *§.* 12. *p.* 304.
Eſt contra Theologos antiquos, qui ſcripſerunt ante finem præcedentis ſæculi. p. 208. & *à p.* 287. *ad* 297. & *in Introduct. à n.* 2.
Multi qui tenuerant ſententiam benignam, eam retractarunt, & ſecuti ſunt ſententiam moderatam eandem, quam Author in hoc Opere defendit: nullus verò poſtquam hanc ſententiam ſeveriorem tenuit, illam retractavit, & benignam amplexus eſt. D. 13. *p.* 300. *toto §.* 11 *præſertim p.* 301.
Quo ſenſu verum ſit, quod Jura monent, Opinionem *ſcilicet* benigniorem *eſſe* præferendam. *D* 14. *cap:* 5. *p.* 325.
Multitudo Authorum hujus ſæculi, quæ citatur pro ſententia benigna in eo ſenſu acceptâ, in quo illam impugnat Author hujus Operis, nõ favet Probabiliſtis recentibus: quia facta eſt communis, eo quòd poſteriores Probabiliſtæ falsò ſuppoſuerint, primos Theologos hujus ſæculi docuiſſe, licitum eſſe cuilibet ſequi opinionem quamcumque probabilem ex iis, quæ affirmant aliquid eſſe licitum; quamvis habeat majus fundamentum authoritatis, & rationis ad judicandum eſſe falſam, quàm ad judicandum eſſe veram. D. 13. *c. ult. p.* 313.
Quo ſenſu accipienda ſit ſententia benigna, ut dici poſſit communis inter Doctores hujus ſæculi. Diſſert. 13. *cap. ult. p.* 313.

Baſſæus. *Quid requirat hic Author ad uſum licitum opinionis probabilis minùs tutæ. Vide verbo* Societ. Jeſu, *& pag.*304.

S. Benardinus Senenſis *exiſtimat partem tutiorem eſſe eligendam, quando eſt probabilior. p.*291. *n.*47.

*Eſt contra ipſius mentem, quòd quis licitè poſſit ſequi opinionem probabilem falſam, quando poteſt judicare falſam eſſe. p.*291. *n.*48. *&* 49. *Quantopere commendet Summam Theologiæ Alexandri Alenſis. P.* 298. *n.*65.

S. Bernardus. *Quomodo exponat conceptum Opinionis, ejuſque differentiam à Scientia, & Fide. p.*1. *n.*1.

*Egregia ejus doctrina de obligatione Subditi ad obediendum Superiori præcipienti, ubi manifeſtè peccatum non apparet. p.*346. *n.*92.

S. Bonaventura. *Juxta Seraphicum Doctorem nemo poteſt licitè ſequi opinionem faventem libertati adversùs legem, in occurſu tutioris ſtantis pro lege adversùs libertatem; niſi morali quadam certitudine ſibi perſuadeat opiniònem illam benignam eſſe veram, & oppoſitam ſeveram eſſe falſam. Id variis locis S. Doctoris oſtenditur. D.*13. *p.*287. *uſque ad* 291.

*Juxta S. Doctorem quamvis facere contra conſcientiam dictantem eſſe malum, quod reipſâ eſt bonum, ſit malum: tamen facere juxta conſcientiam dictantem eſſe bonum, quod reipſâ eſt malum, & contra Deum, non ſemper eſt bonum. p.*290. *n.*41. *&* 42.

C

CAndidus Philalethus *S. I. anno* 1642. *impugnavit Probabiliſtarum ſententiam. Introduct. Operis. p.*4. *n.*10.

Caramuel. *Ejus ſententia de uſu licito cujuslibet opinionis probabilis. D.* 3. *p.*31. *n.*4.

*Ejus doctrina, quòd cuilibet liceat ſequi opinionem probabilem minùs tutam, dum ei non fuerit certum, & evidens illam eſſe falſam; latè impugnatur. D.*3. *à p.*49. *ad* 57. *& D.*5. *à p.*110. *ad* 112. *D.*3. *§.*10. *à p.* 63. *ad* 65. *Impugnatur etiam p.*351. *n.*109.

*Laxiſſimæ ejus aſſertiones. p.*64. *n.*115.

*Ad uſum licitum opinionis minùs tutæ non requirit aſſenſum directum circa ipſius veritatem. p.*185. *n.*1.

P. Joannes de Cardenas *falsò affirmat eſſe intrinſecè improbabilem noſtram ſententiam, aſſerentem licitum non eſſe ſequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam in occurſu probabilioris, & tutioris. D.*7. *§.*16. *à p.*165.

*Appellat manifeſtam Demonſtrationem argumentum Sophiſticum nixum merâ æquivocatione. D.*8. *p.*181. *n.*28. *vide à p.*181. *ad* 184.

Impugnatur latè ejus ſententia, quatenus negat, motiva æqualia pro utraque parte relinquere rem dubiam in quæſtione Juris, ſicut reliquunt in quæſtione Facti. D.VII. toto §. 5. *à pag.* 139. *ad* 142.

*Non bene explicat diſcrimen inter dubium Negativum, & dubiū morale Poſitivum; nam dubium morale negativum neceſſariò reſultat ex motivis probabilibus æqualibus pro utraque parte. D.VII. §.*16. *&* 17. *à p.*165. *ad* 168.

*Docet etiam, quando una pars repræſentatur intellectui, ut evidenter probabilior, poſſe voluntatem illum flectere ad aſſenſum partis oppoſitæ, & hunc aſſenſum fore prudentem. D.III. p.*31. *n.*4.

Cardinalis Cajetanus. *Impugnatur ejus ſententia, quatenus docet licitum eſſe ſequi ſententiam probabilem minùs tutam, dum agens ſolùm in communi opinatur cum formidine rem eſſe licitam; non autem quando ſic opinatur de actione in particulari. D.X. toto c.*3. *à p.*232.

*Quam certitudinem requirat de veritate ſententiæ minùs tutæ ad ejus licitum uſum. p.*199. *à n.*10. *ad* 16.

Dum excludit Opinionem *à regula operationis, ſumit Opinionem in gradu imperfecto, quatenus importat dubitationem aliquam, quam Opinio, ut ſic, prout opponitur Scientiæ, non requirit. P.*200. *à n.*12. *Ejus doctrina non tangitur Decreto Alexandri VIII. D.X. c.*2. *p.*229. *ad* 232.

Car-

Digitized by Google

Cardinales Sanctæ Eccleſiæ; *iique inſignes Theologi, contrarii Doctrinæ recentium Probabiliſtarum: nimirum Cajetanus, Bellarminus, Pallavicinus, Laurea, & Aguirre. D. XIII. à pag. 301. ad 313.*

Certitudo. Certum. *Ad uſum licitum ſententiæ minùs tutæ non requiri omnimodam certitudinem de ejus veritate, ſed ſufficere certitudinem quamdam moralem, conſiſtentem in majori probabilitate illius partis, cum exceſſu notorio ſupra oppoſitam, latè oſtenditur totâ Diſſert. X.*

Certitudo Moralis. *Duplex; alia tali authoritate humanâ confirmata, ut omnem formidinem excludat; qualis eſt Ciceronem, & Virgilium in mundo extiſſe, ac fuiſſe viros inſignes; & hæc æquivalet certitudini phyſicæ: alia nixa tot ſignis, & indiciis veritatis, ut ſecurum hominem reddat, & anxietatem, ac dubitationem excludat; non tamen excludat omnem formidinem. pag. 201. n. 14.*

Certitudo quotuplex. Ibidem. Non requiri ad uſum licitum partis minùs tutæ omnimodam certitudinem de ipſius veritate. Ibidem, & pag. 206. & p. 236. ad 248.

S. Joan. Chryſoſtomus. *In quàm craſſos errores inciderint Gentiles obcæcati peccatis, deſcribit S. Doctor. p. 256. n. 37.*

Egregia Chryſoſtomi authoritas contra uſum opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ. p. 76. n. 26. & p. 281. n. 15.

S. Clemens Papa. *Contrarius doctrinæ Probabiliſtarum. p. 281. n. 13.*

Clemens V. *In Concilio Viennenſi docuit, ſectandas eſſe ſententias probabiliores. p. 204. n. 22.*

Item cap. Exivi *in Clem.* de verb. ſignif. *p. 300. n. 73.*

P. Comitolus (*Paulus*) *S. I. Anno* 1609. *in ſententiam Probabiliſtarum invectus eſt. Introduct. Operis. pag. 3. num. 9. & p. 300. n. 72. Contra illam allegat Jus Canonicum. Introd. n. 9. in fine.*

Confeſſarius. *Ex eo, quòd Confeſſarius contra propriam opinionem poſſit abſolvere pœnitentem, utentem opinione probabili contrariâ, non ſequitur, poſſe quemlibet uti opinione minùs probabili, & minùs tutâ, in occurſu probabilioris, & tutioris. p. 353, à n. 114.*

An Confeſſarius, qui judicat probabiliter Pœnitentem obligatum eſſe ad reſtituendum, poſſit ipſum, abſolvere, ſi advertat ipſum accedere cum propoſito non reſtituendi, eo quòd ductus opinione probabili contrariâ judicat, ſe non eſſe obligatum reſtituere. à p. 355.

Quid de hoc docuerit Adrianus. p. 356.

Quid P. Ludovicus de Scildere. Ibid.

Sententia Authoris variis aſſertionibus expoſita. à pag. 357.

Confeſſarius doctus non poteſt abſolvere Pœnitentem contra propriam opinionem, quando eſt in ſe manifeſtè probabilior, & ut talis propoſita fuit ipſi Confeſſario. à p. 358. ad 360.

De Obligatione Confeſſarii ad non relinquendum Pœnitentem in ignorantia ſua à pag. 360.

Conradus, *ait S. Thomam in multis Quæſtionibus moralibus tenere partē minùs tutam, quia judicavit verā. p. 251. n. 21.*

Conſcientia. *Vide* dictamen Conſc.

Conſcientia *quid ſit. Vide verbo* Sanctus Thomas. *Ut quis rectè operetur debet ſibi formare* Conſcientiam ex propria ſcientia, *ſeu cognitione. Unde ut quis licitè ſequatur aliorum opinionem, ſtantem pro libertate adversùs legem, debet prius illam facere* ſuam *per prudentem, & probabilem aſſenſum, ſibique perſuadere, illam eſſe veram, & legi æternæ conformem. D. 8. cap. 2. §. 1. à p. 176.*

An, & quando Conſcientia poſſit eſſe perplexa. p. 173. n. 6. & p. 174. n. 7. & ſequentibus.

Quomodo Conſcientia erronea excuſet, vel non excuſet. D. 8. cap. 1. à p. 172. ad 176.

Poteſt dari peccatum formale contra legem, *etſi non ſit* contra Conſcientiam. *p. 190. n. 12.*

Conſcientia erronea quomodo liget, explicatur à S. Bonaventura. p. 289. n. 40. & ſeqq.

Conſuetudo *peccandi obcæcans mentem, atque faciens, ut homo exiſtimet licitum, quod reipsâ eſt malum, non excuſat. p. 261. n. 47.*

Conſulens. Conſilium. *Viro docto non licet reſpondere conſulentibus ſecun-*

dùm ſententiam aliorum, quàm ipſe falſam eſſe cenſet. p. 110. *toto* ℥.5.
A fortiori id non licet, quando certus eſt de falſitate illius ſententiæ. pag. 111. *n.* 36.
Contenſon.(*Vincentius*) *contrarius ſententiæ benignæ. D.*4.*p.*68.*n.*4.
Contritio. *An homo, qui commiſit peccatum mortale, teneatur ſtatim de illo conteri. Vide* Sententias Doctorum. *p.*215.*n.* 48.
Corduba (*Antonius*) *anno* 1571.*teſtatus eſt, omnes Theologos conſentire in eo, quòd ad uſum opinionis minùs tutæ requiratur major ejus probabilitas. Introd.n.*2.& *D.*4.*p.* 68. *n.* 4.
S. Cyprianus *contrarius ſententiæ benignæ recentium Probabiliſtarum. pag.* 281. *n.* 14.

D

DEcreta, Decretales, Brevia Summorum Pontificum pro Recto Uſu Opinionum Probabilium. *Expenditur cap.*Inquiſitionis,*de Sententia Excommunicationis ex Innocentio III. p.* 203. *n.* 20.
*Cap.*Fidei Catholicæ *ex Clemente V. in Concilio Viennenſi. p.* 204. *n.* 22.
*Cap.*Majores,*de Baptiſmo.ex Innoc.III.* & *Cap.*Capellanus, *de Feriis. Ibid.*
Regula 45 *Juris in* 6.Reſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius. *p.* 217. *n.* 54.
Item illa alia: Nemo poteſt ad impoſſibile obligari. *p.*220. *n.*63.
Decretum Alexandri VIII. *quo damnavit hanc propoſitionem*: Non licet ſequi opinionem, vel inter Probabiles Probabiliſſimam. *p.*221. *n.*65.
Decretum Innocentii XI. *quo damnavit uſum opinionis exiguè probabilis.p.*221 *n.*66. & *p.*180. *n.*24.
*Cap.*Ex literis *de Probationibus. p.* 139. *n.*22.
*Cap.*Licet cauſam. *Ibid.*
*Cap.*Omnes, *de Pœnit. p.*149. *n.*53.
In dubiis tutior pars eſt eligenda.
*Cap.*ad Audientiam. *Cap.* Significaſti. *de Homicidio.* & *Cap.*Juvenis, *de Sponſalibus. p.*151. *n.*57.
Cap. Exivi, *in Clementina de Verborum Significatione. p.*300. *n.*73.
Expenditur Regula 11.*Juris in* 6. Cùm ſunt jura partium obſcura, Reo favendum eſt potiùs, quàm Actori. *D.* 14. *cap.*5 *p.*325.
Item Regula 55. Semper in dubiis benigniora præferenda ſunt. *p. ibid.*
Cap. Licet ex quadam *de Teſtib.*& *atteſt. Innoc.III.in Concil.Lat.p.*339. *n.*75.
*Rurſus Cap.*Inquiſitioni *de Sentent.Excomm. p.* 339.
*Quomodo ejus Textum exponat Thomas Sanchez. Ibid.n.*76.
Cap. Dominus *de Secundis Nuptiis. p.*338. *n.*71.
*Cap.*Ne innitaris prudentię tuæ *de Probat. p.*348. *n.*100.
Expenditur Breve Urbani VIII. de Matrimoniis Indorum. D. 14. *cap.* 7. *p.* 328. *ad* ℥. 4. *Latèque contra Terillum oſtenditur, ex illo nihil colligi in favorem ſententiæ benignæ de uſu licito opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ. Ibid. uſq. c.*8.
Dictamen Conſcientiæ. *Ubi ſententia tutior ſtans pro lege adversùs libertatem apparet abſolutè probabilior operanti, nequit iſte formare prudens conſcientiæ dictamen, quòd ſibi liceat operari. D.*4. *cap.*2.*toto* §.8. *à p.*84.& *D.*6. *toto* ℥.10. *p.*128.
Nequit operans formare ſibi certitudinem conſcientiæ reflectendo ſupra probabilitatem ſententiæ benignæ faventis libertati adversùs legem, quam agnoſcit eſſe minùs probabilem, vi hujus ſyllogiſmi; Licet ſequi quamcumque Opinionem Probabilem; ſed hæc opinio eſt probabilis: ergo licet eam ſequi. *p.*85.
*Neque reflectendo ſupra multitudinem Doctorum affirmantium, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam, in occurſu probabilioris, & tutioris, à pag.*88.
Neque hoc dictamen certum poteſt formare imperando aſſenſum directum circa partem minùs tutam, minùſque ſibi probabilem, vi hujus ſyllogiſmi;

Digitized by Google

Mihi licitum eſt facere, quod prudenter judico non eſſe prohibitum; ſed ego hìc & nunc prudenter judico, hunc contractum non eſſe prohibitum ob fundamenta ſententiæ minùs probabilis: ergo mihi hìc & nunc licitum eſt facere hunc contractum. *toto* ʒ.11.*p*.91.

Solùm in principiis Antiprobabiliſtarum, quibus Authòr nititur, poteſt defendi, neceſſarium eſſe, ad rectè operandum judicium ultimum conſcientiæ certum, & evidens; formandum ſcilicet vi hujus ſyllogiſmi: Unicuique licitum eſt facere quod poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra paſſionem & culpam judicat eſſe ſecundùm ſe, & omnibus licitum; ſed ego hìc & nunc poſt diligentem veritatis inquiſitionem ob fundamenta gravia clarè, & manifeſtè præponderantia fundamentis ſententiæ contrariæ, citra paſſionem & culpam judico, hunc contractum eſſe ſecundùm ſe, & omnibus licitum: ergo mihi hìc & nunc licitum eſt facere hunc contractum. §.12. *à p*.96.

Sed neque in iſtis principiis oſtendi poteſt illud dictamen eſſe neceſſarium. Ibid. num.82.

Non eſſe neceſſarium judicium ultimum reflexum, ſeu dictamen reflexum omnino certum, quod hìc & nunc licitum ſit operari, ad licitè operandum; ſed ſatis eſſe judicium probabile prudens de honeſtate obiecti, docent graves Theologi cum P.Vazquez. p. 97. *n*.82. *Quæ ſententia placet Autori, dummodo judicium illud ſit formatum ex vi fundamenti manifeſtè præeminentis fundamento ſententiæ contrariæ: deſervitque ut cum timore & tremore noſtram ſalutem operemur. p.97. n.83. & p.235. n.*108.

Impoſſibile eſt, ut ſuper opinione minùs tutâ, minùſque probabili cognitâ ut tali, fundari poſſit ultimum dictamen conſcientiæ certum & evidens: impoſſibile enim eſt, ut quis omnino certus ſit, ſe non peccare exercendo hìc & nunc contractum, de quo ipſi veriſimilius eſt, illum eſſe malum ſecundùm ſe, & lege Divina prohibitum, quàm eſſe licitum. D. 4. §. 12. *à p*.96. *Vide D*.10.*p*.206. *a n*.27.

Non rectè hæc duo cohærent; quòd dictamen ultimum conſcientiæ debeat eſſe certum, & evidens; & quòd poſſit homo licitè uti opinione minùs probabili, & minùs tuta. Ibid.

*Non requiritur, quòd ultimum dictamen conſcientiæ de honeſtate actionis hìc & nunc exercendæ, ſit omnino certum. p.*97. *n*.82. & 83. & *p*.235. *n*.108.

Diſpenſatio. *Licet ex Diſpenſationibus conceſſis à Summis Pontificibus inferri poſſit, licitum aliquando eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem abſolutè, ideſt minùs communem, ſi fuerit magis fundata; numquam tamen rectè inferes, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs communem, & minus fundatam, in occurſu communioris, magis fundatæ, & magis tutæ. D.XIV. cap*. 6. *à pag*. 326

Sic diſpenſarunt, in voto Caſtitatis, & in Matrimonio rato, ſequendo ſentententiam, quæ illo tempore erat minùs communis, & vulgo habebatur pro minùs probabili; quam tamen prudenter veram eſſe exiſtimarunt, quæque poſtea reddita eſt abſolutè probabilior. p.327. *n*.44. & 328. *n*.45.

Doctores. Doctrina. *Doctores, & Magiſtri tenentur tradere Doctrinam veram, vel ſaltem magis veriſimilem. p*. 213. *n*.42. *Vide verbo* Magiſtri. *Peccant qui tradunt doctrinas falſas, niſi ipſos excuſet ignorantia invincibilis. p*.114. *n*. 6. *Peccant Doctores, atque Magiſtri tradendo doctrinas laxas. p*. 265. ʒ. 1.

Doctrina directa, & reflexa. *Diſcrimen inter Doctrinam directè affirmantem, aliquod obiectum eſſe honeſtum, & Doctrinam reflexam affirmantem licitum eſſe ſequi opinionem minus probabilem & minùs tutam in occurſu probabilioris & tutioris, eſt: quòd qui ſequitur opinionem directam minùs tutam, ſi illa ſit verè probabilis, & informet animum operantis, excuſat operantem ex ipſa, licet reipsâ ſit falſa; Doctrina verò reflexa, ſi ſit reipsâ falſa, non excuſat illum, qui motus illa doctrinâ, ſequitur opinionem faventem libertati adverſùs legem, quando habet majus fundamen-*

Digitized by Google

damentum ad judicandum eſſe falſam, quàm ad judicandum eſſe veram. p. 269. num. 14.

Dubium. *Intellectus neceſſariò manet dubius in occurſu opinionum contrariarum æquè probabilium. totâ D. VII. latiſſimè à pag. 134. ad. 149.*

Non modò in quæſtione Facti, ſed in quæſtione Juris motiva æqualia pro utraque parte relinquunt rem omnino dubiam. D. VII. toto §. 5. à p. 139.

Dubium Poſitivum, & Negativum non rectè à multis explicatur. D. VII. toto §. 17. à p. 166. Omne dubium morale negativum, eſt poſitivum quoad rationes dubitandi. Dubium enim morale eſt contrariarum rationum æqualitas, juxta Ariſt. & D. Thomam. à p. 165. ad 168.

Intellectus neceſſariò manet dubius, ubi pro utraque parte contradictionis repræſentantur motiva æqualia. à p. 168. ad 171.

Licet res in communi, & in genere ſit dubia, quando dantur opiniones oppoſitæ circa eam, an ſit licita, necne; nihilominus non manet dubia apud eum, qui ob rationes clarè præponderantes rationibus partis contrariæ, ſibi perſuadeat rem eſſe licitam. p. 235. à n. 108. ad 111. & p. 243. n. 6. Ubi, quomodo intelligatur illud Axioma: In dubiis tutior pars eſt eligenda. *Item pag. 235. à num. 109.*

Non eſt idem, motivum probabile, ac dubitatio; ſed dubium morale reſultat ex eo, quòd in eodem intellectu concurrat motivum probabile pro una parte contradictionis, cum motivo æquali pro contraria. p. 166. n. 95. & 96.

Ut regula, In dubiis tutior pars eſt eligenda, *ſit præceptiva, debet ſumi de dubio propriè ſumpto. p. 235. à nu. 109. & p. 243. n. 6. & p. 244. n. 7. Regula illa non debet intelligi de re dubia in genere, ſeu de re dubia reſpectu communitatis Doctorum, ſed de re dubia reſpectu operantis, quando hic dubitat, an ſit licita, necne. p. 243. & 243.*

Durandus. *Doctrina hujus Doctoris omnino contraria eſt doctrinæ Probabiliſtarum recentium. p. 290. n. 61.*

Juxta Durandum, ut quis peccet agendò per errorem contra legem, ſatis eſt, quòd error ſit vincibilis in cauſa. pag. 296. n. 62. Egregia ipſius doctrina, quòd magis debeamus deferre rationi, quam authoritati purè humanæ, & fallibili. p. 297. n. 63.

E

Error. *Licet Ignorantia non ſit peccatum, niſi quando eſt de his rebus, quas ſcire tenemur; error tamen voluntarius in quibuſcumque rebus eſt peccatum, ut docet cum Cajetano Suarez. pag. 252. n. 25.*

1. Eſparza *(Martinus de) Quomodo Opinionem probabilem definiat. pag. 6. n. 16. Cum definitione ab ipſo tradita, quòd ſcilicet* Opinio probabilis nitatur fundamento magni momenti, ideſt fundante exiguam formidinem; *non bene cohæret, quòd poſſit quis ſequi opinionem minùs tutam, quando oppoſita proponitur ipſi ut æquè veriſimilis; & à fortiori, quando proponitur ut minùs veriſimilis. D. I. toto §. 3. à n. 16. ad 21.*

2. *Ex definitione Opinionis probabilis ab ipſo tradita, juxta quam* probabile *ſumitur pro* approbabili, *ſeu pro eo, quod approbare, & cui adhærere intellectus meritò poteſt, tamquam* vero; *colligitur non eſſe probabile operanti, quod eſt ipſi minùs veriſimile. D. I. p. 6. & à p. 13. uſque ad 15.*

3. *Ad uſum licitum opinionis minùs tutæ requirit hic Author, ut illa ſit paris, vel ferè paris probabilitatis cum ſententia tutiore. p. 8. n. 21. Verùm licet hoc requiratur, non tamen ſufficere oſtenditur. D. I. §. 3. p. 6. uſque ad 8. incluſivè. D. 8. cap. 2. §. 2. à p. 187. ad 184. & D. 6. §. 4. à p. 121. uſque ad 130. Ubi oſtenditur, partem minùs veriſimilem & minùs tutam non manere abſolutè probabilem reſpectu operantis, cui pars tutior apparet magis veriſimilis. Quod & fusè probatur. totâ D. VII. à p. 134. ad 171.*

4. *Ex verbis hujus Authoris citatis.*

p.19.n.4. Colligitur, pleroſque Authoris bujus ſæculi aſſerentes licitum eſſe ſequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, loqui de minùs probabili ſpecificativè, & materialiter; ideſt de minùs communi, quæ reſpectu operantis eſt probabilior, ſeu veriſimilior, & idcirco ab ipſo judicatur vera. à p.19. ad 24.

5. *Oſtenditur hunc Authorem, & alios modernos in hac quæſtione de uſu licito Opinionis Probabilis minùs tutæ, tranſitum feciſſe ab uno ſenſu, in quo eſt vera, ad alium, in quo eſt falſa. D.2. toto §.5. à p.27. ad 30.*

6. *Juxta hunc Authorem nemini licet ſequi ſententiam probabilem minùs tutam, quando exceſſus probabilitatis in ſententia tutiore eſt manifeſtus, & evidens. p.31. n.4. Falsò tamen docet, hunc eſſe ſenſum communem inter omnes Authores benignos. Ibid.*

7. *Rectè docet, fieri non poſſe, ut opiniones oppoſitæ ſint ambæ probabiles apud eum, cui una ex illis eſt manifeſtè probabilior, ſeu veriſimilior. p.31. à n.6. uſque ad 10.*

8. *Probatur contra ipſum, non poſſe intellectum aſſentiri parti ſibi minùs veriſimili. D.III. à p.33. uſque ad 43. & D. VIII. à p.173. ad 184.*

9. *Juxta ipſum, quando una Opinio eſt manifeſtè veriſimilior, quàm oppoſita, jam eſt moraliter certa operanti: quando eſt manifeſtè minùs veriſimilis, jam eſt reſpectu illius improbabilis. D.X. p.225. n.77. & p.231. n.100.*

10. *Conſtanter docet, non eſſe licitum ſequi ſententiam minùs tutam, quando oppoſita eſt evidenter, & indubitatè probabilior: quia tunc non manet probabilis operanti. p.231.*

11. *Falsò affirmat, Authores benignos aſſerentes, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam loqui de opinione minùs tuta, quæ ſit ferè æqualis probabilitatis cum tutiore, & ab illa non excedatur clarè, & manifeſtè quoad probabilitatem. p.69. à n.9. uſque ad 11.*

12. *Peculiare hujus Authoris placitum, quòd motiva æqualia cauſent dubium, ſi ſint ſimilia; ſecus, ſi ſint diſſimilia, latè impugnatur. D.7. §.6. à p.142. ad 146.*

13. *Rectè docet, neminem poſſe licitè ſequi ſententiam minùs tutam, niſi priùs per aſſenſum directum judicet, eſſe veram. p.142. à n.31. ad 34 & p.176. n.14. Putatque fuiſſe demonſtratum ab Adriano, ad ſequendam opinionem minùs tutam non ſufficere judicium reflexum de ipſius probabilitate, ſed requiri judicium directum de ejus veritate, quo operans faciat ſuam illam opinionem, & ſibi applicet legem æternam, ut Regulam. D.8. p.176. n.15.*

14. *Falsò docet poſſe intellectum ex imperio voluntatis opinari unam partem contradictionis, quamvis oppoſita ſit ei æquè veriſimilis, vel etiam magis. p.143. à n.34. ad 35. In hac aſſertione contradicit D.Thomæ, & communi ſenſui Thomiſtarum. p.143. n.35. & à p.134. ad 136. Contradicit Patri Suarez, & Patri Vazquez, & Patri Thomæ Sanchez. p.135. n.5. & communi ſententiæ Doctorum Societatis, ut oſtenditur D.3. cap. 2. à p.33. & Scoto, communique ſenſui Philoſophorum, & Theologorum: & utrique Juri D.8. à p.178. ad 180. & p.135. n.7.*

15. *Ex eo quòd poſſit voluntas eligere inter bona æqualia, non rectè probat, poſſe intellectum ex imperio voluntatis amplecti, ut veram, unam partem contradictionis, etſi oppoſita appareat illi æquè probabilis in actu primo. p.138. à n.15.*

16. *Falsò ſupponit, intellectum prudenter poſſe aſſentire, ut veræ, opinioni minùs probabili, & minùs tutæ, quando exceſſus probabilitatis ex parte opinionis tutioris eſt exiguus. p.92. n.69. circa fin. Sed falſiſſimum eſt, ſuper hoc aſſenſu, ſi poſſibilis ſit, poſſe fundari dictamen reflexum conſcientiæ certum, & evidens. D.4. toto §.11. à p.91. ad 96. præſertim n.71. p.93.*

17. *Rectè docet, Magiſtros habere obligationem docendi, quantum poſſunt, veritatem. p.251. n.23. & p.114. n.6.*

18. *Fundamentum à priori, quo P. Eſparza contendit, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam,*

Digitized by Google

tam, utitur æquivocatione, & eſt fallax. p.95.n.80. lege D.4. à p.91. toto §.11. præſertim à n.69. circa finem.

19. Oſtenditur contra ipſum, judicium formatum ab operante de honeſtate objecti ex vi motivi minoris motivo partis oppoſitæ, vel ex vi motivi æqualis; quamvis admittatur poſſibile, non eſſe judicium certò probabile, nec ſufficiens ad ſecuritatem conſcientiæ. p.95.n.80.

20. Aliquid debet addi Definitioni Opinionis Probabilis traditæ à P. Eſparza D.1.p.14.n.38.

21. Bene docet, non poſſe intellectum aſſentiri, ut veræ, parti ſibi evidenter minùs veriſimili. p.31.n.6.

Rectè dicit, peccare Magiſtros, qui docent doctrinas morales falſas, niſi ipſos excuſet ignorantia invincibilis. p.114. n.6.

F

FAber (Philippus) inſignis Scotiſta docet cum Scoto, tenendam eſſe tutiorem ſententiam, quando eſt probabilior, quàm minùs tuta; imò quando eſt æquè probabilis. p.295.n.58.

Facienti, quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam. Hoc axioma non debet intelligi de faciente quod in ſe eſt, ad inveniendam veritatem in iis, quæ diſputantur inter Doctores Catholicos. p.253. n.28.

Fagnanus. Quid nomine Certitudinis Moralis, requiſitæ ad uſum licitum ſententiæ minùs tutæ, intelligat. p.202.n.16.

Quid requirat ad uſum licitum Opinionis minùs tutæ. p.179.n.21. & p.237. n.114.

Quomodo explicet gradus quatuor, quibus homo aſcendit ad formandam plenam credulitatem de bonitate, vel malitia actûs. p.237.n.116.

Ex eo quòd Doctores ſæpe affirmant aliquid eſſe probabilius, non ſequitur, quòd ſentiant oppoſitum eſſe probabile. D.III.p.48.n.59.

Fides. In quo differat à Scientia, & Opinione. p.1.n.1.& 2.p.2.n.3.& 4.

Explicatur libertas Fidei, & oſtenditur, ex illa non probari, quòd intellectus poſſit aſſentire parti ſibi minùs veriſimili. p.37. Cur noſtra Fides dicatur evidenter credibilis. p.37. à n.23.

Dum Hæreticus peccat peccato hæreſis, aſſentiendo ſuis erroribus, myſteria noſtræ Fidei non ſunt illi propoſita, ut evidenter credibilia; imò nec tunc repræſentantur ipſi ut veriſimiliora ſuis falſis dogmatibus. p.38. à n.25.

Dum Catholicus per actum Fidei Divinæ aſſentitur myſteriis noſtræ Religionis, non habet in ſe, & immediatè potentiam proximam ad illis diſſentiendum. p.38. & 39. à n.29. ad 35.

Peccatum infidelitatis, & hæreſeos non conſiſtit in eo, quòd cognitâ evidenti credibilitate myſteriorum noſtræ Fidei, illis quis diſſentiat, adhærendo dogmatibus contrariis; ſed ſecundum D. Thomam conſiſtit in contrarietate ad Fidem, quâ ſcilicet aliquis repugnat auditui Fidei, vel etiam contemnit ipſam. p.38.n.1.

Quomodo ſinguli Fideles habeant evidentiam credibilitatis myſteriorum noſtræ Fide. p.39.n.30.

Fides eſt libera quantum ad uſum, & quantum ad aſſenſum; at Scientia ſolùm quantum ad uſum. p.40.n.34.

Formido aliud quàm dubitatio, ſeu hæſitatio. Id explicatur à P. Vazquez p.200.n.13.

Quid ſit Formido quæ eſt propria Opinionis prout diſtinguitur à Scientia, & Fide Divina, latè explicatur D.X. à p.226. toto §.3. & p.235.n.108.

Si intellectus poſſit aſſentiri parti ſibi minùs veriſimili, vel æquè veriſimili, Formido ex tali aſſenſu reſultans erit magna. p.228.n.90.

G

GErſon (Joannes) Cancellarius Pariſienſis, cenſet ad uſum licitum Opinionis minùs tutæ ſtantis pro libertate contra legem; ſatis eſſe, quòd operans probabiliter judicet eſſe veram, vi motivi magis inclinantis in hanc partem, quam inclinetur in oppoſitam per ejus

fun-

Digitized by Google

fundamenta. pag.208.n.30.

Qui operatur probabiliter judicans, rem eſſe licitam, non operatur in dubio, quamvis illud judicium ſit cum aliqua formidine partis oppoſitæ. Id latè docet Gerſon. D.X.§.5.p.208.à n.30.ad 34.& p.299.n.69.

Juxta Gerſonem ſufficit ad rectè operandum probabilis certitudo de honeſtate objecti, fundata in majori probabilitate illius partis, quàm oppoſitæ. p. 209. n. 33.

Quam certitudinem requirat ad uſum licitum partis minus tutæ. p. 256. n.113.

Gonet (*Joan.Bapt.*) *Laudatus.p.202.Rectè docet quænam via media ſit tenenda in uſu Opinionum Probabilium. Ibid. n. 17. Et meritò laudat tamquam prudentiſſimum conſilium Illuſtriſſimi Domini de Marinis Archiepiſcopi Avenionenſis. p.202.in fine.*

S.Gregorius Nazianzenus. *Contrarius doctrinæ recentium Probabiliſtarum. p.232.n.18.*

Guillelmus Pariſienſis. *Docuit quærendam in opinionibus veritatem. p.274. n.23.*

H

HÆreticus. Hæreſis. *Dum Hæreticus aſſentitur ſuis dogmatibus tamquam articulis certis, non habet potentiam proximam ad credenda myſteria propoſita ab Eccleſia Catholica; & tamen ille ejus aſſenſus eſt propriè peccatum: quia tota illa impotentia ad amplectendam veram fidem, eſt illi voluntaria, & proveniens ex ejus perſonali culpâ ipſum obcæcante. D. III. toto §.11. p.37.à n.21.ad 35.*

Nullus Hæreticus exiſtimat ſe eſſe hæreticum; ſed potiùs ſibi perſuadet, ſuos errores eſſe veritates infallibiles. p.37. n. 22.

Harquettus (*Jo: Baptiſta*). *Quomodo doceat, licitum eſſe ſequi minus probabilem. D.2.p.24.n.16.*

Henricus de Gandavo. *Contrarius ſententiæ benignæ de minori probabilitate. p.298. n.66.*

Hieronymus. *Deſcribit fœdiſſima delicta, quæ licita à Gentilibus putabantur. p.256. n. 37.*

I

JAnſenius. Janſeniſtæ. *Janſenii error circa impoſſibilitatem Præceptorum. p.257.n.39.*

Ignorantia. *Vide verbo* Lex.

Qui ſectatur opinionem minus tutam minuſque probabilem, & ſibi minus veriſimilem, non poteſt excuſari per Ignorantiam invincibilem, ſeu per ignorantiam probabilem. p.119.à n.19.ad 24. & p.127.à n.38.

Quando judicium formatum ab operante de honeſtate objecti contineat Ignorantiam invincibilem, ſeu probabilem: quando vincibilem, & culpabilem. D. VIII.cap.1.à p.172.ad 176.

Poſſe dari ignorantiam invincibilem Juris naturalis quoad concluſiones remotas valde diſtantes à primis principiis, fusè oſtenditur. D.XI. à p.248. uſque, ad 263.

Quàm difficilis ſit ſententia Theologorum, qui hoc negarunt. p.250.toto §.2. à n.20.ad 30.

Proponuntur argumenta, quibus probari videtur, non poſſe dari ignorantiam Juris naturalis, etiam quoad concluſiones remotas. à p.254.ad 258.

Reſponſio ad illa argumenta. à p.258. ad 263.

Error Gentilium, qui adulteria, furta, & alia delicta licita putabant, ipſos non excuſavit; quia ſuâ culpa obcæcati erant, & traditi in reprobum ſenſum. Id optimè explicat P.Vazquez. p.249. n.18.& 19.

Quid ſit Ignorantia inculpabilis. p.154. n.66.

Ratio deſumpta ex Alberto Magno, & D.Thoma, qua explicatur, quomodo poſſit dari Ignorantia invincibilis aliquorum Præceptorum in quibuſdam circumſtantiis. p.249.n.17.

Quomodo id explicent P.Suarez, & P. Vazquez. Ibid. & n.18. item p. 250. n.19.& 20.

Digitized by Google

Doctores Sancti aliquando tenent ſententias oppoſitas circa Jus naturale, ut S. Thomas, & S. Bonaventura, teſte S. Antonino, & Conrado. p.250.n.20. & 21. Et aliquis eorum tradidit inculpatè doctrinam falſam faventem libertati adverſus legem. p.251.n.21. & 22. Hinc arguitur, poſſe inculpatè hominem indoctum ſequi opinionem probabilem reipsâ falſam circa Ius naturale. pag. 251.n.22. & 23. & p.252. à n.24.

Cur ſint inexcuſabiles Gentiles, qui habuerunt pro licitis opera fœdiſſima; explicat D. Thomas ex Apoſtolo. p.256. & 257. à n.37.

Communis, & vera ſententia Theologorum admittit Ignorantiam invincibilem Juris naturalis quoad concluſiones remotas, de quibus dantur opiniones contrariæ inter Doctores Catholicos. D.XI.cap.5.per totam à p.248.

Ignorantia non dicitur Invincibilis præciſè, quia viribus naturæ vinci non poteſt; ſed quia nec viribus naturæ, nec viribus Gratiæ ordinariæ, quam Deus ex ſe omnibus offert, vinci poteſt. D. II.p.254.& 255.

Non operatur cum Ignorantia inculpabili malitiæ, qui operatur rem malam in inſtanti, in quo poteſt judicio opinativo prudenti judicare, quòd ſit mala; licet non poſſit hoc judicare judicio omnino moraliter certo. p.243.n.5.

Refertur opinio P. Terilli, affirmantis, eum qui ſectatur opinionem minùs tutam directè minùs ſibi probabilem, ſeu minùs ſibi veriſimilem reipsâ falſam, operari cum Ignorantia invincibili malitiæ. p.241. & 242. Impugnatur ea opinio à p. 243. ad 146.

In ſententia aſſerente, poſſe intellectum aſſentiri, ut veræ, parti minùs tutæ, quamvis oppoſita repræſentetur ipſi ut æquè probabilis, vel ut probabilior cum exiguo exceſſu, opinio formata ab operante nequit fundare Ignorantiam invincibilem, & inculpabilem malitiæ. p.247.

Intellectus. *Vide verbo* Dubium.

Intellectus cum tendat ſub ratione veri *nequit aſſentiri illi parti contradictionis, quæ ipſi apparet minùs veriſimilis, quàm ejus contradictoria, ſeu quæ magis illi apparet falſa, quàm vera. D.III. cap.2. à p.33. ad 37. & D.VII.§.3. & 4. à p.136. ad 139. Et quamvis phyſicè poſſet flecti à voluntate, ut judicaret verum, quod eſt ſibi minùs veriſimile; non poſſet niſi imprudenter, & illicitè. D.III.cap. 3. à p.43. ad 49. & D.IV.p.95.n.80.*

Ex libertate Fidei non probatur, quòd poſſit intellectus aſſentiri objecto ſibi minùs veriſimili. à p.37. ad 40.

Is, qui temere judicat, non aſſentitur objecto ſibi minùs veriſimili; nec ducitur fundamento, cognito ut levi; ſed fundamento, quod in ſe eſt leve, licet ipſi ex paſſione, & præcipitatione repræſentetur ut grave. à p.40. ad 43.

An quando veriſimilius eſt, hominem eſſe malum, quàm eſſe innocentem, poſſit quis licitè judicare illum eſſe malum. p.218. n.58. Tunc tenetur quis ſuſpendere iudicium, ne forſan damnet innocentem. Ibid. Datur manifeſta diſparitas inter Intellectum, & Voluntatem; cur voluntas poſſit ex bonis omnino æqualibus unum præ alio eligere; intellectus verò inter opiniones contrarias ſibi propoſitas cum æquali veriſimilitudine, nequeat uni præ altera aſſentire ut veræ. D.VII.§.4. per totum à p.130.

Intellectus inter obiecta oppoſita ſibi repræſentata cum pari omnino vi movendi, nequit opinari circa unum potiùs, quàm circa aliud; ſed neceſſariò debet manere dubius. p.168. toto §.18. Proinde utraque pars contradictionis non poteſt ſimul eſſe probabilis eidem Intellectui. à p.168. ad 171.

Catalogus Authorum Societatis, qui dicunt, non poſſe Intellectum aſſentiri parti ſibi minùs veriſimili. p.33.n.11.

Joannes à S.Thoma. *Quid circa probabilia doceat. p.20.n.6.*

Quomodo explicet eſſentiam aſsenſûs opinativi. p.2. n.6. Oſtenditur contra ipſum, aſsenſum opinativum affirmare veritatem obiecti, licet cum formidine. p.3. à n.7. uſque ad 10.

Joannes Nider. *Contrarius Probabiliſtis beniguioribus. p.299.n.96.*

Judex. *Judices in ferenda ſententiâ tenentur ſequi probabiliorem Opinionem. Id pro-*

probatur. D.IV. ʒ.6.à p.77.ad 82.

Quando jura litigantium ſunt æqualia; Judex debet vel rem dividere, vel partes componere. p.80.n.37.

Judicium. *Verè, & certò probabile de honeſtate obiecti conceptum ab operante, ſufficit ad licitè operandum. p. 16. n. 45.*

Judicii temerarii ratio exponitur. D.III. p.40.n.35.& oſtenditur, eum, qui temere iudicat, non aſſentiri obiecto ſibi minùs veriſimili. p.41.n.37.

Varii gradus Judicii, & Suſpicionis. Ibid.à n.37.ad 42.

Quodnam ſit Judicium temerarium, quod inconcuſsè eſt peccatum mortale. p.42.n.41.

Diſcrimen traditum à D.Thoma inter iudicium de Rebus, & iudicium de Perſonis. p.220.n.64.

An, quando veriſimilius eſt, hominem eſse malum, quàm eſse innocentem, poſſit intellectus judicare, eſse innocentem. p.218.n.58.

P.Junius, *Vid. verbo* Andreas. *Ejus elogium. p.176.n.15. item Intr.p.8. n.23.*

Quid requirat ad uſum licitum opinionis minùs tutæ. Ibid.

Juris-Conſulti. *Docent ſequendam eſſe partem probabiliorem. p.81.n.42. & 43. & p.80.n.41.D.VIII.ʒ.2.p.178.*

Jus Civile. *Lib.4.Inſt. de lege Aquilia tit. 3. quando imperitia imputetur ad culpam. p.83.n.49. Leg. Rem* novam *Cod. de judiciis.*

Leg. Adoptivus, *ʒ.1. ff. de Ritu nuptiarum. p.338.n.72.*

Leg.1. ʒ. Neque *C. de veteri Jure enucleando* : Sed neque ex multitudine Authorum, quod melius, & æquius eſt, judicare debet &c. *Textus iſte expenditur. D.XIII.p.311.n.105.*

L

LActantius *contrarius doctrinæ recentium Probabiliſtarum. p.283.n.19.*

Lauræa Cardin. *Illud ſolùm dicit eſſe probabile alicui, quod eſt ipſi veriſimilius, quàm ejus contradictorium. p.13. n.36.*

Laxitas doctrinæ Moralis. *Aliqui Authores graves non peccarunt, tradendo doctrinas falſas faventes libertati adversùs legem. p.265. n. 4.*

Non pauci ex iis, qui doctrinas laxas tradiderunt, forſan coram Deo non habuerunt excuſationem. p.265.n.4.

Laxitates in doctrina morali, & in interpretandis Præceptis, quàm pernicioſæ. p.343.n.83.& 84.

Quantæ laxitatis ſit origo Principium illud quorumdam Probabiliſtarum, quòd Licitum ſit ſequi quamcumque opinionem probabilem, etiamſi oppoſita ſit evidenter probabilior, & ut talis proponatur operanti. p.344.n.85.

Layman (*Paulus.*) *Docet contra Sanchez, dubitantem de impedimento dirimente, non poſſe matrimonium contrahere. p.337.n.69.*

Ledeſma (*Bartholomæus.*) *Quid ſentiat circa uſum opinionis probabilis. p.20. n.7.*

Leſſius (*Leonardus.*) *Quando jura partium ſunt æqualia, & poſſeſſio dubia, cenſet, rem eſſe dividendam. p.157.n.73.*

Lex: ejuſque Promulgatio, Intimatio, Ignorantia.

Qui ſequitur opinionem minùs tutam, ſibi minùs probabilem, non habet Ignorantiam invincibilem, nec probabilem Legis, quâ ſe poſſit tueri in Dei Tribunali. D.VI.ʒ.3.p.116.& p.127.

Ut operanti imputetur ad culpam actio, quam facit contra legem, ſatis eſt, quòd facilè potuerit judicare judicio opinativo prudenti, illam eſſe malam; quamvis non potuerit aſſequi omnimodam certitudinem de malitia. p.120.n.22.

Lex ipſa obligans ad abſtinendum ab aliqua actione, obligat ad judicandum eſſe malam, quando ſuppetit ad hoc prudens fundamentum; prævalens ſcilicet clarè fundamento partis contrariæ. pag.120. n.23.

Quamvis poſſit intellectus flecti à voluntate ad judicandam veram, partem ſibi minùs veriſimilem; tamen Lex ipſa obligans ad abſtinendum ab actione, obligat ad non diſſentiendum exiſtentiæ talis Legis, quando illa in actu primo repræſentata eſt, ut magis veriſimilis,

Digitized by Google

quàm non exiſtentia. p.120 n.23.

Quid requiratur ad ſufficientem Legis promulgationem. Diſſert. VI. §. 8. à pag.125. ad 127.

Lex prohibens aliquam actionem, eſt ſufficienter promulgata, & intimata ei, qui poteſt prudenter judicare, talem Legem exiſtere. p.125. à n.32. ad 38.

Non datur Ignorantia invincibilis, vel probabilis Legis in eo, cui probabilius eſt, Legem talem dari. p.127. à n.38. ad 33.

Quàm ſit abſurda ſententia Caramuelis, aſſerentis non obligare Legem, dum non fuerit operanti certa, & evidens ejus exiſtentia p.63. toto §.10.

Qui per Ignorantiam invincibilem agit contra Legem, verè agit, quod eſt ſibi prohibitum; licet tranſgreſſio illa ei non imputetur. p.258. n.41.

Quamvis Deus æternâ ſuâ Lege prohibens aliquam actionem, velit ut homo illam evitet; poteſt permittere, ut homo faciens quantum eſt ex ſe, ad inveniendam veritatem, illam non inveniat: ac proinde poteſt contingere, ut homo inculpabiliter ſequatur opinionem reipsâ falſam circa Jus naturale, quoad veritates abſtruſas, & difficiles. D.XI. toto §. 4. à p.258. ad 262.

Facienti quod in ſe eſt, ad inveniendam Legem Dei in iis quæſtionibus, quæ diſputantur inter Theologos Catholicos, non tenetur Deus veritatem manifeſtare. p.253. n.28.

Ut quis ſit obligatus obſervare Legem, non eſt neceſſe, quòd exiſtentia Legis ſit ei manifeſta, & evidens: ſatis eſt, quòd prudenter judicet, vel judicare prudenter poſſit, Legem exiſtere. p.65. n.119.

Legum, & Præceptorum laxæ interpretationes quàm ſint periculoſæ, oſtenditur exemplo notabili Prophetæ occiſi à Leone. p.344. n.84.

Lovanienſes *Doctores, Libertus Fromondus, & Joannes Sinnichius, impugnant uſum Opinionum omnium merè probabilium faventium libertati. pag. 197. §.1.*

Lovanienſes PP. Societatis, contrarii ſententiæ benignæ poſt P. de Scildere. p.183. n.30. & 31.

Ludovicus de Scildere (*Vide* Scildere.)

Quid ad Opinionem Probabilem requirat. p.10. n.26. & I. p.5. n.16.

Exiſtimat, Subditum opinantem, rem ſibi præceptam à Superiore, eſſe illicitam, non teneri obedire. p.345. n.90.

Ludovici Legionenſis *ſententia, quòd Chriſtus celebraverit in prima veſperâ Lunæ 14. impugnata à P. Vazquez. pag. 141. n.27.*

Ludovicus Lopez, *Sectator ſententiæ benignæ, pro contraria fatetur ſtare Sótum, Cordubam, Cajetanum, Conradum, & Navarrum. p.279. n.9. & 298. num.67.*

Ven. P. Ludovicus à Ponte, *quid ſentiat circa uſum Opinionum probabilium. p. 26. n.24.*

Non poteſt iuxta ipſum intellectus aſſentire parti ſibi minùs veriſimili. p. 33. num.11.

De Lugo Card. *Bene notat, aliud eſſe* credere probabiliter *aliquam concluſionem; aliud*, credere eſſe probabilem. *p.2. n.5.*

Quando jura Partium ſunt æqualia, & poſſeſſio dubia, cenſet, rem dividendam. p.157. n.73.

Dubia, quæ repræſentavit Urbano Octavo circa matrimonia Indorum, Gentis Guaranæ. p.329.

Quid petierit à Summo Pontifice circa illa matrimonia. p.333. n.57.

Juxta hunc Authorem, Si authoritas, & ratio Superioris non habent pondus, & vim ad ſuperandum dubium, quod Subditus habet de turpitudine rei præceptæ, non poteſt, nec tenetur obedire. *p.346. n.91.*

Lutheri *error de impoſſibilitate præceptorum, renovatus à Janſenio. pag. 257. num.39.*

M

Magiſtri. *Tenentur docere doctrinas veras, vel ſaltem veriſimiliores. Diſſert. X. §.7. p.213. Præſertim. n. 42. & D. XI. à p.251. n.23. uſque ad 28.*

Peccat Magiſter, qui conſultus de aliquo caſu, reſpondet ſecundùm benignam partem, quam ipſe falſam exiſtimat. p.253.

Digitized by Google

p.253.n.29.& p.110.toto §.5.
Peccant Magiſtri tradentes doctrinas laxas.p.265.§.1.

Major (*Joannes*) *contrarius ſententiæ benignæ.p.298. n.67.*

Martinus de Eſparza. *Vide* Eſparza.

Maſtrius, *Inſignis Scotiſta, quomodo probet, licitum eſſe ſequi Opinionem minùs probabilem, & minùs tutam. pag.* 181. *num.* 26.

Matrimonium. *An inter Indos Gentis Guaranæ reperiantur vera matrimonia; an fœminam aliquam habeant, ut veram uxorem; an ſingulas, ut concubinas.p.333.à n.56.*

Medina (*Bartholomæus de*) *Qua ratione probet, licitum eſſe cuilibet ſequi Opinionem probabilem, etiamſi oppoſita ſit probabilior. p.44.n.50.*
Ejus fundamentum ſi intelligatur de opinione minùs probabili ipſi operanti, ſeu quæ ipſi repreſentatur, ut minùs veriſimilis, quàm oppoſita, nititur merâ æquivocatione. D.III. à p.44. ad 49.à n.52.ad.61.
Admittit Ignorantiam invincibilem Juris naturalis, quoad concluſiones remotas. p.248.n.16.
Ejus ratio à priori pro uſu licito Opinionis minùs probabilis, impugnata à P. Vazquez. p.184.n.33.
Sententia benigna ſub iis terminis, ſub quibus defenditur à Medina, poteſt habere rectam explicationem, ſecundùm quam ſit vera.p.279.n.9,
Ratio à priori, quâ probat ſuam ſententiam. pag.181.n.25. eſt fallax pag.184. num.33.
Ejus fundamenta proponuntur, & ſolvuntur. D.14.c.4.à p.322.ad 325.

Mercado. *Defenſor ſententiæ benignæ. p. 280.n.9.*

Mercorus (*Julius*) *Quomodo D.Thomam exponat circa uſum Opinionum faventium libertati adversùs legem. p.* 201. *num.*16.
Quid nomine propoſitionis propriè probabilis *intelligat. Ibid. Non aliam certitudinem requirit ad uſum licitum opinionis minùs tutæ, quàm quòd illa ſit manifeſtè, & notabiliter probabilior opinione tutiore. p.* 202.
Doctrinam nimis benignam quorumdam Probabiliſtarum enervare vim legum, & eludere præcepta Superiorum, oſtendit optimè. p.343.n.83.

P. Molina (*Ludovicus de*) *Quamvis hanc quæſtionem reflexam non tractaverit; an nimirum liceat ſequi opinionem probabilem minùs tutam in occurſu probabilioris, & tutioris: tamen t.3.aliàs 4.de Juſt. & Jure, in parte poſt. tract.3. de Juſt. Commutat. diſp.80.eam tradit doctrinam in caſu particulari, ex qua conſtat, ipſum apertè ſentire, neminem licitè poſſe ſequi ſententiam faventem libertati adversùs legem, quin priùs certus moraliter reddatur de ipſius veritate. Nam cùm num. 5. citaſſet ſententiam aliquorum aſſerentium, poſſe Confeſſarium, vi indulti, concedentis facultatem abſolvendi ab omni cenſura, ac pœna Eccleſiaſtica, diſpenſare in Irregularitate contracta ex delicto, ſeu quæ in pœnam præteritæ culpæ eſt ſtatuta; & cùm hanc ſententiam impugnaſſet, num.6. ex Navarro, & aliis oppoſitam ſtatuens concluſionem, ſic tandem concludit probationes, col.mihi 992.aliàs 2251.* Noſtra, Navarri, cõmuniorque Doctorum ſententia, vel inde ſanè eſt omnino amplectenda, quòd ea, quæ dicta ſunt, cùm minimùm reddunt dubiam contrariam ſententiam: in dubio autem, an aliquis facultatem habeat diſpenſandi, aut abſolvendi ab Irregularitate, nefas profectò illi omnino eſt ab illa abſolvere, circa illamve diſpenſare. Item diſpenſatus ipſe, in dubio, an qui ſecum diſpenſaverit, legitimam ad id poteſtatem, facultatemve habuerit, tenetur ſe habere pro irregulari, minimèque diſpenſato, ut ſupra dictum, comprobatumque eſt. Quare interim dum contraria ſententia non eſt ita moraliter certa, ut, qui uti eâ debet, abſque omni dubio eam ſibi omnino perſuadeat, neque Confeſſario, neque Irregulari fas eſt eâ uti. *Hactenus ille.*
Unde conſtat, quàm ſit alienus P. Ludovicus Molina à ſententia benigna recentium Probabiliſtarum, univerſaliter

Digitized by Google

Baſſæus. *Quid requirat hic Author ad uſum licitum opinionis probabilis minùs tutæ. Vide verbo* Societ. Jeſu, *& pag.*304.

S. Benardinus Senenſis *exiſtimat partem tutiorem eſſe eligendam, quando eſt probabilior. p.*291. *n.*47.

*Eſt contra ipſius mentem, quòd quis licitè poſſit ſequi opinionem probabilem falſam, quando poteſt judicare falſam eſſe. p.*291. *n.*48. *&* 49. *Quantopere commendet Summam* Theologiæ *Alexandri Alenſis.* P. 298. *n.*65.

S. Bernardus. *Quomodo exponat conceptum Opinionis, ejuſque differentiam à Scientia, & Fide. p.*1. *n.*1.

*Egregia ejus doctrina de obligatione Subditi ad obediendum Superiori præcipienti, ubi manifeſtè peccatum non apparet. p.*346. *n.*92.

S. Bonaventura. *Juxta Seraphicum Doctorem nemo poteſt licitè ſequi opinionem faventem libertati adversùs legem, in occurſu tutioris ſtantis pro lege adversùs libertatem; niſi morali quadam certitudine ſibi perſuadeat opinionem illam benignam eſſe veram, & oppoſitam ſeveram eſſe falſam. Id variis locis S. Doctoris oſtenditur. D.*13. *p.*287. *uſque ad* 291.

*Juxta S. Doctorem quamvis facere contra conſcientiam dictantem eſſe malum, quod reipsâ eſt bonum, ſit malum: tamen facere juxta conſcientiam dictantem eſſe bonum, quod reipsâ eſt malum, & contra Deum, non ſemper eſt bonum. p.*290. *n.*41. *&* 42.

C

CAndidus Philalethus *S. I. anno* 1642. *impugnavit Probabiliſtarum ſententiam. Introduct. Operis. p.*4. *n.*10.

Caramuel. *Ejus ſententia de uſu licito cujuslibet opinionis probabilis. D.* 3. *p*31. *n.*4.

*Ejus doctrina, quòd cuilibet liceat ſequi opinionem probabilem minùs tutam, dum ei non fuerit certum, & evidens illam eſſe falſam; latè impugnatur. D.*3. *à p.*49. *ad* 57. *& D.*5. *à p.*110. *ad* 112. *D.*3. *§.*10. *à p.* 63. *ad* 65. *Impugnatur etiam p.*351. *n.*109.

*Laxiſſimæ ejus aſſertiones. p.*64. *n.*115.

*Ad uſum licitum opinionis minùs tutæ non requirit aſſenſum directum circa ipſius veritatem. p.*185. *n.*1.

P. Joannes de Cardenas *falsò affirmat eſſe intrinſecè improbabilem noſtram ſententiam, aſſerentem licitum non eſſe ſequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam in occurſu probabilioris, & tutioris. D.*7. *§.*16. *à p.*165.

*Appellat manifeſtam Demonſtrationem argumentum Sophiſticum nixum merâ æquivocatione. D.*8. *p.*181. *n.*28. *vide à p.*181. *ad* 184.

Impugnatur latè ejus ſententia, quatenus negat, motiva æqualia pro utraque parte relinquere rem dubiam in quæſtione Juris, ſicut reliquunt in quæſtione Facti. D.VII. toto §. 5. *à pag.* 139. *ad* 142.

*Non bene explicat diſcrimen inter dubium Negativum, & dubiũ morale Poſitivum: nam dubium morale negativum neceſſariò reſultat ex motivis probabilibus æqualibus pro utraque parte. D.VII. §.*16. *&* 17. *à p.*165. *ad* 168.

*Docet etiam, quando una pars repræſentatur intellectui, ut evidenter probabilior, poſſe voluntatem illum flectere ad aſſenſum partis oppoſitæ, & hunc aſſenſum fore prudentem. D.III. p.*31. *n.*4.

Cardinalis Cajetanus. *Impugnatur ejus ſententia, quatenus docet licitum eſſe ſequi ſententiam probabilem minùs tutam, dum agens ſolùm in communi opinatur cum formidine rem eſſe licitam; non autem quando ſic opinatur de actione in particulari. D.X. toto c.*3. *à p.*232.

*Quam certitudinem requirat de veritate ſententiæ minùs tutæ ad ejus licitum uſum. p.*199. *à n.*10. *ad* 16.

Dum excludit Opinionem *à regula operationis, ſumit Opinionem in gradu imperfecto, quatenus importat dubitationem aliquam, quam Opinio, ut ſic, prout opponitur Scientiæ, non requirit. P.*200. *à n.*12. *Ejus doctrina non tangitur Decreto Alexandri VIII. D.X. c.*2. *p.*229. *ad* 232.

Digitized by Google

Cardinales Sanctæ Eccleſiæ; *iique inſignes Theologi, contrarii Doctrinæ recentium Probabiliſtarum: nimirum Cajetanus, Bellarminus, Pallavicinus, Lauræa, & Aguirre. D.XIII. à pag. 301. ad 313.*

Certitudo. Certum. *Ad uſum licitum ſententiæ minùs tutæ non requiri omnimodam certitudinem de ejus veritate, ſed ſufficere certitudinem quamdam moralem, conſiſtentem in majori probabilitate illius partis, cum exceſſu notorio ſupra oppoſitam, latè oſtenditur totâ Diſſert. X.*

Certitudo Moralis. *Duplex; alia tali authoritate humanâ confirmata, ut omnem formidinem excludat; qualis eſt Ciceronem, & Virgilium in mundo extiſſe, ac fuiſſe viros inſignes; & hæc æquivalet certitudini phyſicæ: alia nixa tot ſignis, & indiciis veritatis, ut ſecurum hominem reddat, & anxietatem, ac dubitationem excludat; non tamen excludat omnem formidinem. pag. 201. n. 14.*

Certitudo quotuplex. Ibidem. Non requiri ad uſum licitum partis minùs tutæ omnimodam certitudinem de ipſius veritate. Ibidem, & pag. 206. & p. 236. ad 248.

S. Joan. Chryſoſtomus. *In quàm craſſos errores inciderint Gentiles obcæcati peccatis, deſcribit S. Doctor. p. 256. n. 37.*

Egregia Chryſoſtomi authoritas contra uſum opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ. p. 76. n. 26. & p. 281. n. 15.

S. Clemens Papa. *Contrarius doctrinæ Probabiliſtarum. p. 281. n. 13.*

Clemens V. *In Concilio Viennenſi docuit, ſectandas eſſe ſententias probabiliores. p. 204. n. 22.*

Item cap. Exivi *in Clem.* de verb. ſignif. *p. 300. n. 73.*

P. Comitolus (*Paulus*) *S. I. Anno* 1609. *in ſententiam Probabiliſtarum invectus eſt. Introduct. Operis. pag. 3. num. 9. & p. 300. n. 72. Contra illam allegat Jus Canonicum. Introd. n. 9. in fine.*

Confeſſarius. *Ex eo, quòd Confeſſarius contra propriam opinionem poſſit abſolvere pœnitentem, utentem opiniòne probabili contrariâ, non ſequitur, poſſe quemlibet uti opinione minùs probabili, & minùs tutâ, in occurſu probabilioris, & tutioris. p. 353, à n. 114.*

An Confeſſarius, qui judicat probabiliter Pœnitentem obligatum eſſe ad reſtituendum, poſſit ipſum, abſolvere, ſi advertat ipſum accedere cum propoſito non reſtituendi, eo quòd ductus opinione probabili contrariâ judicat, ſe non eſſe obligatum reſtituere. à p. 355.

Quid de hoc docuerit Adrianus. p. 356.

Quid P. Ludovicus de Scildere. Ibid.

Sententia Authoris variis aſſertionibus expoſita. à pag. 357.

Confeſſarius doctus non poteſt abſolvere Pœnitentem contra propriam opinionem, quando eſt in ſe manifeſtè probabilior, & ut talis propoſita fuit ipſi Confeſſario. à p. 358. ad 360.

De Obligatione Confeſſarii ad non relinquendum Pœnitentem in ignorantia ſua à pag. 360.

Conradus, *ait S. Thomam in multis Quæſtionibus moralibus tenere partẽ minùs tutam, quia judicavit verã. p. 251. n. 21.*

Conſcientia. *Vide* dictamen Conſc.

Conſcientia *quid ſit. Vide verbo* Sanctus Thomas. *Ut quis rectè operetur debet ſibi formare* Conſcientiam ex propria ſcientia, *ſeu cognitione. Unde ut quis licitè ſequatur aliorum opinionem, ſtantem pro libertate adversùs legem, debet prius illam facere* ſuam *per prudentem, & probabilem aſſenſum, ſibique perſuadere, illam eſſe veram, & legi æternæ conformem. D. 8. cap. 2. §. 1. à p. 176.*

An, & quando Conſcientia poſſit eſſe perplexa. p. 173. n. 6. & p. 174. n. 7. & ſequentibus.

Quomodo Conſcientia erroneà excuſet, vel non excuſet. D. 8. cap. 1. à p. 172. ad 176.

Poteſt dari peccatum formale contra legem, *etſi non ſit* contra Conſcientiam. *p. 190. n. 12.*

Conſcientia erronea quomodo liget, explicatur à S. Bonaventura. p. 289. n. 40. & ſeqq.

Conſuetudo *peccandi obcæcans mentem, atque faciens, ut homo exiſtimet licitum, quod reipsâ eſt malum, non excuſat. p. 261. n. 47.*

Conſulens. Conſilium. *Viro docto non licet reſpondere conſulentibus ſecun-*

dùm ſententiam aliorum, quàm ipſe falſam eſſe cenſet. p. 110. *toto* §.5.

A fortiori id non licet, quando certus eſt de falſitate illius ſententiæ. pag. 111. *n.* 36.

Contenſon.(*Vincentius*) *contrarius ſententiæ benignæ. D.*4.*p.*68.*n.*4.

Contritio. *An homo, qui commiſit peccatum mortale, teneatur ſtatim de illo conteri. Vide* Sententias Doctorum. *p.*215.*n.* 48.

Corduba (*Antonius*) *anno* 1571.*teſtatus eſt, omnes Theologos conſentire in eo, quòd ad uſum opinionis minùs tutæ requiratur major ejus probabilitas. Introd.n.*2.*& D.* 4.*p.* 68. *n.* 4.

S. Cyprianus *contrarius ſententiæ benignæ recentium Probabiliſtarum. pag.* 281. *n.* 14.

D

Decreta, Decretales, Brevia Summorum Pontificum pro Recto Uſu Opinionum Probabilium. *Expenditur cap.*Inquiſitionis, *de Sententia Excommunicationis ex Innocentio III. p.* 203. *n.* 20.

*Cap.*Fidei Catholicæ *ex Clemente V. in Concilio Viennenſi. p.* 204. *n.* 22.

*Cap.*Majores, *de Baptiſmo. ex Innoc. III. & Cap.*Capellanus, *de Feriis. Ibid.*

Regula 45 *Juris in* 6.Reſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius. *p.* 217. *n.* 54.

Item illa alia: Nemo poteſt ad impoſſibile obligari. *p.*220. *n.*63.

Decretum Alexandri VIII. *quo damnavit hanc propoſitionem*: Non licet ſequi opinionem, vel inter Probabiles Probabiliſſimam. *p.*221. *n.*65.

Decretum Innocentii XI. *quo damnavit uſum opinionis exiguè probabilis. p.*221 *n.*66. *& p.*180. *n.*24.

*Cap.*Ex literis *de Probationibus. p.* 139. *n.* 22.

*Cap.*Licet cauſam. *Ibid.*

*Cap.*Omnes, *de Pœnit. p.*149. *n.*53.

In dubiis tutior pars eſt eligenda.

*Cap.*ad Audientiam. *Cap.* Significaſti. *de Homicidio. & Cap.*Juvenis, *de Sponſalibus. p.*151. *n.*57.

Cap. Exivi, *in Clementina de Verborum Significatione. p.*300. *n.*73.

Expenditur Regula 11.*Juris in* 6. Cùm ſunt jura partium obſcura, Reo favendum eſt potiùs, quàm Actori. *D.* 14. *cap.*5 *p.*325.

Item Regula 55. Semper in dubiis benigniora præferenda ſunt. *p. ibid.*

Cap. Licet ex quadam *de Teſtib. & atteſt. Innoc. III. in Concil. Lat. p.*339. *n.*75.

*Rurſus Cap.*Inquiſitioni *de Sentent. Excomm. p.* 339.

*Quomodo ejus Textum exponat Thomas Sanchez. Ibid. n.*76.

Cap. Dominus *de Secundis Nuptiis. p.*338. *n.*71.

*Cap.*Ne innitaris prudentię tuæ *de Probat. p.*348. *n.*100.

Expenditur Breve Urbani VIII. de Matrimoniis Indorum. D. 14. *cap.* 7. *p.* 328. *ad* §. 4. *Latèque contra Terillum oſtenditur, ex illo nihil colligi in favorem ſententiæ benignæ de uſu licito opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ. Ibid. uſq. c.*8.

Dictamen Conſcientiæ. *Ubi ſententia tutior ſtans pro lege adverſùs libertatem apparet abſolutè probabilior operanti, nequit iſte formare prudens conſcientiæ dictamen, quòd ſibi liceat operari. D.*4. *cap.*2.*toto* §.8. *à p.*84.*& D.*6. *toto* §.10. *p.*128.

Nequit operans formare ſibi certitudinem conſcientiæ reflectendo ſupra probabilitatem ſententiæ benignæ faventis libertati adverſùs legem, quam agnoſcit eſſe minùs probabilem, vi hujus ſyllogiſmi; Licet ſequi quamcumque Opinionem Probabilem; ſed hæc opinio eſt probabilis: ergo licet eam ſequi. *p.*85.

*Neque reflectendo ſupra multitudinem Doctorum affirmantium, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam, in occurſu probabilioris, & tutioris, à pag.*88.

Neque hoc dictamen certum poteſt formare imperando aſſenſum directum circa partem minùs tutam, minùſque ſibi probabilem, vi hujus ſyllogiſmi;

Mihi

Mihi licitum eſt facere, quod prudenter judico non eſſe prohibitum; ſed ego hìc & nunc prudenter judico, hunc contractum non eſſe prohibitum ob fundamenta ſententiæ minùs probabilis: ergo mihi hìc & nunc licitum eſt facere hunc contractum. *toto* §.11.*p*.91.

Solùm in principiis Antiprobabiliſtarum, quibus Authbr nititur, poteſt defendi, neceſſarium eſſe, ad rectè operandum judicium ultimum conſcientiæ certum, & evidens; formandum ſcilicet vi hujus ſyllogiſmi: Unicuique licitum eſt facere quod poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra paſſionem & culpam judicat eſſe ſecundùm ſe, & omnibus licitum; ſed ego hìc & nunc poſt diligentem veritatis inquiſitionem ob fundamenta gravia clarè, & manifeſtè præponderantia fundamentis ſententiæ contrariæ, citra paſſionem & culpam judico, hunc contractum eſſe ſecundùm ſe, & omnibus licitum: ergo mihi hic & nunc licitum eſt facere hunc contractum. §.12. *à p*.96.

Sed neque in iſtis principiis oſtendi poteſt illud dictamen eſſe neceſſarium. Ibid. num.82.

Non eſſe neceſſarium judicium ultimum reflexum, ſeu dictamen reflexum omnino certum, quod hìc & nunc licitum ſit operari, ad licitè operandum; ſed ſatis eſſe judicium probabile prudens de boneſtate obiecti, docent graves Theologi cum P.Vazquez. p. 97. *n*.82. *Quæ ſententia placet Autori, dummodo judicium illud ſit formatum ex vi fundamenti manifeſtè præeminentis fundamento ſententiæ contrariæ: deſervitque ut cum timore & tremore noſtram ſalutem operemur. p.* 97. *n*. 83. & *p*. 235. *n*.108.

Impoſſibile eſt, ut ſuper opinione minùs tutâ, minùſque probabili cognitâ ut tali, fundari poſſit ultimum dictamen conſcientiæ certum & evidens: impoſſibile enim eſt, ut quis omnino certus ſit, ſe non peccare exercendo hìc & nunc contractum, de quo ipſi veriſimilius eſt, illum eſſe malum ſecundùm ſe, & lege Divina probibitum, quàm eſſe licitum. D. 4. §. 12. *à p*.96. *Vide D*. 10. *p*. 206. *à n*.27.

Non rectè hæc duo cohærent; quòd dictamen ultimum conſcientiæ debeat eſſe certum, & evidens; & quòd poſſit homo licitè uti opinione minùs probabili, & minùs tuta. Ibid.

Non requiritur, quòd ultimum dictamen conſcientiæ de honeſtate actionis hìc & nunc exercendæ, ſit omnino certum. p. 97. *n*. 82. & 83. & *p*. 235. *n*. 108.

Diſpenſatio. *Licet ex Diſpenſationibus conceſſis à Summis Pontificibus inferri poſſit, licitum aliquando eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem abſolutè, ideſt minùs communem, ſi fuerit magis fundata; numquam tamen rectè inferes, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs communem, & minus fundatam, in occurſu communioris, magis fundatæ, & magis tutæ. D.XIV. cap.* 6. *à pag*. 326

Sic diſpenſarunt, in voto Caſtitatis, & in Matrimonio rato, ſequendo ſententiam, quæ illo tempore erat minùs communis, & vulgo habebatur pro minùs probabili; quam tamen prudenter veram eſſe exiſtimarunt, quæque poſtea reddita eſt abſolutè probabilior. p.327. *n*. 44. & 328. *n*. 45.

Doctores. Doctrina. *Doctores, & Magiſtri tenentur tradere Doctrinam veram, vel ſaltem magis veriſimilem. p*. 213. *n*. 42. *Vide verbo* Magiſtri. *Peccant qui tradunt doctrinas falſas, niſi ipſos excuſet ignorantia invincibilis. p*.114. *n*. 6. *Peccant Doctores, atque Magiſtri tradendo doctrinas laxas. p*. 265. §. 1.

Doctrina directa, & reflexa. *Diſcrimen inter Doctrinam directè affirmantem, aliquod obiectum eſſe honeſtum, & Doctrinam reflexam affirmantem licitum eſſe ſequi opinionem minùs probabilem & minùs tutam in occurſu probabilioris & tutioris, eſt: quòd qui ſequitur opinionem directam minùs tutam, ſi illa ſit verè probabilis, & informet animum operantis, excuſat operantem ex ipſa, licet reipsâ ſit falſa; Doctrina verò reflexa, ſi ſit reipsâ falſa, non excuſat illum, qui motus illa doctrinâ, ſequitur opinionem faventem libertati adverſùs legem, quando habet majus fundamen-*

Digitized by Google

damentum ad judicandum eſſe falſam, quàm ad judicandum eſſe veram. p. 269. num. 14.

Dubium. *Intellectus neceſſariò manet dubius in occurſu opinionum contrariarum æquè probabilium. totâ D.VII. latiſſimè à pag.* 134. *ad.* 149.

Non modò in quæſtione Facti, ſed in quæſtione Juris motiva æqualia pro utraque parte relinquunt rem omnino dubiam. D.VII. toto §. 5. *à p.* 139.

Dubium Poſitivum, & Negativum non rectè à multis explicatur. D.VII. toto §. 17. *à p.* 166. *Omne dubium morale negativum, eſt poſitivum quoad rationes dubitandi. Dubium enim morale eſt contrariarum rationum æqualitas, juxta Ariſt. & D.Thomam. a p.* 165. *ad* 168.

Intellectus neceſſariò manet dubius, ubi pro utraque parte contradictionis repræſentantur motiva æqualia. à p. 168. *ad* 171.

Licet res in communi, & in genere ſit dubia, quando dantur opiniones oppoſitæ circa eam, an ſit licita, necne; nihilominus non manet dubia apud eum, qui ob rationes clarè præponderantes rationibus partis contrariæ ſibi perſuadeat rem eſſe licitam. p. 235. *à n.* 108. *ad* 111. *& p.* 243. *n.* 6. *Ubi, quomodo intelligatur illud Axioma*: In dubiis tutior pars eſt eligenda. *Item pag.* 235. *à num.* 109.

Non eſt idem, motivum probabile, ac dubitatio; ſed dubium morale reſultat ex eo, quòd in eodem intellectu concurrat motivum probabile pro una parte contradictionis, cum motivo æquali pro contraria. p. 166. *n.* 95. *&* 96.

Ut regula, In dubiis tutior pars eſt eligenda, *ſit præceptiva, debet ſumi de dubio propriè ſumpto. p.* 235. *à nu.* 109. *& p.*243. *n.*6. *& p.*244. *n.*7. *Regula illa non debet intelligi de re dubia in genere, ſeu de re dubia reſpectu communitatis Doctorum, ſed de re dubia reſpectu operantis, quando hic dubitat, an ſit licita, necne. p.* 243. *&* 243.

Durandus. *Doctrina hujus Doctoris omnino contraria eſt doctrinæ Probabiliſtarum recentium. p.* 290. *n.* 61.

Juxta Durandum, ut quis peccet agendò per errorem contra legem, ſatis eſt, quòd error ſit vincibilis in cauſa. pag. 296. *n.* 62. *Egregia ipſius doctrina, quòd magis debeamus deferre rationi, quam authoritati purè humanæ, & fallibili. p.* 297. *n.* 63.

E

Error. *Licet Ignorantia non ſit peccatum, niſi quando eſt de his rebus, quas ſcire tenemur; error tamen voluntarius in quibuſcumque rebus eſt peccatum, ut docet cum Cajetano Suarez. pag.* 252. *n.* 25.

1. Eſparza *(Martinus de) Quomodo Opinionem probabilem definiat. pag.* 6. *n.* 16. *Cum definitione ab ipſo tradita, quòd ſcilicet* Opinio probabilis nitatur fundamento magni momenti, ideſt fundante exiguam formidinem; *non bene cohæret, quòd poſſit quis ſequi opinionem minùs tutam, quando oppoſita proponitur ipſi ut æquè veriſimilis; & à fortiori, quando proponitur ut minùs veriſimilis. D. I. toto* §. 3. *a n.*16. *ad* 21.

2. *Ex definitione Opinionis probabilis ab ipſo tradita, juxta quam* probabile *ſumitur pro* approbabili, *ſeu pro eo, quod approbare, & cui adhærere intellectus meritò poteſt, tamquam* vero; *colligitur non eſſe probabile operanti, quod eſt ipſi minùs veriſimile. D. I. p.* 6. *& à p.*13. *uſque ad* 15.

3. *Ad uſum licitum opinionis minùs tutæ requirit hic Author, ut illa ſit paris, vel ferè paris probabilitatis cum ſententia tutiore. p.* 8. *n.* 21. *Verùm licet hoc requiratur, non tamen ſufficere oſtenditur. D.I.* §. 3. *p.* 6. *uſque ad* 8. *incluſivè. D.* 8. *cap.* 2. §. 2. *à p.* 187. *ad* 184. *& D.* 6. §. 4. *à p.* 121. *uſque ad* 130. *Ubi oſtenditur, partem minùs veriſimilem & minùs tutam non manere abſolutè probabilem reſpectu operantis, cui pars tutior apparet magis veriſimilis. Quod & fusè probatur. totâ D. VII. à p.* 134. *ad* 171.

4. *Ex verbis hujus Authoris citatis. pag.* 19.

Digitized by Google

p.19.n.4. Colligitur, pleroſque Authoris hujus ſæculi aſſerentes licitum eſſe ſequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, loqui de minùs probabili ſpecificativè, & materialiter; ideſt de minùs communi, quæ reſpectu operantis eſt probabilior, ſeu veriſimilior, & idcirco ab ipſo judicatur vera. à p.19. ad 24.

5. *Oſtenditur hunc Authorem, & alios modernos in hac quæſtione de uſu licito Opinionis Probabilis minùs tutæ, tranſitum feciſſe ab uno ſenſu, in quo eſt vera, ad alium, in quo eſt falſa. D.2. toto ʒ.5. à p.27. ad 30.*

6. *Juxta hunc Authorem nemini licet ſequi ſententiam probabilem minùs tutam, quando exceſſus probabilitatis in ſententia tutiore eſt manifeſtus, & evidens. p.31. n.4. Falsò tamen docet, hunc eſſe ſenſum communem inter omnes Authores benignos. Ibid.*

7. *Rectè docet, fieri non poſſe, ut opiniones oppoſitæ ſint ambæ probabiles apud eum, cui una ex illis eſt manifeſtè probabilior, ſeu veriſimilior. p.31. à n.6. uſque ad 10.*

8. *Probatur contra ipſum, non poſſe intellectum aſſentiri parti ſibi minùs veriſimili. D.III. à p.33. uſque ad 43. & D. VIII. à p.173. ad 184.*

9. *Juxta ipſum, quando una Opinio eſt manifeſtè veriſimilior, quàm oppoſita, jam eſt moraliter certa operanti: quando eſt manifeſtè minùs veriſimilis, jam eſt reſpectu illius improbabilis. D.X. p.225. n.77. & p.231. n.100.*

10. *Conſtanter docet, non eſſe licitum ſequi ſententiam minùs tutam, quando oppoſita eſt evidenter, & indubitatè probabilior: quia tunc non manet probabilis operanti. p.231.*

11. *Falsò affirmat, Authores benignos aſſerentes, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam loqui de opinione minùs tuta, quæ ſit ferè æqualis probabilitatis cum tutiore, & ab illa non excedatur clarè, & manifeſtè quoad probabilitatem. p.69. à n.9. uſque ad 11.*

12. *Peculiare hujus Authoris placitum, quòd motiva æqualia cauſent dubium, ſi ſint ſimilia; ſecus, ſi ſint diſſimilia, latè impugnatur. D.7. ʒ.6. à p.142. ad 146.*

13. *Rectè docet, neminem poſſe licitè ſequi ſententiam minùs tutam, niſi priùs per aſſenſum directum judicet, eſſe veram. p.142. à n.31. ad 34 & p. 176. n.14. Putatque fuiſſe demonſtratum ab Adriano, ad ſequendam opinionem minùs tutam non ſufficere judicium reflexum de ipſius probabilitate, ſed requiri judicium directum de ejus veritate, quo operans faciat ſuam illam opinionem, & ſibi applicet legem æternam, ut Regulam. D.8. p.176. n.15.*

14. *Falsò docet poſſe intellectum ex imperio voluntatis opinari unam partem contradictionis, quamvis oppoſita ſit ei æquè veriſimilis, vel etiam magis. p.143. à n.34. ad 35. In hac aſſertione contradicit D.Thomæ, & communi ſenſui Thomiſtarum. p.143. n.35. & à p.134. ad 136. Contradicit Patri Suarez, & Patri Vazquez, & Patri Thomæ Sanchez. p.135. n.5. & communi ſententiæ Doctorum Societatis, ut oſtenditur D.3. cap. 2. à p.33. & Scoto, communique ſenſui Philoſophorum, & Theologorum: & utrique Juri D.8. à p.178. ad 180. & p.135. n.7.*

15. *Ex eo quòd poſſit voluntas eligere inter bona æqualia, non rectè probat, poſſe intellectum ex imperio voluntatis amplecti, ut veram, unam partem contradictionis, etſi oppoſita appareat illi æquè probabilis in actu primo. p. 138. à n.15.*

16. *Falsò ſupponit, intellectum prudenter poſſe aſſentire, ut veræ, opinioni minùs probabili, & minùs tutæ, quando exceſſus probabilitatis ex parte opinionis tutioris eſt exiguus. p.92. n.69. circa fin. Sed falſiſſimum eſt, ſuper hoc aſſenſu, ſi poſſibilis ſit, poſſe fundari dictamen reflexum conſcientiæ certum, & evidens. D.4. toto ʒ.11. à p.91. ad 96. præſertim n.71. p.93.*

17. *Rectè docet, Magiſtros habere obligationem docendi, quantum poſſunt, veritatem. p.251. n.23. & p.114. n.6.*

18. *Fundamentum à priori, quo P. Eſparza contendit, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam,*

tam, nititur æquivocatione, & eſt fallax. p.95.n.80. lege D.4.à p.91. toto §.11. præſertim à n.69. circa finem.
19. Oſtenditur contra ipſum, judicium formatum ab operante de honeſtate objecti ex vi motivi minoris motivo partis oppoſitæ, vel ex vi motivi æqualis; quamvis admittatur poſſibile, non eſſe judicium certò probabile, nec ſufficiens ad ſecuritatem conſcientiæ. p.95.n.80.
20. Aliquid debet addi Definitioni Opinionis Probabilis traditæ à P. Eſparza D.1.p.14.n.38.
21. Bene docet, non poſſe intellectum aſſentiri, ut veræ, parti ſibi evidenter minùs veriſimili. p.31.n.6.
Rectè dicit, peccare Magiſtros, qui docent doctrinas morales falſas, niſi ipſos excuſet ignorantia invincibilis. p.114. n.6.

F

Faber (Philippus) inſignis Scotiſta docet cum Scoto, tenendam eſſe tutiorem ſententiam, quando eſt probabilior, quàm minùs tuta; imò quando eſt æquè probabilis. p.295.n.58.
Facienti, quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam. Hoc axioma non debet intelligi de faciente quod in ſe eſt, ad inveniendam veritatem in iis, quæ diſputantur inter Doctores Catholicos. p.253. n.28.
Fagnanus. Quid nomine Certitudinis Moralis, requiſitæ ad uſum licitum ſententiæ minùs tutæ, intelligat. p.202.n.16.
Quid requirat ad uſum licitum Opinionis minùs tutæ. p.179.n.21. & p.237. n.114.
Quomodo explicet gradus quatuor, quibus homo aſcendit ad formandam plenam credulitatem de bonitate, vel malitia actûs. p.237.n.116.
Ex eo quòd Doctores ſæpe affirmant aliquid eſſe probabilius, non ſequitur, quòd ſentiant oppoſitum eſſe probabile. D.III.p.48.n.59.
Fides. In quo differat à Scientia, & Opinione. p.1.n.1.& 2.p.2.n.3.& 4.
Explicatur libertas Fidei, & oſtenditur, ex illa non probari, quòd intellectus poſſit aſſentire parti ſibi minùs veriſimili. p.37. Cur noſtra Fides dicatur evidenter credibilis. p.37.à n.23.
Dum Hæreticus peccat peccato hæreſis, aſſentiendo ſuis erroribus, myſteria noſtræ Fidei non ſunt illi propoſita, ut evidenter credibilia; imò nec tunc repræſentantur ipſi ut veriſimiliora ſuis falſis dogmatibus. p.38.à n.25.
Dum Catholicus per actum Fidei Divinæ aſſentitur myſteriis noſtræ Religionis, non habet in ſe, & immediatè potentiam proximam ad illis diſſentiendum. p.38. & 39.à n.29. ad 35.
Peccatum infidelitatis, & hæreſeos non conſiſtit in eo, quòd cognitâ evidenti credibilitate myſteriorum noſtræ Fidei, illis quis diſſentiat, adhærendo dogmatibus contrariis; ſed ſecundum D. Thomam conſiſtit in contrarietate ad Fidem, quâ ſcilicet aliquis repugnat auditui Fidei, vel etiam contemnit ipſam. p.38.n.1.
Quomodo ſinguli Fideles habeant evidentiam credibilitatis myſteriorum noſtræ Fide. p.39.n.30.
Fides eſt libera quantum ad uſum, & quantum ad aſſenſum; at Scientia ſolùm quantum ad uſum. p.40.n.34.
Formido aliud quàm dubitatio, ſeu hæſitatio. Id explicatur à P. Vazquez p.200.n.13.
Quid ſit Formido quæ eſt propria Opinionis prout diſtinguitur à Scientia, & Fide Divina, latè explicatur D.X. à p.226. toto §.3.& p.235.n.108.
Si intellectus poſſit aſſentiri parti ſibi minùs veriſimili, vel æquè veriſimili, Formido ex tali aſſenſu reſultans erit magna. p.228.n.90.

G

Gerſon (Joannes) Cancellarius Pariſienſis, cenſet ad uſum licitum Opinionis minùs tutæ ſtantis pro libertate contra legem, ſatis eſſe, quòd operans probabiliter judicet eſſe veram, vi motivi magis inclinantis in hanc partem, quam inclinetur in oppoſitam per ejus fun-

Digitized by Google

*fundamenta. pag.*208.*n.*30.

Qui operatur probabiliter judicans, rem eſſe licitam, non operatur in dubio, quamvis illud judicium ſit cum aliqua formidine partis oppoſitæ. Id latè docet Gerſon. D.X.§.5.*p.*208.*à n.*30.*ad* 34.& *p.*299.*n.*69.

Juxta Gerſonem ſufficit ad rectè operandum probabilis certitudo de honeſtate objecti, fundata in majori probabilitate illius partis, quàm oppoſitæ. p. 209. *n.* 33.

Quam certitudinem requirat ad uſum licitum partis minus tutæ. p. 256. *n.*113.

Gonet (Joan.Bapt.) *Laudatus.p.*202.*Rectè docet quænam via media ſit tenenda in uſu Opinionum Probabilium. Ibid. n.* 17. *Et meritò laudat tamquam prudentiſſimum conſilium Illuſtriſſimi Domini de Marinis Archiepiſcopi Avenionenſis. p.*202.*in fine.*

S.Gregorius Nazianzenus. *Contrarius doctrinæ recentium Probabiliſtarum. p.*232.*n.*18.

Guillelmus Pariſienſis. *Docuit quærendam in opinionibus veritatem. p.*274. *n.*23.

H

HÆreticus. Hæreſis. *Dum Hæreticus aſſentitur ſuis dogmatibus tamquam articulis certis, non habet potentiam proximam ad credenda myſteria propoſita ab Eccleſia Catholica; & tamen ille ejus aſſenſus eſt propriè peccatum: quia tota illa impotentia ad amplectendam veram fidem, eſt illi voluntaria, & proveniens ex ejus perſonali culpâ ipſum obcæcante. D. III. toto* §.11. *p.*37.*à n.*21.*ad* 35.

*Nullus Hæreticus exiſtimat ſe eſſe hæreticum; ſed potiùs ſibi perſuadet, ſuos errores eſſe veritates infallibiles. p.*37. *n.*22.

Harquettus (*Jo: Baptiſta*). *Quomodo doceat, licitum eſſe ſequi minus probabilem. D.*2.*p.*24.*n.*16.

Henricus de Gandavo. *Contrarius ſententiæ benignæ de minori probabilitate. p.*298.*n.*66.

Hieronymus. *Deſcribit fœdiſſima delicta, quæ licita à Gentilibus putabantur. p.* 256. *n.* 37.

I

JAnſenius. Janſeniſtæ. *Janſenii error circa impoſſibilitatem Præceptorum. p.*257.*n.*39.

Ignorantia. *Vide verbo* Lex.

*Qui ſectatur opinionem minùs tutam minuſque probabilem, & ſibi minùs veriſimilem, non poteſt excuſari per Ignorantiam invincibilem, ſeu per ignorantiam probabilem. p.*119.*à n.*19.*ad* 24. & *p.*127.*à n.*38.

*Quando judicium formatum ab operante de honeſtate objecti contineat Ignorantiam invincibilem, ſeu probabilem: quando vincibilem, & culpabilem. D. VIII.cap.*1.*à p.*172.*ad* 176.

*Poſſe dari ignorantiam invincibilem Juris naturalis quoad concluſiones remotas valde diſtantes à primis principiis fusè oſtenditur. D.XI. à p.*248. *uſque, ad* 263.

*Quàm difficilis ſit ſententia Theologorum, qui hoc negarunt. p.*250.*toto* §.2. *à n.*20.*ad* 30.

*Proponuntur argumenta, quibus probari videtur, non poſſe dari ignorantiam Juris naturalis, etiam quoad concluſiones remotas. à p.*254.*ad* 258.

*Reſponſio ad illa argumenta. à p.*258. *ad* 263.

*Error Gentilium, qui adulteria, furta, & alia delicta licita putabant, ipſos non excuſavit; quia ſuâ culpa obcæcati erant, & traditi in reprobum ſenſum. Id optimè explicat P. Vazquez. p.*249. *n.*18. & 19.

*Quid ſit Ignorantia inculpabilis. p.*154. *n.*66.

*Ratio deſumpta ex Alberto Magno, & D. Thoma, qua explicatur, quomodo poſſit dari Ignorantia invincibilis aliquorum Præceptorum in quibuſdam circumſtantiis. p.*249.*n.*17.

*Quomodo id explicent P.Suarez, & P. Vazquez. Ibid. & n.*18. *item p.* 250. *n.*19.& 20.

Doctores Sancti aliquando tenent ſententias oppoſitas circa Jus naturale, ut S. Thomas, & S. Bonaventura, teſte S. Antonino, & Conrado. p.250.n.20. & 21. Et aliquis eorum tradidit inculpatè doctrinam falſam faventem libertati adversùs legem. p.251. n.21. & 22. Hinc arguitur, poſſe inculpatè hominem indoctum ſequi opinionem probabilem reipsâ falſam circa Ius naturale. pag. 251.n.22.& 23.& p.252.à n.24.

Cur ſint inexcuſabiles Gentiles, qui habuerunt pro licitis opera fœdiſſima; explicat D.Thomas ex Apoſtolo. p.256. & 257. à n.37.

Communis, & vera ſententia Theologorum admittit Ignorantiam invincibilem Juris naturalis quoad concluſiones remotas, de quibus dantur opiniones contrariæ inter Doctores Catholicos. D.XI.cap.5.per totam à p.248.

Ignorantia non dicitur Invincibilis præcisè, quia viribus naturæ vinci non poteſt; ſed quia nec viribus naturæ, nec viribus Gratiæ ordinariæ, quam Deus ex ſe omnibus offert, vinci poteſt. D. II.p.254.& 255.

Non operatur cum Ignorantia inculpabili malitiæ, qui operatur rem malam in inſtanti, in quo poteſt judicio opinativo prudenti judicare, quòd ſit mala; licet non poſſit hoc judicare judicio omnino moraliter certo. p.243.n.5.

Refertur opinio P. Terilli, affirmantis, eum qui ſectatur opinionem minùs tutam directè minùs ſibi probabilem, ſeu minùs ſibi veriſimilem reipsâ falſam, operari cum Ignorantia invincibili malitiæ. p.241. & 242. Impugnatur ea opinio à p. 243. ad 146.

In ſententia aſſerente, poſſe intellectum aſſentiri, ut veræ, parti minùs tutæ, quamvis oppoſita repræſentetur ipſi ut æquè probabilis, vel ut probabilior cum exiguo exceſſu, opinio formata ab operante nequit fundare Ignorantiam invincibilem, & inculpabilem malitiæ. p.247.

Intellectus. *Vide verbo* Dubium.

Intellectus cum tendat ſub ratione veri *nequit aſſentiri illi parti contradictionis, quæ ipſi apparet minùs veriſimilis, quàm ejus contradictoria, ſeu quæ magis illi appareret falſa, quàm vera. D.III. cap.2.à p.33.ad 37.& D.VII.§.3. & 4. à p.136.ad 139. Et quamvis phyſicè poſſet flecti à voluntate, ut judicaret verum, quod eſt ſibi minùs veriſimile; non poſſet niſi imprudenter, & illicitè. D.III.cap. 3.à p.43.ad 49.& D.IV.p.95.n.80.*

Ex libertate Fidei non probatur, quòd poſſit intellectus aſſentiri objecto ſibi minùs veriſimili. à p.37.ad 40.

Is, qui temere judicat, non aſſentitur objecto ſibi minùs veriſimili; nec ducitur fundamento, cognito ut levi; ſed fundamento, quod in ſe eſt leve, licet ipſi ex paſſione, & præcipitatione repræſentetur ut grave. à p.40. ad 43.

An quando veriſimilius eſt, hominem eſſe malum, quàm eſſe innocentem, poſſit quis licitè judicare illum eſſe malum. p.218. n.58. Tunc tenetur quis ſuſpendere iudicium, ne forſan damnet innocentem. Ibid. Datur manifeſta diſparitas inter Intellectum, & Voluntatem; cur voluntas poſſit ex bonis omnino æqualibus unum præ alio eligere; intellectus verò inter opiniones contrarias ſibi propoſitas cum æquali veriſimilitudine, nequeat uni præ altera aſſentire ut veræ. D.VII.§.4.per totum à p.130.

Intellectus inter obiecta oppoſita ſibi repræſentata cum pari omnino vi movendi, nequit opinari circa unum potiùs, quàm circa aliud; ſed neceſſariò debet manere dubius. p.168.toto §.18. Proinde utraque pars contradictionis non poteſt ſimul eſſe probabilis eidem Intellectui. à p.168.ad 171.

Catalogus Authorum Societatis, qui dicunt, non poſſe Intellectum aſſentiri parti ſibi minùs veriſimili. p.33.n.11.

Joannes à S.Thoma. *Quid circa probabilia doceat. p.20.n.6.*

Quomodo explicet eſſentiam aſſenſûs opinativi. p.2. n.6. Oſtenditur contra ipſum, aſſenſum opinativum affirmare veritatem obiecti, licet cum formidine. p.3.à n.7.uſque ad 10.

Joannes Nider. *Contrarius Probabiliſtis benignioribus. p.299.n.96.*

Judex. *Judices in ferenda ſententiâ tenentur ſequi probabiliorem Opinionem. Id* pro-

Digitized by Google

probatur. D.IV. §.6. à p.77. ad 82.
Quando jura litigantium ſunt æqualia; Judex debet vel rem dividere, vel partes componere. p.80. n.37.
Judicium. *Verè, & certò probabile de honeſtate obiecti conceptum ab operante, ſufficit ad licitè operandum, p. 16. n. 45.*
Judicii temerarii ratio exponitur. D.III. p.40. n.35. & oſtenditur, eum, qui temere iudicat, non aſſentiri obiecto ſibi minùs veriſimili. p.41. n.37.
Varii gradus Judicii, & Suſpicionis. Ibid. à n.37. ad 42.
Quodnam ſit Judicium temerarium, quod inconcuſſè eſt peccatum mortale. p.42. n.41.
Diſcrimen traditum à D. Thoma inter iudicium de Rebus, & iudicium de Perſonis. p.220. n.64.
An, quando veriſimilius eſt, hominem eſse malum, quàm eſse innocentem, poſſit intellectus judicare, eſse innocentem. p.218. n.58.
P. Junius, *Vid. verbo* Andreas. *Ejus elogium. p.176. n.15. item Intr. p.8. n.23.*
Quid requirat ad uſum licitum opinionis minùs tutæ. Ibid.
Juris-Conſulti. *Docent ſequendam eſse partem probabiliorem. p.81. n.42. & 43. & p.80. n.41. D.VIII. §.2. p.178.*
Jus Civile. *Lib.4. Inſt. de lege Aquilia tit. 3. quando imperitia imputetur ad culpam. p.83. n.49. Leg. Rem* novam *Cod. de judiciis.*
Leg. Adoptivus, *§.2. ff. de Ritu nuptiarum. p.338. n.72.*
Leg.1. §. Neque *C. de veteri Jure enucleando* : Sed neque ex multitudine Authorum, quod melius, & æquius eſt, judicare debet &c. *Textus iſte expenditur. D.XIII. p.311. n.105.*

L

Lactantius *contrarius doctrinæ recentium Probabiliſtarum. p.283. n.19.*
Lauræa Cardin. *Illud ſolùm dicit eſſe probabile alicui, quod eſt ipſi veriſimilius, quàm ejus contradictorium. p.13. n.36.*
Laxitas doctrinæ Moralis. *Aliqui Authores graves non peccarunt, tradendo doctrinas falſas faventes libertati adversùs legem. p.265. n. 4.*
Non pauci ex iis, qui doctrinas laxas tradiderunt, forſan coram Deo non habuerunt excuſationem. p.265. n.4.
Laxitates in doctrina morali, & in interpretandis Præceptis, quàm pernicioſæ. p.343. n.83. & 84.
Quantæ laxitatis ſit origo Principium illud quorumdam Probabiliſtarum, quòd Licitum ſit ſequi quamcumque opinionem probabilem, etiamſi oppoſita ſit evidenter probabilior, & ut talis proponatur operanti. p.344. n.85.
Layman (*Paulus.*) *Docet contra Sanchez, dubitantem de impedimento dirimente, non poſse matrimonium contrahere. p.337. n.69.*
Ledeſma (*Bartholomæus.*) *Quid ſentiat circa uſum opinionis probabilis. p.20. n.7.*
Leſſius (*Leonardus.*) *Quando jura partium ſunt æqualia, & poſſeſſio dubia, cenſet, rem eſſe dividendam. p.157. n.73.*
Lex: ejuſque Promulgatio, Intimatio, Ignorantia.
Qui ſequitur opinionem minùs tutam, ſibi minùs probabilem, non habet Ignorantiam invincibilem, nec probabilem Legis, quâ ſe poſſit tueri in Dei Tribunali. D.VI. §.3. p.116. & p.127.
Ut operanti imputetur ad culpam actio, quam facit contra legem, ſatis eſt, quòd facilè potuerit judicare judicio opinativo prudenti, illam eſſe malam; quamvis non potuerit aſſequi omnimodam certitudinem de malitia. p.120. n.22.
Lex ipſa obligans ad abſtinendum ab aliqua actione, obligat ad judicandum eſſe malam, quando ſuppetit ad hoc prudens fundamentum; prævalens ſcilicet clarè fundamento partis contrariæ. pag.120. n.23.
Quamvis poſſit intellectus flecti à voluntate ad judicandam veram, partem ſibi minùs veriſimilem; tamen Lex ipſa obligans ad abſtinendum ab actione, obligat ad non diſſentiendum exiſtentiæ talis Legis, quando illa in actu primo repræſentata eſt, ut magis veriſimilis,

Digitized by Google

p.253.n.29.& p.110.toto §.5.
Peccant Magiſtri tradentes doctrinas laxas.p.265.§.1.
Major (Joannes) contrarius ſententiæ benignæ.p.298.n.67.
Martinus de Eſparza. Vide Eſparza.
Maſtrius, Inſignis Scotiſta, quomodo probet, licitum eſſe ſequi Opinionem minùs probabilem, & minùs tutam. pag. 181. num. 26.
Matrimonium. An inter Indos Gentis Guaranæ reperiantur vera matrimonia; an fœminam aliquam habeant, ut veram uxorem; an ſingulas, ut concubinas. p.333.à n.56.
Medina (Bartholomæus de) Qua ratione probet, licitum eſſe cuilibet ſequi Opinionem probabilem, etiamſi oppoſita ſit probabilior. p.44.n.50.
Ejus fundamentum ſi intelligatur de opinione minùs probabili ipſi operanti, ſeu quæ ipſi repreſentatur, ut minùs veriſimilis, quàm oppoſita, nititur merâ æquivocatione. D.III. à p.44. ad 49. à n.52. ad.61.
Admittit Ignorantiam invincibilem Juris naturalis, quoad concluſiones remotas. p.248.n.16.
Ejus ratio à priori pro uſu licito Opinionis minùs probabilis, impugnata à P. Vazquez. p.184.n.33.
Sententia benigna ſub iis terminis, ſub quibus defenditur à Medina, poteſt habere rectam explicationem, ſecundùm quam ſit vera. p.279.n.9,
Ratio à priori, quâ probat ſuam ſententiam. pag.181.n.25. eſt fallax pag.184. num.33.
Ejus fundamenta proponuntur, & ſolvuntur. D.14.c.4.à p.322.ad 325.
Mercado. Defenſor ſententiæ benignæ. p. 280.n.9.
Mercorus (Julius) Quomodo D.Thomam exponat circa uſum Opinionum faventium libertati adversùs legem. p. 201. num.16.
Quid nomine propoſitionis propriè probabilis intelligat. Ibid. Non aliam certitudinem requirit ad uſum licitum opinionis minùs tutæ, quàm quòd illa ſit manifeſtè, & notabiliter probabilior opinione tutiore. p. 202.
Doctrinam nimis benignam quorumdam Probabiliſtarum enervare vim legum, & eludere præcepta Superiorum, oſtendit optimè. p.343.n.83.
P. Molina (Ludovicus de) Quamvis hanc quæſtionem reflexam non tractaverit; an nimirum liceat ſequi opinionem probabilem minùs tutam in occurſu probabilioris, & tutioris: tamen t.3. aliàs 4. de Juſt. & Jure, in parte poſt. tract.3. de Juſt. Commutat. diſp.80. eam tradit doctrinam in caſu particulari, ex qua conſtat, ipſum apertè ſentire, neminem licitè poſſe ſequi ſententiam faventem libertati adversùs legem, quin priùs certus moraliter reddatur de ipſius veritate. Nam cùm num. 5. citaſſet ſententiam aliquorum aſſerentium, poſſe Confeſſarium, vi indulti, concedentis facultatem abſolvendi ab omni cenſura, ac pœna Eccleſiaſtica, diſpenſare in Irregularitate contracta ex delicto, ſeu quæ in pœnam præteritæ culpæ eſt ſtatuta; & cùm hanc ſententiam impugnaſſet, num.6. ex Navarro, & aliis oppoſitam ſtatuens concluſionem, ſic tandem concludit probationes, col. mihi 992. aliàs 2251. Noſtra, Navarri, cõmuniorque Doctorum ſententia, vel inde ſanè eſt omnino amplectenda, quòd ea, quæ dicta ſunt, cùm minimùm reddunt dubiam contrariam ſententiam: in dubio autem, an aliquis facultatem habeat diſpenſandi, aut abſolvendi ab Irregularitate, nefas profectò illi omnino eſt ab illa abſolvere, circa illamve diſpenſare. Item diſpenſatus ipſe, in dubio, an qui ſecum diſpenſaverit, legitimam ad id poteſtatem, facultatemve habuerit, tenetur ſe habere pro irregulari, minimèque diſpenſato, ut ſupra dictum, comprobatumque eſt. Quare interim dum contraria ſententia non eſt ita moraliter certa, ut, qui uti eâ debet, abſque omni dubio eam ſibi omnino perſuadeat, neque Confeſſario, neque Irregulari fas eſt eâ uti. Hactenus ille.
Unde conſtat, quàm ſit alienus P. Ludovicus Molina à ſententia benigna recentium Probabiliſtarum, univerſaliter

ter

Digitized by Google

ter aſſerentium, licitum eſſe ſequi quamcumque opinionem probabilem etiamſi ſit minùs tuta, & operanti ipſi appareat authoritate, & ratione minùs veriſimilis, quàm ſententia tutior. Quandoquidem inſignis iſte Doctor ad uſum licitum ſententiæ minùs tutæ, ſtantis pro libertate adversùs legem, non eſt contentus cum eo, quòd operanti ipſi appareat æquè veriſimilis authoritate, & ratione, ac ſententia tutior, ſtans pro lege adversùs libertatem; nec cum eo, quòd ſit utcumque veriſimilior ſententiâ tutiore: ſed requirit tantum exceſſum probabilitatis, & veriſimilitudinis in parte minùs tuta ſupra tutiorem ad rectum ejus uſum, ut operans reddatur moraliter certus *de ipſius veritate, aſſenſumque illi præbeat ita firmum, ut* abſque omni dubio ſibi perſuadeat illam eſſe veram. *Quæ videtur eſſe ſententia ipſa D. Thomæ, explicata Diſſert. IX. p. 189. §. 1. & ſententia Cajetani, Adriani, & aliorum, explicata D. X. p. 199. n. 10. & 11.*

P. Moya (*Matthæus de*) *Proponitur, & impugnatur doctrina hujus Authoris, quatenus docet, in eo caſu, in quo concurrunt Opiniones æquè probabiles pro libertate, & pro lege, dari Ignorantiam invincibilem legis; ac proinde licitum eſſe operari. D. VII. p. 153. §. 11. per tot.*

Fallacia fundamenti quo nititur p. 154. num. 66.

Teſtatur, ex communi ſenſu Probabiliſtarum, ad uſum licitum Opinionis Probabilis minùs tutæ, non requiri judicium directum de veritate talis opinionis; ſed ſufficere judicium reflexum de ejus probabilitate. pag. 268. col. 2. & fusè p. 185. n. 1. Ubi disertè pronuntiat, potentiam phyſicam intellectûs, ad aſſentiendum parti quæ minùs efficacibus fundamentis nititur, non eſſe neceſſariam ad electionem Opinionis.

At contrarium conſtanter docent P. Eſparza, P. Terillus, & P. Andreas Iunius citati p. 268. col. 2. & alii, citati, Diſſert. VIII. c. 2. p. 176. toto §. 1. à n. 14. ad 19. præſertim P. Suarez citatus pag. 177. num. 16.

Ex eo, quòd licitum ſit ſequi opinionem minùs tutam, quando eſt probabilior, non rectè infert Moya, licitum quoque fore, quando eſt minùs probabilis. p. 315.

N

NAvarrus *Doctor, ad uſum licitum ſententiæ minùs tutæ, ſtantis pro libertate adversùs legem, requirit, quòd operans illam judicet veram ob fundamentum reddens illam veriſimiliorem oppoſitâ: puta ob authoritatem viri docti, & probi illam tenentis D. II. p. 19. n. 3. in fin. & p. 22. n. 12.*

Juxta Navarrum, qui eligit partem minùs tutam, motus authoritate alicuius Illuſtris Doctoris, & ratione probabili, non operatur in dubio, nec peccat. p. 22. n. 12. item p. 198. n. 7.

Quomodo juxta eum differant, Scientia, Fides, Opinio, Dubitatio, & Scrupulus. *p. 211. n. 37.*

Quomodo exponat difficilem locum D. Thomæ ex quodlib. 8. articulo 13. nimirum hunc: Aut non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem. *p. 192. n. 18.*

Quomodo exponat illam regulam, In dubiis tutior pars eſt eligenda. *pag. 235. n. 109. item p. 240. n. 123.*

Impugnatur ejus ſententia, quatenus aſſerit, licitum eſſe ſequi ſententiam probabilem minùs tutam, quamvis operans in communi formidet de ejus veritate: non eſſe autem licitum, quando ita opinatur, actionem hic, & nunc exercendam eſſe licitam, ut formidet de ejus veritate. Diſſert. X. c. 3. per totum à p. 232. num. 101.

Meritò docet, non eſſe appellandam communem doctrinam, quæ facta eſt communis ob falſam aliquam ſuppoſitionem, quâ laborarunt illius aſſertores. Diſſert. XIII. p. 313. n. 109.

Quænam juxta Navarrum cenſeri debeat communis ſententia, ad effectum præiudicandi alteri. p. 312. n. 108.

P. Nicolaus M. Pallavicinus. *Ejus teſtimonium de retractatione factâ à Cardinali*

Digitized by Google

nali Pallavicino circa ſententiam Probabiliſtarum p.301.n.76.

P. Nicolaus del Techo *in Hiſtoria Paraquaria non rectè explicat Breve Urbani VIII. circa Matrimonia Indorum. p. 331.à n.55.ad 59.*

O

OBedientia. Obediens. *An Subditus relictâ Opinione probabiliori propriâ poſſit, vel debeat obedire Prælato præcipienti ex opinione minus tutâ, minùſque probabili. Diſſert.* 14.c.8. *à p.*342.

Fruſtrà Probabiliſtæ ad ſalvandam perfectionem Obedientiæ, recurrunt ad ſententiam benignam de uſu licito opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ. Cùm potiùs ex illa doctrina maximè labeſactetur obedientia debeta præceptis Superiorum. à 343.

Quantùm noceant cavilli, & laxæ interpretationes Legum, & Conſtitutionum, deſcribit optimè Julius Mercorus.p.343 num.83.

Quantùm labeſactet obedientiam ſententia ſatis communis inter graves Authores ex benignis Probabiliſtis; quòd nimirum, quando datur opinio probabilis affirmans, Subditum non teneri obedire Superiori præcipienti in tali, vel tali caſu, tunc licitum ſit Subdito non obedire; quamvis ſciat dari opinionem probabiliorem affirmantem, quod in eo caſu teneatur obedire. pag. 344. num.85.

Quantùm Obedientiæ Virtutem labeſactet ſententia, quam valdè probabilem *appellat gravis Author benignus expreſſè affirmans*, Te obligatum non eſſe Superiori præcipienti obedire, quando opinionem habes probabilem, illicitam rem eſſe imperatam, vel excedentem ejus juriſdictionem. *Ibidem.*

Sententia recentium Probabiliſtarum univerſaliter ſtatuentium, quòd liceat cuilibet ſequi quamcumque ſententiam probabiliter affirmantem, aliquid eſſe licitũ, quamvis oppoſita & authoritate, & ratione ei videatur veriſimilior, ideſt quamvis agnoſcat, oppoſitam eſſe magis communem, magiſque fundatam; viam aperit ad eludenda præcepta Superiorum, & vim Legum, & Conſtitutionum Eccleſiæ enervandam: idque exemplis comprobatur. p.243. n.83. & 84.

Subditus imbutus doctrina Probabiliſtarum, quòd licitum ſit ſequi Opinionem Probabilem minùs tutam, etiam in occurſu probabilioris, & tutioris, non tenebitur obedire Superiori præcipienti rem, de qua ſunt opiniones probabiles contrariæ, an ſit licita, vel illicita. p.345. n.87.

Abſurda ſententia quorumdam Probabiliſtarum aſſerentium, in dubio, an præceptum ſit de re licita, vel illicita, & ſupra jubentis poteſtatem, Subditum teneri obedire ſi executio rei præceptæ ſit facilis; ſecus, ſi ſit difficilis. p.345. n.88.

Aliorum item Probabiliſtarum, aſſerentium, in dubio, an res præcepta ſit licita, teneri quidem Subditum obedire; ſecus verò in dubio, an excedat regulam & Poteſtatem Superioris. p.345. n.89.

Sententia P. Ludovici de Scildere (exiſtimantis, Subditum probabiliter opinantem, actum ſibi imperatum à Superiore, eſſe peccaminoſum, non poſſe obedire, licet Superior opinetur illum eſſe licitum) impugnatur; & oſtenditur Subditum tunc teneri deponere propriã opinionem, & judicium ſuum conformare judicio Superioris. p.345. n.81.

Ubi res præcepta non eſt manifeſtè peccaminoſa; authoritas, & ratio Superioris præcipientis obligat Subditum non ſolùm ad deponendam propriam opinionem de malitia rei præceptæ; ſed etiam ad non dubitandum deliberatè, an res præcepta ſit mala. p.346. n.91.

Eſt regula certa ex Scripturis, & Patribus, quòd Subditus poſſit, imò, & teneatur obedire Superiori legitimo præcipienti in rebus omnibus, in quibus non cernitur manifeſtè peccatum. p.346 num.92.

Probatur 1. egregiâ doctrinâ D. Bernardi. Ibid.

Probatur 2. authoritate S. Patris Ignatii, tum in Conſtitutionibus, tum in cæ-

cœleſti Epiſtola de virtute Obedientiæ. *p.*347. *n.*93. & 94.
*Item rationibus, quibus S. Ignatius in illa Epiſtola utitur ad hoc perſuadendum. p.*347. *n.*97.
Probatur 3. *authoritate S. Bernardini Senenſis. Ibid.*
4. *Authoritate S. Auguſtini in ſimili. p.*348. *n.*98. *Item Alberti, & S. Bonaventuræ.*
5. *Authoritate Leonis X. Summ. Pont. Ibid. n.*99.
6. *Ex Capite.* Ne innitaris prudentiæ tuæ. *p.*348. *n.*100.
*Quomodo Subditus poſſit, ac debeat obedire Prælato præcipienti rem, quam ipſe Subditus malam eſſe opinabatur, deponendo ſuam opinionem, & conformando ſuum judicium, judicio Superioris. p.*348. *n.*101.
Licet ante præceptum Superioris, veriſimilius ſit Subdito, rem eſſe illicitam, poſt præceptum jam illi apparere debet veriſimilius, eſſe licitam; authoritaſque Superioris, qui vice Dei ipſum gubernat, Subditum ſufficienter movet, ut credat eſſe licitum, quod Superior præcipit; &, niſi evidenter videat eſſe malum, præſumere debet, eſſe honeſtum. p. 349. *n.* 102.
*Subditus accepto præcepto Superioris, non ſolùm debet ſuſpendere judicium, quo antea opinabatur rem illam eſſe malam; ſed quærere rationes, ob quas ſibi perſuadeat, juſtum eſſe quod præcipit Superior; ubi res præcepta non eſt manifeſtè mala. p.*349. *n.*103.
*Neque fieri poteſt, ut Subditus quærat rationes, & non inveniat ſufficientiſſimas, ut ſententia Superioris appareat illi veriſimilior, quàm propria, quam ante præceptum Superioris ſequebatur. p.*349. *n.*105.
Ex eo quòd Subditus poſſit, imò & debeat ſequi opinionem Prælati, relictâ propriâ, quam ipſe ante præceptum veriſimiliorem, & tutiorem exiſtimabat; non ſequitur, quòd poſſit quilibet ſequi opinionem probabilem minùs tutam, relictâ tutiore, quam operans cognoſcit, eſſe authoritate, & ratione veriſimiliorem: imò, ſequitur oppoſitum. pag. 351. *toto* §. 3. *à n.*107. *ad* 111.

Opinari. Opinio. Opinio Probabilis.
1. *Quid ſit Opinari, quid Opinio, quid Opinantes ſecundùm D. Auguſt. & D. Bernardum. p.*1. *n.*1. & 2.
2. *Opinantes apud Auguſtinum ſunt illi, qui ſe arbitrantur ſcire, quod neſciunt. p.*1. *n.*2.
3. *Quid Opinio, quid Opinari ſecundùm D. Thomam, & Scholaſticos Doctores. p.*1. *n.*2. & 3.
*In quo differant Scientia, Fides, & Opinio. Ibid. n.*4.
4. *Hæc duo ſunt valde diverſa, credere aliquam opinionem* eſſe probabilem, & *credere* probabiliter illam. *p.*2. *n.*5.
5. *Quid ſit Opinio, prout præſcindit à probabili, & improbabili. p.*4. *n.*10.
*Quid Opinio Improbabilis. Ibid. n.*11.
6. *Quid Opinio Probabilis. p.*4. *n.*12.
Impugnatur definitio Opinionis Probabilis tradita à multis, quod nimirum Opinio Probabilis ſit, quæ nititur fundamento alicujus momenti, & non habet aliquid convincens contra ſe. *p.*4. & 5.
7. *Expenduntur definitiones Opinionis probabilis traditæ à P. Eſparza, & à P. Terillo; & ex illis colligitur, non eſſe licitum ſequi opinionem minùs probabilem, relictâ probabiliore, & tutiore. pag.* 6.
8. *An ad probabilitatem opinionis requiratur, ut reipsâ non ſit contra Sacræ Scripturæ teſtimonium, vel Eccleſiæ Decreta. p.* 8. *Statuitur pars affirmans. p.*9. *n.*22. & 23.
9. *Aliæ definitiones Opinionis probabilis; ex quibus colligitur licitum non eſſe ſequi minùs probabilem in occurſu probabilioris, & tutioris. p.*9. & 10.
10. *Sententia Authoris circa conceptum Opinionis Probabilis. pag.* 10. *uſque ad* 15.
11. *Definitio Opinionis Probabilis tradita à P. Ludovico de Scildere. pag.* 10. *num.*26.
12. *Controverſia de uſu licito Opinionis Probabilis poteſt intelligi, vel de Opinione phyſicè exiſtente in mente operantis, vel de Opinione exiſtente in mente aliorum. p.*15. & 16.

13. *Si*

Digitized by Google

13. *Si ſermo ſit de Opinione certò Probabili, quam operans prudenter concepit motus autboritate & ratione Autborum gravium, paris vel ferè paris autboritatis cum Autboribus Sententiæ contrariæ; ſic univerſaliter verum eſt, licitum eſſe ſequi quamcumque opinionem certò probabilem: ſecus, ſi ſermo ſit de opinione probabili aliena, quam operans judicat eſſe falſam, vel prudenter judicare poteſt falſam eſſe; eo quòd agnoſcat majus pondus autboritatis, & rationis in ſententia tutiore. Diſſert. I. p. 15. à n.42. ad 48. Item Diſs. II. ferè per totam à p.19. ad 29. & p.96. à n. 81. & pag.98. n.84. & 85. & p.149. à num.51. & p.246. & 247. & p.273. num.22. & Diſs. XIII. §.12. à p.304.*

14. *In quo ſenſu verum ſit, licitum eſſe ſequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam. Diſsert. II. p.27. à n. 25. p.88. num.61. & Diſs. XI. c.3. à p.246. & Diſs. XIII. p.305. & 318. n.12.*

15. *Autbores benigni in bac controverſia de uſu licito opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ, tranſitum fecerunt ab uno ſenſu, in quo illa eſt vera, ad alium, in quo eſt falſa. Diſser. II. p.5. per tot. à pag. 27. ad 29. Quo ſenſu id ſit verum, exponitur ibi n. 26. & n. 30. Vide Diſs. III. p.47. n.57. & 58.*

16. *Nemini licitum eſse ſequi opinionem minùs tutam in occurſu tutioris, quando bæc autboritate & ratione apparet operanti evidenter probabilior, ſeu veriſimilior, latè oſtenditur totâ D. III. à pag.30.*

17. *Nemo licitè poteſt ſequi ſententiam faventem libertati adversùs legem, quando, omnibus conſideratis, babet majus fundamentum ad judicandum eſse falſam, quàm ad judicandum eſse veram. Totâ D. IV. à p.67. ad 98.*

18. *Per nullam reflexionem poteſt excuſari à culpa, qui ſequitur opinionem faventem libertati adversùs legem, quando, omnibus conſideratis, babet majus fundamentum ad judicandum eſſe falſam, quàm ad judicandum eſſe veram. Totâ D. VI. p.112. ad 129.*

19. *Nemo poteſt licitè ſequi opinionem faventem libertati adversùs legem, quando, omnibus conſideratis, non babet majus fundamentum ad judicandum eſſe veram, quàm ad judicandum eſſe falſam, eo quòd fundamenta utriuſque partis appareant illi æquè veriſimilia in actu 1. Totâ D. VII. p.134. ad 185.*

20. *Nemo poteſt ſequi ſententiam faventem libertati adversùs legem, quamvis ſit utcumque probabilior oppoſitâ, ſi exceſſus probabilitatis ſit exiguus; quia parum pro nibilo reputatur. p. 69. n. 9. & 10. & p.123. n.28. & p. 164. n.91. & p. 16. n.46. & p.247. n.14.*

21. *Ad uſum licitum opinionis minùs tutæ requiritur, quòd ſit in ſe certò probabilis; & aliunde ipſi operanti proponatur, ut clarè, & manifeſtè veriſimilior, quàm oppoſita. p.196. n.1. & p.205. & p.304. à n.86. ad 88. & p.247. n.14.*

22. *Quando opiniones ſunt invicem oppoſitæ, & veritas unius eſt falſitas alterius, non manet abſolutè probabilis reſpectu operantis illa, quæ ipſi proponitur ut minùs veriſimilis; quia illam tunc nequit approbare, ut veram. p.47. à n.57. & p.93. à n.72. ad 81. Vide p.49. n.59. & 60.*

23. *In bac controverſia*: An liceat ſequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam; *non debet ſupponi, partem minùs tutam, dum proponitur operanti ut minùs veriſimilis, quàm pars oppoſita, manere abſolutè probabilem reſpectu illius; ſed ſolùm debet ſupponi, illam eſſe in ſe, & in communi æſtimatione abſolutè probabilem (eo quòd fuerit probata viris probis, & ſapientibus) & operanti repræſentari minùs veriſimilem, quàm oppoſitam. Diſs. VI. §. 4. p.121. n.25.*

24. *Falſa eſt aſſertio P. Terilli dicentis; licitum eſſe cuilibet ſequi opinionem quamlibet practicè probabilem, ſeu affirmantem aliquid eſſe licitum. p.131. n. 46.*

25. *In uſu opinionum fugienda ſunt duo extrema, nimiæ indulgentiæ, & nimii rigoris. p.202. n.17. p.219. à n.59. p.221. n. 61.*

Via media tenenda. p.203. n.18.

26. *In quo ſenſu poſſit eſſe vera, ſententia benigna Doctorum bujus ſæculi de uſu*

Digitized by Google

licito opinionis cujuslibet certò probabilis practicè. p.203.n.18.& 19.& D.X. à p.204.à n.23.p.246.cap.3.& p.304.toto §.12.

27. *Quænam Formido ſit de conceptu opinionis. p.200.n.13.*

28. Omnis opinio practicè probabilis, actu animum informans, illique applicans divinam Legem ut verè exiſtentem, eſt regula formalis, ſufficiens ad rectè operandum; *inquit verè Terillus. p.206. n.26. in fine.*

29. *Ut quis licitè poſſit ſequi ſententiam minùs tutam in occurſu tutioris, debet illa ipſi proponi ut evidenter & notoriè probabilior, ſeu veriſimilior, cum exceſſu notorio. D.I. p.16. n.46.*

30. *Judicium merè opinativum de boneſtate actionis hìc, & nunc exercendæ conceptum ob motivum manifeſtè præeminens motivo partis oppoſitæ, quamvis conjunctum ſit cum formidine logica partis oppoſita, ſufficere ad licitè operandum, oſtenditur cum P. Vazquez. D.X.c.3.à p.234.à n.107.*

31. *Opinio probabilis aliena favens libertati adversùs legem, nequit eſſe tuta regula operandi pro iis, qui judicant eſſe falſam; nec pro illis, qui dubitant, an ſit vera, vel ſit falſa; nec pro illis, qui præſcindunt ab eo an ſit vera, vel falſa: ſed pro iis dumtaxat, qui prudenter judicant, eſſe veram. Diſſ. V. p.111.n.37.*

32. *Qui ſequitur opinionem minùs tutam, quando tutior apparet ipſi authoritate & ratione abſolutè & ſimpliciter veriſimilior, nequit defendere coram Deo ſuum modum operandi. pag. 71. toto* §.2.

33. *Hoc ipſo, quòd nequeat homo ſequi licitè ſententiam minùs tutam, quando oppoſita, tutiorque apparet ipſi evidenter probabilior, ſeu veriſimilior; nec poteſt ſequi, quando apparet ipſi probabilior abſolutè, & ſimpliciter. p.69. toto* §.1.

34. *Ubi opinio tutior ſtans pro lege adversùs libertatem proponitur operanti ut ſimpliciter, & abſolutè veriſimilior opinione minùs tutâ, vel formaliter, vel æquivalenter judicat rem eſſe illicitam; ac proinde nequit ſine peccato illam exequi. p.72.toto* §.3.

35. *Ubi Opinio tutior apparet operanti veriſimilior ob aliquam rationem ſpecialem ab ipſo ſolo excogitatam, contra graves Doctores oppoſitam ſententiam tenentes, poſſet forſan illam contemnere. At ubi Opinio tutior apparet ipſi veriſimilior ob fundamenta rationis, quæ traxerunt in illam ſententiam Authores graves, paris, vel majoris authoritatis, quàm ſint Authores ſententiæ benignæ, nequit ſine peccato ſententiam minùs tutam ſequi. pag. 72. n.17. & 18.*

36. *Abſurdum eſt Judicem in ferenda ſententia, & Medicum in applicandis medicinis obligari ad ſectandam opinionem probabiliorem, & non obligari hominem in rebus ſpectantibus ad ſalutem animæ, ſequi opinionem probabiliorem, quando eſt tutior. pag. 75. toto* §. 5.

37. *Quàm abſurda ſit ſententia eorum Probabiliſtarum, qui vi conſequentiæ docuerunt, poſſe etiam Judicem ſequi minùs probabilem, relictâ probabiliore. p.77.toto* §.6.*à n.30.ad 45.*

38. *Non eſſe licitum ſequi ſententiam probabilem minùs tutam, in occurſu probabilioris, & tutioris, oſtenditur exemplo Theologi, qui illam doctrinam tenaciter ſecutus eſt in praxi. pag. 82. toto* §.7.

39. *Id ipſum latè oſtenditur à p. 84. ad 96. Quia ſuper opinione minùs probabili, & minùs tutâ nequit fundari ultimum dictamen conſcientiæ, quòd hìc & nunc liceat operari. Item oſtenditur à p.123.uſq.ad 130.*

40. *Quòd quis poſſit ſectari opinionem minùs probabilem, & minùs tutam in occurſu probabilioris, & tutioris, eſt aſſertio contraria utrique Juri. Diſſ. VIII.p.179.à num.21. Eſt contra leges Prudentiæ, Obedientiæ, & Charitatis. p.178.toto* §.2.

41. *Ex Decreto Innocentii XI. Oſtenditur eſſe inefficax fundamentum à priori illius ſententiæ benignæ. p. 180. toto* §.3.

42. *Id fundamentum niti merâ æquivocatione, oſtenditur latè à p.182. tot.*§.4.

Ut

Digitized by Google

43. *Ut quis licitè poſſit ſequi ſententiam minùs tutam in occurſu tutioris, debet illa proponi ipſi ut manifeſtè probabilior, ſeu veriſimilior. D.X. ʒ. 3. p.205. & p.196.n.1.& p.29.n.30.*

44. *Nemo poteſt ſequi ſententiam faventem libertati adversùs legem, quin judicio, ſaltem opinativo, prudenter concepto ex motivo quod præponderet motivo partis oppoſitæ, judicet eſſe veram. Diſs. VIII. p.176. toto ʒ.1.& p.92.n.70.& 71. p.23. n.15. & p.26. n.24. & pag.27.n.25. & 26.*

45. *Impugnatur ut abſurda aliquorum Authorum ſententia, aſſerentium, licitum eſſe cuilibet ſequi ſententiam probabilem minùs tutam, dum non fuerit ei manifeſtum, & evidens, illam eſſe falſam. D.III. p.49. toto ʒ.4.*

46. *Non eſt contra conceptum Opinionis Certitudo Moralis. D.X. cap.1. à p.197. ad 203.*

47. *Ad uſum licitum partis minùs tutæ non requiri judicium omnino certum de honeſtate objecti, ſed ſufficere judicium probabile conceptum ex majore veriſimilitudine, diffusè oſtenditur totâ Diſs. X. à p.196. ad 240. Contrarius rigor eſt contra Scripturam. p.219. à n.59. Contra Jus Canon. à pag.216. ad 220. Contra communem Doctorum. à p.197. ad 203.*

48. *Ex eo quòd non poſſit homo licitè ſequi ſententiam minùs tutam, quando actualiter judicat eſſe falſam, rectè colligitur, nec poſſe ſequi, quando habet majus fundamentum ad judicandum eſſe falſam, quàm ad judicandum eſſe veram. p.73. n.22.*

49. *Quòd autem non poſſit ſequi, quando judicat falſam eſſe, oſtenditur. Ibidem & fusè totâ Diſs. V. à p.99. ad 112.*

50. *Vir doctus nequit dare conſilium ſecundùm ſententiam minùs tutam, quãdo falſam eſſe judicat, vel prudenter judicare poteſt falſam eſſe. Diſs. V. toto ʒ.5. à p.110.& p.253. n.25. Reiicitur ut abſurda ſententia aliquorum aſſerentium, poſſe virum doctum dare conſilium ſecundùm ſententiam probabilem minùs tutam aliorum; quamvis ipſi certum ſit, illam eſſe falſam. pag. 111. n.36.& 37.*

51. *Ut opinio de honeſtate objecti formata ab operante ſit certò probabilis, debet citra omnem culpam formari ex vi motivi manifeſtè præponderantis motivo partis contrariæ. p.246.& 247.*

52. *In ſententia Doctorum aſſerentium, poſſe intellectum aſſentire, ut abſolutè veræ, parti minùs tutæ, quamvis oppoſita appareat ipſi in actu primo æquè veriſimilis, vel minùs veriſimilis cum exiguo exceſſu; opinio formata ab operante nequit fundare Ignorantiam invincibilem, vel inculpabilem malitiæ. p.247. c.4. per tot.*

53. *Quid intelligat Author nomine* Opinionis probabilis propriæ, *dum aſſerit licitum eſſe cuilibet operari ſecundùm ſententiam certò* probabilem propriã, *quamvis ſit minùs tuta; non autem ſecundùm* alienam: *ſeu dum aſſerit reflexionem ſupra opinionem propriam certò probabilem ſufficere, ad fundandum dictamen conſcientiæ certum, non autem reflexionem ſupra opinionem probabilem alienam. Diſs. IV. pag.98. toto ʒ.13. præſertim n.85. Vide Diſſ. VI. p.132. n. 50. & Diſs. VIII. p.176. c.2. n.13. & 14. p.183. n.31. & p.129. n.42. & p.50. n.62. Vide ſup. n.13. Vide p.352. n.112.*

54. *Notandumque eſt, aliud eſſe, operari ex proprio, & privato judicio; aliud, non poſſe operari, quin operans formet proprium judicium de veritate opinionis alienæ, quam vult ſequi. Nam Conſcientiam propriam non poteſt homo formare ex aliena ſcientia, ſeu opinione, quin illam faciat ſuam, credendo eſſe veram (ut probat D.Tho. citatus p.177. n.18.) motus authoritate & ratione Doctorum, affirmantium rem eſſe licitam. Conſulendus S.Thom. 1.2. q.19. art.5. in argumento*, ſed contra, *ubi ait*; Conſcientia nihil aliud eſt, quàm applicatio ſcientiæ ad aliquem actum. *Et p.1. q.79. art.13.* Dicitur (*inquit*) conſcientia teſtificari, ligare, vel inſtigare .... & hæc omnia conſequuntur applicationem alicujus noſtræ cognitionis vel ſcientiæ ad ea, quæ agimus. *Unde nemo poteſt formare conſcientiam ex aliena opinione, quin priùs illam faciat ſuam per aſſenſum;*

Digitized by Google

quia nemo poteſt uti re, quam non habet, dum non habet. Et prius eſt habere opinionem de honeſtate, vel licentia objecti, quàm illa opinione uti. Vide p.276. n.14. cum ſeqq.

55. Omneſque fateri tenentur, neminem poſſe in praxi ſequi opinionem minùs tutam faventem libertati adversùs legem, in conſpectu tutioris ſtantis pro lege adversùs libertatem, quin in mente ſua formet aliquod judicium circa illam. In ſententia Probabiliſtarum ſatis eſt, quòd operans formet judicium reflexum de probabilitate talis opinionis. In ſententia Authoris cum D.Thoma, & Theologis tum Antiquis, tum Recentioribus quàm plurimis, omnino requiritur, quòd formet judicium directum de veritate talis opinionis, vi cujus ſibi legem æternam ut regulam applicet, voluntatemque divinam. Ut probat D.VIII. c.2. à p.176. ad 178. & paſſim in toto Opere. Nec ſufficit quodcumque judicium directum de veritate talis opinionis, ſed requiritur judicium prudenter conceptum ab operante poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra paſſionem & culpam, ex vi motivi clarè præeminentis motivo partis oppoſitæ: ut exponit Author in limine Operis, ac D.I.§.6. à p.10. uſque ad 15. & in ipſa Libri fronte.

56. In delectu opinionum media via tenenda inter nimiam ſeveritatem, & indulgentiam. p.219. à n.59. & p.203. n.17. & 18. p.221. n.61. In Introd. ad Diſſertationes n.37. & à n.31. ad 36. incluſivè p.319. n.14. & 15.

57. Tripliciter poteſt peccari in electione Opinionum, ſecundùm Cajetanum; cujus egregiam doctrinam habes. p.265. num.4.

58. Quamvis non peccet qui ſequitur opinionem ſuam directam certò probabilem de honeſtate actûs, licet contingat eſſe reipsâ falſam: peccat tamen, ſaltem per ſe loquendo, qui agit ex opinione reflexa de uſu licito opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ in occurſu tutioris, & operanti ipſi probabilioris, ſeu veriſimilioris; ſi illa opinio reflexa ſit reipsâ falſa. p.269. n.14. Modus dirigendi conſcientias per probabilitatem opinionum, præſcindendo ab ipſarum veritate, eſt doctrina nova in Eccleſia, contraria doctrinæ Patrum. p.271. toto §.6.

59. Unde, quamvis quis bonâ fide, & ſine peccato, exiſtimet licitum eſſe ſequi opinionem minùs tutam relicta tutiore, quæ operanti ipſi apparet authoritate, & ratione probabilior, ſeu veriſimilior; nihilominùs peccaret, ſi poſtea in praxi ſectaretur opinionem minùs tutam, quando opinio tutior apparet ipſi authoritate, & ratione veriſimilior: quia tunc operaretur contra conſcientiam reclamantem, & exequeretur actionem, quando judicat eſſe malam, vel prudenter judicare poteſt malam eſſe. Et ita opinio illa reflexa foret falſa, enuntians non adeſſe peccatum, ubi peccatum adeſt; & foret mera ſpeculatio, quæ ſicut non impediret, quòd operans ageret contra conſcientiam, ita non impediret ejus peccatum formale. p.269. & 270. n.13. & 14.

60. Hinc doctrina illa reflexa de uſu licito opinionis probabilis minùs tutæ in occurſu tutioris, quæ operanti ipſi authoritate, & ratione apparet veriſimilior; contra intentionem ſuorum Authorum eſt occaſio multorum peccatorum. p.270. n.14. poſt medium.

61. Licitum eſſe ſequi ſententiam minùs tutam, quando illa citra omnem culpam apparet manifeſtè, & clare veriſimilior operanti, latè oſtenditur totâ D.X. à p.197. ad 240. §.13. p.219. Recenſentur multa capita id probandi; præſertim ex Scriptura. Ibid.

62. In delectu opinionum non eſt quærendum quænam ſit benigna, quænam ſevera; ſed quænam ſit vera. p.315. n.2.

63. Quid quis ſciat, aliquam opinionem minùs tutam, eſſe abſolutè certò probabilem, tunc ſolùm ſufficiet, ut illam poſſit ſequi licitè, quando prudenter potuerit illam approbare, ut veram, eo quòd videat illam habere pro ſe fundamenta rationis clarè præeminentia fundamentis ſententiæ oppoſitæ. D.XIII. toto §.12. à p.304.

64. Ma-

64. *Major probabilitas opinionum præcipuè petenda eſt ex validioribus fundamentis rationis. Diſſ.XIII.toto* §.14. p.311. *Opinio non eſt dicenda ſimpliciter communior ex eo præcisè, quòd plures habeat pro ſe Authores, qui illam tamquam oves, & aves ſequuntur; ſed quia habet plures ex profeſſo rem diſputantes.D.*312.*n.*108.

65. *Verum eſt, licitum eſſe ſequi opinionem minùs probabilem, ideſt minùs communem, ſi operanti appareat clarè magis fundata. à p.*304. *Numquam licet ſequi Opinionem minùs communem, & minùs fundatam, ſi ſit minùs tuta. p.*305.*&* 306.

66. *Ex eo, quòd opinio ſit verè probabilis, non ſequitur quòd omnes, & in omni circumſtantiâ illam poſſint ſequi; ſed ſolùm ſequitur, quòd aliquando poſſimus illam licitè ſequi. p.*323.*n.*29.

67. *Ex eo, quòd liceat ſequi opinionem probabilem minùs tutam, quando eſt operanti ipſi probabilior, ſeu veriſimilior, malè probant recentes Probabiliſtæ licitum eſſe etiam eam ſequi, quando eſt minùs probabilis. Diſſ.XIV. c.*1. *à p.*315. *Praxis eligendi opiniones exponitur. D.XIV.c.*2.*à p.*316.*ad* 311.

68. *Quando poſſit quis licitè ſequi ſententiam Doctoris Moderni magni nominis, contra communiorem inter Antiquiores. p.*318.*n.*12.*& p.*357.*n.*129.

69. *In quo ſenſu vera ſit ſententia communis inter Authores claſſicos hujus ſæculi, quòd videlicet licitum ſit ſequi quamcumque opinionem certò probabilem practicè, quamvis ſit minùs tuta. p.*318.*n.*12.

70. *Quando opinio reipsâ falſa, quam operans exiſtimat veram, ipſum non excuſet. p.*322.*n.*25.*& tota Diſſ.VI. à p.* 113.*& Diſſ.*8.*c.*1.*p.*173.

71. *Sententia docens non licere ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam in occurſu tutioris, & operanti ipſi probabilioris, ſeu veriſimilioris; conſcientias non torquet, nec eis grave onus imponit. D.XIV.à p.*336.

72. *Quænam opinio cenſenda ſit communis ad effectum præjudicandi alteri, explicat optimè Navarrus. p.*312. *n.*108.

73. *Quàm abſurda ſit ſententia Authoris Moderni affirmantis, poſſe hominem doctum, qui deprehendit aliquam opinionem faventem libertati, eſſe falſam, illam nihilominus ſequi, gerendo ſe ut indoctum. Diſſ.V. in fine p.*111.

*Conſulens non habet jus, ut Doctor conſultus, reſpondeat ſibi ſecundùm ſententiam probabilem aliorum favorabilem conſulenti, quam ipſe Doctor falſam exiſtimat. p.*111.*n.*37.

P

Pallavicinus Cardinal. (*Sfortia.*) *Quid priùs docuerit circa uſum Opinionum Probabilium. D.XIII.p.*301.*n.*74. *& Diſſ.XIV.c.*3.*p.*319.

*Sententiam benignam quam amplexus fuerat, poſtea retractavit. Vide retractationis teſtimonium. p.*301.*n.*76.

P.Nicolaus Maria Pallavicinus teſtatur illam retractationem. p. 301.*n.*71.

*Mens Card. Pallavicini ex ejus Epiſtolis ad P.Michaëlem de Elizalde. Diſſ. XIII.p.*308.

*Cenſet intellectum non poſſe aſſentiri parti ſibi minùs veriſimili. p.*34.*n.*12.

Patres Eccleſiæ. *In dirigendis conſcientiis, & reſolvendis dubiis circa mores, doctrinam ſecuti ſunt contrariam doctrinæ recentium Probabiliſtarum. Diſſert.XII. à p.*271.*toto* §.6.*& Diſſ.XIII. à p.*279.*ad* 287.

Peccatum. Peccare. *Poteſt dari peccatum formale contra Legem, etſi non ſit contra Conſcientiam. p.*190.*n.*12.

Pollenter (*Joannes S. J.*) *Ejus liber in Propoſitiones ab Innoc.XI. proſcriptas laudatur. Intr.Op.p.*6.*n.*17. *& Diſſ.IV. p.*77.*n.*30.

Praxis *eligendi opiniones. D.*14.*c.*2. *à p.* 316.*ad* 319.

*Falsò Terillus contendit Praxim, & Decreta Pontificum favere ſententiæ benignæ de uſu licito opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ, in eo ſenſu, in quo ipſe eam defendit. Diſſ.XIV. toto c.*7.*p.*328.

Præceptum. Præcipere. *Deus nequit impoſſibilia præcipere. p.* 257.

Probabile. Probabilitas. Probabilis Opinio,

nio. *Probabilis aſſenſus affirmat abſolutè aliquid eſſe verum. p.3. n.6. Et non affirmat aliquid eſſe probabiliter verum. Ibid.*

Affirmare, aliquid eſſe probabiliter verum, *idem eſt ac affirmare*, probabile eſſe, quòd ſit verum: *hoc autem non eſt idem, ac* affirmare, probabiliter eſſe verum. *p.3. à n.6. uſque ad* 10.

Quid ſint probabilia apud Ariſtot. p.11. n.27. Non eſt alicui probabile id, quod ipſi non probatur. p.13. n.35.

Illa ſola pars contradictionis eſt probabilis alicui in ſenſu Scripturæ, & Patrum; quæ poteſt ab ipſo approbari, ut vera. p.14. n.36.

Probabile idem eſt, ac approbabile per prudentem aſſenſum. *Unde ſolum id, quod eſt operanti veriſimilius, quàm ſuum oppoſitum, eſt reſpectu illius abſolutè probabile. p.13. n.36. Vide p.47. à n.57. Non manet abſolutè probabilis reſpectu operantis pars minùs tuta, dum ei proponitur ut minùs veriſimilis; quàm oppoſita. Ibid. Item totâ Differt. VII. à p.134. ad 168. Item Diſſ. VIII. p.178. à n.19. ad 24.*

Non eſt certò probabile judicium formatum ex vi motivi gravis, quando pro oppoſita parte adeſt motivum æquè validum. p.95. n.80.

Utraque pars contradictionis nequit eſſe ſimul probabilis eidem intellectui. p.168. à n.100. ad 109.

Impugnatur ſententia Terilli *aſſerentis, illud objectum eſſe certò probabile, & omnibus licitum, quod multi viri docti prudenter judicant eſſe probabile. p.129.*

Probabilitas non eſt regula abſoluta licitè operandi, ſed reſpectiva ad intellectum, qui motus illo motivo prudenter judicat rem eſſe licitam, eo quòd clarè præemineat motivo partis oppoſitæ. p.131.

Probabile apud antiquos Theologos, *& Philoſophos idem eſt, ac maximè veriſimile, magiſque probabile, ſeu magis veriſimile, quàm oppoſitum. p.46. n.56.*

Nomen probabilius *non ſupponit, extremum oppoſitum eſſe abſolutè probabile eidem intellectui. D.III. à p.47. ad 50.*

Si quælibet probabilitas ſufficeret ad rectè operandum, tolleretur ſtudium orandi, & à Deo poſtulandi notitiam veritatis. p.65.

Redderetur etiam inutile ſtudium Theologiæ *moralis. p.60.*

Probabiliſtæ. *Quid nomine* Probabiliſtarum *intelligat Author in hoc Opere. p.18. n.1. Nomine hoc ſpecialiter deſignantur, qui ad uſum licitum opinionis minùs tutæ non exigunt judicium directum de veritate ipſius, ſed contenti ſunt judicio reflexo de probabilitate. Ibid.*

Sententiam recentium Probabiliſtarum aſſerentium, cuique licitum eſſe ſequi ſententiam minùs tutam, ſi ſciat eſſe in ſe abſolutè probabilem, quamvis in actu primo appareat ei minùs veriſimilis quam oppoſita, non eſſe communem inter Authores hujus ſaculi, qui dixerunt licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam, in occurſu probabilioris, & tutioris; latè oſtenditur totâ Diſſ. II. à p.18. ad 30.

Ratio à priori, quâ Probabiliſtæ probant, licitum eſſe ſequi Opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, nititur merâ æquivocatione. D.III. c.3. à p.43. ad 49.

Secundùm ſententiam communem Probabiliſtarum, potentia phyſica aſſentiendi parti minùs veriſimili, non eſt neceſſaria ad uſum licitum ſententiæ minùs probabilis, & minùs tutæ. p.185. n.1.

Probabiliſtæ reſolventes dubia conſcientiæ per probabilitatem opinionum, præſcindendo ab ipſarum veritate, non videntur ſatis diſcerni ab Academicis, quos impugnat Auguſtinus; apud quos hoc erat axioma: Cùm agit quiſque, quod ei probabile videtur, nec peccat, nec errat. *p.271. col.1. Vide ibi egregium Auguſtini teſtimonium.*

Modus ille diſcurrendi Probabiliſtarum: Probabile eſt, hanc actionem non eſſe prohibitam; Ergo licet illam exercere: *videtur eſſe ille, quem S. Auguſtinus reprobavit in Academicis. pag.272. num.17.*

Argumentum illud, quod aliqui Probabiliſtæ exiſtimant demonſtrativum; quòd nimirum licitum ſit ſequi opinionem directè minùs probabilem, & minùs tutam,

tam, quia hoc ipſum reflexè *probabilius eſt; eſſe merum ſoſphiſma, latè oſtenditur Diſs.* XIII.*à p.*276.*ad* 279.

*Probabiliſtæ moderni, ad comprobandam ſuam ſententiam de uſu licito opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ in occurſu probabilioris, & tutioris, nullum adducunt Sanctorum Patrum teſtimonium. Diſs.XIII.c.2.p.*279. *Contra illam verò doctrinam militant multa ſatis conſpicua; ut oſtenditur à p.*281.*ad* 287. *Nullum item habent pro ſe ex Doctoribus Scholaſticis Sanctis, qui floruerunt poſt Magiſtrum Sententiarum. p.*287.*n.*32.

*In impugnanda doctrina recentium Probabiliſtarum conveniunt inter ſe Angelicus Doctor S.Thomas, & Subtilis Doctor Scotus. Diſſ.XIII.à p.*293. *ad* 296. *Item Durandus. p.*296.*à n.*61.*Et omnes antiqui Scholaſtici, & Summiſtæ. à p.*298.*ad* 300.

*Latè contra recentes Probabiliſtas oſtenditur, falsò ipſos jactare, ſuam ſententiam eſſe probabiliorem ſententiâ moderatâ, quam Author tuetur in hoc Opere. Diſſ.XIII.à p.*279. *ad* 315.

*Falsò dicunt, ſententiam ſuæ contrariam conſcientias torquere. Diſs.XIV. c.*2. *à p.*316.

*Abſurda aliquorum Probabiliſtarum ſententia, affirmans, poſſe virum doctum ſe gerere ut indoctum, & bonâ conſcientiâ uti opinione minùs tuta probabili aliorum, quam ipſe falſam eſſe firmiter judicat. p.*111.*n.*37.

Prudens. Prudentia. *Ad formandum judicium prudens de honeſtate objecti non requiritur certitudo omnimoda; ſatis eſt probabilitas ſenſibiliter major pro ea parte. Diſs.X.p.*204.*&* 205. *n.*23.*&* 24.

*Sequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam in occurſu probabilioris, & tutioris, non ſolùm eſt minor prudentia, ſed poſitiva imprudentia, & temeritas.D.III.c.*3.*à* §.1.*uſque ad* 8.*à p.*43.

Nullam aliam prudentiam reperiri poſſe in ſectanda ſententia minùs probabili, & minùs tuta in occurſu probabilioris, & tutioris, niſi Prudentiam carnis. *p.*56.

Quid Prudentia *juxta Philoſophum. Ib.*

Piccinardus (*Seraphinus*) *Quid ad probabile requirat.p.*14.*n.*36.

Q

Quæſtio Facti, & Juris. *Non ſolùm in quæſtione* Facti, *ſed etiam in quæſtione* Juris *motiva æqualia pro utraque parte relinquunt rem dubiam. D.VII.toto* §.5.*p* 139.

R

REbellus (*P. Ferdinandus*) *Primus è Societate anno* 1608. *ſententiam Probabiliſtarum impugnavit. Introduct.Operis. p.* 111.*n.* 9.

Reflexio *nulla poteſt efficere, ut quis licitè ſequatur opinionem minùs tutam, quam authoritate, & ratione agnoſcit eſſe minùs veriſimilem.p.*123.*D.VI.*§.5. *p.*123.*à n.*29.

*Non ſufficit reflexio ſupra poſſeſſionem libertatis propriæ. p.*124.*à n.*31. *Nec ſupra. Non promulgationem, aut Ignorantiam legis. à p.*125.

Reflexio ſupra Opinionem probabilem Authorum faventium libertati adversùs legem, non ſufficit ad licitum ejus uſum, donec operans illam faciat ſuam per aſſenſum directum. Nam ſi non judicat veram; vel judicat eſſe falſam, vel dubitat, an ſit vera, vel falſa: in neutro autem caſu poteſt licitè illam ſequi. D.IV.§.13.*p.*78.

*Artificium Reflexum requiſitum à P.Terillo ad uſum licitum opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ, latuit Theologos, quos pro ſe citat.p.*268.

*Reflexio quâ Cardinalis Pallavicinus probavit, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam relictâ probabiliori, & tutiori, impugnatur. Diſſ.*14.*c.*3.*à p.*319. *ad* 322.

P. Reginaldus (*Valerius*) *Quid doceat circa uſum Opinionis probabilis minùs tutæ.Vide verbo* Societas Jeſu. *Egregia ejus doctrina.p.*358.*n.*129.

Regulæ Juris. *Illa:* In dubiis tutior pars eſt eligenda; *exponitur D.VII.*§.9. *à p.* 151.*& D.X.p.*235.

Illa:

Illa: Reſpicimus in obſcuris, quod veriſimilius eſt; *intelligenda eſt de dubiis rerum, non de dubiis perſonarum D.X. p.*217.
Illa: In dubiis melior eſt conditio poſſidentis; *ſolùm habet locum in materia juſtitiæ. D.VI.p.*124.*toto* §.7.
Illa rurſum: In dubiis tutior pars eſt eligenda; *latè explicatur Diſſ.X. c.*3.*p.*235.*à n.*108.*& Diſſ.XI.p.*243. *n.*6.*& p.*151.*à n.*57.
De hac: Nemo poteſt ad impoſſibile obligari; *vide p.*220.*n.*63.
De hac: In obſcuris minimum eſt ſequendum; *vide ibid. n.*64.
De hac: Semper in dubiis benigniora præferenda ſunt; *vide Differt.* 14. *c.*5. *p.*325.
De hac: Cùm ſunt partium jura obſcura, Reo favendum eſt potiùs, quàm Actori; *vide ibid.*
Regula operandi. *Iudicium probabile in rebus moralibus ſufficit ad prudenter operandum, ubi Regula certa applicari non poteſt. Ita rectè P. Suarez. p.*20. *num.*4.
*Unde opinio verè, & certò probabilis formata ab operante de honeſtate poſitiva, vel negativa objecti, eſt Regula ſecura operandi: vel formalis, ſi non requiratur dictamen ultimum conſcientiæ omnino certum; vel ſaltem objectiva, quatenus operans ſemper judicio, vel opinione ſua certò probabili de honeſtate objecti, poteſt per reflexionem fundare dictamen ultimum conſcientiæ omnino certum, quòd ſibi hìc, & nunc liceat exercere actionem, quam prudenter opinatur eſſe ſecundùm ſe, & omnibus licitam. Diſſ.IV.p.*96.*toto* §. 12.*& p.* 98. §.13.*Item D.X.*§.4.*à p.*206. *à n.*26.*uſq; ad* 29.*incluſivè*.
Rigor. *Nimius in electione opinionum vitandus.p.*219.*à n.*59.*Media via inter nimium rigorem, & nimiam indulgentiam tenenda.p.*203.*n.*18.*p.*221. *n.*61.
Nimia opinionum rigiditas ſecundùm Gerſonem plus nocet, quàm proſit. pag. 216. *nu.*51.*Impugnatur ex Evangelio Ibidem*.
*Rigor nimius immeritò obijcitur ſententiæ moderatæ Antiprobabiliſtarum, quam Author tuetur. D.XIV. c.*2.*à.p.*316.
Roſella. *Summa ita dicta, Authore Baptiſta Trovamala, contraria ſententiæ benignæ. p.*299. *n.*67.

S

Sacramentum. Sacramentorum Miniſter. *Hic tenetur, ſi poteſt, adhibere materiam, & formam certam; & non ſatisfacit adhibendo dumtaxat probabilem. I.p.*6.*n.*18.*& D.X.p.*203.*n.*19.
Salas (*Ioannes de*) *De eo vid.Diſſ.*2.*p.*25. *num.*18.
P. Salmeron (*Alphonſus*) *Quid requirat ad uſum licitum partis minùs tutæ. p.*177.*n.*17.
Sanctus. *Nullum Sanctum Canonizatum habet pro ſe ſententia benigna, qui doceat licitum eſſe ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam in conſpectu tutioris, & operanti ipſi probabilioris, ſeu veriſimilioris. D.XIII. à p.*287.
Sancti Doctores, & Patres antiqui, illi doctrinæ ſunt contrarii. à p. 281. *ad* 287.
Scildere (*P. Ludovici*) *ſententia. Introd. p.*5.*n.*16.*& in Opere p.*10.*n.*26.
Scientia, *Fides, & Opinio in quo differant. p.*1.*n.*1.*&* 2.*p.*2. *n.*3.*&* 4.
Scientia ſolùm eſt libera quantùm ad uſum, non quantùm ad aſſenſum. p. 40. *num.*34.
Scotus. *Circa uſum Opinionum Probabilium Doctor hic Subtilis viam tenet omnino contrariam ſententiæ benignæ de uſu licito opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ. à P.*294.*ad* 296.
Sententia propria, & aliena. *Quo ſenſu dicat Author, licitum ſemper eſſe ſequi opinionem propriam, ſi ſit certò probabilis, quamvis ſit minùs tuta; non verò ſemper licere ſequi alienam. Vide verbo* Opinio *n.*53. 54. *&* 55.*& verbo* Suarez *n.*9. *& in Opere D.VIII. p.*170. *c.*2. *toto* §. 1. *præſertim n.*14.*&* 18.
Sinnichius. *Is Doctor dum impugnat uſum Opinionis probabilis, non ſolùm impugnat uſum opinionis alienæ, ſed etiam uſum opinionis, quam operans ipſe concepit, & ſuam fecit per aſſenſum directum. p.*21.*n.*8.

So-

1. Societas Jeſu. Societatis Jeſu Theologi. *Hi licet communiter docuerint, licitum eſſe ſequi ſententiam minùs tutam, id eſt faventem libertati adversùs legem, dummodo ſit certò probabilis, & quamvis oppoſita tutior, ſeu ſtans pro lege adversùs libertatem, ſit probabilior; locuti ſunt de minùs probabili ſpecificativè, & materialiter, id eſt de opinione minùs communi inter Authores graves, quæ vulgo habetur pro minùs probabili: non autem de minùs probabili formaliter, & reſpectivè ad operantem; ſeu non de opinione, quæ ipſi operanti magis appareat falſa, quam vera. Neque enim commmuniter docuerunt, licitum eſſe cuilibet ſequi opinionem probabilem faventem libertati adversùs legem, etiamſi agnoſcat opinionem oppoſitam habere pro ſe plures graves Authores, & urgentiora fundamenta rationis: ſed ſolùm ſignificare voluerunt, ad hoc ut quis licitè amplectatur ſententiam faventem libertati adversùs legem, non eſſe neceſſarium, ut ſciat illam eſſe in ſe abſolutè probabiliorem; ſatiſque eſſe, quòd ſciat eſſe certò probabilem, eo quòd defendatur ut vera ab Authoribus gravibus, & ab omnibus communiter computetur inter opiniones verè, & certò probabiles: modò aliunde poſt diligentem veritatis inquiſitionem, citra paſſionem, & culpam, ille eam probet, ſeu prudenter judicet eſſe veram, eo quòd ipſius fundamenta ipſi apparuerint urgentiora, quàm fundamenta ſententiæ oppoſitæ. Id ita eſſe conſtat ex tota Diſſ. II. Vide, & verbo* Suarez, *& Introd. pag.* 11. *à num.* 31.

2. *Dictis in illa Diſſertatione II. hic adiungi ex parte poteſt egregium teſtimonium noſtri Valerii Reginaldi, deſcriptum p.* 358. *quod ita concludit*: Licet ex communi Theologorum ſententia licitum ſit in agendo ſe conformare cuilibet opinioni probabili, id tamen, quod paucioribus, vel minùs ſapientibus videtur, non cenſetur opinio probabilis, ſi plures, vel ſapientiores contrarium affirment. *Atque ita, regulariter loquendo, ut quis prudenter poſſit amplecti ſententiam minùs tutam, opus eſt ut ſententia tutior non habeat pro ſe plures, & graviores Authores: nam ſi tales pro ſe habeat regulariter loquendo, timere debet ne fundamenta ſententiæ minùs tutæ ſint fallacia; ac proinde non poterit prudenter judicare, illam eſſe veram: quod tamen requiritur, ut eam licitè poſſit ſequi.*

3. *Unde, quouſque operanti citra omnem paſſionem, & culpam repræſentetur pro parte minùs communi ratio aliqua valida, quæ illam partem ipſi reddat manifeſtè veriſimiliorem, pars illa, quæ inter Sapientes minùs communis eſt, non manet reſpectu operantis abſolutè probabilis; quia non poteſt prudenter eam tunc approbare, ut veram. Nec enim poteſt, ut motus authoritate Patronorum illius ſententiæ; cùm videat plures, & graviores ſtare pro parte contraria: nec ut motus ratione; quia quamdiu pro parte minùs tuta non habet rationem aliquam validiorem cunctis rationibus ſententiæ contrariæ, præſumere debet ſententiam tutiorem, pro qua ſtant plures, & graviores Authores, habere pro ſe validiora fundamenta rationis; ac proinde nequit prudenter illam deſerere, & amplecti minùs tutam. Dixi* regulariter; *quia quamvis ſententia tutior ſit magis communis, poteſt ſupervenire Doctor magni, profundique ingenii, qui clarè oſtendat, fundamenta illius eſſe fallacia; & pro ſententia minùs tuta inveniat rationem validam, ab aliis non tactam, ob quam ſibi prudenter perſuadeat, illam communiorem eſſe falſam. In quo caſu non tenebitur illam ſequi, nec aliis ſecundùm illam conſilium dare. Vide verba Patris Vazquez, p.* 109. *n.* 31. *vid. & p.* 70. *n.* 11.

4. *Præterea, ad probandum multos Authores hujus ſæculi, docentes licitum eſſe ſequi minùs probabilem, loqui de opinione minùs communi, quæ tamen ipſi operanti per fundamenta intrinſeca apparet veriſimilior, & ab ipſo iudicatur vera, legendus eſt P. Ludovicus de Scildere in ſuo Opere de Principiis conſcientiæ formandæ tract.* 2. *c.* 3. *num.* 25. *apud quem Buſæus docet*, quòd ſolùs ille, qui judicat opinionem probabilem eſſe

eſſe veram, poſſit illam ſequi contra probabiliorem. *Unicuique autem ſua opinio, ſi verè probabilis eſt, eſt probabilior, quàm oppoſita. Nemo enim prudenter, & verè probabiliter poteſt judicare, eſſe veram ſententiam minùs communem, quæ communiter habetur pro minùs probabili, niſi citra paſſionem, & culpam occurrat illi pro ea ſententia ratio valida, clarè præminens rationi ſententiæ contrariæ; vi cujus prudenter ſibi perſuadeat, opinionem benignam eſſe veram, oppoſitam autem tutiorem, eſſe falſam, & imponere onus, quod Deus non impoſuit.*

5. *Igitur ad uſum licitum ſententiæ minùs tutæ requiritur, quòd ea, vel ſit probabilior abſolutè, ſeu communior inter Authores graves, vel ſaltem, quòd non multùm excedatur in authoritate extrinſeca à ſententia tutiore; & quòd hanc aliunde excedat clarè, & manifeſtè quoad fundamenta intrinſeca rationis: ita ut verificetur, quòd operans haud ſequatur opinionem minùs communem, niſi quia cognoſcit eſſe magis fundatam. Atque adeo, licitum aliquando erit ſequi ſententiam minùs communem, ſi ſit magis fundata: ſed minùs communem, ſimulque minùs fundatam, & minùs tutam, numquam licebit ſequi in occurſu magis communis, & ſimul magis fundatæ, magiſque tutæ.*

6. *Communis conſenſus Theologorum Societatis ſemper docuit, non poſſe Judicem ſequi ſententiam minùs probabilem, relictâ probabiliore circa Jus. p. 77. num. 30.*

7. *Omnes Propoſitiones damnatæ ab Innocentio XI. multò ante fuerant rejectæ, vel tamquam improbabiles, vel ſaltem tamquam falſæ à Theologis Societatis, quaſi communi conſenſu. Ibid. vid. & in Introd. Operis p. 6. n. 17. Nominatim de Prop. 1. 2. ac 3. id probatur I. à n. 18. ad 24. & Diſs. IV. n. 25.*

Societatis Doctores paſſim docent, non poſſe intellectum aſſentiri parti ſibi minùs veriſimili. p. 33. n. 11.

Cohibuerunt opinionum probabilium abuſum, dum ad uſum licitum opinionis minùs tutæ requirunt, ut ſaltem ſit æqualis, vel ferè æqualis probabilitatis cum tutiore. Intr. p. 5. n. 16. & p. 7. à n. 21.

Limitarunt etiam hunc abuſum, dum ad uſum Opinionis Probabilis minùs tutæ exigunt, ut ſit certò probabilis, & dicunt quòd non ſufficiat, eſſe dumtaxat probabiliter probabilem. Intr. p. 10. à n. 28.

1. P. Suarez (*Franciſc.*) *Dum Eximius Doctor docet, licitum eſſe ſequi opinionem probabilem, relictâ probabiliore, & tutiore, loquitur de minùs probabili* materialiter, & ſpecificativè *ſumptâ: ideſt, de opinione minùs communi, quæ paſſim quidem habetur pro minùs probabili, in ſe tamen eſt certò probabilis, & operanti ipſi propoſita eſt ut veriſimilior, quàm oppoſita; & idcirco ab ipſo judicata eſt vera judicio opinativo prudenti. D. 2. §. 2. p. 20. n. 4.*

2. *Unde ſolùm appellat commune dogma Theologorum,* Unumquemque operari poſſe juxta ſuam opinionem probabilem; *non autem juxta alienam, quam ipſe operans, vel judicet, vel prudenter judicare poſſit, falſam eſſe, eo quòd ipſi in actu primo propoſita ſit, ut magis falſiſimilis, quàm veriſimilis. Ibid.*

Hoc ſenſu docet, ad licitè operandum ſufficere judicium probabile de honeſtate objecti. Ibid.

3. *Unde ulteriùs docet, ſuper judicio opinativo prudenti, quod formatur ab operante, fundari dictamen practicum conſcientiæ certum, quòd non peccet ponendo actionem, quam prudenter opinatur eſſe ſecundum ſe licitam. Ibid.*

4. *Juxta Suarium, ut quis licitè ſequatur opinionem minùs tutam, ſeu faventem libertati adverſùs legem, debet priùs illam facere ſuam per aſſenſum directum; ſeu debet priùs judicio opinativo prudenti ſibi perſuadere, illam eſſe veram, & Legi Divinæ conformem, vel ſaltem non contrariam. p. 177. n. 16.*

5. *Dum igitur Tom. 4. de Religione lib. 4. c. 15. n. 21. dicit:* Per ſe licet practicè ſequi opinionem probabilem circa honeſtatem actûs, relictâ probabiliore; *loquitur de opinione probabili, quam operans formavit, ſequendo ſententiam minùs communem, & propterea vulgo habitam pro minùs probabili;*

quam

Digitized by Google

quam tamen ipſe deprehendit magis fundatam, ſeu validioribus rationibus nixam, & ob eas cenſet eſſe veram.

Ideo 1.2. *tract.*2. *diſp.* 12. *ſec.*6. *n.*4. *disertè loquens*: Certum eſt, *inquit*, probabile judicium ſpeculativum *de boneſtate obiecti, vel actionis*, quando in contrarium nihil certius, vel probabilius occurrit, ſufficere ad conſcientiã practicam veram, & certam formandam.

6. *Et conſequenter ad hæc lib* 6. *de Legibus cap.*8.*n.*6.*dixit*: Judicium probabile in rebus moralibus ſufficit ad prudenter operandum, præſertim ubi Regula certa applicari non poteſt.. quia alius modus operandi eſt ultra hominum conditionem. *p.* 20. *n.*4.

7. Major probabilitas *manifeſta, & notoria eſt* quędam moralis certitudo *apud Suarium. p.*210.*n.*35.*& p.*228.*n.*87.

Quomodo explicet, aliud eſſe dubitare, *aliud* aſſentiri cum formidine. *p.*21. *n.* 11.

Quomodo certitudo moralis *ab ipſo explicetur. Diſſ.X.p.*228.*n.*87. *in fine.*

8. *Admittit Ignorantiam invincibilem legis naturalis quoad concluſiones remotas valdè diſtantes à primis principiis. p.*249.*n.*17.

In debito faciendi, intrinſecè includitur obligatio debitum ſciendi, *teſte Suario. p.*120.*n.*23.

*Ejus doctrina de Subdito, ad obediendum Superiori præcipienti, quando non præcipit manifeſtè malum. p.*348. *n.*101. *&* 349.*n.*102.

Summi Pontifices, *qui in ſuis Decretis aliquid ſtatuerunt circa uſum Opinionum probabilium. Vide verbo* Decretum.

Alexander VII. *damnans* 45. *Propoſitiones. Introd.p.*4.*n.*4.

Alexander VIII. *in Decreto, quo damnavit banc propoſitionem.* Non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam. *D.X.p.*221.*n.*65.

Clemens V. *in Concilio Vienn. c.* Fidei Catholicæ *in Clementina de Summa Trinit. & in c.* Capellanus *de Feriis. Diſs.X.p.*204.*n.*22.

Innocentius III. *cap.* Majores *de Bapt. Ibidem. Et cap.* Licet ex quad. *de Teſtib. p.* 339.*n.* 75. *Item cap.* Inquiſitioni *de ſent. excomm. D.X. pag.*203. *n.*20.*& p.* 339.*n.*76.

Innocentius XI. *in Decreto, quo damnavit* 65.*propoſ.Intr.p.*6.*à n.*18.*ad*22.*& D. VIII. p.*180.*n.*24. *& D.X.p.*221.*n.*66.

Urbanus VIII. *in Brevi circa matrimonia Indorum. Diſs.*14.*c.*7.*à p.*328.

*Reſponſa vocalia Summorum Pontificum, quæ non ſunt authenticè edita, ſed in aliqua Hiſtoria circumferuntur, non faciunt certam fidem. p.*331.*n.*56.

*Ex Deciſione Urbani VIII. iam commemoratâ, ſolùm infertur, non ſemper nos teneri tutiora ſectari, ſed acquieſcere poſſe, cùm poſt diligentem inquiſitionem prudenter opinamur, actionem eſſe licitam. p.*335.*n.*61.

Superior præcipiens. *Vide verbo* Obedientia.

Suſpicio *temeraria utrùm, & quando ſit peccatum mortale. p.*41.*n.*40.

Sylveſter. *Quomodo exponat conceptum Opinionis, ejuſque differentiam ab Intellectu, Scientia, & Fide. p.*2.*n.*3.

*Quomodo exponat rationem Dubii moralis. p.*134. *num.*4.

Sylvius *celebris Doctor Duacenus, docet eſſe quædam Juris naturæ præcepta obſcuriora, de quibus per totam vitam poſſunt Gentiles babere ignorantiam invincibilem. p.*249.*n.*16.

T

Tabiena. *Quid circa uſum Opinionis Probabilis ſentiat. pag.*11.*n.*38.*&* 299.*n.*67.

1. P. Terillus (*Antonius*) *Ad cobibendum Opinionum Probabilium abuſum, multas conditiones requirit ad probabilitatem opinionis. p.*6.*n.*15. *Ut ſalvetur quod ipſe requirit ad probabilitatem opinionis (nimirum, quòd ejus motivum non ſolùm* abſolutè, *ſed etiam* comparativè *ſit* magnum) *contra ipſum probatur, debere excedere motivum partis oppoſitæ. p.*7.*à n.*18.

2. *Definitio à Terillo tradita Opinionis Probabilis, non cobæret cum ejus doctrina de uſu licito opinionis minùs probabilis*

bilis in concurſu probabilioris, & tutioris. I. à p.6. præſertim à n.17. Id ipſum contra illum colligitur ex definitione probabilitatis ut ſic, ab eo tradita. p.13. num.34.

3. *In hac controverſia de uſu licito opinionis probabilis minùs tutæ, tranſitum fecit ab uno ſenſu, in quo illa eſt vera, ad alium, in quo eſt falſa. Diſs. II. §.5. p.27. uſque ad 30.*

4. *Quid ſit aliquid eſſe* certò probabile, *juxta Terillium. p.28. n.28. Oſtenditur contra ipſum, poſſe opinionem aliquam eſſe certò probabilem in ſe, licet non ſit certò probabilis operanti; qui proinde nec poſſit ſecundùm illam operari: nimirum, ſi vel judicet, vel prudenter judicare poſſit falſam eſſe, eò quod agnoſcat majus pondus authoritatis, & rationis pro parte contraria. p.28. n.28. uſque ad 30. incluſivè.*

5. *Impugnatur aſſertio Terilli, affirmantis illud objectum eſſe certò probabile, & omnibus licitum, quod multi viri docti judicant eſſe probabile. p.129.*

6. *Detegitur unde deceptus ſit Terillus, dum docet quamlibet opinionem practicè probabilem, eſſe rectam regulam morum pro omnibus. Diſs. VI. §.11. à pag. 129. ad 133. Et oſtenditur opinionem certò probabilem, ſi ſit minùs tuta, ſolùm eſſe poſſe rectam regulam pro iis, qui judicaverint prudenter, illam eſſe veram; non autem pro iis, qui judicaverint eſſe falſam, vel prudenter judicare potuerint, eo quòd agnoſcant majus fundamentum pro contraria: nec pro iis, qui dubitaverint, an ſit vera vel falſa, propter æqualitatem motivorum pro utrâque. D. VI. à p.130. à n.44.*

7. *Major probabilitas, præſertim quando eſt notabiliter major; juxta Terillum eſt* certitudo moralis. *p.228. n.89.*

8. *Juxta eum nemo poteſt ſequi ſententiam minùs tutam, ex ſuppoſitione quòd judicet eſſe minùs probabilem ſententiâ tutiore: & hinc infertur contra ipſum, nec poſſe ſequi, quando in actu primo apparet operanti minùs veriſimilis. p.95. n.78. & p.92. n.70.*

9. *Impugnatur ejus ſententia, quatenus aſſerit, poſſe intellectum ex imperio voluntatis aſſentire, ut veræ, parti illi contradictionis, quæ antecedenter in actu primo apparet ei minùs veriſimilis. p.34. n.13. & 14. & p.35. à n.15.*

10. *Oſtenditurque, eum, qui judicat, unam partem contradictionis præ alia eſſe veram, virtualiter affirmare, illam eſſe ſibi magis veriſimilem, non ſolùm poſt, ſed etiam ante imperium voluntatis. p.35. à n.15. Vide pag.91. à n.69.*

11. *Falsò docet, poſſe utramque partem contradictionis eſſe probabilem exercitè reſpectu ejuſdem intellectûs; ſeu poſſe intellectum alterutram opinari ex imperio voluntatis. Diſ. VII. §.18. à p.168.*

12. *Licet verè doceat, neminem poſſe ſequi licitè partem minùs tutam, quin priùs abſolutè judicet, objectum illud eſſe licitum; falsò tamen docet, hoc judicium poſſe formari ab operante, quamvis illa pars ſit directè minùs probabilis. p.92. n.70. & 71. & p.93. à n.72.*

13. *Etſi intellectus poſſet phyſicè aſſenſum præbere parti ſibi minùs veriſimili, & minùs tutæ; ille aſſenſus non eſſet prudens, ſed imprudens, & peccaminoſus. Id oſtenditur contra Terillum. D. IV. p.93. à n.72.*

14. *Falsò docet, intellectum eodem bono frui, ſive opinio probabilis ſit vera, ſive ſit falſa. Impugnatur hæc doctrina ex Auguſtino. Ibidem. Ex Jure Canonico, & Civili. p.94. n.75. & ex ratione. p.94. & 95. à n.77. ad 80. incluſivè.*

15. *Quas Reflexiones requirat P. Terillus, ad uſum licitum opinionis probabilis minùs tutæ, quæ directè proponitur operanti, ut minùs veriſimilis. D. VI. §.5. p.123.*

16. *Nulla ex Reflexionibus ab eo aſſignatis ſufficit, ut quis licitè amplectatur opinionem minùs tutam, ſibi minùs veriſimilem. p.124.*

17. *Non Reflexio ſupra Poſſeſſionem propriæ libertatis. Ibid.*

18. *Nec Reflexio ſupra Non-promulgationem legis. p.125. §.8.*

19. *Nec Reflexio ſupra Ignorantiam legis. p.127. §.9.*

20. *Oſtenditur contra ipſum, non poſſe ſupra opinionem minùs tutam, quæ operanti directè apparet minùs veriſimilis*

Digitized by Google

*lis authoritate, & ratione, fundari dictamen certum conſcientiæ, quòd hìc & nunc liceat operari. p.*128.§.10. *D.IV. p.*93.*n.*71.

21. *Unde in errorem inductus ſit Terillus, dum exiſtimat,* probabile *eſſe regulam abſolutam pro omnibus; cùm tamen ſit reſpectiva, pro iis dumtaxat, qui moti illo fundamento, quod apud ipſos præeminet fundamento contrario, prudenter judicarunt rem eſſe licitam. Id prudenter judicare non poſſunt illi, quibus illud fundamentum apparet minus veriſimile. p.*129.§.11.

22. *Oſtenditur, Terillum, & alios Authores benignos tranſitum feciſſe ab uno ſenſu, in quo licet ſequi ſententiam minùs probabilem, ideſt minùs communem, quæ operanti appareat rationabiliter magis fundata; ad alium, in quo planè non licet: quando nimirum opinio minus tuta, quæ eſt minùs communis, operanti ipſi apparet minus fundata. p.*27.§.5.

23. *Ex iis, quæ admittit, quòd nemo poſſit ſequi ſententiam minùs tutam, quando judicat eſſe minùs probabilem tutiore; contra ipſum oſtenditur, nec poſſe ſequi, quando in actu primo experitur majus pondus motivi pro tutiore. p.*95. *à n.*78. *Legatur Diſſert.IV. à p.*91. *toto* §.11.

24. *Terillus hanc ſtatuit aſſertionem:* Univerſaliter tam in materia Fidei, quàm Morum, unicuique licitum eſt ſequi quamcumque opinionem directè minùs probabilem, minùſque tutam, etſi oppoſita ſit, & credatur probabilior, ac tutior. *p.*241.*n.*2.

25. *Aſſeritque deinde;* Omnem probabilitatem, quòd objectum non ſit prohibitum, etiam in contradictione probabilitatis directè majoris pro parte contraria, neceſſariò connecti cum invincibili ignoraniia Legis Divinæ prohibentis tale objectum. *pag.*242. *n.*3.

26 *Impugnatur latè illa doctrina, & oſtenditur, non operari cum ignorantia invincibili rem malam, qui illam operatur, quando probabilius, & veriſimilius ipſi eſt, illam eſſe malam; ſeu quando judicio opinativo prudenti, poteſt judicare illam eſſe malam; quamvis non poſſit id judicare judicio omnino certò. Diſſ.II.c.*2.*per totum à p.*242.*à n.*5.

27. *Mirabilis aſſertio Terilli, quòd poſſit fundari ſupra opinionem minùs probabilem, & minùs tutam in occurſu probabilioris, & tutioris, dictamen reflexum conſcientiæ omnino certum, & evidens. p.*93.*n.*71. & 128.§.10.

28. *Examinatur, retorquetur, & ſolvitur ratio, qua probat, licitum eſſe ſequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam; quòd nempe, alioqui graviſſimè peccaviſſent Theologi, qui illam doctrinam tradiderunt. D.XII. à p.*264.

29. *Ex eo, quòd ſententia Probabiliſtarum eſſet falſa, malè infert, quòd Deus per unum ſæculum deſeruiſſet Eccleſiam. Cùm ex adverſo potiùs, ſi illa doctrina foret vera, ſequeretur totam antiquitatem erraſſe in re graviſſima. p.*270. *ad* 272.

30. *Doctrina Terilli, quoad rem, eſt, tres aut quatuor Authores probabiliter aſſerentes, aliquam actionem eſſe licitam, eam reddere licitam pro omnibus; etiam pro iis, qui prudenter judicare poſſunt illam eſſe illicitam, propter majorem probabilitatem intrinſecam, & extrinſecam ſententiæ oppoſitæ: contra verò, viginti affirmantes, rem eſſe illicitam, non illam reddere illicitam ulli, dum in contrarium ſtant aliqui Authores, facientes Opinionem Probabilem. p.* 354. *Expenditur id paradoxum. p.* 355.

31. *Excarmatur præcipua authoritas, quâ P.Terillus probat ſuam ſententiam ex Brevi quodam Urbani VIII. circa Matrimonia Indorum. D.XIV. toto cap.*7. *à p.*328. *ad* 342.

32. *Falſum eſt, quod ait circa Obedientiam: nimirum,* Præceptum Superioris minùs docti non poſſe efficere, ut probabilius appareat Subdito id, quod antecedenter ad præceptum apparebat minùs probabile. *p.*350.

Theologus *peccat, quando interrogatus an aliquis contractus ſit illicitus, reſpondet ſecundùm ſententiam probabilem benignam, quam ipſe falſam eſſe judi-*

Digitized by Google

judicat, vel prudenter judicare poteſt. *p.*253.*n.*29.
*Tenetur conari, quantum poteſt, ad docendum doctrinas veras .p.*251.& 252. *à n.*23.*ad* 28.
*Antiqui Theologi ad uſum licitum opinionis minùs tutæ requirunt, quòd illa ſit probabilior. I.n.*2.& *D.XIII. p.*298.

S.Thomas de Aquino.

1. *Quomodo conceptum Opinionis explicet. p.*1.*n.*2.& 3.
*In quo Opinio differat ſecundùm ipſum ab Intellectu, Scientiâ, & Fide. p.*2. *n.*3.*Vide D.X.p.*230. *n.*93.& 94.
2. *Secundùm D. Thomam diſpoſitio intellectûs dubitantis tunc contingit, quando motiva repræſentata pro utraque parte contradictionis ſunt omnino æqualia in vi movendi ad aſſenſum. p.*3.*n.*7.
3. *Dum intellectus opinatur unam partem contradictionis, fertur in ejus veritatem, & non ſolùm in ipſius veriſimilitudinem. p.*3.*n.*8.& 9.
4. *Secundùm S. Doctorem, qui tenet aliquam concluſionem, non cognoſcens medium demonſtrationis illius, non habet* ſcientiam *de ea, ſed ſolam* opinionem. *p.*15.*n.*40.
5. *Dubium morale ſecundùm eumdem eſt contrariarum rationum æqualitas. p.*134.*à n.*4.
6. *Intellectus dubitans ſimilis eſt homini vinculis ligato, cui liberum non eſt progredi ad unam partem potiùs quàm ad aliam. p.*135.*n.*6.
7. *In judicio, in quo de rebus judicamus, non attenditur bonum, vel malum ex parte ipſius rei, ſed ſolum bonũ Intellectû, quod eſt ipſa veritas. p.*94. *n.*77.& *p.*220.*n.*64.
8. *Juxta D. Thomam nemo poteſt formare conſcientiam, quòd ſibi hîc & nunc liceat operari, quin priùs judicet rem eſſe honeſtam, vel ſaltem non prohibitam; ac proinde nemo poteſt ſequi aliorum opinionem faventem libertati adversùs legem, quin ſibi ſine dubitatione perſuadeat eſſe veram, illamque faciat ſuam. p.*177. *n.*18. *Patet etiam ex* 1.2. *q.*19.*ar.*5. *in argumento* Sed contra, & 1.*p.q.*79.*ar.*13.*Deſcribitur uterq; locus hic verb.*Opinio *n.*54.
9. *Modus dirigendi conſcientias, & reſolvendi caſus per probabilitatem opinionum, præſcindendo ab ipſarum veritate, eſt contra doctrinam, quam conſtanter ſemper tenuit Doctor Angelicus. D.IX. à p.*186.
10. *Quando judicium formatum ab operante contineat juxta eum conſcientiam erroneam culpabilem, quando inculpabilem. p.*172.*à n.*2.*vſque ad* 13.
11. *An admiſerit Ignorantiam Invincibilem Juris naturalis attinentis ad unumquemque, etiam quoad concluſiones remotas. pag.*173.*à n.*4.*Vide p.*175. *n.*10.*p.*192.*n.*21.& 193.*n.*22.
Quomodo intelligenda ſit illa propoſitio D. Thomæ: Quod agitur contra legem, ſemper eſt malum, licet ſit juxta conſcientiam. *p.*175. *n.*10. & *p.*192.*à n.*21 & *p.*189.*à n.*11.*ad* 16.
13. *Juxta S.D. ſemper in ratione naturali eſt aliquid, unde procedere poſſit ad contrarium ejus, quod dictat conſcientia erronea. p.*174.*n.*8.
14. *In quo conſiſtat peccatum Infidelitatis, cujus ſpecies eſt Hæreſis, ſecundùm S.D. p.*38.*n.*27.
15. *Quomodo ſecundùm eum omnis*, qui credit, debet evidenter diſcernere credibilitatem myſteriorum, & ea videre ſub ratione communi credibilis. *p.*39.*n.*29.
16. *Quomodo id explicet Sylveſter. p.*2.*n.*3
17. *Certum eſt, in principiis D. Thomæ Ignorantiam invincibilem excuſare à culpa id, quod ex illa fit contra legem. p.*192.*n.*21.
18. *Quomodo exponatur à S. Antonino, & ab Adriano illud axioma S. Doctoris.* Quod agitur contra legem, ſemper eſt malum, licet ſit juxta conſcientiam. *D.IX. toto* §.4.*p.*193. *Quàm ſit difficile, niſi explicetur eo modo. p.*194.*n.*26.
19. *Iuxta D.Thomam, ſicut datur peccatum, quod ſit contra Conſcientiam, & non contra Legem; ita datur peccatum, quod ſit contra Legem, ſed ſimul non ſit contra Conſcientiam. p.*190.*n.*12.
20. *Celebris ejus locus ex quodlib.*8.*art.* 13. *in quo ex profeſſo explicat, quid requiratur, ut tutò quis poſſit ſequi ſententiam*

*tentiam minùs tutam; exponitur Diſs. IX. à p.*189.

21. *Quomodo juxta S.D. Fides ſit libera quantùm ad uſum, & quantùm ad aſſenſum; Scientia verò dumtaxat, quantùm ad uſum. p.*40.*n.*34.

22. *S.Thomæ morti propinqui notabile documentum ad tranſigendam hanc vitam ſine errore, & lapſu. p.*220.*n.*60.

23. *Differentia aſſignata à S.D. inter judicium* de rebus, *& judicium* de perſonis. *p.*220.*n.*64.

24. *Mens D.Thomæ circa uſum opinionum Probabilium, latè explicatur totâ D.IX. à p.*185.*ad* 195.

25. *Regula Magiſtralis tradita à S.D. de Ignorantia excuſante, vel non excuſante. p.*257.*n.*37.*& p.*192.*toto* §.3.

26. *Poſſe dari Ignorantiam inculpabilem quoad aliquas concluſiones remotas Juris naturalis, quæ ſunt difficiles, & indigent ſtudio, videtur ſenſiſſe D. Thomas, citatus p.*249.*n.*17.

27. *Celebre dictum Doctoris Angelici.* Omnis quæſtio, in qua de peccato mortali agitur, periculosè determinatur, niſi veritas expreſsè habeatur. *Exponitur p.*252. *n.*24. *& fuſiùs. p.*186. *&* 187.*à n.*4.

28. *S.D. conſtanter docet, quærendam in opinionibus* veritatem. *D.IX. à p.*186.

29. *Principia aliqua D.Thomæ, ex quibus colligitur, poſſe dari Ignorantiam invincibilem aliquorum Præceptorum naturalium in quibuſdam circumſtantiis, quæ veritatem reddunt abſtruſam, & difficilem inventu. à p.* 260.

30. *Promulgatio legis eſt neceſſaria; ut habeat vim obligandi, teſte S.D. p.*259. *n.*44.*&* 45.

31. *Modus diſcurrendi D.Thomæ quoad uſum opinionum, eſt omnino contrarius Authoribus hujus ſæculi, qui pro regula conſcientiæ aſſumunt probabilitatem quamdam vagam, indifferentem ad veritatem, & falſitatem. D.IX.p.*186.

32. *Certum eſt, Ignorantiam invincibilem juxta S.D. omnino excuſare à culpa. p.*115.*n.*8.*& D.VIII.cap.*1.*p.*173. *à n.*4.*& p.*174.*à n.*7.*uſque ad* 11.

33. *Difficilis locus D.Thomæ:* In iis, quæ pertinent ad Fidem, & bonos Mores, nullus excuſatur, ſi ſequatur opinionem erroneam alicujus Magiſtri. *p.*175.*n.*10.

34. *Sicut in ſpeculativis concluſio ſcientifica debet reſolvi in aliquod principium, cui intellectus immediatè aſſentiatur; ita in practicis propoſitio contingens mediata, cujus probabilitas elicitur ex alia, reduci debet ad aliquam propoſitionem immediatam, quæ ſit per ſe probabilis; ſecundùm Doct. Angelicum. p.*227.*n.*83. *Nam ut ait:* Sic ſe habet Opinio circa contingentia, ſicut Scientia, & Intellectus circa neceſſaria.

P.Thomas Sanchez. *Intr.n.*6.*& D.XIII. p.*298.*n.*66.*& D VIII. p.*174. *n.*6. *Ubi explicat, quando Ignorantia excuſet, vel non excuſet à peccato.*

*Dubium de impedimento dirimente matrimonii, non poſſe contrahere, affirmat Sanchez, etiamſi magis propendeat in partem affirmantem. p.*337.*n.*69.

Quomodo exponat cap. Inquiſitioni. *de Sent. Excom. ubi conjux dubitat de valore matrimonii. p.*339.*n.*76.

Tridentinum Concil. *Definit contra Lutherum, Deum impoſſibilia non præcipere. p.*257.*n.*39.

Tullius. *Egregia Ciceronis ſententia prohibens quidquam agere, de quo* dubites, an æquum ſit, an iniquum. *pag.*151. *num.*60.

Expenditur celebre dictum Tullii: Nihil eſt tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile. *p.*314.*n.*111.

Tutior pars. *In dubiis tutiorem partem eſſe eligendam, & hanc Regulam Juris, non eſſe dumtaxat conſiliativam, ſed præceptivam. Diſſ.VII. toto* §.9.*p.*151. *Vide verb.* Regula Juris.

V

Valentia (*P. Gregorius de*) *Primus è Societate anno* 1593. *obiter favit ſententiæ Probabiliſtarum. Introd. p.*2. *num.*4. *Quomodo iuxta ipſum ignorantia ſit cauſa peccati. p.*114.*n.*7.

*Requirit ad uſum licitum opinionis minùs tutæ, quòd operans judicet eſſe veram. p.*177.*n.*17.

Digitized by Google

1. P. Vazquez (*Gabriel*) *Hic ſubtilis Author* 1.2.*Diſp*.62.*c*.4.*n*.13. Nullus, *inquit*, dubitat poſſe quemlibet ſecundùm ſuam opinionem operari; *nimirum ſi ſit prudenter concepta poſt diligentem veritatis inquiſitionem, & citra paſſionem, & culpam. Cardinalis tamen Cajetanus, Author Armillæ, & alii, quos citat P. Azor Parte* 1. *lib*.2. *c*.16. *docent judicium merè opinativum de honeſtate objecti non ſufficere ad rectè operandum D.I.p*.16.*n*.45.

2. P. *Vazquez nervosè probat, ſufficere ad rectè operandum, judicium practicum probabile; ac proinde non requiri dictamen ultimum certum.p*.97.*n*.82.

3. *Juxta eum, poteſt quis contra ſuam opinionem magis probabilem, magiſque tutam, ſequi opinionem probabilem aliorum, quam per principia intrinſeca judicat eſſe falſam; idque retento illo judicio. Quæ doctrina latè impugnatur. D.V. per tot. à p*.99. *ad* 111.

4. *Sufficere judicium merè probabile de honeſtate actionis hic, & nunc exercendæ, etiamſi ſit conjunctum cum formidine partis oppoſitæ, bene oſtendit Vazquez. p*. 234. *& hanc doctrinam probat Author hujus Operis, Ibid. à n*.107.

5. *Vazquez latè probat, poſſe dari Ignorantiam Juris naturalis, quoad Concluſiones remotas valdè diſtantes à primis principiis. p*.249. *n*.18.

6. *Docet etiam non poſſe dari Ignorantiam invincibilem præceptorum Decalogi; & fuiſſe inexcuſabiles Gentiles, qui adulteria, & alia hujuſmodi, licita exiſtimarunt. Ibid.*

Veritas. *In opinionibus quærenda. p*.94. *num*.75.
- *Diſputationum conflictu aperitur. Ibid.*
- *Bonum intellectûs eſt veritas, non ut cognita, aut ut affirmata, ſed veritas abſoluta. p*.94.*n*.77.
- *Scriptura docet, quærendam eſſe veritatem, ut tutò operemur. p*.65.*n*.120. *Idem docent Auguſtinus, & Ariſtoteles. p*.178. *num*.20.
- *Magiſtri tenentur quantum poſſunt conari ad docendas doctrinas veras. p*.251. *n*.23. *&* 252.*n*.24.
- *Obligatio quærendi veritatem in opinionibus, probatur ex D. Thoma. à p*.186.
- *Oſtenditur ex Scripturis. pag*.188.*n*.10.
- *Proponitur à P. Eſparza. p*.251.*n*.23.
- *Oſtenditur ex Auguſtino. pag*.283. *à n*.20. *ad* 24. *& p*.284. *à n*.24. *ad* 30.

Uſus Opinionum. *Ad uſum licitum ſententiæ minùs tutæ non requiritur, quòd operans formet judicium omnino certum de honeſtate objecti; ſed ſatis eſt, quòd judicio opinativo prudenti, ex ſe non excludente omnem formidinem partis oppoſitæ, ſibi perſuadeat objectum eſſe honeſtum, vel ſaltem non prohibitum. D.X. per tot. latiſſimè à p*.196.

W

WEndrockius *impugnat uſum opinionis cujuslibet merè probabilis, ſi ſit minùs tuta. D.II.p*.22.*n*.9.

F I N I S.

Errata præcipua.

IN *Introd.pag.VIII.*lin.29.intra,*leg.*infra. *In Opere pag.*1.*column.*1.*lin.*32. meo,*leg.* in eo. *P.*6.*c.*2.*l.*48.qua,*leg.*quæ. *P.*7.*c.*1.*l.*27. illi,*leg.* ille.*P.*8.*c.*1.*l.*31.ſerè,*leg.*ſerè.*Ibid.c.*2.*l.*24.in,*leg.*in.*P.*9.*c.*1.*l.*15.reijcete,*leg.*reijcere. *Ibid.c.*2.*l.*8.*in fin.* illi,*leg.*ipſi. *P.*12.*c.*2.*l.*47. favendi, *leg.*faciendi.*P.*26.*c.*1.*l.*7.*noſtra*,*leg.oppoſita.P.*45.*c.*2.*l.*26.§.1.*leg.*cap.1.*P.*54.*c.*2.*l.*32. Diſs.V.*leg.*VI.& XIII. *P.*55.*c.*2.*l.*17. Diſs.IX. *leg.* X. *P.*62.*in tit.*Tertia,*leg.*Secunda;*& conſequenter p.*63.Quarta,*& p.*65.Quinta.*P.*64.*c.*2.*l.*42.quæſt.13.*leg.*Diſſ.VII.*P.*68.*c.*2.*l.penult.*maiore, *leg.*tutiore.*P.*82.*in tit.*Quinta,*leg.*Sexta;*& conſequenter p.*84.Septima.*P.*88.*c.*2.*l.*38.Diſs.XII.*leg.*XIII.& XIV.*P.*89.*c.*1.*l.*10.Diſs.illâ XII *leg.*XIII.*P.*91.*c.*1.*l.*15.reipsâ ſit,*leg.*reipsâ non ſit.*P.*102.*c.*1.*l.*42.*poſt illa:*contra ſententiam,*adde* propriam,ſed ad ſectandam ſententiam *P.*112.*c.*2.*l.*6.*&* 16.minùs, *leg.*magis.*P.*113.*c.*2.*l.*36.(; ſeveram) *leg.* (ſeveram;) *P.*116.*c.*1.*l.*9.quod re, *leg.*quod ut.*P.*164.*c.*2.*l.*1.executionem,*leg.*executioni. *P.*165.*c.*1.*l.*41.gratiori,*leg.*graviori.*P.*172.*in tit.Diſs.*abſolutè,*leg.*abſoluto. *P.*175.*c.*2.*l. ult.* Diſs.X.*leg.*XI. *P.*179.*c.*1. *l.*17.indicium,*leg.*indicium.*P.*186.*c.*1.*l.*13.intrinſecam,*leg.*extrinſecam.*Ibid.c.*2.*l.*18.veriſimilis,*leg.*vera.*P.*199.*c.*2.*l.*29.illam,*leg.*nullam. *P.*202.*c.*2.*in med.* Alexander,*leg.*Innocentius.*P.*207.*c.*2.*l.*14.opinionum,*leg.*opinativum. *P.*226.*c.*2.*l.*23. *ea, vera*,leg. *ea vera*. *P.*259.*c.*2. *l.*39. *notitiam quòd in eorum*, leg. *quòd in eorum notitiam.P.*316.*c.*1.*l.*26.*Omitti poſſunt illa :* Hucuſque & ſeqq.*uſque ad* cap.2.*Ibidem c.*2.*l.*24.minùs,*leg.*nimis.*P.*333.*c.*1.*l.*14.diſponendi,*leg.*diſpenſandi.*P.*340.*c.*1.*l.*25.non expreſsè,*leg.* nota,expreſsè,*Ibid.l.*26.eo quòd *leg.*& quòd.*P.*370.*c.*1.*l.*1.Balſæus,*leg.*Buſæus.*Ibid.l.*3.& pag.*leg.*n.4.*& adde*. De Baſſæo vid.p.394.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Google